WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.



221.93
KOR

ARCHAEOLOGIA BIBLICA

SCRIPSIT

FRANCISCUS XAV. KORTLEITNER

ORD. PRAEM.

NOVA EDITIO

WITHDRAWN
The Catholic Theological Union
LIBRARY
Chicago, IL

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

OENIPONTE
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA
MCMXVII

ANTIQUARIA

OENIPONTE. TYPIS WAGNERIANIS.

206
KOR

Approbatio ecclesiastica

Nihil obstat

Brixinae, die 18. Aprilis 1916

Dr. F. Hilber
Censor

Nr. 2726

Imprimatur

Ordinariatus Episcop. et Princip.

Brixinae, die 18. Aprilis 1916

Dr. F. Schmid
Vic. gen.

Imprimi permittitur

Plagae (Schlägl), die 24. Aprilis 1916

† **Norbertus Schachinger**
Abbas generalis ordinis Praemonstratensis

L. B.

Ad perscrutandas sacras utriusque testamenti litteras cum alia multa subsidia tum cognitionem antiquitatum biblicarum imprimis utilem ac necessariam esse sine longa demonstratione facile intellegimus. Nam scriptores librorum divinorum res gestas breviter narrantes multa ut nota ponunt, multa omittunt, quae illo tempore, quo fuerunt, illique genti, cui scripserunt, notissima erant, nobis vero maximam partem ignota sunt. Quae cum ita sint, si quis ad historiam sacram cognoscendam animum attendit atque consuetudines et ritus, quorum ibi mentio fit, plane intellegere vult, aliunde ea omnia discat eosque auctores, qui ea diligenter proposuerunt, consulat oportet.

Ut litterarum sacrarum studiosi librum habeant, ex quo sine difficultate prima antiquitatum biblicarum elementa haurire possint, operae pretium existimavi anno 1906 „Archaeologiae biblicae summarium“ conscribere typisque tradendum curare. In hac recenti eius editione complura mutavi, nonnulla brevius perscripsi, multa adieci, id quod necessarium esse ex propria cognitione non minus quam ex virorum eruditorum iudicio in ephemeridibus theologicis proposito intellexi.

Imprimis in describendis antiquitatibus sacris operam dedi, ut non solum formas variorum institutorum ad religionem veteris testamenti pertinentium, sed etiam eorum significationem symbolicam et typicam exponerem. Scripta patrum ecclesiae ad materiam ita tractandam adhibenda fuisse manifestum est, in qua re nonnulla mihi ad explicanda instituta sacra gentis a deo electae repperisse videor, quae adhuc plus minus neglecta sunt. Atque cum cultus Mosaicus multa instituta ritusque contineat, quibus vel paria vel similia in religionibus omnium fere gentium orientis antiqui inveniuntur, non praetermisi, quin inquirerem, quae rationes institutis religionis veteris testamenti cum religionibus ceterarum gentium antiquarum in iis, quae inter se communia habent, intercedant, quippe cum id quo modo diiudicetur, non solum ad cultum

Mosaicum universum iudicandum, sed etiam ad singulos eius ritus bene intellegendos magni intersit. Ceterum hanc quaestionem, de qua adhuc viri docti in contrarias sententias discedunt, singulari libello tractavi, qui parvo temporis spatio intermisso edetur atque ad eam solvendam fortasse aliquid conferet.

Quoniam autem multis illis effossionibus recentiore aetate in oriente antiquo factis et signis hieroglyphicis ac scriptura cuneiformi intellectis magna pars rerum gestarum gentium orientis melius cognita est, eae quoque res ad explicandos libros divinos veteris testamenti, imprimis ad varia instituta Hebraeorum illustranda magnopere pertinent, propterea quod genti a deo electae omni fere tempore cum ceteris gentibus orientis aliquis usus erat, ut harum cultus humanus civilisque apud eam haud parvo esset momento.

Plerique viri docti etiam geographiam Palaestinae descriptione antiquitatum biblicarum comprehendere et plerumque copiose tractare solent. In qua re usum sequuntur, qui quamquam quasi vetere consuetudine sacratus excusari potest, tamen notione archaeologiae minime praescribitur. Quare in hoc libro geographia praetermittitur. Sed singularem libellum de Palaestina antiqua conscripsi, quem me bello composito editurum spero.

Ex libris priorum temporum, quibus res ad archaeologiam biblicam pertinentes tractantur, tantum eos commemoravi, quos hodie quoque dignos esse, qui respiciantur, mihi persuasi. Opera recentioris aetatis diligenter attuli, non tantum catholica, sed etiam acatholica, ut theologiae studiosi, qui ea, quae ex hoc libro cognoverunt, domestico labore amplificare diligentiusque perspicere volunt, haud ignorent, unde plura ac subtiliora haurire possint. Sed operum annis 1914—1916 editorum pauca respici potuerunt, quoniam propter bella luctuosa difficillimum erat ea tempore sibi comparare. Eorum autem operum, quae ad disciplinam nostram spectant, delectum faciendum fuisse unicuique, qui multitudinis eorum rationem habet, apparet et eo magis probabitur, quod nemo non ex compluribus ephemeridibus, imprimis ex ephemeride biblica („Biblische Zeitschrift“) de aliis eius modi operibus satis edoceri potest. Cum autem fieri possit, ut nonnulli offendantur, quod tam frequenter opera acatholicorum afferre non dubitarim, ii, quaeso, recordentur acatholicos ad sacras utriusque testamenti litteras subtilius intellegendas multa et eximia contulisse. Nihil igitur impedit, quin quae bona habent, ea in rem nostram convertamus. Pravas autem eorum opiniones semper eâ, quâ conveniebat, improbationis notâ perstrinxi.

In locis ex sacris litteris afferendis semper fere textum primum secutus sum. De modo autem sacros textus afferendi observari oportet

Psalmos iis numeris signatos esse, qui iis in bibliis Hebraicis tribuuntur, quattuor autem libros Regum ita attuli, ut scriberem „I et II Sm“ atque „I et II Rg“, nisi aliud genus afferendi diserte commemoratur.

Haud ignoro me in hoc libro complures eius modi quaestiones tractasse, ad quas explicandas haud parvi momenti est, quid ipse de necessitudine, quae hominibus cum deo intercedat, cogites. Sed respiciatur oportet, quid quisque de summa illa re in universum cogitet, non temere eligi, sed ex diuturno difficilique animi certamine saepe nasci, et quamvis candidus et liber esse studeat, tamen animi sui quemque certa quaedam iudicia sequi.

In speciminibus typographicis percensendis equidem summa cum cura id egi, ut textus a vitiis etiam minutis purgatus prodiret, sed tamen complures errores, quos in extremo libro adnotavi, me fugerunt. Alios errores levioris momenti fortasse obvios benevolum lectorem ipsum facile correcturum spero.

Extremo libro pauca adieci, quae addenda vel emendanda iudicavi. Ibidem nonnullae imagines additae sunt. Quamquam autem optandum erat, ut maior imaginum numerus reciperetur, tamen id propterea omittendum erat, quod typographiae academicae Wagnerianae non contigit, ut eas emptione pararet. Quare lectorem ad ea opera, quibus imagines ad antiquitates biblicas illustrandas maxime idoneae collectae continentur, delegem necesse est.

Ad postremum hoc opus virorum eruditorum, imprimis eorum, qui in sacras litteras operam conferunt, benevolentiae commendo. Quod ut libris sacris intellegendis conducat, faxit divinus eorum auctor!

Oeniponte, ultimo mense Julio MCMXVI.

F. X. K.

Summarium operis

Prolegomena

Pagina

I. Notio archaeologiae biblicae 1
II. Studia archaeologiae biblicae . . . . . 1—5
III. Momentum archaeologiae biblicae 5
IV. Fontes archaeologiae biblicae . . . . . 6—33
V. Ordo materiae tractandae . . . . . 33—34

Pars prima

De antiquitatibus sacris

De peculiari forma atque indole cultus Mosaici . . . . . 36—40
Quae rationes inter ea, quae religioni Mosaicae cum religionibus gentilium communia sunt, intercedant . . . . . 40—47

I

De locis sacris

De locis cultui divino ante Mosen sacratis . . . . . 47—50
Sectio prima. De tabernaculo foederis . . . . . 50—102
Cap. I. De structura tabernaculi foederis . . . . . 51—58
Cap. II. De supellectile atrii . . . . . 58—62
Cap. III. De supellectile sanctuarii . . . . . 62—71
Cap. IV. De supellectile sanctissimi . . . . . 71—80
Cap. V. De impensis in tabernaculum foederis factis . . . . . 80—81
Cap. VI. Quae de tabernaculo foederis procedente tempore acciderint 81—84
Cap. VII. De variis tabernaculi foederis eiusque vasorum significationibus . . . . . 84—94
Cap. VIII. Opinio criticorum recentioris aetatis tabernaculum foederis, quod in codice sacerdotali describitur, ad exemplum et imaginem templi Hierosolymitani confictum esse diluitur 94—97
Cap. IX. Tabernaculum Mosaicum usque ad exstructionem templi sedem cultus divini fuisse demonstatur . . . . . 97—102

Pagina

Sectio secunda. De templo Salomonis . . . . . 102—116
Ex quibus fontibus descriptio templi Salomonis haurienda sit 103
Cap. I. De aedificatione templi . . . . . 104—105
Cap. II. De atriis templi . . . . . 106—109
Cap. III. De aede sacra . . . . . 109—113
Mensurae templi 113
Cap. IV. De dedicatione templi eiusque historia . . . . . 114—116

Sectio tertia. De templo Serubbabelis . . . . . 116—119
Cap. I. De aedificatione templi . . . . . 117—118
Cap. II. De partibus formaque templi . . . . . 118—119

Sectio quarta. De templo Herodis . . . . . 119—131
Cap. I. De aedificatione templi eiusque historia . . . . . 120—121
Cap. II. De atriis templi . . . . . 122—127
Cap. III. De aede sacra . . . . . 127—130
Mensurae templi . . . . . 130—131

Sectio quinta. Da aliis templis Jahvae sacratis . . . . . 131—135
Cap. I. De templo Samaritanorum . . . . . 131—133
Cap. II. De templis Judaeorum in Aegypto commorantium . . . . 133—135

Appendix. De synagogis . . . . . 135—139
Cap. I. De synagogarum origine . . . . . 135—137
Proseuchae 137
Cap. II. De synagogarum structura . . . . . 137—139

II

De ministris sacris

De Hebraeorum ante Mosen sacerdotibus . . . . . 139—143

Sectio prima. De institutione ministrorum cultus divini variisque eorum ordinibus . . . . . 144—160
I. Tribus Levi ad sacra facienda a deo electa . . . . . 144—145
II. Trifaria hierarchia tripartito sacrario respondens . . . . . 145—160

Sectio secunda. De consecratione ministrorum sacrorum . . . . 160—165
I. De consecratione Levitarum . . . . . 160—162
II. De consecratione sacerdotum et summi pontificis . . . . . 162—165

Sectio tertia. De officiis Levitarum, sacerdotum, pontificis . . . 165—180
Cap. I. De officiis Levitarum . . . . . 165—169
Servi ad humiliora sacrarii ministeria mancipati . . . . 169—170
Feminae ad servitium sacrum adhibitae . . . . . 170—173
Cap. II. De officiis sacerdotum . . . . . 173—178
Cap. III. De officiis pontificis . . . . . 178—180

Sectio quarta. Quae res ad munera sacerdotalia fungenda requisitae sint . . . . . 180—184
I. Natales legitimi . . . . . 180—181
II. Vacuitas notabilis vitii corporis . . . . . 181—182
III. Conubium honestum . . . . . 182—183

Pagina

IV. Abstinentia ab omni potu inebriante 183
V. Devitatio contaminationis mortuorum . . . . . 183—184
VI. Certa aetas 184

Sectio quinta. De vestimentis ministrorum sacrorum . . . . . 185—209
Cap. I. De vestimentis Levitarum 185
Cap. II. De vestimentis sacerdotum eorumque significatione . . . 186—194
Cap. III. De vestimentis pontificis eorumque significatione . . . . 195—209

Sectio sexta. De reditibus, privilegiis, sedibus ministrorum sacrorum . . . . . 210—216
I. De reditibus Levitarum et sacerdotum . . . . . 210—212
II. De eorum privilegiis . . . . . 212—213
III. De eorum sedibus . . . . . 213—215
Urbes asyli . . . . . 215—216

Appendix. De ministris synagogarum . . . . . 216—217

III

De temporibus sacris

De temporibus sacris universis . . . . . 218—223

Sectio prima. De cyclo sabbatico . . . . . 224—253
Cap. I. De sabbato . . . . . 224—241
Cap. II. De neomeniis . . . . . 242—244
Cap. III. De anno sabbatico . . . . . 244—247
Cap. IV. De anno iubilaeo . . . . . 247—253

Sectio secunda. De festis anniversariis . . . . . 253—274
Cap. I. De festis anniversariis universis . . . . . 253—256
Cap. II. De sollemnitate paschatis . . . . . 256—267
Cap. III. De sollemnitate pentecostes . . . . . 267—270
Cap. IV. De sollemnitate tabernaculorum . . . . . 270—274

Sectio tertia. De die expiationis . . . . . 274—282

Sectio quarta. De festis post exsilium Babylonium institutis . . . 283—287
Cap. I. De festo Purim . . . . . 283—285
Cap. II. De festo encaeniorum . . . . . 285—286
Cap. III. De quibusdam festis minoribus . . . . . 286—287
Appendix. Quo modo dies festi in synagogis acti sint . . . . . 287—289

IV

De cultu sacro

De Hebraeorum sacris ante Mosen usitatis . . . . . 289—291

Sectio prima. De sacrificiis lege Mosaica praescriptis . . . . . 291—354
Cap. I. De sacrificiis universis . . . . . 291—304
Cap. II. De sacrificiis cruentis . . . . . 304—331

Pagina

Cap. III. De sacrificiis incruentis . . . . . 331—339
Cap. IV. De sacrificiis quibusdam singularibus . . . . . 339—343
Cap. V. De efficacitate sacrificiorum veteris testamenti . . . . . 343—351
Cap. VI. De sacramentis veteris testamenti . . . . . 352—354

Sectio secunda. De lustrationibus sacris . . . . . 355—372
Cap. I. De purificationibus Leviticis earumque significatione . . . 355—363
Cap. II. De legibus cibariis earumque significatione . . . . . 363—372

Sectio tertia. De aliis actionibus sacris . . . . . 373—413
Cap. I. De precibus . . . . . 373—378
Cap. II. De iureiurando . . . . . 378—382
Cap. III. De votis . . . . . 382—392
Cap. IV. De ieiuniis . . . . . 392—394
Cap. V. De circumcisione . . . . . 394—401
Cap. VI. De primitiis, primogenitis, decumis . . . . . 402—408
Cap. VII. De unctione sacra . . . . . 408—413

Sectio quarta. De variis cultibus lege prohibitis, quibus Hebraei progrediente tempore dediti erant . . . . . 413—431
Brevis historia cultus Jahvae lege Mosaica praescripti . . . . 413—415
Cap. I. De cultu Jahvae lege Mosaica prohibito . . . . . 415—424
De cultu in locis excelsis exercitato . . . . . 415—418
De cultu imaginum . . . . . 419—424
Cap. II. De cultu commenticiorum deorum ab Hebraeis exercitato 424—431

Appendix. De sectis Judaeorum . . . . . 431—442
De origine sectarum Judaicarum . . . . . 432—433
Cap. I. De Pharisaeis . . . . . 433—437
Cap. II. De Sadducaeis . . . . . 437—440
Cap. III. De Samaritanis . . . . . 440—442
De Herodianis 442

Pars secunda

De antiquitatibus privatis

I

De iis rebus, quae ad vitam necessariae sunt

Sectio prima. De domiciliis . . . . . 444—461
Cap. I. De specubus, tabernaculis, tentoriis . . . . . 444—446
Cap. II. De domibus . . . . . 446—454
Cap. III. De urbibus . . . . . 454—461

Sectio secunda. De vestimentis, ornamentis, corporis cultu . . . 461—480
Cap. I. De materia et colore vestimentorum . . . . . 462—464
Cap. II. De vestimentis virorum et mulierum . . . . . 464—469
Cap. III. De tegimentis capitis et pedum . . . . . 469—473
Cap. IV. De ornamentis virorum et mulierum . . . . . 474—479
Cap. V. De corporis cultu . . . . . 479—480

Pagina

Sectio tertia. De alimentis . . . . . 481—496
Cap. I. De cibis . . . . . 481—488
Cap. II. De potu . . . . . 488—491
Cap. III. De conviviis . . . . . 491—496

II

De iis rebus, quibus Hebraei quae ad vitam necessaria sunt sibi comparabant

Sectio prima. De cultura agrorum, vitium, hortorum . . . . . 497—515
Cap. I. De agricultura . . . . . 497—506
Cap. II. De cultura vitium . . . . . 506—510
Cap. III. De hortorum cultura . . . . . 510—515

Sectio secunda. De pecuaria, venatione, piscatu . . . . . 515—530
Cap. I. De pecuaria . . . . . 516—528
Cap. II. De venatione et piscatu . . . . . 528—530

Sectio tertia. De mercatura . . . . . 530—538
I. Mercatura externa et domestica . . . . . 530—534
II. Ratio mercandi . . . . . 534—536
III. Navigatio . . . . . 536—538

Sectio quarta. De opificiis . . . . . 538—546
I. Cultura opificiorum . . . . . 538—540
II. Opifices, quorum sacrae litterae mentionem faciunt . . . 540—546

III

De vita familiari et sociali

Sectio prima. De societate domestica . . . . . 546—587
Cap. I. De matrimonio . . . . . 546—572
Cap. II. De procreatione et educatione liberorum . . . . . 572—582
Cap. III. De servorum condicione . . . . . 582—587
Mercennarii 587

Sectio secunda. De urbanitate . . . . . 587—593
I. Officia urbana . . . . . 587—591
II. Visitandi ritus . . . . . 591—592
III. Hospitalitas . . . . . 592—593

Sectio tertia. De litteris et studiis altioribus . . . . . 594—621
Cap. I. De litteris et litterarum monumentis . . . . . 594—608
Cap. II. De studiis altioribus (philosophia, historia, geographia, mathematica et geometria, medicina et chirurgia, astronomia et astrologia, physiologia) . . . . . 609—621

Sectio quarta. De artibus liberalibus . . . . . 621—641
Cap. I. De architectura . . . . . 622—627
Cap. II. De pictura, sculptura, scalptura gemmarum . . . . . 627—629

Pagina

Cap. III. De poetica . . . . . 629—635
Cap. IV. De cantu, musica, saltatione . . . . . 635—641

Sectio quinta. De mensuris, ponderibus, nummis . . . . . 642—660
Cap. I. De mensuris . . . . . 642—650
Cap. II. De ponderibus . . . . . 650—653
Cap. III. De nummis . . . . . 653—660

Sectio sexta. De temporum computandorum ratione . . . . . 660—675
Temporum descriptio apud Aegyptios, Babylonios, Graecos, Romanos usitata . . . . . 661—663
I. Dies naturalis et civilis, nox, instrumenta ad tempora dimetienda adhibita . . . . . 663—667
II. Hebdomas . . . . . 667—668
III. Menses . . . . . 668—671
IV. Annus . . . . . 671—674
V. Variae aerae . . . . . 674—675

Sectio septima. De morbis et morte, sepultura et luctu . . . . . 675—695
Cap. I. De morbis . . . . . 675—681
Cap. II. De morte . . . . . 681—685
Cap. III. De sepultura . . . . . 685—691
Cap. IV. De luctu . . . . . 691—695

Pars tertia

De antiquitatibus civilibus

Sectio prima. De forma reipublicae Hebraeorum . . . . . 696—736
Cap. I. De imperio patriarchali . . . . . 696—700
Cap. II. De imperio theocratico . . . . . 700—726
Cap. III. De imperii in exsilio et post exsilium forma . . . . . 726—736

Sectio secunda. De civibus reipublicae Hebraeorum eorumque rationibus et mutuis et cum aliis gentibus intercedentibus . . . . . 737—753
Cap. I. De civibus reipublicae Hebraeorum . . . . . 737—742
Cap. II. De mutuis civium reipublicae Hebraeorum rationibus . . 742—750
Cap. III. De rationibus inter Hebraeos et alias gentes intercedentibus 750—753

Sectio tertia. De rebus forensibus . . . . . 753—779
Cap. I. De fontibus iuris . . . . . 753—757
Cap. II. De iudiciis . . . . . 757—768
Cap. III. De poenis . . . . . 768—779

Sectio quarta. De re militari . . . . . 779—806
Cap. I. De exercitu eiusque divisione . . . . . 779—786
Cap. II. De armis . . . . . 786—794
Cap. III. De castrorum dispositione . . . . . 794—796
Cap. IV. De bello eiusque exitu . . . . . 796—806

Pagina
Addenda et emendanda . . . . . 807—808
Index rerum in litteras digestus . . . . . 809—824

Index imaginum

1. Descriptio tabernaculi foederis.
2. Altare holocaustorum in atrio tabernaculi foederis.
3. Labrum aeneum in atrio tabernaculi foederis.
4. Mensa panum propositionis in sanctuario tabernaculi foederis.
5. Candelabrum aureum in sanctuario tabernaculi foederis.
6. Altare thymiamatis in sanctuario tabernaculi foederis.
7. Arca foederis in sanctissimo tabernaculi foederis.
8. Descriptio templi Salomonis.
9. Altare holocaustorum in templo.
10. Mare aeneum in templo.
11. Labrum minus in templo.
12. Duo cherubim in sanctissimo templi.
13. et 14. Stella hexagona.
15. Monogramma Christi.
16. Descriptio templi Herodis.
17. Siclus argenteus.
18. Semisiclus.
19. Nummus Joannis Hyrcani.
20. Nummus aeneus Herodis Magni.
21. Instrumenta musicae ex monumentis Aegyptiis.
22. Instrumenta pulsatilia.
23. Instrumenta flatilia ex monumentis Romanis.

Compendia scripturae

AO = Der alte Orient
AtlAbh = Alttestamentliche Abhandlungen
AtlSt = Alttestamentliche Studien, Leipzig 1913
BSt = Biblische Studien
BW = The Biblical World
BZ = Biblische Zeitschrift
BZF = Biblische Zeitfragen
BZSF = Biblische Zeit- und Streitfragen
CH = Codex Hammurapi
CIS = Codex inscriptionum Semiticarum
EB = Encyclopaedia biblica
Exp = The Expositor
ExpT = The Expository Times
GJV^4 = E. Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi^4
JBL = Journal of Biblical Literature
Jos. AJ = Antiquitates Judaicae
Jos. BJ = Bellum Judaicum
Jos. CAp = Contra Apionem
Jos. Vit = Vita
KAT^3 = E. Schrader, Die Keilinschriften und das alte Testament^3
KB = Keilinschriftliche Bibliothek
Kth = Der Katholik
LB = M. Hagen, Lexicon biblicum
M = Mischna
MuNDPV = Mitteilungen und Nachrichten des deutschen Palästinavereins
MSG = J. P. Migne, Patrolog. Ser. Graec.
MSL = J. P. Migne, Patrolog. Ser. Lat.
OrLz = Orientalistische Literaturzeitung
OrSt = Orientalische Studien, Giessen 1906
PEF = Palestine Exploration Fund, Quarterly Statement

PSBA	= Proceedings of the Society of Biblical Archaeology
R	= Rawlinson
RB	= Revue biblique internationale
RE^3	= A. Hauck, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche^3
S.th.	= Thomae Aquinatis Summa theologica
ThprQS	= Theologisch-praktische Quartal-Schrift
ThQ	= Theologische Quartalschrift
ThT	= Theologisch Tijdschrift
TthT	= Teylers theologisch Tijdschrift
WB	= Wörterbuch
WZKM	= Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes
ZAW	= Zeitschrift für alttestamentliche Wissenschaft
ZDMG	= Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft
ZDPV	= Zeitschrift des deutschen Palästinavereins
ZkTh	= Zeitschrift für katholische Theologie
ZwTh	= Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie

Compendia nominum sacrorum librorum a me recepta, etsi ipsa per se intelleguntur, tamen diserte hîc indicentur.

Vet. test. Hebr. Gn, Ex, Lv, Nm, Dt, Jos, Jdc. I II Sm, I II Rg, Jes, Jer, Ez, Hos, Joël, Am, Ob, Jon, Mich, Nah, Hab, Zeph, Hagg, Sach, Mal, Ps, Prov, Job, Ct, Rth, Thrn, Koh, Esth, Dn, Esr, Neh, I II Chr — *Vet. test. Graec.* GrEsr, Tob, Jdth, AddEsth, Sap, Sir, Bar, EpJer, Sus, BlDr, I II (III) Mcc — *Nov. test.* Mt, Mc, Lc, Jo, Act, Rom, I II Cor, Gal, Phil, Eph, Col, I II Thess, I II Tim, Tit, Phlm, Hebr, Jac, I II Ptr, I II, III Jo, Jud, Apc.

Reliqua scripturae compendia vulgaria sunt.

Prolegomena

Primum describimus, quid sit archaeologia biblica et qui ei operam dederint; deinde indicabimus, quanti sit momenti ad sacras litteras interpretandas; tum nominamus, ex quibus fontibus antiquitatum biblicarum cognitio haurienda sit, in qua re de inscriptionibus et aliis monumentis recentiore aetate in terris orientis antiqui effossis uberius disputamus; postremo evolvimus, quo ordine quaque ratione ac via materiam in hoc opere tractemus.

I. Archaeologia (ἀρχαιολογία = *enarratio antiquitatum*), si ad hominem refertur, est scientia, si ad rem, systema rerum antiquarum maxime memorabilium. Biblica archaeologia sensu latius patente de iis rebus antiquis agit, quae in libris divinis leguntur; propria autem et principali significatione sola instituta tam sacra quam profana antiquorum Hebraeorum complectitur, i. e. eius gentis, quam deus ex omnibus gentibus antiquitatis elegit et cui ea, quae libris divinis memoriae traduntur, revelavit, ut nonnulli nomen „archaeologiae Hebraicae“ nomini „archaeologiae biblicae“ anteponant. Nos igitur in sola gente Hebraica versamur, ceteras autem gentes, quibuscum ea saeculis procedentibus commercio et usu coniuncta est, eatenus respicimus, quatenus apud gentem Hebraicam aliquid valuerunt.

Primis temporibus archaeologia non solum instituta, sed etiam facta sive historiam aliaque memoratu digna amplectebatur. Velut Josephus Flavius commentariis suis de rebus gestis et vicissitudinibus fortunae populi Judaici indicem ἀρχαιολογίας Ἰουδαϊκῆς fecit, ex nonnullorum opinione Dionysium Halicarnasseum imitatus, qui historiam Romanam nomine Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας composuit. Aetate autem recentiore archaeologia biblica ad instituta sola pertinet.

II. Theologi Christiani sexto decimo demum saeculo, cum studium litterarum sacrarum magis colebatur, in antiquitatibus biblicis versari

STUDIO ADDICTUS

coeperunt, sed et eo et seqüenti saeculo pauca opera et quae haud magni momenti fuerint de iis ediderunt. Plus duodevicesimo saeculo, imprimis priore eius parte, effectum est, quod non solum nonnulla opera, quae universas antiquitates biblicas complectuntur, emissa sunt, sed etiam haud pauci theologi varias disputationes singulares de rebus archaeologicis typis describendas curaverunt, quarum permultas maxima cum diligentia, sed non eodem cum iudicio collectas Bl. Ugolini († 1769) edidit in opere, quod inscribitur: „Thesaurus antiquitatum sacrarum, complectens selectissima clarissimorum virorum opuscula, in quibus veterum Hebraeorum mores, leges, instituta, ritus sacri et civiles illustrantur“ (34 vol. fol. Venetiis 1744-69). Inde a saeculo undevicesimo haud pauca antiquitatum biblicarum compendia a theologis et catholicorum et protestantium edita sunt, quorum nonnulli eas quoque res collegerunt, quae ex inscriptionibus gentium orientis antiqui aliisque monumentis recentiore aetate effossis ad sacras litteras illustrandas aptae esse videntur.

1) Ex antiquorum theologorum catholicorum operibus archaeologicis librorum divinorum interpreti quam maxime servire possunt M. Becanus (*Verbeeck, van der Beeck* † 1624) Analogia veteris et novi testamenti (Moguntii 1620. Mechliniae 1831) et St. Menochius († 1655) De republica Hebraeorum libri octo (Parisiis 1648).

Ex theologis recentioris ac recentissimae aetatis digni sunt, qui nominentur: J. Jahn, Biblische Archäologie, 3 Tle. 5 Bde. Wien 1796—1805 (2. Aufl. Tle. 1—2, 1817—18. 1824—25); Archaeologia biblica in epitomen redacta[2]. Vindobonae 1814. Quod opus in indicem librorum prohibitorum relatum correxit *P. F. Ackermann* ib. 1826. — J. F. Allioli, Biblische Altertümer zu Vorlesungen. Landshut 1825. Handbuch der biblischen Altertumskunde unter Mitwirkung von *L. C. Gratz* und *D. Haneberg*, 2 Bde. ib. 1844. — J. M. A. Scholz, Handbuch der biblischen Archäologie. Bonn 1834. — J. H. Kalthoff, Handbuch der hebräischen Altertümer. Münster 1840. — J. M. A. Löhnis, Das Land und Volk der alten Hebräer nach den in der Bibel angegebenen Zuständen. Regensburg 1844. — Th. Westhaus, Biblische Altertümer zum bessern Verständnisse der heiligen Schrift bearbeitet. Regensburg 1849. — V. L. de Biasi, Archaeologia biblica, originem, evolutionem et vitam humani generis domesticam, iuridico-politicam et religioso-moralem biblice exhibens. Ratisbonae 1865. — P. Scholz, Die heiligen Altertümer des Volkes Israel, 2 Tle. Regensburg 1868. — D. B. Haneberg, Die religiösen Altertümer der Bibel[2]. München 1869. — P. Schegg, Biblische Archäologie. Herausgegeben von *J. B. Wirthmüller*. Freiburg 1887. — B. Schäfer, Die religiösen, sowie die wichtigsten häuslichen und politischen Altertümer der Bibel[2]. Münster 1891. — J. A. a Lovera, Archaeologiae biblicae epitome[2]. Hierosolymis 1896. — C. van Ongeval, Praelectiones in geographiam biblicam et antiquitates Hebraicas. Gandae 1900. — U. Ubaldi, Adumbratio archaeologiae biblicae (Introductio in sacram scripturam III,

513—745. Romae 1901). — M. Belli, Brevis antiquitatum Judaicarum notitia [2]. Romae 1909. — A. Cellini, Synopsis archaeologiae biblicae (Propaedeutica biblica III, 184—302. Ripaetransonis 1909). — K. A. Lipiński, Archaeologia Biblijna. Warszawa 1911. — Huc quoque pertinet M. E. A. Fillion, Atlas archéologique de la Bible d'après les meilleurs documents. Lyon-Paris 1883.

Singulae disputationes ad antiquitates biblicas pertinentes in lexicis (imprimis biblicis) inveniuntur: A. Calmet, Dictionnaire historique et critique, chronologique, géographique et littéral de la Bible. 2 vol. Paris 1722. Conferas etiam Dissertations, qui peuvent servir de prolégomènes de l'écriture sainte. ib. 1720. — J. Aschbach, Allgemeines Kirchenlexikon, 4 Bde. Frankfurt a. M.-Mainz 1846—50. — L. de Saulcy, Dictionnaire des antiquités bibliques. Paris 1859. — Wetzer und Welte's Kirchenlexikon oder Encyklopädie der katholischen Theologie und ihrer Hilfswissenschaften. Zweite Auflage begonnen von *J. Card. Hergenröther,* fortgesetzt von *F. Kaulen,* 12. Bde. Freiburg 1886—1901. — F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible, contenant tous les noms de personnes, de lieux, de plantes, d'animaux mentionnes dans les saintes écritures, les questions théologiques, archéologiques, scientifiques critiques relatives à l'ancien et au nouveau testament et des notices sur les commentateurs anciens et modernes. 5 vol. Paris 1895—1912. — A. Vacant et E. Mangenot, Dictionnaire de théologie catholique, contenant l'exposé des doctrines de la théologie catholique leurs preuves et leur histoire. Paris 1903 ss. — M. Hagen, Lexicon biblicum. 3 tom. Parisiis 1905—11. — M. Buchberger, Kirchliches Handlexikon. Ein Nachschlagebuch über das Gesamtgebiet der Theologie und ihrer Hilfswissenschaften. 2 Bde. München 1907—12.

2) Protestantes, qui eas disciplinas, quae ad sacras litteras explicandas pertinent, praecipue saeculo praeterito catholicis multo diligentius coluerunt, permulta habent opera, quae de rebus archaeologicis agunt. At haud pauca eorum sensu rationalistico composita sunt, quo a medio saeculo duodevicesimo plerique interpretes protestantium infecti sunt. Memoratu digna sunt haec: M. Leidekker, De republica Hebraeorum libri XII, quibus de sacerrimae gentis origine et statu in Aegypto, de miraculis divinae providentiae in reipublicae constitutione, de theocratia, de illius sede et civibus, de regimine politico, de religione publica et privata disseritur. 2 vol. Amstelaedami 1704—10. — H. Reland, Antiquitates sacrae veterum Hebraeorum. Ultrajecti 1708. Cum amplissimo commentario *Bl. Ugolini* et adnotationibus *J. E. Rau.* Halae 1769. — D. Jennings, Jewish antiquities. 2 vol. Londres 1730. — A. G. Waehner, Antiquitates Ebraeorum. De Israeliticae gentis origine, fatis, rebus sacris, civilibus et domesticis. 2 tom. Gottingae 1742—43 (op. incpl.). — J. G. Carpzov, Apparatus historico-criticus antiquitatum sacri codicis et gentis Hebraeae. Francofurti-Lipsiae 1748. — C. Iken, Antiquitates Hebraicae secundum triplicem Judaeorum statum, ecclesiasticum, politicum, œconomicum [4]. Lipsiae 1764 (conferas *J. H. Schacht,* Animadversiones ad antiquitates Hebraicas olim delineatas a C. Iken. Patre mortuo edidit *G. J. Schacht.* Trajecti a. Rh. 1810). — J. E. Faber, Archäologie der Hebräer. Halle 1773. — J. D. Michaelis, Mosaisches Recht [2]. 6 Tle. Reutlingen 1793. — G. L.

Bauer, Lehrbuch der hebräischen Altertümer des alten und neuen Testaments. Leipzig 1797. Beschreibung der gottesdienstlichen Verfassung der alten Hebräer. 2 Bde. ib. 1805—06. — E. Warnekros, Entwurf der hebräischen Altertümer. Dritte Auflage bearbeitet von *A. G. Hoffmann.* Weimar 1832. — C. Ch. W. F. Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus. Heidelberg I, 1837 (2. Aufl. 1874) II, 1839. — J. H. Pareau, Antiquitas Hebraica breviter descripta[3]. Trajecti a. Rh. 1840. — J. G. Palfrey, Academical lectures on the jewish scriptures and antiquities. 2 vol. Boston 1840. — J. L. Saalschütz (Judaeus), Das mosaische Recht nebst den vervollständigenden talmudisch-rabbinischen Bestimmungen. 2 Tle. Berlin 1846—48. Archäologie der Hebräer. 2 Tle. Königsberg 1855—56. — W. M. L. De Wette, Lehrbuch der hebräisch-jüdischen Archäologie nebst einem Grundrisse der hebräisch-jüdischen Geschichte[4]. Leipzig 1864. — H. Ewald, Die Altertümer des Volkes Israel[3]. Göttingen 1866. — A. Kuenen, De godsdienst van Israël tot den ondergang van den joodschen staat. 2 vol. Haarlem 1869—70. — C. F. Keil, Handbuch der biblischen Archäologie[2]. Frankfurt a. M. 1875. — J. Th. Visser, Hebreeuwsche Archaeologie. Naar de nieuwste schrijvers (vrij bewerkt). Utrecht 1891. — A. Kinzler, Die biblischen Altertümer[7]. Calw 1893. — J. Jacobs, Studies in biblical archaeology. London 1894. — W. Nowack, Lehrbuch der hebräischen Archäologie. 2 Tle. Freiburg-Leipzig 1894. — J. Benzinger, Hebräische Archäologie[2]. Tübingen 1907. — K. Wielemaker, Beknopt leerboek der bijbelsche oudheidkunde. Goes 1911. — W. Cruickshank, The Bible in the light of antiquity. A handbook of biblical archaeology. London 1913. — C. L. Bedale, The old testament and archaeology. London 1913. — Conferas etiam S. Krauss (Judaeus) Talmudische Archäologie. 3 Bde. Leipzig 1910—12. — Imagines ad antiquitates biblicas illustrandas maxime idoneas collegerunt J. Frohnmeyer und J. Benzinger, Bilderatlas zur Bibelkunde. Stuttgart 1905. Zweite Auflage ib. 1912; H. Oort en G. Wildeboer, Planten-atlas tot opheldering van bijbelsche oudheden. Amsterdam 1906.

Nominanda sunt etiam eorum dictionaria, ubi antiquitates biblicae ordine alphabetico tractantur: J. W. F. Hegel, Biblisches Reallexikon über biblische und die Bibel erläuternde alte Geschichte, Erdbeschreibung, Zeitrechnung, Altertümer, morgenländische Gebräuche, Naturlehre, Naturgeschichte, Isagogik, Onomatologie usw. 3 Bde. Leipzig 1783—85. — Biblisch-exegetische Encyklopädie oder biblisch-exegetisches Realwörterbuch. 4 Bde. Gotha 1793—98. — G. B. Winer, Biblisches Realwörterbuch[3]. 2 Bde. Leipzig 1847—48. — D. Schenkel, Bibellexikon. 5 Bde. Leipzig 1869—75. — J. Hamburger (Judaeus), Realencyklopädie des Judentums I. Biblische Artikel, II. Talmud und Midrasch, III. Nachtalmudische Zeit bis zur Neuzeit. Berlin-Neustrelitz-Leipzig 1870—1901. — W. Smith and J. M. Fuller, A dictionary of the Bible comprising its antiquities, biography, geography and natural history[2]. 3 vol. London 1893. — E. C. A. Riehm, Handwörterbuch des biblischen Altertums für gebildete Bibelleser. Zweite Auflage bearbeitet von *F. Baethgen.* Bielefeld-Leipzig 1893—94. — A. Hauck, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche. 24 Bde. Leipzig 1896—1913. — J. Hastings, A dictionary of the Bible, dealing with its language, literature and contents including

the biblical theology. 4 vol. Edinburgh 1898—1902. Extra volume ib. 1904. — T. K. Cheyne and J. S. Black, Encyclopaedia biblica. A critical dictionary of the literary, political and religious history, the archaeology, geography and natural history of the Bible. 4 vol. London 1899—1903. — The jewish encyclopaedia. A descriptive record of the history, religion, literature and customs of the jewish people from the earliest times to the present day. 12 vol. New York and London 1901—06 (op. Jud.). — H. Guthe, Kurzes Bibelwörterbuch. Tübingen-Leipzig 1903. — P. Zeller, Biblisches Handwörterbuch [3]. Calw 1912.

III. Qui subtiliore studio sacras litteras legendas et interpretandas suscipit, ei praeter alia praesidia doctrinae etiam cognitionem antiquitatum biblicarum non modo utilem, verum etiam omnino necessariam esse haud difficulter intellegimus. Nam necessarium est, ut se prorsus in aetatem scriptorum biblicorum aequaliumque lectorum transferat, veram rerum antiquarum naturam et indolem cognoscat ac quaelibet recte diiudicet; ut scripta utriusque testamenti perpetuo ad leges, ritus, consuetudines gentis a deo electae aliaque eius modi facile referat et plenam sententiam iis locis subiectam percipiat; ut divina illa consilia ad conservandam veram religionem capta illis temporibus congruere perspiciat; ut fidei dogmata morumque praecepta ab orationis ornatu, qui haud raro ab antiquis illis rebus depromptus est, discernat; ut adversariorum argumenta, quorum haud pauca ignorantiâ antiquitatum biblicarum innituntur, recte diluat; ut vim argumentorum, quibus libri sacri veri sincerique probantur, penetret. Atque archaeologiam biblicam omnino tanti esse momenti ex eo quoque apparet, quod omnes, qui rerum antiquarum ignari ad sacras litteras scrutandas accesserunt, innumeros gravesque errores in lucem protulerunt.

Unusquisque sacerdos quandam scientiam archaeologiae biblicae habeat necesse esse ex habitu typico antiqui foederis elucet. Quidquid in vetere testamento institutum est, ad Christianismum spectat, ubi idem perfectum atque absolutum est. Quare Paulus apostolus in epistula ad Colossenses 2, 17 festa religionis Mosaicae σκιὰν τῶν μελλόντων appellat. Ut enim umbra rei alicuius per se ipsa nihil est, sed id corpus, quod eam reddit, significat, ita instituta veteris testamenti per se ipsa vana sunt, sed ad novum foedus, eius auctorem institutaque spectant. Ita cum instituta novi testamenti praesignificata sint, scientia typorum veteris testamenti necessaria est, ut illa plane intellegantur. Velut praestantia ac dignitas sacramentorum novi testamenti tum demum satis aestimari possunt, si eorum typi haud ignoti sunt. Ceterum novum testamentum ipsum docet scientiam archaeologiae biblicae necessariam esse; nam auctor epistulae ad Hebraeos id agit, ut significationem typicam antiqui foederis detegat atque demonstret. In actionibus vero liturgicis exsequendis accuratam scientiam

antiquitatum biblicarum sacerdoti magnae esse utilitati demonstrare supersedere posse mihi videor.

IV. 1) Inter fontes, unde uberior antiquitatum biblicarum cognitio hauriri debet, primus praecipuusque locus libris veteris testamenti assignandus est, qui omnes quidem ad eam acquirendam utilissimi sunt, praecipue tamen Pentateuchus atque ii, qui de rebus gestis agunt.

Qua in re imprimis magni momenti est diiudicare, quatenus Moses ipse eas leges, quae in Pentateucho a Mose profectae memoriae traditae sunt, condiderit; nam in iis et sacra et civilia instituta gentis Hebraicae, in quibus archaeologia biblica versatur, posita sunt.

Vulgo concessum est non omnes leges, quae Pentateucho continentur, a Mose ipso profectas esse posse. Nam cum Moses leges condidisset, ut iis, quae gentis Hebraicae et religio et vita communis desiderabant, satisfaceret, eae autem res tempore procedente multifariam mutatae essent, leges quoque mutari necesse erat.

Si leges Mosaicae ipsae spectantur, facile intellegitur fieri potuisse, ut mutarentur. Nam aut ad mores aut ad cultum divinum aut ad res civiles Hebraeorum pertinent. Ex quibus omnibus legibus solae leges decalogi (praeter duas, quarum una deum imagine exprimi vetat, altera sabbatum celebrari iubet) immutabiles sunt; ceterae mutari possunt et re vera lege Christiana sublatae sunt.

In Pentateucho ipso vestigia invenimus, unde leges Mosaicas mutatas esse apparet, velut Dt 4, 2; 13, 1 (Vulg. 12, 32), qui loci ita explicandi sunt, ut non omnis mutatio legum, sed tantum ea, quae ab iis fieret, quibus eas mutare non liceret, prohibita fuerit. Mutatum autem ita est, ut in locum prioris legis alia substitueretur, sed et illa in textu retineretur. Quo factum est, ut leges de eadem re saepius et repeterentur (velut de sabbato his locis agitur: Ex 20, 9 s; 23, 12; 34, 21. Lv 26, 2. Dt 5, 12—15) et inter se discreparent (ut leges de decumis: Lv 27, 30—33. Nm 18, 21—32. Dt 12, 6. 11. 17. Dt 14, 22—29. Dt 26, 12—15., leges de faenore vetito: Ex 22, 24. Lv 25, 36 s. Dt 23, 20 s.).

In aliis quoque libris veteris testamenti saepius significatur legibus Mosaicis aliquid additum esse. Cuius rei haec exempla afferantur: Josua brevi ante mortem „omnes tribus Israel" convocat (Jos 24, 1), quibus, expositis beneficiis, quae Jahve primo patriarchis, deinde populo in Aegypto, in deserto, in terra promissa commoranti tribuit (v. 2—13), optionem facit eligendi, quem deum colere velint (v. 14 s.). Respondentibus se Jahven colere velle (v. 16—21) Josua foedus populi cum Jahve initum sollemni ritu renovat, populo חק ומשפט *statutum et legem* proponit atque *verba illa* בְּסֵפֶר תּוֹרַת אֱלֹהִים *in libro legis dei* (LXX: εἰς βιβλίον νόμων τοῦ θεοῦ; H. B. Swete: εἰς βιβλίον, νόμον τοῦ θεοῦ; Pešiṭta: *bsefrê dʿnômoseh dʿmôšê*, in libris legis eius, Mosis; Vulgata: *in volumine legis domini)* scribit (v. 26) i. e. orationem a se habitam et statuta a se lata scriptis mandat libroque legis adicit. Narratio autem de iis, quae Jos 24, 1—26 memoriae produntur, in Pentateucho non exstat neque umquam pro eius ingenio universo in eo fuisse potest. Itaque Josua ea, quae populo mandavit, legibus Mosaicis inseruit. Fortasse fragmenta quaedam eorum mandatorum Dt 26,

16—27, 26 continentur. — Secundum I Sm 10, 25 Samuel מִשְׁפַּט הַמְּלוּכָה *legem regni* בַּסֵּפֶר *in librum* rettulit, quem religionem prae se ferre ex ratione sententiarum apparet. Vocabulum בספר verbis quoque *in scidam* convertere nobis licet, quam scidam postea corpori legum, quod iam exstabat, additam esse ponimus. Cum Dt 17, 14—20 talem legem contineat, nonnulli eam partem illam legem regni esse existimant. Alii dicunt legem regni a Samuel datam Dt 12, 1—26, 15 contineri. — Vetere testamento memoriae traditur complures reges religioni diligentissime consuluisse et praecepta de cultu divino dedisse, velut David (I Chr 16, 4—6. 37—42; 23, 1—26, 32) et Hiskia (II Chr 31, 2—21). Quorum praeceptorum nisi nonnulla „legi" inserta essent, mirum esset. Neque dubium esse potest, quin sacerdotes quoque non post exsilium demum, sed iam multo ante, si quid in religione diiudicandum erat, decreverint, et vix errabimus, si eos nonnulla ex eius modi decretis libro legis inseruisse ponemus.

Quae vero leges Pentateuchi ad Mosen ipsum revocandae sint et quae posterioribus demum temporibus Pentateucho additae sint, de ea re interpretes sacrarum litterarum vix umquam consentient eoque minus, quod quae recentiore aetate de origine et perfectione religionis Mosaicae eiusque cultus allata sunt, ad id diiudicandum vehementer pertinent. Illud tamen nos dicere posse existimamus eas leges, quibus Hebraeos iam certas stabilesque sedes habuisse ponitur, post Mosen demum ortas esse. Velut ea praecepta, quae Lv 25, 32—34 de Levitarum domibus in urbibus et de Levitarum prope urbes agris dantur, ita tantum intelleguntur, ut possessiones Levitarum, quae Nm 35, 2—8 ad normam diriguntur, notas esse ponamus. Quae possessionum constitutio „in campestribus Moab" facta est (Nm 35, 1). Atqui Lv c. 25 ad legislationem Sinaiticam pertinet (cf. v. 1). Locus Lv 25, 32—34 ergo posteriore tempore insertus est.

Quamquam non dubitamus concedere leges Mosaicas ita, ut modo exposuimus, auctas esse, tamen opinionem eorum, qui leges ad religionem pertinentes, quae Pentateucho continentur, non ad Mosen referendas, sed ex gentis Hebraicae usu multorum annorum profectas esse dicunt, vehementissime impugnare debemus: Mosen neque sacrarium exstruxisse neque sacerdotium instituisse; initio Hebraeos in terra Canaan complura loca sacra habuisse, unumquodque cum suo collegio sacerdotum; tum demum, cum templum Hierosolymitanum maiorem auctoritatem adeptum esset, id quod praecipue post interitum regni decem tribuum fuerit, sacerdotes Hierosolymitanos consilium cepisse cultum Jahvae in eo templo exercitatum unum legitimum esse profiteri, id quod Deuteronomio septimo saeculo conscripto factum sit (Dt 12, 4 ss.); sacerdotes aliorum sacrariorum postremo ad ministerium templi Hierosolymitani admissos esse, sed ita tantum, ut ministri sacri inferioris ordinis vel Levitae essent.

Quod si rectum esset, quidquid de cultu divino in tacernaculo foederis exercitato et de Aaron eiusque sacerdotio in Pentateucho legitur, nihil aliud esset nisi res ficta et cultus divinus eorum temporum, quae exsilium Babylonium sequebantur, nihil aliud nisi opus decipientium, licet fortasse bona fide id fecerint. Quod a gentis Hebraicae singulari in religione progressione alienum est. Nam si ea ad deum referenda est, id quod nos iudicare necesse est, quae in libris sacris de progressione religionis veteris testamenti memoriae produntur, falsa esse non possunt.

Libri novi testamenti, etsi ad instituta cognoscenda, quae ad religionem et vitam communem gentis Hebraicae pertinent, haud multum novi conferunt, tamen propterea alicuius sunt momenti, quod instituta antiqua etiam tum conservata esse testantur.

Conferendae quoque sunt variae sacrarum litterarum versiones, imprimis antiquiores, quae haud raro textum primum collustrant.

2) Deinde scripta Philonis et Josephi Flavii digna sunt, quae commemorentur. Hic quatenus in historia fidem mereatur, diversissime diiudicatum est. Antiquis temporibus atque media aetate cum plerumque nimio pluris aestimaretur, recentiore aetate eo iniquius iudicatus est. Etsi autem dubium non est, quin ut alii scriptores et magna vitia habeat et imprimis ea, quae suae genti honori sunt, praedicet, tamen negari non potest eum re in universum considerata et subtilem historicum et hominem veritatis studiosum existimandum esse, ut eius scripta fontes archaeologiae biblicae minime spernendi sint. De Philonis libris minus bene iudicandum est. Nam cum praecipue in philosophia Platonica et Pythagorica versaretur, non tam id agebat, ut de institutis sacris et profanis antiquorum Hebraeorum diligenter posteros certiores faceret, quam ut ea ex persona philosophi interpretaretur. Quae cum ita sint, viros antiquitatum biblicarum studiosos eius scriptis caute uti oportet.

a) De vita Philonis, cui cognomen „Judaeus" est, ut ab aliis insignibus viris eiusdem nominis distinguatur, pauca accepimus. Natus est Alexandriae, nobili (sacerdotali?) familia ortus. Filius fratris eius (non frater) alabarchus i. e. praefectus Judaeorum Alexandrinorum fuit. Annus natalis ignotus est. Cum autem in initio libri „De legatione ad Gaium", quem circa annum p. Ch. n. 40 confecit, se ipse senem nominet, inter annos a. Ch. n. 20 et 30 natus esse videtur. Constat quidem id unum eum eorum legatorum, quos Judaei in Aegypto commorantes anno 39 vel 40 Romam ad imperatorem Gaium miserunt, fuisse de eaque re in libro illo rettulisse. Philonem aetate imperatoris Claudii iterum Romam venisse ibique Petrum apostolum cognovisse effici non potest. Neque certum tempus eius obitus constat. Ceterum Philo litterarum ac rerum gestarum gentis Hebraicae non adeo ignarus fuit, ut nonnullis visum est. In operibus suis sacras litteras plerumque allegorice interpretatus est.

Scripsit varia opera (exegetica, philosophica, historica), quorum pleraque supersunt et a viris doctis magni aestimantur. Praecipuam eorum editionem curavit Th. Mangey, Graece et Latine, 2 vol. fol. Londini 1742. Primum huius editionis volumen collatis aliquot codicibus repetiit A. F. Peiffer, vol. 1—5. Erlangae 1785—92. Ed. II. 1820. Memoratu dignae sunt editiones, quas C. E. Richter (8 vol. Lipsiae 1828—30) et libraria Tauchnitiana (8 vol. ib. 1851—54) procurarunt. Recentissime omnia Philonis opera edunt L. Cohn et P. Wendland Berolini 1896 ss.

b) Josephus, Hierosolymis sacerdotali genere anno 37/38 p. Ch. natus, assectator Pharisaeorum fuit (Vit. § 2.). Cum Judaei contra Ro-

manos bellum gererent, Galilaeae praefectus (BJ 2, 20. 4. Vit. § 7), oppido munito Jotapata expugnato anno 67 a Romanis captus est (BJ 3, 8. 7 s.). Ad Vespasianum ductus eum imperatorem futurum esse praedixit (BJ 3, 8. 9. Sueton. Vesp. c. 5). Quod duobus annis post effectum est. Pro qua re ut ei gratiam referret, Vespasianus Josepho libertatem donavit (BJ 4, 10. 7), qui ab eo tempore, id quod moris erat, nomen gentile Vespasiani „Flavius" suo adiunxit. Dum Hierosolyma obsidebantur, Titi iussu saepe cum vitae periculo Judaeos cohortatus est, ut urbem dederent (BJ 5, 3. 3; 5, 6. 2; 5, 7. 4; 5, 9. 2—4; 5, 13. 3; 6, 2. 1—3; 6, 2. 4 s; 6, 7. 2. Vit. § 75). Bello confecto cum Tito Romam profectus est, ubi, dum vixit, favore imperatoris florens in libris conficiendis versatus est. Quo anno obierit, ignoramus.

Opera eius sunt: Ἰουδαϊκὴ ἀρχαιολογία, *antiquitates Judaicae,* in viginti libris, i. e. historia populi Judaici usque ad duodecimum Neronis annum. Περὶ τοῦ Ἰουδαϊκοῦ πολέμου, *de bello Judaico,* in septem libris, usque ad interitum civitatis Judaicae. Ex praefatione operis cognoscimus id initio sermone patrio, Aramaico, scriptum et postea demum, cum id retractaret, in Graecum tralatum esse. Περὶ τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀρχαιότητος, *de Judaeorum vetustate* sive *contra Apionem* libri duo, qui non solum contra Alexandrinum grammaticum Apionem eiusque criminationes falsas gentis Hebraicae confecti sunt, sed ad universa crimina odii plena, quae Judaei illius aetatis subibant, respondent. Βίος, *vita,* quo libro Josephus non vitam suam describit, sed nihil fere aliud refert nisi quas res tum, cum Galilaeae praeerat, gesserit. Tantum in initio et in fine libri (§ 1—6. 75—76) nonnulla alia, quae ad eius vitam pertinent, inveniuntur. H. Vincent (RB N.S. VIII, 1911, 366—388) demonstrat „bellum Judaicum" anno 77 vel 78, „antiquitates Judaicas" anno 93, „vitam" anno 95, „duos libros contra Apionem" anno 97 vel 98 conscriptos esse. Praeter ea quattuor opera a nonnullis patribus ecclesiae liber quoque quartus Maccabaeorum vel liber περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ Josepho adscribitur. Sed pro certo haberi potest eum non esse eius auctorem.

Editionem operum Josephi curaverunt S. Havercamp cum versione Latina ab *J. Hudson* facta, 2 vol. fol. Amstelaedami-Lugd. Bat.-Ultrajecti 1726; F. Oberthür 3 vol. Lipsiae 1782—85; C. E. Richter 6 vol. Lipsiae 1826—27; L. Dindorf 2 vol. Parisiis 1845—47; J. Bekker 6 vol. Lipsiae 1855—56; B. Niese 6 tom. Berolini 1887—94.

3) Ad haec consuli potest Talmud (תַּלְמוּד *doctrina*, a לָמַד *didicit*) i. e. corpus legum, sententiarum, disputationum ab antiquissimis legisperitis eorumque scholis traditarum, de cuius usu et auctoritate viri docti in contrarias sententias discedunt. Nam cum plerique Judaei id sacras litteras auctoritate aequare atque superare iudicent, Christianorum alii honorificentissime de eo sentiunt, alii omnem ei denegant fidem. Prudentissime igitur media quaedam via teneri videtur, ut Talmud, praecipue Mischna, in recentioribus rebus Judaeorum cognoscendis magnam auctoritatem et fidem, in antiquioribus valde exiguam habere censeatur.

a) Quaecumque de lege Mosaica ore hominum posteris tradita sunt, ea Judaei quidem a deo cum Mose, cum per quadraginta dies in monte Sinai moraretur, communicata esse contendunt, sed rectius a temporibus, quae exsilium Babylonium secuta sunt, repetuntur. Ex qua aetate quae de ea re memoriae tradita erant, ea unâ cum variis decretis eodem spectantibus legisperiti colligere coeperunt, Rabbi *Jehuda ha-Nasi* sive *hakadosch* autem, qui etiam *Rabbi* κατ' ἐξοχήν appellatur, scholae superioris in Tiberias praefectus (circa 135—217 p. Ch.), postremo in librum nomine Mischna (מִשְׁנָה) insignitum redegit. Quod nomen patres ecclesiae haud falso vocabulo δευτέρωσις vertunt, quatenus verbum שָׁנָה proprie ac primo δευτεροῦν, *repetere* valet. At ex loquendi usu posteriorum temporum idem valet quod *traditiones docere* vel *discere*. Quare משנה *doctrinam legis* significat eamque voce acceptam, cum Thora scripta sit.

Cum autem textus Mischnae compluribus locis obscurissimus esset, paulatim a rabbinis Palaestinensibus variae eius explicationes prolatae sunt, quae progrediente tempore collectae atque loco commentarii Mischnae additae sunt idque nomine Gemara (גְּמָרָא *supplementum, complementum*, a גָּמַר *perfecit, absolvit*). Quo factum est, ut Mischna cum Gemara Palaestinensi coniuncta *Talmud Palaestinense* (תלמוד ארץ ישראל) sive *Hierosolymitanum* (ת׳ ירושלמי) constituat.

Plerumque dicitur *R. Jochanan bar Nappacha* († 279) Gemarae Palaestinensi summam manum imposuisse, quod non est rectum. Quem tantum primum disputationes, quae ad verba Mischnae pertinent, collegisse verisimile est. Vix autem erramus, si Gemaram Palaestinensem ex compluribus minoribus collectionibus effectam esse putamus. Quae quo tempore orta sit, inde perspicitur, quod etiam imperatores Diocletianus et Julianus ibi commemorantur, sed virorum doctorum Judaicorum, qui sub fine quarti saeculi fuerunt, nulla iam mentio fit.

At illa rabbinorum Palaestinensium explanationes nequaquam omnibus Judaeis placuerunt. Quare studia Mischnae in academiis Babyloniis (Nahardeae, Surae, Pumbedithae) instaurata sunt, imprimis a *R. Abba Areka* († 247) et *R. Aschi*, scholae Surensis rectore († 427), dum a collegio magistrorum Pumbedithae, auctoribus *R. Abbina* sive *Rabbina* († 499) et *R. Jose* († 503) absoluta sunt. Quorum studiorum summa libro, qui Gemara Babylonia inscribitur, comprehensa est. Ex quo libro cum Mischna coniuncto *Talmud Babylonium* (ת׳ בבלי) constat.

Viri illi docti Judaici, qui a tempore, quo Mischna confecta est, usque ad finem quinti saeculi in ea interpretanda versati sunt, *Amoraei* (אמוראי, אמורא) appellantur.

b) Mischna dividitur in sex סְדָרִים *ordines*, qui inscripti sunt nominibus: זְרָעִים *semina*, מוֹעֵד *festa*, נָשִׁים *uxores*, נְזִיקִין *damna* קָדָשִׁים *sacra*, טָהֳרוֹת *purificationes*. Singuli ordines in *tractatus*, hi rursus in *capita*, haec denique in *normas* sive *decreta* dividuntur. Universa Mischna 63 tractatus, 523 (al. 524 vel 525) capita, 4187 normas continet.

Gemara, etsi velut commentarius Mischnae est, tamen non omnes eius tractatus interpretatur. Atque *Hierosolymitana* ex quinto ordine nullum, ex sexto unum tractatum Nidda, ex ceteris ordinibus omnes exceptis Edujoth et Pirke aboth exponit. *Babylonia* ex primo ordine unum tractatum

Berachoth, ex secundo omnes excepto Schekalim, ex tertio omnes, ex quarto omnes exceptis Edujoth et Pirke aboth, ex quinto omnes exceptis Middoth et Kinnim (praeterea media parte Tamid), ex sexto unum tractatum Nidda illustrat.

Lingua Talmudis partim nova Hebraica (i. e. Hebraica, quae Aramaismis, praeterea vocabulis Graecis et Latinis corrupta est) partim Aramaica est. Illâ Mischna, paucis locis exceptis, et magna pars Gemarae scriptae sunt; nam etiam in Gemara (id quod contra ea, quae de ea re etiam nuperrime dicta sunt, contendi oportet) enuntiata iuris semper linguâ novâ Hebraicâ concepta sunt et eâdem linguâ plerumque explicationes quoque, quae sequuntur, et pars narrationum confectae sunt. Ceterum inter linguam Aramaicam Gemarae Palaestinensis et Gemarae Babyloniae quaedam discrimina agnoscuntur.

Partes Talmudis sunt: α) Halacha (הֲלָכָה a הָלַךְ *incessit*), quae ex rabbinorum opinione eam legis scriptae explicationem et completionem continet, quam a deo ipso in monte Sinai Mosi datam per Josua, seniores, prophetas, viros synagogae magnae ore traditam usque ad se pervenisse dicunt. Quare nemini eam impugnare licet; immo ea temere admittenda, secundum eam incedendum et vivendum est. Vocatur etiam שְׁמָעְתָּה *auditio* vel *audita* sc. interpretatio, quam rabbini a maioribus audisse affirmant. Quae interpretatio in Mischna praevalet atque imprimis a *Tannaim* (תנאים, δευτερωταί) i. e. a viris doctis Judaicis, qui circiter ab anno 180 usque ad annum 230 p. Ch. fuerunt, constituta est; cum autem ad arbitrium tantum facta sit, nullius est pretii. — β) Haggada (הַגָּדָה sive אַגָּדָה *narratio*, a הִגִּיד *narravit*), quae in Gemara praevalet et quaecumque antiqui interpretes Judaici sive ex grammatica sive ex archaeologia et historia sive ex traditionibus maiorum non halachicis sive ex fabulosis narrationibus ad sacras litteras explicandas privato studio contulerunt, complectitur. Quae interpretationes haggadicae maiorem partem prorsus inutiles et saepe ridiculae sunt; nonnumquam tamen rariorum vocabulorum explicationes non spernendas et archaeologicas textuum difficiliorum illustrationes continent.

c) Appendices Mischnae a viris doctis Judaicis eo consilio confectae, ut eius loci obscuriores illustrarentur, Tosephta (תּוֹסֶפְתָּא *additamentum*) et Barajtha (בָּרַיְתָא *extranea* sc. traditio) appellantur.

Tosephta est opus singulare, eodem ordine quo Mischna, sed non eadem auctoritate. De sexaginta tribus tractatibus Mischnae in Tosephta soli tractatus Aboth, Tamid, Middoth, Kinnim desunt. Materia in Tosephta collecta re in universum consideratâ aetatis Tannaim est, eorum igitur virorum doctorum Judaicorum, qui tum, cum Mischna orta est, fuerunt. Tosephtam typis describendam curavit *M. S. Zuckermandel* (Tosephta nach den Erfurter und Wiener Handschriften. Pasewalk 1880. Suppl. Trier 1882—83). In *Bl. Ugolini* Thes. XVII—XX exstat Tosephta ad 31 tractatus unâ cum versione Latina.

Barajtha eius modi dogmata et praecepta continet, quae, etsi eiusdem temporis sunt, quo Mischna orta est, tamen in eam recepta non sunt, sed tantum in Talmude Palaestinensi commemorantur idque linguâ novâ Hebraicâ.

d) Ceterum ne confecto quidem Talmude Judaei de Mischna disputare desierunt. Quod factum est imprimis a *Geonim* (גאונים) sive viris illis doctis Judaicis, qui a septimo saeculo usque ad decimum saeculum fuerunt, postea in scholis Judaeorum Arabicorum et Europaeorum aetatis et mediae et recentioris. Inter eos autem, qui Mischnam commentati sunt, imprimis *R. Mose ben Maimon* (de quo infra) et *R. Obadja de Bartenora* eminent. Totum Talmud *R. Salomo Jizchaki* interpretatus est; quem commentarium ab eo non absolutum *R. Samuel ben Meir* aliique compleverunt. Eorum interpretatio tanti est momenti, ut iure dici possit vix quemquam sine ea difficilem illum librum perspecturum esse.

Arte typographica inventa Talmud saepius litterarum formis descriptum est. Inter editiones solius Mischnae praeter ceteras eminet: „Mischna sive totius Hebraeorum iuris, rituum, antiquitatum ac legum oralium systema cum clarissimorum rabbinorum Maimonidis et Bartenorae commentariis integris. Latinitate donavit ac notis illustravit *G. Surenhusius.*“ 6 vol. fol. Amstelodami 1698—1703. Quam in Germanicum sermonem vertit *J. J. Rabe,* 6 part. Onolzbach 1760—63 (sine textu Hebraico). Novam Mischnae editionem cum versione Germanica et commentario procurant *G. Beer* et *O. Holtzmann,* Giessen 1912 ss. Complures tractatus singulares editi sunt.

Talmud Hierosolymitanum, quod in uno vel quattuor voluminibus edi solet, Venetiis sine anni nota (1523 vel 1524) integrum typis descriptum est. Praeterea tres tantum integrae editiones apparuerunt: Cracoviae 1609, Krotoschin 1866, Shitomir 1860—67. Nonnullae aliae incohatae relictae sunt. Exstant etiam complures editiones singulorum tractatuum.

Ex editionibus totius Talmudis Babylonii merentur, ut ceteris praeferantur: α) Bombergiana, Venetiis 1520—23. Est prima editio completa, sed multis mendis corrupta. Ed. II, 1531. III, 1548. β) Justiniani, Venetiis 1546—51. Est editio aliquantulo appositior. γ) Basileensis 1578—81. Multa in Christianos iniuriosa omittit; ceterum editiones Bombergii et Justiniani sequitur. δ) Cracoviensis, 1602—05. Sequitur illa quidem editionem Basileensem, multa autem, quae ibi omissa sunt, supplet. Ed. II, 1616—20. ε) Editiones, quae Pragae 1840—46, Berolini 1862—68, Viennae 1864—72, Varsaviae 1876—78 prodierunt. Pleraeque editiones duodecim tomis fol. continentur et numeri paginarum in diversis editionibus congruere solent. Nuper *H. L. Strack* „Talmud Babylonicum codicis Hebraici Monacensis 95“ arte phototypica depingendum curavit (2 tom. Leiden 1912). Praeterea singulae partes saepius editae sunt.

Adnotatio. — Sunt et alia Judaeorum scripta studioso antiquitatum biblicarum utilia, quae ad talmudica atque antiquiora tempora referuntur. Ex quibus digna sunt, quae nominentur: α) Chronicon vetus, quod inscribitur Seder olam (סדר עולם), etiam *Seder olam rabba* (= series rerum gestarum maior, quo posteriore vocabulo distinguitur ab alio eoque breviore chronico, quod *Seder olam sutta* appellatur) i. e explicatio historiae sacrae ab Adam usque ad Alexandrum Magnum. Quod a *R. Jose ben Chalephta* (circiter 130—160 p. Ch.) scriptum esse verisimile est. Utrumque chronicon *J. Meyer* Amstelaedami 1699 in Latinum sermonem vertit. — β Megillath Taanith (מגלת תענית), index eorum dierum, quibus

propter memoriam alicuius laetae rei a cibo abstinere fas non erat. Quod opus primo p. Ch. n. saeculo linguâ Aramaicâ scriptum et ab eodem *J. Meyer* Amstelaedami 1724 in Latinum tralatum est. — γ) Mechilta (מכילתא) i. e. commentarius in nonnullos locos libri Exodi, qui ritus legesque caerimoniales Judaeorum illustrat. Unâ cum versione Latina exstat in *Bl. Ugolini* Thes. XIV, 2—586. — δ) Siphra (ספרא) et Siphre sive Siphri (ספרי), i. e. *liber* et *libri* κατ' ἐξοχήν, duo commentarii, quorum prior, qui etiam *Thorath kohanim* vocatur, librum Leviticum, posterior duos postremos Pentateuchi libros exponit. Utriusque commentarii editio unâ cum versione Latina exstat in *Bl. Ugolini* Thes. XIV, 586—1630 et XV, 2—969.

Hîc Kabbalistae quoque commemorandi sunt, qui arcanas quasdam doctrinas Mosi in monte Sinai revelatas et a maioribus ore traditas accepisse (קבל) affirmant. Quas doctrinas artificio quodam mathematico, sensu litterali omnino reiecto, ex sacris litteris eruunt. Atque Kabbala (קבלה) duo opera complectitur, quorum unum ספר יצירה *liber creationis,* alterum ספר הזהר *liber splendoris* vel simpliciter זהר appellatur.

4) Aliis scriptoribus Judaicis, qui de rebus ad antiquitates gentis suae pertinentibus scripserunt et rabbini appellantur, eo minus auctoritatis tribuendum est, quo posteriore plerumque aetate fuerunt.

Magnum non solum inter Judaeos, sed etiam inter Christianos nomen consecutus est R. Mose ben Maimon, qui vulgo *Maimonides,* nonnumquam *Rambam* (ר' מכם), Arabice *Abu Amran Musa ʿObeidallah alkortobi* appellatur. Is in Hispania Cordubae anno 1139 natus, in Aegypto anno 1208 diem supremum obiit. Ex eius scriptis tria potissimum commemoranda sunt: α) Commentarius Mischnae, Arabice scriptus (*Kitâb essirâg*), deinde in sermonem Hebraicum tralatus. Editionem Arabicam et Latinam procuravit *E. Pococke* sub titulo „Porta Mosis" Oxonii 1655. — β) משנה התורה *repetitio legis* i. e. compendium Mischnae quattuordecim librorum, quod ab hoc numero יד addito vocabulo חזקה = *manus fortis* appellatur. Id *R. Jacob ben Ascher* sive *Ascheri,* Hispanus saeculi quarti decimi, correxit correctumque auxit in libro ארבע טורים (*ʿArbaʿa turim* i. e. quattuor ordines: ארח חיים, יורה דעה, עבן העצר, חושן המשפט), cui Pieve di Sacco 1475 edito *R. Joseph ben Ephraim Karo* (anno 1488 in Hispania natus, anno 1575 in Palaestina mortuus) celeberrimum commentarium addidit sub titulo בית יוסף *Bêth Joseph.* Cuius commentarii summarium est codex nomine שלחן ארוך *Schulchan ʿarûch* Venetiis anno 1565 editus, cuius auctoritatem legitimam Judaei etiam hodie agnoscunt. — γ) מורה נבוכים *doctor nutantium* vel *perplexorum,* opus Arabice compositum (*Dalâlat elḥâîrîn*), postea in Hebraicum versum, quod eo consilio conscriptum est, ut doceatur, quo modo sacrarum litterarum tropi, rariores loquendi modi, alia eius modi interpretanda sunt. In Latinum sermonem vertit *J. Buxtorf* Basileae 1629.

Haud parvâ nominis famâ florent R. Salomo Jizchaki, qui plerumque *Jarchi* vel *Raschi* (ר' שי) appellatur, Trecis in Campania circa annum 1040 natus ibique anno 1105 mortuus; R. Abraham ben Meir ben Esra, qui vulgo *Abenesra* (Ibn ʿEsra), a theologis mediae aetatis *Ebenare* appellatur, Toleti in Hispania circa annum 1093 natus atque in insula Rhodo anno 1168 mortuus; R. David Kimchi, qui interdum *Radak*

(ר' דק) appellatur, Narbone in Gallia anno 1170 natus et anno 1240 mortuus, patrem suum Joseph et fratrem Mosen, qui doctrinâ grammaticâ et exegeticâ inter Judaeos magnam sibi famam comparaverunt, longe superans; R. Isaac Abarbanel vel *Abravanel*, qui Ulyssipone in Lusitania anno 1437 natus Venetiis anno 1508 diem supremum obiit.

5) Etiam scriptores indigenae Aegyptiorum, Babyloniorum, Assyriorum, Phoenicum respiciendi sunt. Atque ex tribus libris rerum Aegyptiarum, quas Manetho, pontifex Heliopolitanus, medio fere a. Ch. n. saeculo tertio conscripsit, fragmenta apud Josephum C Ap 1, 14—16 et 26—31 restant, quo posteriore loco eae fabulae traduntur, quae illo tempore de Judaeis vulgo ferebantur. Ex tribus libris rerum Babyloniarum, quos Berosus, qui aequalis Alexandri Magni sacerdos dei Bêl Babylone fuit, confecit, fragmenta apud Josephum (C Ap 1, 19 s.), Eusebium (Chron. Arm. c. 10), Georgium Syncellum (Chronogr. I.) ad nos pervenerunt, quae imprimis propterea magni sunt momenti, quod iis de antiquissima historia Asiae anterioris docemur. Philo Byblius, etiam *Herrenius Philo* appellatus, qui Hadriano imperatore Romam venit, cum Φοινικὴν ἱστορίαν (sive τὰ Φοινικά), ex qua Eusebius (Praep. evang. 1, 10 et 4, 16) duos locos memoriae prodit, tum librum περὶ τῶν Ἰουδαίων confecit, de quo tamen nihil certius accepimus.

Posteriorum quoque orientis scriptorum, imprimis Ḳorân et rerum scriptorum Arabum et Syrorum aliquando ut fontium archaeologiae biblicae ratio habenda est.

Consuli etiam possunt scriptores Graeci et Romani, imprimis Herodotus, Xenophon, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Plinius, Tacitus, Justinus, qui nonnumquam res, quae in libris divinis obiter memorantur, uberius exponunt. Sed propter eorum odium et contemptum gentis Judaicae et exiguam rerum Judaicarum cognitionem circumspecte usurpandi sunt. Iidem autem maximi momenti sunt, ut antiquitates Babyloniorum, Persarum, Aegyptiorum et ii mores institutaque, quae iis populis cum Hebraeis plus minus communia erant, melius cognoscantur.

Testimonia scriptorum Graecorum et Romanorum collecta sunt a L. Geiger (Quid de Judaeorum moribus atque institutis scriptoribus Romanis persuasum fuerit. Berolini 1872) et Th. Reinach (Textes d'auteurs grecs et romains relatifs au judaisme. Paris 1895).

Multo maioris utilitatis sunt ii scriptores ecclesiastici, qui in oriente vixerunt, imprimis Hieronymus, „quem deus ecclesiae suae in exponendis sacris scripturis doctorem maximum providere dignatus est“ (Miss. Rom. 30. Sept.), atque itineraria eorum, qui aetate recen-

tiore orientis solis partes lustraverunt et indolem earum ac mores consuetudinesque incolarum litteris consignaverunt. Qui quamquam res multo recentiores testantur, cum orientales non rerum novarum amantes sint, quin etiam res antiquissimas plerumque constanter retinuerint, tamen multa afferunt, quibus libri divini optime illustrantur. Cum vero nihilo minus haud pauca tot saeculorum decursu mutata sint, rursus cavendum est, ne recentiora antiquitati tribuantur. Denique distinguenda sunt ea, quae hi autores ipsi viderunt et observaverunt, ab iis, quae dumtaxat coniciunt; nam in illis sunt testes, in his munus iudicis sibi sumunt, cuius potestas penes unumquemque eiusdem artis peritum est.

Quidquid ex descriptionibus itinerum ad antiquitates biblicas illustrandas servire potest, multi viri docti collegerunt, quos videas apud R. Röhricht (Bibliotheca geographica Palaestinae. Chronologisches Verzeichnis der auf die Geographie des heiligen Landes bezüglichen Literatur von 333—1878. Berlin 1890) et P. Thomsen (Systematische Bibliographie der Palästina-Literatur. I für 1895—1904. Leipzig-New York 1908. II für 1905—1909. Leipzig 1911).

Denique antiquitatum biblicarum studioso saepe expedit eos scriptores consulere, qui sacros libros, imprimis Pentateuchum et libros historicos, interpretati sunt, aut eos, qui varias quaestiones arduas et nodosas de rebus ad archaeologiam biblicam pertinentibus docte illustrarunt.

6) Maximi momenti pro re nostra sunt varia monumenta antiqua, quo nomine cum inscriptiones tum opera artis humanae (velut sepulcra, aedificia, figuras sculptas et pictas, instrumenta, nummos, alia eius modi) intellegimus, quibus vel res gestae commemorantur vel populorum cultus atque humanitas repraesentatur. Atque quanti momenti sint testimonia monumentorum antiquorum, nemo est qui non videat. Haec enim res ipsas ante oculos ponunt, quas scriptores posterioris aetatis verbis describere conati sunt, et cum eo tempore exstructa sunt, quo res ipsae evenerunt, tamquam testes publici ac locupletes habendi sunt. Porro divinâ providentiâ factum est, ut hac aetate, cum rationalistae auctoritatem et fidem sacrarum litterarum impugnarent et undique arma conquirerent ad fontes revelationis evertendos, novi et inexspectati testes velut e sepulcris excitarentur, qui firmissimis testimoniis omnes eorum dubitationes, hypotheses, temeraria dicta quasi uno ictu convellerent.

Nihil dicimus de monumentis Phoeniciis et Palmyrenis, quae licet ad sacras litteras illustrandas utilia esse possunt, tamen plerumque magis ad philologiam quam ad archaeologiam biblicam referenda sunt. Hic tantum de monumentis in Palaestina, Aegypto, Mesopotamia effossis agitur, quorum

inventio et interpretatio aetati recentiori summae laudi vertendae sunt. Quibus pauca de monumentis aliarum gentium antiquarum addimus. Totam autem hanc materiam eo consilio, ut melius percipi possit, quae sententia sacris litteris subiecta sit, tractaverunt A. H. Sayce, Alte Denkmäler im Lichte neuer Forschungen. Ein Überblick über die durch die jüngsten Entdeckungen in Aegypten, Assyrien, Babylonien, Palästina und Kleinasien erhaltenen Bestätigungen biblischer Tatsachen. Deutsche Ausgabe. Leipzig 1886; F. Vigouroux, La bible et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie.[6] 4 vol. Parisiis 1896; J. Urquhart, Die neueren Entdeckungen und die Bibel. Deutsche Ausgabe. 5 Bde. Stuttgart 1901—04; E. Sellin, Der Ertrag der Ausgrabungen im Orient für die Erkenntnis der Entwicklung der Religion Israels. Leipzig 1905; A. Jeremias, Das alte Testament im Lichte des alten Orients.[2] ib. 1906 (quo fonte qui utitur, ei magnâ diligentiâ atque cautione opus est).

I. De monumentis in Palaestina effossis

Quamquam in Palaestina non multa monumenta inventa sunt, si cum monumentis in Aegypto et Mesopotamia detectis comparantur, tamen gravia et archaeologiae biblicae maxime utilia sunt. Imprimis ad accuratiorem descriptionem regionis cis Jordanem et trans sitae atque urbium et pagorum, de quibus in sacris litteris mentio fit, pertinent; deinde ad singulares quasdam res in sacra historia celeberrimas; denique ad cultum divinum, mores, consuetudines veterum incolarum earum regionum. Atque si rem universam spectes, dicas effossionibus in Palaestina factis ea, quae in vetere testamento de statu rerum, in quo terra Canaan et ante immigrationem Hebraeorum et post erat, memoriae traduntur, quamvis saepe in dubium vocata sint, egregie confirmari.

a) Investigatio Palaestinae maxime ab initio undevicesimi saeculi mirum quantum processit. Imprimis memoratu digna sunt itinera ab *U. J. Seetzen* annis 1806—07 (Reisen durch Syrien, Palästina usw. 4 Bde. Berlin 1854—59) et a *J. L. Burckhardt* annis 1810—12 (Travels in Syria and the Holyland. London 1822. Ed. Germ. 1823—24) suscepta. Eos *E. Robinson* Americanus annis 1838 et 1852 atque *T. Tobler* Helvetius annis 1835—36, 1845—46, 1857, 1865 secuti sunt. Qui quae reppererunt et quae *W. M. Thomson* Americanus, *J. Wilson* Scotus, *H. de Schubert* et *J. Russegger* Germani exploraverunt, maximam partem in operibus a *K. Ritter* (Erdkunde XV—XVII, Berlin 1848—54) et *K. G. de Raumer* (Palästina[4]. Leipzig 1860) editis cognoscimus. Societas „English Palestine Exploration Fund“ anno 1865 constituta ab anno 1866 complures maiores et minores expeditiones in Palaestinam misit, anno 1869 ephemeridem „Quarterly Statement“ condidit, annis 1872—75 et 1877—78 Palaestinam cis Jordanem sitam, annis 1881—82 partem regionis, quae trans Jordanem sita est, exquirendam curavit, postea Hierosolymis aliisque locis effossiones suscepit. Inter opera, quae edidit, eminent: The Survey of Western Palestine, 7 vol. 1881—84; Map of Western Palestine in

26 sheets, 1880. II. ed. 1897. The Survey of Eastern Palestine, 1889. Egregia opera Francogalli quoque emiserunt, velut *V. Guérin,* Déscription géographique, historique et archéologique de la Palestine. 7 vol. Paris 1868—80; *H. duc de Luynes,* Voyage d'exploration à la mer Morte, à Petra et sur la rive gauche du Jourdain. 3 vol. ib. 1874—76. Item societas Russorum ad Palaestinam investigandam anno 1882 constituta („Pravoslavnoje palestinskoje obtščestvo") multa effodit multaque opera edidit, in iis ab anno 1883 ephemeridem „Pravoslavnyj palestinskij sbornik". Praeterea Germani effossionibus multa invenerunt, quibus imprimis quae in vetere testamento de Cananaeis memoriae produntur, vel confirmantur vel complentur. De qua re *H. Guthe, G. Schumacher, F. Noetling, E. Sellin,* alii optime meriti sunt. Societas Germanica a Palaestina denominata („Deutscher Palästinaverein") anno 1877 constituta duas ephemerides edit: „Zeitschrift des Deutschen Palästinavereins" ab anno 1878 et „Mitteilungen und Nachrichten des Deutschen Palästinavereins" ab anno 1902. Ephemeris quoque „Das heilige Land", quae a societate „Deutscher Verein vom heiligen Land" ab anno 1856 editur, effossiones in Palaestina et terris finitimis factas perscribit. Etiam societas Germanica ab oriente denominata („Deutsche Orient-Gesellschaft") ephemeridem edit nomine „Mitteilungen". Ceterum in Palaestina etiam complura sunt instituta, quae de exploratione terrae bene meruerunt, velut „École pratique d'études bibliques" (edit „Revue biblique internationale" vol. I—XII = 1892—1903, Nouvelle série vol. I ss. = 1904 ss., praeterea „Conférences de St. Étienne", ab anno 1909), „American school of oriental research" (antea „American school for oriental study and research in Palestine"), „Deutsches evangelisches Institut für Altertumswissenschaft des heiligen Landes" (edit „Palästina-Jahrbuch" ab anno 1905). Anno 1910 societas quoque Germanica, quae a J. Görres nomen tenet („Görresgesellschaft"), Hierosolymis stationem instituit, ubi studium rerum orientalium coleretur, quod latius pateret neque ad Palaestinam solam pertineret.

b) Hic eas effossiones recentiore aetate in Palaestina factas, quae maximi sunt momenti, brevi in conspectu ponimus.

Effossionibus, quarum auctor erat societas „English Exploration Fund" et quarum locus erat Hierosolyma, quae effecta sunt, his duobus operibus vulgata sunt: *W. Wilson* and *Ch. Warren,* The recovery of Jerusalem (London 1871) et *Ch. Warren* and *C. R. Conder,* Survey of Western Palestine: The Jerusalem (ib. 1884). Anno 1874 *H. Maudsley* Hierosolymis effossiones fecit, de quibus *C. R. Conder* in PEF, Quarterly Statement VII, 1875, 81—89 rettulit. Anno 1881 *H. Guthe* magnas effossiones ibidem perfecit, quas in ZDPV IV, 1881, 115—119 et V, 1882, 7—218. 271—378 perscripsit. Effossiones annis 1894—97 a *F. J. Bliss,* quem *A. C. Dickie* adiuvit, Hierosolymis factae exponuntur in opere: *F. J. Bliss,* Excavations at Jerusalem 1894—97. Plans and illustrations by *A. C. Dickie.* London 1898 (cf. etiam *P. Thomsen* in MuNDPV 1908, 54—69. 81—86). Imprimis *C. Schick* († 1901) de investigatione antiquae urbis Hierosolymorum et locorum, quae circa sunt, optime meritus est. De sacro saxo, quod Hierosolymis in *Kubbet es-Sachra* conspicitur, conferas *H. Gressmann,* Der Felsendom in Jerusalem (Palästinajahrbuch IV,

1908, 54—66); *R. Kittel*, Studien zur hebräischen Archäologie und Religionsgeschichte 1—96. Leipzig 1908; *R. Hartmann*, Der Felsendom in Jerusalem. Straßburg 1909; *G. Dalman*, Neue Petra-Forschungen und der heilige Felsen in Jerusalem. Leipzig 1912.

Annis 1890—92 *W. M. Flinders Petrie* et *F. J. Bliss* in Tell el-Ḥasî effossiones fecerunt, quibus demonstratum est octo fere aetates varii cultus atque humanitatis hîc aliam alii successisse, quibus octo vel plures urbes alia super aliam iacentes (ex anno a. Ch. n. 1700 usque ad 300) respondent. Multi existimant Tell el-Ḥasî nihil aliud esse nisi *Lachis*, quae antiqua Cananaeorum urbs regia a Josua capta est (Jos 10, 3 ss.); eadem, postea castellum magni momenti adversus Aegyptios (II Rg 18, 14 ss.), a Sanherib obsessa (ib. 19, 8) et, id quod inscriptiones Aegyptiae memoriae tradunt, expugnata est; denique Nebucadnezar eam Judaeis eripuit (Jer 34, 7). *H. Guthe* autem (Bibelwörterbuch 382) dubitat, num Lachis eadem urbs fuerit atque Tell el-Hasî. Ceterum conferas *W. M. Flinders Petrie*, Tell el Hesy (Lachish). London 1891; *F. J. Bliss*, A mound of many cities or Tell el Hesy excavated. ib. 1894. Ed. II. 1898.

Annis 1898—1900 *F. J. Bliss* et *A. St. Macalister* in planitie Sephela quattuor loca parietinis et ruderibus contecta Tell eṣ-Ṣâfije, Tell Zakarjâ, Tell ed-Dschudeide, Tell Sandaḥanne (= Santa Anna) effossionibus perscrutati sunt, de quibus videas *F. J. Bliss* and *A. St. Macalister*, Excavations in Palestine during the years 1898—1900. London 1902; praeterea *H. Thiersch*, Archäologischer Anzeiger 1908, 343—414 et *P. Thomsen* in MuNDPV 1909, 22—27. 33—44. Tell eṣ-Ṣâfije a multis *Gath* urbi Philistaeorum (Jos 11, 22. I Sm 5, 8; 6, 17; 7, 14. al.) aequatur; contra quam opinionem dixit *H. Guthe*, Bibelwörterbuch 195. Tell Zakarjâ urbs *Aseka* (Jos 10, 10 s.; 15, 35. I Sm 17, 1. al.) esse dicitur. Id unum vero constat Tell Sandaḥanne prope vicum Bêt Dschibrîn urbem *Maresa*, patriam prophetae Elieser (II Chr 20, 37. cf. etiam Mich 1, 15. Jos 15, 44), esse; videas MuNDPV 1902, 40—42. Ut autem ibi aetas diversarum urbium, quae alia super aliam exaedificatae sunt, constitueretur, imprimis vasa fictilia, quae permulta inventa sunt, utilia erant. Quorum ratione habita quattuor aetates distinguendae sunt, quarum duae Israelitarum immigrationem in terram Canaan antecesserunt, una prior, altera posterior, tertia Israelitarum-Judaeorum, quarta Seleucidarum. Cf. *J. P. Peters* and *H. Thiersch*, Pointed tombs in the Necropolis of Marissa. London 1905. Ceterum in omnibus illis quattuor locis ruinarum multa arma, res varii usus, simulacra, imprimis autem testae atque opera fictilia effossa sunt.

Annis 1902—05 et 1907—09 *A. St. Macalister* collem ruderum Dschezer, qui prope vicum Abu Schûsche situs est, detexit i. e. *Gezer*, quam antiquam Cananaeorum urbem regiam Pharao Aegyptius filiae, quae uxor regis Salomo facta est, dotem dedit (I Rg 9, 16). Locis effossis, quae nunc rursus expleta sunt, effectum est prima domicilia hîc collocata a tricesimo, fortasse a quadragesimo a. Ch. n. saeculo repetenda esse. Sigillis, anulis, aliis ornamentis, quae multa inventa sunt, doceamur, quantum iam temporibus duodecimae et tertiae decimae domus regiae i. e. inde a bis millesimo a. Ch. n. anno Aegyptiorum cultus atque humanitas apud Cananaeos valuerit. Imprimis magni momenti sunt antiquum Cananaeorum

sacrarium ibi retectum cum octo lapidibus sacris *(maṣṣebôt),* infantes immolati in urceis fictilibus inventi, compositio anni ad agricolarum usum destinata (landwirtschaftlicher Kalender), quae sexto a. Ch. n. saeculo confecta est. Multae res inventae aetatis Maccabaeorum sunt; velut arx aperta est, quam regiam Simonis Maccabaei fuisse ex inscriptione quadam cognosci poterat. Conferas *A. St. Macalister,* Bible side-lights from the mounds of Gezer. London 1906. Ed. II. 1910 (Ed. Germ. *F. Hashagen,* Streiflichter zur biblischen Geschichte aus der altpalästinensischen Stadt Geser. Wismar 1907); The excavation of Gezer 1902—05 and 1907—09. 3 vol. ib. 1912.

In Tell Taʿannek (*Thaanach* Jos 12, 21; 17, 11. Jdc 1, 27; 5, 19. I Rg 4, 12. I Chr 7, 29) *E. Sellin* annis 1902—04 urbem effodit, quae in quattuor partibus arcibus munita circiter per annos 2500 vel 2000—600 a. Ch. permansit. Inventa sunt sacrarium antiquum, infantium corpora urceis inclusa, ornamenta aurea, multa fictilia, in iis ara magnae artis ad odores incendendos destinata, cuius mensurae cum lege Ex 30, 2 de Hebraeorum ara ad adolendum thymiama facienda paene congruunt. *H. Thiersch* autem, *G. Dalman, H. Gressmann, A. Nordtzij,* alii id opus figlinum non aram, sed nihil aliud nisi focum esse putant. Duodecim tabulae fictiles in arce principis Ištarwašur inventae (epistulae, quas principes Cananaei inter se miserunt) argumento sunt circa annum a. Ch. n. 1400 Babyloniorum linguam et litteras late vulgatas fuisse. Ceterum conferas *E. Sellin,* Tell Taʿannek. Wien 1904; Eine Nachlese auf dem Tell Taʿannek. ib. 1905.

Annis 1903—05 *G. Schumacher* effossionibus in Tell el-Mutesellim (Gouverneurshügel) prope *Megiddo,* quae urbs in sacris litteris saepius commemoratur (Jos 12, 21; 17, 11. Jdc 1, 27. al.), cuius loco hodie vicus *Leddschûn* situs est, praefuit. Quibus effossionibus demonstratum est eum locum ex antiquissimis temporibus oppidum munitum fuisse. Arx tricesimo a. Ch. n. saeculo exstructa et moenia crassitudine 8·5 m argumento sunt, quanta fuerit vis oppidi. Ex magno numero ossium et sepulcrorum, quae detecta sunt, cognoscimus, quo modo incolae mortuos et condiderint et coluerint. Cylindris signatoriis et omni genere ornamentorum ostenditur, quantum Babyloniorum cultus atque humanitas valuerit. De pulchro sigillo ibi invento, quod litteris Hebraicis לשמע עבד ירבעם inscriptum est, videas *E. Kautzsch* in MuNDPV 1904, 1—14. Ceterum conferas Tell el-Mutesellim. Bericht über die 1903—05 veranstalteten Ausgrabungen. I. Bd. *G. Schumacher,* Fundbericht, hrsg. von *C. Steuernagel,* Text und Tafeln. Leipzig 1908.

Annis 1908—09 *E. Sellin* antiquam urbem *Jericho* i. e. Tell es-Sulṭân (prope fontem, qui ab Elisa denominatur, hodie *ʿAin es-Sulṭân*) effodit. Ibi ingentes illae munitiones, quarum in libro Josua mentio fit, detectae sunt. Prima domicilia ibi collocata a tricesimo, fortasse a quadragesimo a. Ch. n. saeculo repetenda sunt. E. Sellin etiam palatium, quod Hiel (Ahiel) exaedificavit (I Rg 16, 34), invenisse sibi videtur. Conferas *E. Sellin* und *C. Watzinger,* Jericho. Die Ergebnisse der Ausgrabungen dargestellt. Leipzig 1913.

Americani ab anno 1908 antiquam urbem regiam *Samaria* i. e. Tell Sebastîje effodere coeperunt (ducibus *D. G. Lyon, G. A. Reisner, G. Schumacher, Cl. S. Fisher*). Inventae sunt ruinae ampli aedificii, quae domûs

regis Omri, postea Ahab, Jehu, Jerobeam II regnantibus instauratae, esse videntur. Quod confirmatur, quia non solum alabastrum cum nomine Pharaonis Osorkon II, aequalis regis Ahab, sed etiam septuaginta quinque testae inscriptae, quae ostraca vocantur, inventa sunt, quae etiam ad historiam et scripturae et religionis Hebraicae (cum nomina propria Hebraeorum antiquorum exhibeant, velut Meriba'al) maximi momenti sunt. Conferas The Harvard Theological Review, April 1910, January 1911. RB N.S. VI, 1909, 435—445. VIII, 1911, 125—131. 290—293.

Annis 1911—12 Britanni duce *D. Mackenzie,* quem *F. G. Newton* adiuvit, urbem Levitarum Bethsemes (Jos 15, 10; 21, 16. al.) effoderunt, cuius ruinae apud *'Ain Šems* sitae sunt. Totius urbis moenia detecta atque antiquissima sepulcra inventa sunt. Ut omnibus locis Palaestinae ad meridiem vergentis, ita hîc quoque vestigia exstant, unde Aegyptiorum cultum atque humanitatem ibi multum valuisse apparet, cum vestigia cultus atque humanitatis Babyloniorum desint. Conferas PEF, Quarterly Statement XLIII, 1911, 69—79. 129—134. 139—142. 143—151. 169—172. XLIV, 1912, 171—178. RB N.S. IX, 1912, 111—115. BW XLII, 1913, 101—109.

Quae effossionibus recentioris aetatis in Palaestina effecta sunt, ea bene complectuntur H. V. Hilprecht, Explorations in Bible Lands during the 19th century. Edinburgh 1903; F. J. Bliss, The Development of Palestine Exploration. New York 1906; H. Vincent, Canaan d'après l'exploration récente. Paris 1907; H. Thiersch, Die neueren Ausgrabungen in Palästina (Archäologischer Anzeiger 1907, 275—358. 1908, 3—38. 343—414); H. Gressmann, Die Ausgrabungen in Palästina und das alte Testament (Religionsgeschichtliche Volksbücher III, 10) Tübingen 1908; P. Thomsen, Palästina und seine Kultur in fünf Jahrtausenden. Nach den neuesten Ausgrabungen und Forschungen dargestellt (Aus Natur und Geisteswelt 260) Leipzig 1909. Kompendium der palästinischen Altertumskunde. Tübingen 1913; P. Karge, Die Resultate der neueren Ausgrabungen und Forschungen in Palästina[3] (BZF III, 8—9) Münster 1912; G. Beer, Ausgrabungen und Funde in Palästina usw. (RE[3] XXIII, 139—149); W. Knieschke, Das heilige Land im Lichte der neuesten Ausgrabungen und Funde (BZSF IX, 5) Berlin-Lichterfelde 1913.

II. De monumentis in Aegypto effossis

Cum Aegyptii artam necessitudinem cum gente Hebraica coniunxissent, evidens est eorum historiam ac monumenta ad libros divinos intellegendos multum conducere. Imprimis in libris Mosis, apud prophetas Jesaia et Jeremia, in libris Regum et Chronicorum multa leguntur, quae ex accuratiore notitia veteris Aegypti illustranda et explicanda sunt. Usque ad undevicesimum fere saeculum pauca de vetere Aegypto nota erant eaque confusa et fabulis mixta (in reliquiis Manethonis sacerdotis aliorumque scriptorum antiquissimorum); monumenta autem illa magnifica, ut pyramides et obelisci, pro historia et archaeologia

biblica exiguae erant utilitatis, quod inscriptiones iis insculptae prae obscura illa scriptura, quam hieroglyphicam vocant, intellegi non poterant. Quod etiam in papyros in sepulcris et aliis locis inventas cadit. Saeculo demum praeterito contigit, ut et incredibilem fere copiam monumentorum in lucem proferret et occultas litteras hieroglyphicas intellegeret, quo factum est, ut quasi linguam monumentorum illorum, quae adhuc muta fuerant ac sensu caruerant, solveret.

Dicemus primum pauca de monumentis ipsis in Aegypto inventis, deinde exponemus, qua ratione viri docti ad scripturam hieroglyphicam legendam pervenerint.

a) Napoleon Bonaparte expeditione in Aegyptum (1798—1800) primam ansam accuratioris investigationis monumentorum eius terrae praebuit. Nam complures viros doctos secum duxit, qui Aegyptum quoquoversus percurrerent, vetustissimarum urbium rudera, templorum ruinas, regum sepulcra pervestigarent, imagines monumentorum atque etiam inscriptionum ignotarum describerent. Quorum omnium accurata expositio paulo post curis et impensis imperii Francogallici in lucem prodiit sub titulo: „Description de l'Égypte ou recueil des observations et des recherches pendant l'expédition de l'armée française." Paris 1809—29. Tempore procedente alii viri rerum antiquarum periti, praesertim postquam *J. F. Champollion* anno 1822 litteras hieroglyphicas intellegere coepit, saepius itinera per Aegyptum fecerunt novaque monumenta detexerunt, quorum alia sunt enormis molis multoque ampliora monumentis Graecorum et Romanorum, ut pyramides et sphinges, alia minora, quae imprimis in loculis vetustissimis inventa sunt atque etiam nunc inveniuntur, velut picturae et sculpturae, quibus ritus et consuetudines Aegyptiorum repraesentantur; varia instrumenta diversarum artium, amuleta, ornamenta, anuli, scarabaei, alia eius generis; imprimis ingens copia papyrorum, quae, licet longo saeculorum spatio vel eos codices membranaceos, qui antiquissimi habentur, antecedant, tamen plerumque integrae sunt et optime conservatae, ut litterae distincte et clare appareant. Atque inter papyros Aegyptias plurimae sunt, quae quinque, sex, septem saeculis aeram Christianam antecedunt; complures decem aut duodecim saeculis antiquiores sunt; nonnullae aetate Abraham aut antiquiore tempore scriptae habentur. Multae papyri in Europam asportatae sunt et in thesauris maximorum museorum numerantur, imprimis Britannici, Berolinensis, Parisiensis, Viennensis, Vaticani, Taurinensis. Complectuntur historiam regum, scientiam theologicam et moralem Aegyptiorum, libros artium liberalium, poemata; quaedam sunt etiam de ritibus sacris, inter quas eminet integra collectio rituum funebrium, quae nomine „libri mortuorum" a viris eruditis afferri solet.

Quae omnia studiosis litterarum copiosam materiam praebent, ut statum Aegypti antiquae, qualis aetate Abraham, Mosis, prophetarum erat, sibi proponere et antiquam Aegyptiorum historiam ex monumentis repetere et restituere possint. Ad quod opus multi viri docti ex variis Europae gentibus summa cum laude operam dederunt. Quorum studiis aegyptologia, quam vocant, mire progressa est. Neque vero progressus ille fieri potuit,

nisi investigatio et persecutio litterarum hieroglyphicarum bene successisset. Quare nunc pauca de ratione, qua homines eruditi ad eas legendas pervenerunt, dicenda sunt.

Adnotatio. — Inter eos, ex quorum operibus amplissima notitia monumentorum Aegyptiorum hauriri potest, eminent J. Rosellini, I monumenti dell'Egitto e della Nubia, disegnati della spedizione scientifica letteraria Toscana in Egitto, distribuiti in ordine di materie, interpretati ed illustrati. 9 vol. text. 3 vol. tab. Pisa 1832—44; J. F. Champollion, Monuments de l'Égypte et de la Nubie. 4 vol. Paris 1835—45; R. Lepsius, Denkmäler aus Aegypten und Aethiopien. Berlin 1849—59. Praeterea J. G. Wilkinson, The manners and customs of the ancient Egyptians. A new edition, revised and corrected by *S. Birch.* 3 vol. London 1878 et opera a *S. Sharpe, C. Leemans, H. Brugsch, E. de Rougé, A. Mariette, G. Maspero, F. Chabas, E. Naville, J. Dümichen, K. Piehl, W. M. Flinders Petrie,* aliis edita. Quidquid autem ex antiquitatibus Aegyptiis ad illustrandos libros divinos, imprimis libros Mosis, servire potest, collegerunt E. W. Hengstenberg, Die Bücher Mose's und Aegypten nebst einer Beilage: Manetho und die Hyksos. Berlin 1841; G. M. Ebers, Aegypten und die Bücher Mose's. Sachlicher Kommentar zu den aegyptischen Stellen in Genesis und Exodus. I. Leipzig 1868; A. Scholz, Die Aegyptologie und die Bücher Mosis. Würzburg 1878; H. J. Heyes, Bibel uud Aegypten. Abraham und seine Nachkommen in Aegypten. I Teil: Gen. Kapitel 12—41 inkl. Münster 1904. Joseph in Aegypten (BZF IV, 9) ib. 1911; W. Spiegelberg, Aegyptische Randglossen zum alten Testament. Straßburg 1904. Der Aufenthalt Israels in Aegypten im Lichte der aegyptischen Monumente ². ib. 1904; A. Alt, Israel und Aegypten. Die politischen Beziehungen der Könige von Israel und Juda zu den Pharaonen nach den Quellen untersucht. Leipzig 1909; W. M. Flinders Petrie, Egypt and Israel. London 1911.

b) *J. F. Champollion* (1790—1832), novis Aegypti explorationibus excitatus, totum se studio archaeologiae Aegyptiae dedidit, cum maxime id ageret, ut tandem occultas litteras hieroglyphicas intellegeret; nam aliter aegyptologia progredi non posse sibi persuaserat. Post nonnullos conatus frustra captos studium suum ad stelam illam convertit, quae, cum prope Rosette (Raschîd) in Aegypto anno 1799 inventa sit, „lapis Rosette" appellari solet. Haec stela, quae tantam famam adepta est, quippe cum eius ope contigisset, ut litterae hieroglyphicae intellegerentur, est ex nigro lapide. In uno latere exhibet inscriptionem in tribus columnis triplici diversa scriptura, hieroglyphica, demotica, Graeca. Columna Graeca, quae ex quinquaginta quattuor lineis constat, continet decretum sacerdotum Aegypti anno 196 a. Ch. editum, quo Ptolemaeo V Epiphani (205—181) statuae et honores divini decernuntur. Paulo post, anno 1815, aliud monumentum parvum ex insula Philae (Gezîret el-Birbeh) allatum est, obeliscus, in quo item inscriptio litteris Aegyptiis et Graecis exarata legebatur, epistula sacerdotum Isidis ad Ptolemaeum VII Euergeten (146—117), eius sororem Cleopatram eiusque uxorem Cleopatram missa. In inscriptione Rosette quinquies nomen Πτολεμαιος, in inscriptione Philae nomen Κλεοπατρα legebatur. Cum columnam Graecam nihil aliud atque versionem inscriptionis Aegyptiae continere appareret, ita ut eadem nomina exhibere

necesse esset, J. F. Champollion statim intellexit investigationem inscriptionis ab iis incipiendam esse, quia nomina propria in qualibet lingua plus minus eodem modo sonant. Iam notum erat nomina deorum, regum, virorum illustrium in monumentis hieroglyphicis intra figuram ellipticam inclusa esse, quo facilius a reliquis vocabulis distinguantur. Hinc J. F. Champollion in columna hieroglyphica stelae Rosette facile nomen Ptolemaei octo signis formatum et quinquies repetitum ut in columna Graeca discernere potuit; item in alio monumento nomen Cleopatrae ex undecim signis constans. Ex eo numero signorum statim collegit signa illa animalium, stirpium, aliarum rerum non totam vim verbi, ut quidam olim putaverant, sed tantum singulas litteras significare, a quibus vocabulum Aegyptium rei repraesentatae inciperet. Praeterea animadvertit in nominibus Graecis Ptolemaei et Cleopatrae plures litteras communes esse, quibus eadem signa hieroglyphica utrobique respondere necesse esset. Quibus intellectis signa comparare coepit. Primum signum nominis Ptolemaei *(parvum quadratum)* si est littera *p*, etiam in nomine Cleopatrae quinto loco reperiri necesse est et reperitur; tertium signum *(nodus in fune)* si litterae *o* vice fungitur, in Cleopatra quarto loco observari necesse est et observatur; secundum signum nominis Cleopatrae *(figura leonis cubantis)* si est littera *l*, in Ptolemaeo quartum locum obtinere necesse est et obtinet; sextum signum nominis Cleopatrae *(aquila)* in Ptolemaeo non exstat, sed cum idem signum nono loco nominis Cleopatrae repetatur, dubium non erat, quin litteram *a* significet. Ita paulatim a noto ad ignotum progrediens, aliis quoque inscriptionibus, ubi nomina propria reperiebantur, consultis ad vim singulorum signorum hieroglyphicorum definiendam et ad scripturam Aegyptiam arte concludendam pervenit, quae postea ab aliis viris doctis (inter quos imprimis *R. Lepsius, S. Birch, E de Rougé, F. Chabas, H. Brugsch)* multis monumentis inter se collatis magis magisque profecta est.

Scriptura *hieroglyphica* quattuor signorum genera complectitur: α) *signa alphabetica* sive litteras, quas scriptura antiquissima viginti quattuor habet et quae ut litterae Semiticae consonantes tantum significant; neque enim vocales nisi in quibusdam syllabis exeuntibus redduntur. — β) *signa syllabica,* quae non unam litteram, sed integram syllabam significant. — γ) *signa, quae eas res, quae exprimendae sunt, repraesentant.* Ut notiones universas, quarum non erant signa, exprimerent, Aegyptii figuris singularium rerum, quarum notiones illis propinquae sunt, utebantur. Talia autem signa etiam ita usurpabant, ut eius modi vocabula significarent, quae ex iisdem consonantibus constant, ex quibus vocabulum signo redditum. — δ) *signa determinativa*, quae non sunt legenda, sed tantum ad vim vocabuli ambigui explanandam apponuntur. Id iam J. F. Champollion ex inscriptione Philae, quam supra memoravimus, coniecerat, ubi post ultimam litteram *a* nominis Cleopatrae duo alia signa cernuntur, quae in nomine Graeco praetermissa sunt; neque enim quidquam spectant nisi ut nomen femininum aperte exprimant. Clarius id postea ex aliis inscriptionibus apparuit. Ceterum signa hieroglyphica a dextra ad sinistram versus legenda sunt; a sinistra ad dextram versus tantum tum, cum figurae animantium, quae in textu exstant, faciem sinistrorsus flectunt. Si signa hieroglyphica alia super alia posita sunt, superiora prius leguntur.

Ex iis, quae diximus, apparet scripturam hieroglyphicam difficillimam esse. Cum praeterea nimium spatium requireret neque omnes varia illa signa delineare ac pingere possent, postea ad simpliciorem formam redacta est, in qua non integrae figurae, sed tantum summae lineae earum apparebant, quae forma a J. F. Champollion scriptura *hieratica* appellata est. Postremo ad usum civilem simplicior forma signorum et quae celerius scribi posset inducta est, quae ob communem et vulgarem usum *demotica* (enchoria, epistolographica) vocata est, cuius scripturae specimen altera columna inscriptionis Rosette exhibet.

Conferas W. Spiegelberg, Die Schrift uud Sprache der alten Aegypter (A O VIII, 2) Leipzig 1907; A. Erman, Die Hieroglyphen (Sammlung Göschen 608) Berlin-Leipzig 1912; G. Roeder, Aegyptisch. Praktische Einführung in die Hieroglyphen und die aegyptische Sprache (Clavis linguarum Semiticarum VI) München 1913.

Adnotatio. — Ex iis, quae recentiore aetate in Aegypto effossa sunt, praeter tabulas fictiles in Tell el-ʿAmârna detectas (de quibus infra dicemus) papyri Aramaicae in Elephantine-Syene inventae maxime dignae sunt, quae hîc nominentur.

Ubi Aegyptus antiqua ad meridiem finem habet, Elephantine insula Nili *(Gezîret Aswân* vel simpliciter *Gezîre)* sita est, in qua quondam urbs eiusdem nominis erat. Nomen Elephantine versio nominis Aegyptii *'bw* sive *'b* = elephas (Copt. *IHB, IEB, EIB;* Aram. יב) est. Insulae in ripa Nili ad orientem spectante urbs Assuân (*Aswân,* Aeg. *Sun,* Copt. *Suan,* Aram. סון, Hebr. סְוֵנֵה Ez 29, 10; 30, 6. Graec. Συήνη) opposita est, iam antiquissimis temporibus propter granitem lapidem rubentem ibi excisum (Syenit, λίθος Αἰθιοπικός) celebris. In ea regione iam antea complures inscriptiones Aramaicae lapidibus incisae, papyri, testae inventae sunt, quas M. Lidzbarski (Ephemeris für semitische Epigraphik II, 2, 200—250. Gießen 1906) diligenter tractavit. Anno 1904 in ea parte insulae, quae ad meridiem vergit (ut alii tradunt, prope urbem Assuân) decem papyri Aramaicae inventae sunt, quae ad libros sacros illustrandos maximi sunt momenti. Sunt litterae privatae, quae tabulas locationis, pactiones nuptiales, hereditates, similia continent et annis a. Ch. n. 471—410 i. e. cum reges Xerxes I, Artaxerxes I Longimanus, Xerxes II, Sogdianus, Darius II Nothus regnabant, ortae sunt. Ex quibus papyris novem in museo urbis Gîze (nr. 37, 106—114), decima Oxonii in bibliotheca Bodlejana servantur et ab A. H. Sayce et A. E. Cowley editae sunt (Aramaic papyri discovered at Assuan. London 1906). Ex anno 1906 ibidem a Germanis et Francogallis novae effossiones factae sunt. Papyri Aramaicae a Germanis inventae ab E. Sachau editae sunt (Drei aramäische Papyrusurkunden aus Elefantine. Berlin 1907. Aramäische Papyrus und Ostraka aus Elefantine. Altorientalische Sprachdenkmäler aus einer jüdischen Militärkolonie des 5. Jahrh. v. Chr. ib. 1911). Ex iis nova de colonia Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium, imprimis eius modi res, quae ad religionem pertinent, cognoscimus.

III. De monumentis in Assyria et Babylonia effossis

Historia regnorum Assyriorum et Babyloniorum cum gente Hebraica magis conexa est quam historia Aegyptiorum. Ex quo apparet, quantopere subtilior rerum Assyriarum et Babyloniarum notitia ad sacrarum litterarum intellegentiam pertineat. Quae notitia usque ad saeculum praeteritum plane fere deerat; nam ea, quae a scriptoribus antiquis, imprimis Graecis, de illis gentibus memoriae produntur, quamvis multa sint, tamen nimis recentia sunt, plerumque vaga et incerta, passim absurda et inter se pugnantia, saepe etiam fabulis permixta. Ruinae Babylonis et ceterarum antiquae Babyloniae urbium, licet a nonnullis viatoribus (ut ab *Emmanuele de S. Alberto, C. Niebuhr, J. de Beauchamp*) saeculo septimo decimo et duodevicesimo inspectae et descriptae sint, in oblivionem adductae erant atque etiam Ninives aliarumque Assyriae urbium vestigia evanuerant, ut ne situs earum quidem certo agnosceretur. Saeculo praeterito ea omnia explorata sunt, Ninive et Babylon aliaeque urbes inventae sunt; multa monumenta, arces regiae, turres, templa oculis conspiciuntur, quae tamquam ipsa et sculptis imaginibus et innumerabilibus inscriptionibus, quas cuneiformes vocant, historiam suam narrant. Quibus omnibus fides sacrarum litterarum confirmatur earumque narrationes, imagines, loquendi formulae mire illustrantur.

a) *α.* Primus *P. E. Botta,* regni Francogallici in urbe Môṣul consul, anno 1842 in loco Kujundschik, e regione urbis Môṣul in sinistra Tigris ripa sito, solum temptavit, sed haud magno successu. Quare alium locum, magis ad septentriones versus situm, prope vicum Khorsâbâd explorandum suscepit ibique multis laboribus et difficillimis impedimentis superatis unâ cum *V. Place* (1851—55) immensam domum regis Sargon II (Šarru-ukîn, 722—705 a. Ch.) detexit. Inferior ordo cubiculorum etiam tum integer erat, i. e. plures aulae amplissimae, quarum parietes ingentibus sculpturis et plurimis inscriptionibus cuneiformibus cooperti erant; etiam tauris alatis ad portam domus stantibus, lateribus pavimenti, laminis metallicis inter fundamenta domus abditis inscriptiones cuneiformes incisae erant. In sculpturis conspiciebantur pugnae, venationes, ritus sacri cum innumerabilibus figuris variis vestimentis ornatis. Quae omnia P. E. Botta eiusque socii lineis descripserunt et inscriptiones exscripserunt, ne perirent; nam cum aedes illae incendio vastatae essent, lapides calcarii aëris contactu facile in pulverem resolvebantur. Interim haec ex oriente in Galliam missa et paulo post vulgata (Parisiis 1846—50) omnium animos ad se converterunt.

Eodem fere tempore etiam Britanni collem ruderum Nimrûd, ubi Niniven (Assyr. Ninua, Arab. Nênua) sitam esse suspicabantur, effodere coeperunt (imprimis *A. H. Layard* 1845—47 et 1849—51, *H. Rassam* Syrus 1852—54 et 1878—82, *G. Smith* 1873—76), quorum labores tam ingentes fructus ediderunt, ut omnium exspectatio superaretur. Hinc

apparuit situm Ninives esse immensum illum terrae cumulum, qui a septentrionibus meridiem versus, a Kujundschik usque ad collem Nebi Jûnus et ultra eum protenditur. Ibi praeter alia duae arces regiae maioris momenti effossae sunt, altera regis Sanherib (Sin-aḫê-erib, 705—681), altera regis Asarhaddon (Aššur-aḫ-iddin, 681—668), utraque completa et ornata ab Assurbanipal (668—626), qui priori arci ingentem bibliothecam addidit. Qua bibliotheca inventa in fastis archaeologiae Assyriae nova aetas instituta est; ex illo enim tempore studia linguae et scripturae Assyriorum ingens lumen incrementumque acceperunt. Tota bibliotheca constabat ex tabulis fictilibus, quae in utraque parte signis cuneiformibus inscriptae atque circa parietes aulae maximae ordine dispositae erant; ad decem milia tabularum ibi collocata fuisse putantur (alteram bibliothecae partem postea H. Rassam in arce regis Assurbanipal invenit). Continent res gestas regum, disputationes de philosophia, theologia, medicina, scripta de moribus et vita Assyriorum, varias historias, poemata, syllabaria aliaque opera, quae ipsis Assyriis ad legendam scripturam archaicam usui erant; praeterea multae inscriptiones in lingua antiquiore (Sumerica) inventae sunt. Alia quoque monumenta cum in Ninive tum inter rudera aliarum Assyriae urbium (ut in Kalḫu = Kelach Gn 10, 11 s., in Aššur, hodie collis ruderum Kal'a Šerḳat, ubi inde ab anno 1903 Germani duce *R. Koldewey* effodere coeperunt) detecta sunt magnaque copia rerum pretiosarum et inscriptionum inde extracta est. Quae exuviae vetusti regni Assyriorum in Angliam asportatae singularem quendam thesaurum musei Britannici constituunt.

β. Interim Britanni (*W. K. Loftus* 1849 et 1853, *A. H. Layard* 1850—51, *J. E. Taylor* 1854—55, *H. Rawlinson* 1854, *H. Rassam* 1879—82), Francogalli (*F. Fresnel* unâ cum *J. Oppert* et *F. Thomas* 1852—54, *E. de Sarzec* 1877—1900, *G. Cros* inde ab anno 1903), Americani (*J. P. Peters, H. V. Hilprecht,* alii 1888—1900, *E. J. Banks* inde ab anno 1903), Germani (*B. Moritz, R. Koldewey, L. Meyer* 1887—88, *R. Koldewey, B. Meissner, L. Meyer, E. Lindl* inde ab anno 1899) neque laboribus neque impensis pepercerunt, ut etiam inferiorem Mesopotamiae partem, a Bagdad usque ad sinum Persicum explorarent idque non sine successu. Maximae urbes veterum Babyloniorum (Borsippa, Nippur, Lagaš, Uruk, Larsa, Ur, Eridu), imprimis Babylon effossae et multa monumenta, turres, palatia, templa, sepulcra detecta sunt unâ cum innumerabilibus inscriptionibus antiquissimorum temporum, a primis Babyloniorum regibus usque ad aetatem Alexandri Magni et Seleucidarum. Praeterea expeditio Turcica anno 1894 ducibus *V. Scheil* et *Bedry Bey* urbem Sippara (Abu Habba) perscrutata est.

Quae omnia in pluribus operibus, quae viri illi eruditi, quos commemoravimus, aliique ediderunt, diligenter et docte descripta sunt. Ceterum conferas F. Kaulen, Assyrien und Babylonien nach den neuesten Entdeckungen[4]. Freiburg 1891 (ubi multa praesidia doctrinae huc pertinentia memorantur); Th. Witzel, Die Ausgrabungen und Entdeckungen im Zweiströmeland (BZF IV, 3—4) Münster 1911; R. Koldewey, Das wiedererstehende Babylon. Die bisherigen Ergebnisse der deutschen Ausgrabungen[3]. Leipzig 1914.

b) Nunc pauca de inscriptionibus cuneiformibus earumque lectione. Appellantur cuneiformes ob figuram signorum, quibus expressae sunt, quae similitudinem cuneorum prae se ferunt. Parvi illi cunei varie collocati et inter se compositi signa scripturae Assyriorum et Babyloniorum formant. Convenit autem inter assyriologos eam non esse primam scripturam earum gentium, sed ex alia antiquiore paulatim derivatam. Antiquissimis formis scripturae cuneatae quaedam similitudo cum litteris hieroglyphicis inest. Inventae sunt antiquissimis temporibus, fortasse plus tribus milibus annorum a. Ch. n. Cuius scripturae auctores non gentes illae Semiticae, quae circiter anno a. Ch. n. bis millesimo quingentesimo in Babyloniam immigraverunt, sed Sumerii et Akkadii sunt, qui ibi ante eos consederant atque in Hamitarum numero habendi sunt.

Distinguuntur autem quinque genera scripturae cuneiformis: α) *scriptura hieratica* in antiquissimis Babyloniorum monumentis, velut in statuis regis Gudea; signa alia super alia posita sunt idque in columnis, quae a dextra ad sinistram directae sunt; superiora signa prius leguntur; lingua est antiquissima Babyloniae i. e. lingua Sumerica. — β) *scriptura cuneiformis antiquorum Babyloniorum,* ut in laterculis coctilibus regum urbis Ur. — γ) *scriptura cuneiformis novi regni Babyloniorum* (scriptura cursiva, quae dicitur) in monumentis ex aetate regis Assurbanipal usque ad tempora Arsacidarum (256 a. Ch.) usitata. — δ) *scriptura cuneiformis antiquorum Assyriorum,* velut in monumentis regum Rammânirâri (ca. 1400 a. Ch.), Šamširammân IV, aliorum. — ε) *scriptura nova Assyria* sive *Ninivitica* ab aetate regis Tiglat Pileser I usque ad interitum regni usurpata. Ceterum scriptura cuneiformis a Babyloniis etiam ad alias gentes ingenio ac lingua longe diversas propagata est, quarum unaquaeque illam suae linguae accommodavit. Itaque inscriptiones cuneiformes etiam varias linguas aliarum gentium sub oculos subiciunt, velut Persicam in Perside, Medicam in inscriptionibus Persepolitanis, Armenicam in Armenia. Atque saepe una eademque inscriptio tota in pluribus columnis incisa est idque totidem linguis scribendique generibus, ut inscriptiones Persepolitanae, in quibus diversitas scripturae ex ipsa attenta signorum inspectione apparet atque a viris doctis iam observata est, antequam vel unum signum cuneiforme legere potuerunt.

Ex quo manifestum est, quam difficile opus fuerit scripturam cuneiformem legere. Ad consilium huius libri non pertinet historiam variarum investigationum, quibus interpretatio signorum cuneiformium effecta est, perscribere, sed paucis absolvere.

Inscriptiones Persepolitanae, quae iam saeculo tertio decimo, saepius inde a saeculo septimo decimo in itinerum descriptionibus memorantur, ante ceteras investigatae sunt. Atque prima temptamina (a *C. Niebuhr, O. G. Tychsen, F. Münter* instituta) non successerunt, sed tantum verae interpretationi viam paraverunt. Interim observatum est eas inscriptiones plerumque in tres columnas divisas tres diversas scripturas exhibere et probabile esse videbatur eas unam eandemque inscriptionem continere eamque in tribus linguis, quae in regno Achaemenidarum maxime in usu erant. Secundum hanc coniecturam, quam veram esse postea cognitum est, viri docti singulas scripturas considerare coeperunt, imprimis litteras primae columnae magnae illius inscriptionis, quae in rupe calcaria sub

monte Bisutûn (Behistûn, Behistân) in regione Kurdistân a Dario I, rege Persarum (521—485 a. Ch.), ad suas victorias celebrandas posita est. In latere rupis cernitur ingens sculptura, quae Darium regem hostem prostratum pedibus calcantem et coram eo novem alios reges manibus et collis devinctis repraesentat. Infra sculpturam et circa legitur longa inscriptio cuneiformis in columnas divisa. Prima columna continet textum Persicum sive Persepolitanum, secunda versionem eius in alia scriptura aliaque lingua (quam *E. Norris* Scythicam, *J. Oppert* Medicam, *A. H. Sayce* Elamiticam vocat), tertia versionem Assyriam in ea scriptura ac lingua, quae in plurimis monumentis Assyriae et Babyloniae invenitur, ut ceteris duabus scripturis multo maioris momenti sit. Atque initium investigationis a nominibus propriis Achaemenidarum fieri oportuit, quippe quae omnia bene nota essent atque inter signa cuneiformia facile cognosci possent. *G. F. Grotefend* (1775—1853) anno 1802 ingenuosis et subtilibus comparationibus ad nonnulla vocabula (Hystaspes, Darius, Xerxes, rex, filius) legenda pervenit atque vim quorundam signorum determinare coepit simulque ostendit scripturam textus Persepolitani esse alphabeticam. Ultra tamen progredi non potuit. Multis annis post *E. Burnouf* (Parisiis 1836) alias inscriptiones considerans, ubi nomina propria occurrebant, plura alia signa determinavit, quibus *Chr. Lassen* (Bonnae 1836) rursus alia addidit, ut hi integrum fere alphabetum Persepolitanum restituerint atque inscriptiones vetustâ linguâ Persicâ expressas legere et interpretari coeperint. Quod etiam paulo post *E. Hincks* Dublini et *J. Oppert* Parisiis sine mutuo adiumento praestiterunt.

Primâ scripturâ intellectâ viri eruditi in secunda et tertia investigandis elaborarunt. Ope nominum propriorum, quae in prima columna legebantur, ad secundam scripturam legendam perventum est, quae versionem Scythicam vel Medicam (melius Susidam) textus Persici continebat. In qua re praecipua laus debetur viris doctis *N. L. Westergaard* (1845), *E. Hincks* (1846), *J. Oppert* (1850), *E. Norris* (1853). Haec altera scriptura syllabica est.

Tertia scriptura maioris pretii est quam duae priores; nam non solum in monumentis Persepolitanis (in tertia columna), sed etiam in aliis monumentis et laterculis coctilibus invenitur. Est enim scriptura cuneiformis Assyria et Babylonia, ad quam intellegendam interpretatio scripturae primae et secundae quidem viam paravit, sed novae difficultates hîc ortae sunt ex multitudine et ambiguitate signorum, quae eius investigationem diu retardarunt. Ad hanc scripturam legendam praeter exspectationem tabulis bibliothecae regis Assurbanipal adiutum est, inter quas, ut supra diximus, etiam syllabaria, vocabularia, alia opera ad usum Assyriorum, quibus scriptura Assyria iam difficultates parabat, apta inventa erant. Cum autem multi viri eruditi de via inscriptionum cuneiformium intellegendarum inventa etiam tum dubitarent et de earum interpretationibus diffidenter aut contemptim loquerentur, assyriologi nonnulla ad fidem doctrinae suae conciliandam experti sunt. Anno 1857 quattuor viri docti (*E. Hincks* Dublini, *H. F. Talbot* et *H. Rawlinson* Londini, *J. Oppert* Parisiis) unam eandemque inscriptionem seorsim legere et interpretari se paratos esse dixerunt, ut ex consensu singularum versionum rationem ac viam eius intellegendae veram esse probaretur. Curâ societatis Asiaticae Londinensis inscriptio

quaedam regis Tiglat Pileser I lithographice expressa singulis data est; mense post suam quisque versionem ad illam societatem misit, quae eas in summa re convenire repperit. Saepe etiam factum est, ut nomina propria vel integrae inscriptiones cuneiformes ab assyriologis explicatae postea in alia scriptura et lingua notiore inventae sint, qua earum interpretationem veram esse confirmatum est. Quare paulatim omnes sibi persuaserunt scripturam cuneiformem re vera intellegi; quamquam non omnes difficultates et obscuritates adhuc removeri potuerunt.

Historiam variarum investigationum, quibus lectio signorum cuneiformium effecta est, accurate narrant M. J. Ménant, Les écritures cunéiformes. Exposition des travaux, qui ont préparé la lecture et l'interprétation des inscriptions de la Perse et de l'Assyrie[2]. Paris 1864 et L. Messerschmidt, Die Entzifferung der Keilschrift (AO V, 2) Leipzig 1903.

Quae ex inscriptionibus cuneiformibus explicatis ad vetus testamentum interpretandum effecta sunt, E. Schrader, Die Keilinschriften und das alte Testament[3] (Berlin 1903) complectitur. Textus cuneiformes maximi momenti collecti sunt in opere, quod inscribitur: Keilinschriftliche Bibliothek. Sammlung von assyrischen und babylonischen Texten in Umschrift und Uebersetzung (Berlin 1889 ss.). H. Winckler, Keilinschriftliches Textbuch zum alten Testament[3] (Leipzig 1909) eos textus cuneiformes edidit, qui ad libros veteris testamenti illustrandos pertinent. Maiorem collectionem talium textuum praebet H. Gressmann, Altorientalische Texte und Bilder zum alten Testament. Tübingen 1909.

Adnotatio. — Ex iis litterarum cuneiformium monumentis, quae recentiore aetate effossa sunt, tabulae in Tell el-ʿAmârna detectae (quae quamquam in Aegypto inventae sunt, omnes ad scripta cuneiformia pertinent) et codex Ḫammurapi maximi sunt aestimanda.

a) Nomen *Tell el-ʿAmârna* ex nomine vici *Et-Till* et nomine gentis Beduinorum *Beni-ʿAmrân* arte formatum est. Nunc nomine el-ʿAmârna ea regio significatur, quae a Kairo 300 km ad meridiem remota in Nili ripa ad orientem spectante sita est; parvi vici *Et-Till* (Tell), *Ḫagg-Kandîl, Amarije, Hawata* ad eam pertinent. Ibi olim sedes Pharaonis Amenhotep IV ex duodevicesima domo regia sita erat, qui dissentiens a sacerdotibus Thebanis, qui deum Hammon venerabantur, solum cultum dei solis imagine alati orbis expressi ab Aegyptiis exercitari voluit, quam ob rem sibi nomen *Ich-en-aton,* quod sine dubio *Chu-en-aton* pronuntiabatur, imposuit.

Quo loco anno 1888 complures cistae ligneae inventae sunt, tabulis fictilibus impletae, quarum 199 unâ cum 20 fragmentis in museo regio Berolini, 81 vel 82 in museo Britannico Londini, 50 in museo Aegyptologico urbis Gîze, 22 in museo Ashmolean Oxonii, una Parisiis, una Constantinopoli asservantur, 11 res privatae sunt. Quae tabulae, quarum nonnullae 0·45 m longae et 0·26 m latae, pleraeque haud magnae sunt, partem tabularii Aegyptii temporum Amenhotep III (1411—1375) et Amenhotep IV (1375—1358) continent atque litteris Assyrio-Aramaicis cuneatis scriptae ad regem Aegypti missae sunt. Quas epistulas partim

reges Babyloniorum et Assyriorum, partim minores reges urbium Cananaeorum (inter quos etiam princeps urbis Urusalim nomine Abd-ḫiba), partim principes urbium Phoenicae et montis Libani (velut Zimrida, princeps urbis Sidon) scripserunt. Complures epistulas Dušratta (Tušratta), rex terrae Mitanni (i. e. Mesopotamiae et Syriae ad septentriones vergentis), litteris cuneiformibus conscriptas ad Amenhotep III eiusque coniugem Ti et Amenhotep IV dedit. Ex iis novem omnino linguâ Babyloniâ conscriptae sunt; in quadam epistula solum exordium linguâ Babyloniâ, cetera linguâ patriâ terrae Mitanni conscripta sunt, quae linguae Chittaeorum simillima fuisse videtur.

Ex quibus litteris accuratius cognoscimus, quae fuerint res in Palaestina aetate illorum regum Aegyptiorum. Inter eas gentes, quas praefecti Aegyptii arcere non poterant, *Ḫabiri* (rectius *Ḫabiru,* fortasse iidem qui *amelu SA. GAS* = Aeg. *schasu* = nomades, raptores nominantur) fuisse septuaginta fere locis memoriae proditur (ep. 179—185 = KB V, 302—315). Atque nonnulli viri docti, velut *H. Zimmern, H. Winckler, E. Meyer, J. Orr, K. Miketta,* existimant eos verisimiliter ʿIbrîm sive Hebraeos intellegendos esse. Quod alii, ut *A. H. Sayce, F. Hommel, E. König,* falsum esse iudicant, cum ipsi doceant Ḫabiri pro Edomitis aliisque gentibus habendos esse; nam Abd-ḫiba de latrociniis queri, quae a Śiri (Seir = Edom) et aliis regionibus Palaestinae ad meridiem vergentis contra Urusalim, Ajaluna, alias urbes fiant. Id quidem constat ratione linguarum habitâ contra eos, qui Ḫabiri cum ʿIbrîm aequant, nihil dici posse, quoniam Hebraicum ʿ*Ajin* alibi quoque, et in tabulis ʿAmârna et in aliis litterarum monumentis Aegyptiorum litterâ *ḫ* redditur; cf. Kenaʿan = Kinaḫna, ʿazah = ḫazatu. Fortasse vocabulum ḫabiru nihil aliud est nisi Hebraicum חָבֵר *sodalis, socius,* quocum ratione linguae habitâ prorsus congruit, cum ʿibrî ab ḫabiru formâ nimis abhorreat *(J. Hehn).* Etiam Ez 37, 16. 19 vocabulum חבר de gentibus foedere iunctis usurpatur.

Conferas C. Niebuhr, Die Amarna-Zeit. Aegypten und Vorderasien um 1400 v. Chr. nach dem Tontafelfunde von El-Amarna[2] (AO I, 2) Leipzig 1903; H. Winckler, Die Tontafeln von Tell-el-Amarna (KB V), KAT[3] 192—203; J. A. Knudtzon, Die El-Amârna-Tafeln (Vorderasiatische Bibliothek II) Leipzig 1907; K. Miketta, Die Amarnazeit. Palästina und Aegypten in der Zeit israelitischer Wanderung und Siedelung (BZF I, 10) Münster 1908; P. Dhorme, Les pays bibliques au temps d'el-Amarna (RB N.S. V, 1908, 500—519. VI, 1909, 50—73. 368—385).

b) Maximi momenti est columna illa ex nigro diorit, durissimo saxi genere, excisa, cui leges Ḫammurapi, sexti regis primae domus regiae Babyloniorum, qui circiter ab anno a. Ch. n. 2123—2081 regnasse videtur *(F. X. Kugler),* inscriptae sunt. Quae columna ab expeditione Francogallica, duce *M. J. de Morgan,* in Persidem missa Susis mense Decembri 1901 et mense Januario 1902 inventa est. Initio in urbe Sippar in templo dei Samaš posita postea (probabiliter a Šutruk-Nahunte, rege Elamitarum) inde Susa transportata est (circa annum 1100 a. Ch.). Constat ex tribus magnis fragmentis, quae facile inter se coniungi potuerunt. Quartum quoque fragmentum illo tempore inventum est, cuius inscriptio eadem est, quam CH

41, 72—80 legimus, quod spem affert alterum exemplar celeberrimi huius monumenti in acropoli Susorum inveniri posse.

Altitudo columnae est 2·25 m, circuitus superior 1·65 m, circuitus inferior 1·90 m; effigies eminens 0·65 m alta et 0·60 m lata est. Textus inscriptionis in 49 (50) columnas divisus est, quarum 21 in parte antica, reliquae in parte postica sunt. In basi partis anticae 5 (6) columnae exsculptae sunt et lapis politus est, quod eo consilio factum esse videtur, ut spatium sic praeparatum inscriptionem novam reciperet eamque eius regis Elamitarum, qui lapidem rapuit Susaque transportavit. Imago in superiore lapidis parte exsculpta Šamaš, deum solis, in solio sedentem ostendit, ante quem Ḫammurapi stat attentus, ut videtur, ad dei instructionem. Quae imago minime tamen comparationem inter modum, quo Mosi in monte Sinai lex a Jahve data est, et quo rex Babyloniae leges a Šamaš accepit, habet. Nam secundum prologum et epilogum inscriptionis Ḫammurapi ab Ea, deo abyssi, sapientiâ, et a Šamaš, iudice caeli et terrae, iustitiâ imbutus est, quibus donis instructus ipse leges scripsit; nusquam Šamaš deum sibi leges dictasse aut leges digito dei scriptas esse dicit. Tantâ autem superbiâ hic „deus inter reges urbium" de se suoque opere loquitur, ut omnis comparatio inter Mosen et Ḫammurapi hac ex parte facta excludatur.

Interpretatio textus, exceptis nonnullis locis minoris momenti, certa est. Inter viros autem doctos, qui insignem illum laborem perfecerunt potissimum nominandi sunt: V. Scheil, Mémoires publiées sous la direction de M. J. de Morgan, délégué général (tome IV „Textes Élamites-Sémitiques" 12. série, Paris 1902); D. H. Müller, Die Gesetze Hammurabis und ihr Verhältnis zur mosaischen Gesetzgebung sowie zu den XII Tafeln. Wien 1903; H. Winckler, Die Gesetze Hammurabis, Königs von Babylon[3] (AO IV, 4) Leipzig 1903. Die Gesetze Hammurabis in Umschrift und Uebersetzung. ib. 1904; R. F. Harper, The code of Hammurabi, king of Babylon. Chicago-London 1904; J. Kohler und F. E. Peiser, Hammurabis Gesetz. Leipzig 1904. Quaecumque in usum scholarum ad interpretandum textum necessaria sunt continet liber, qui inscriptus est: (A. Deimel) Codex Ḫammurabi. Textus primigenius, transcriptio, translatio Latina, vocabularia, tabula comparationis inter leges Mosis et Ḫammurabi. Romae 1910.

IV. De monumentis, quae in aliis terris orientis antiqui effossa sunt

a) Investigationes et effossiones in Arabia factas ad antiquitates biblicas accuratius cognoscendas haud parvo esse momento facile intellegitur. Nam cum Arabia patria gentium Semiticarum, inter quas Hebraei quoque numerandi sunt, existimanda sit atque iam Moses magnum usum cum Jithrô, principe et sacerdote Midianitarum (Minaeorum), haberet, quidquid de religione, moribus, consuetudinibus Arabum antiquorum accepimus, etiam ad gentis Hebraicae instituta, quae ad religionem et communem vitam pertinent, cognoscenda et iudicanda spectare apparet.

Adhuc pauci viri docti in Arabia antiqua diligenter exquirenda versati sunt, inter quos imprimis *Th. J. Arnaud* 1843; *J. Halévy* 1869—70; *E. Glaser* 1882—84, 85—86, 87—88, 91—92; *J. Euting* 1883—84. Qui omnes uno ore consentiunt antiquitates Arabum, imprimis eorum inscriptiones ad vetus testamentum subtilius intellegendum vehementer pertinere. Quae inscriptiones linguâ inter se differunt, prout aut Minaeorum aut Sabaeorum sunt, quarum gentium utraque magnum imperium condidit. Vetustior lingua vel dialectus est Minaeorum. Inscriptiones eâ confectae et in regione montana Arabiae ad meridiem vergentis *(Gôf* sive *Djôf)* et in Arabia inter septentriones et occasum solis spectante *(el-ʿÖlâ* = Midian) inventae et ex aetate regni Minaeorum (circa 1400—700 a. Ch.) repetendae sunt. Ad dialectum Minaeorum etiam lingua Katabanorum pertinet, qua centum fere inscriptiones inventae confectae sunt; item lingua Hadramotitarum, quae in paucis inscriptionibus legitur. Ceterae inscriptiones dialecto Sabaeorum confectae sunt. Quas omnes inscriptiones *G. Gesenius* et *E. Roediger* legere et via ac ratione philologorum tractare coeperunt et *E. Osiander* perrexit, qui eum laborem paene ad finem perduxit. Postea *J. Halévy, F. Praetorius, J. H. Mordtmann, D. H. Müller, H. Derenbourg, F. Hommel, H. Winckler, E. Glaser, H. Grimme, D. Nielsen, O. Weber* de earum interpretatione bene meriti sunt.

Conferas W. R. Smith, Lectures on the religion of the Semites[2]. London 1894 (Editio Germanica: R. Stübe, Die Religion der Semiten. Freiburg 1899); J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] (Skizzen und Vorarbeiten III) Berlin 1897 (cf. Th. Nöldeke in ZDMG XLI, 1887, 707—726); D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Ueberlieferung. Straßburg 1904; O. Weber, Arabien vor dem Islam[2] (AO III, 1) Leipzig 1904. Forschungsreisen in Südarabien bis zum Auftreten E. Glasers (AO VIII, 4) ib. 1907. E. Glasers Forschungsreisen in Südarabien (AO X, 2) ib. 1908; M. J. Lagrange, Études sur les religions sémitiques[2]. Paris 1905; S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung (BZF III, 5—6) Münster 1910.

Ad hoc ea itinera, quae R. E. Brünnow et A. v. Domaszewski annis 1897—98 ad Arabiam provinciam Romanam investigandam susceperunt (Die Provincia Arabia. 3 Bde. Straßburg 1904—09), memoramus. Eorum descriptionem loci ruinarum Petra (I, 125—428), quae olim urbs nobilissima regni Nabataeorum fuit, G. Dalman (Petra und seine Felsheiligtümer. Leipzig 1908) supplevit. Multum et iis itineribus profectum est, quae A. Musil (Arabia Petraea. 3 Bde. Wien 1907—08) studio litterarum adductus in Arabiam Petraeam atque in terram Moabitarum et Edomitarum antiquorum suscepit; nam quae repperit, ad omnes eos locos veteris testamenti, qui aliquo modo ad regiones, quas nominavimus, pertinent, explicandos plurimum valuerunt. Quod non solum in eos locos, ubi regiones describuntur, sed etiam in eos, qui ad religionis historiam et cultum atque humanitatem gentium spectant, quadrat. Velut nunc demum Palaestinae fines meridiani accurate circumscribi possunt. Item iter ab Hebraeis ex Aegypto egressis per eas regiones factum clare describi potest. Multi loci prophetarum (velut Jes 15, 9), quorum sententia in dubium vocabatur, nunc perspicui sunt. Si ii loci, ubi de aris aedificandis sermo est (ut Nm 23, 1: „Aedifica mihi hîc septem aras") cum iis,

quae A. Musil refert, comparantur, facile explicantur. Quae pauca sufficiunt, ut demonstretur, quantum A. Musil ad vetus testamentum subtilius intellegendum adiuverit.

Summâ quoque diligentiâ et a singulis hominibus et a pluribus societate et studiis litterarum coniunctis (plerumque Britannis) paeninsula Sinaitica pervestigata et fides earum narrationum veteris testamenti, quae ad eam pertinent, confirmata est. Conferas L. Szczepanski, Nach Petra und zum Sinai. Innsbruck 1908.

b) Neque effossiones ultimis decenniis in Asia minore factae neglegendae sunt, ubi a saeculo a. Ch. n. quinto decimo usque ad duodecimum magnum regnum Chittaeorum *(mat Ḫatti)* exstiterat. Imprimis a Germanis duce *H. Winckler* annis 1906 et 1907 ruinae Boghaz-köi, antiqui capitis eius regni, effossae sunt et magnus numerus tabularum fictilium, quae plerumque linguâ Babyloniorum, partim Chittaeorum inscriptae sunt, repertus est. Sed in magnis studiis tamen viri docti usque ad hos annos neque inscriptiones Chittaeorum legere neque eorum linguam intellegere poterant, imprimis propterea quod maior inscriptio bilinguis non exstat. Nunc autem *R. Rusch* contigisse dicitur, ut illas inscriptiones maximam partem explicaret. Quod quanti sit momenti, explicatis demum omnibus inscriptionibus diiudicari potest. Certe de gentibus orientis antiqui, imprimis de earum religionibus multa nova inde cognoscentur.

Ceterum nondum constat, quam rationem gens חתי, quae in sacris litteris commemoratur, cum gente Ḫatti habuerit. Atque nonnulli quidem viri docti (velut *E. Schrader, W. M. Müller*) eas gentes propinquitate inter se coniunctas fuisse et Ḫatti umquam ultra flumen Orontes ad meridiem progressos esse negant. Neque ob id unum, quod sigillum eorum proprium in Tell el-Ḥasî inventum est, in parte meridiana Palaestinae fuisse existimandi sunt. Alii (inter quos *F. Kaulen, H. Guthe*) illud quidem concedunt fieri posse, ut חתי cum Ḫattî propinquitate coniuncti fuerint. Alii rursus (ut *H. Brugsch, G. Hoberg*) eos unam eandemque gentem fuisse dicunt.

De effossionibus in Boghaz-köi factis conferas H. Winckler in OrLz IX, 1906, 621—634. Mitteilungen der Deutschen Orient-Gesellschaft 1907, 35, 1—59; O. Puchstein, Boghasköi. Die Bauwerke. Herausgegeben unter Mitwirkung von *H. Kohl* und *D. Krencker*. Leipzig 1912.

Etiam effossiones in Creta factae ad libros divinos explicandos aliquid momenti afferre possunt, quia ea insula prima patria Philistaeorum aut partis eorum erat, ut cultus atque humanitas incolarum eius in Palaestinam quoque et Hebraeos pertinere potuerit.

Conferas M. J. Lagrange, La Crète ancienne (RB N.S. IV, 1907, 163—206).

V. Homo, cum ex animo et corpore constet, non solum corpori et rebus externis, sed etiam animo et aeternae vitae consulere debet.

Quare archaeologiae quoque et instituta sacra, quibus eae rationes, quae genti alicui cum deo intercedunt, exprimuntur, et instituta privata et civilia, quae ad eius in hac terra vitam pertinent, describenda sunt. Qui igitur archaeologiam biblicam adumbraturus est, eum ad antiqua gentis a deo electae instituta *sacra, privata, civilia* respicere necesse est. Quare opus nostrum in tres partes dispertivimus, quarum prima de antiquitatibus sacris, secunda de antiquitatibus privatis, tertia de antiquitatibus civilibus agit. Atque cum gens Hebraica per legislationem Mosaicam reipublicae formam susceperit et per excidium a Romanis illatum esse desierit, expositio rerum antiquarum Hebraeorum iis terminis circumscribenda erit. Quare neque antiquitates, quas „patriarchales" vocant, neque ritus Judaeorum recentioris aetatis eo pertinent, nisi quid ex iis repeti potest, quo aut sequentia aut antiquiora tempora explanentur. Mores vero institutaque aliarum gentium orientis antiqui, cum Hebraeis multae tales res cum gentibus propinquitate iis coniunctis communes sint, comparanda sunt, sed ita, ut formae et notiones iis expressae diligenter distinguantur, ut res eiusdem generis ab iis, quae similes esse tantum videntur, discernantur.

De rebus autem tractandis si rite agere volumus, nobis a persuasione revelationem divinam sacris litteris contineri ordiendum est et varia instituta Mosaica dei instituta nobis agnoscenda sunt, qui, quamquam etiam ceteris gentibus nequaquam se occultavit, tamen Hebraeos ex omnibus gentibus terrae elegit, ut veram religionem ut pretiosissimam hereditatem conservarent usque ad eam aetatem, qua ad ceteras gentes propaganda esset. Cui sententiae ea contraria est, quae singularis dignitatis gentis Hebraicae rationem non habet; ipsum discrimen inter religionem revelatam veteris testamenti et religiones gentilium, quae omnem vim divinam in natura rerum sitam esse docent, delet; instituta theocratiae quidquam proprium prae se ferre propterea negat, quod ea ex praedicamentis rationalismi abstracti et pantheismi philosophici profecta esse intellegi non potest.

Ratio ac via, qua res ad archaeologiam biblicam pertinentes tractandae sunt, alia esse non potest nisi historica. Atque cum in historia gentis Hebraicae tres vel quattuor aetates certe distingui possint, haud alienum esse videtur qui fuerit status et religionis et societatis uniuscuiusque earum aetatum exponere. Quia autem ita et repetitiones vitandae vix sunt neque unicuique aetati satis magna materia suppetit, unde mores institutaque Hebraeorum clare describantur, nunc usu receptum est materias tractandas ita digerere, ut cuiusque argumentum est, in qua divisione historiae prorsus ratio haberi potest.

Pars prima

De antiquitatibus sacris

De antiquitatibus sacris primo agimus, non solum quod Hebraei ut gens a deo electa imprimis religionem cultumque excoluerunt, sed etiam ob id ipsum, quod generi humano ab initio certa quaedam ratio cum deo intercessit neque ex statu naturae sive summae feritatis demum ad cognitionem et venerationem dei emersit. Nomine autem antiquitatum sacrarum veterum Hebraeorum, si latius patet, omnia comprehenduntur, quae ad religionis Mosaicae historiam, dogmata, praecepta morum, instituta a deo data referenda sunt; si angustius valet, ea tantum, quae ad exteriorem cultus Mosaici formam pertinent quaeque ad haec quattuor capita revocari possunt: ad loca cultui divino destinata, ad ministros cultum illum exercitantes, ad tempora ei cultui sacrata, ad cultum ipsum. De his igitur rebus prima archaeologiae biblicae parte agendum est.

Quae praefanda sint

Veneratio unius veri dei tam vetus est quam genus humanum. Quae nascitur ex desiderio unâ cum opinione dei animo humano insito auctori vitae et datori omnium bonorum caritatem gratumque animum et verbis et factis testandi. Cum autem tempore progrediente impietas universum genus hominum invaderet eiusque mores magis magisque laberentur, deus Abraham Chaldaeum, cuius maiores inde a primo homine fidem in unum verum deum et bonos mores custodiverant (Gn 5, 1—32; 11, 10—31), sed tandem et ipsi in deorum commenticiorum cultum prolapsi erant (Jos 24, 2. 14 s.), elegit (Gn 12, 1—3. cf. Act 7, 2 s.) et auctorem eius gentis fecit, quae venerationem unius dei ac doctrinam divinitus traditam ut pretiosissimam hereditatem conservare et posteris prodere debebat usque ad eam aetatem, qua ad ceteras gentes, quae notionem divinam in varias res creatas transferentes plures colebant deos i. e. polytheismo deditae erant, propaganda esset.

Formae cultus divini, quibus Abraham ceterique patriarchae vetusto more utebantur, a ritibus sacris ceterarum gentium haud dubie eo solo differebant, quod illi iis formis non deos commenticios, quibus nihil aliud nisi vires naturae rerum suberant, sed unum verum deum, qui se iis revelaverat, colebant. At cultus divinus a patriarchis exercitatus posteris iam sufficere non potuit, cum ii in Aegypto aucti ita essent, ut magnam gentem aequarent (Ex 1, 9) et ex Aegyptiorum servitute liberati (ib. 12, 51) sub monte Sinai a Jahve gens foederis sui electi essent (ib. 24, 1—11). Quodsi eorum erat in republica bene composita ei vitae generi, quod iis deus destinaverat, respondere, etiam eorum venerationem dei ad certa praecepta divina dirigatur necesse erat. Id Moses secundum praecepta a Jahve sibi data perfecit. Quae praecepta Pentateucho continentur. Neque vero cultus a Mose apud gentem Hebraicam institutus nova veneratio dei cogitanda est; nam is cultus, quem Hebraei ut gens foedere cum Jahve iuncta exercitare debebant, ad eundem deum, quem iam patres coluerant, pertinebat. Quare cultum a Mose institutum venerationi dei apud Hebraeos iam usitatae se applicare eamque in se recipere et ita complere oportebat, ut omnes eius formae condicioni a deo genti Hebraicae destinatae congruerent. Id cultu Mosaico ita efficitur, ut eo quidquid ad iustum cultum divinum pertinet, contineatur, ut et locus cultus cum universo apparatu accurate constituatur atque cultus ipse certis hominibus committatur et actiones sacrae ac tempora sacra unâ cum modo ea celebrandi imperentur eaque omnia ita instituantur, ut sint corpus aptum et conveniens. Sed is cultus etiam notam venerationis unius veri dei prae se ferat necesse est, quod Moses eum ex revelatione divina instituit et Jahve, deus Hebraeorum, verus est deus. Cui rei primum formae cultus Mosaici, quae sensibus percipiuntur, obstare videntur, deinde id, quod is cultus multa instituta ritusque continet, quibus similia etiam in religionibus gentilium inveniuntur. Quae multi eo converterunt, ut divinam cultus originem negarent, cum aut falso intellegerent, quae ratio formis, quae sensibus subiectae sunt, cum religionis notionibus iis expressis intercederet, aut eas formas pro ipsa vi cultus haberent. Quare

de peculiari forma atque indole cultus Mosaici

agamus necesse est.

I. Ac primum quidem negari non potest cultum Mosaicum magnam partem in formis et ritibus sensus moventibus versari. At respiciendum est hominem, quoniam ex animo et corpore constat, animo solo cum deo commercium habere non posse, sed eius cum deo rationem extrinsecus quoque verbis et actionibus exprimi necesse esse. Si autem verba

et actiones necessariae formae uniuscuiusque cultus sunt, eae formae et hominis cum deo rationes exprimant et religionis notiones significent i. e. *symboli vim* habeant necesse est. Quod non solum in cultum Mosaicum, sed etiam in cultus ceterarum religionum antiquitatis cadit. Praeterea animadvertas ut cuiusque gentis ingenium excultum sit, ita cultum divinum se habere necesse esse. Quare gentem Hebraicam, cum aetate Mosis ingenium moresque excolere tantum coepisset, religionis suae notiones formis, quae sensibus percipiantur, exprimere necesse erat. Idem apud omnes gentes orientis antiqui, quae primos demum gradus cultus atque humanitatis adscendere coeperant, reperimus. Quae cum ita sint, cultum quoque divinum et Hebraeorum et ceterarum gentium antiquarum, si notiones religionum suarum expressurus erat, formis ritibusque sensus moventibus abundare necesse fuit. Denique eius rei ratio habenda est, quod religio veteris testamenti non solum monotheismus est, polytheismo ceterarum gentium antiquitatis contrarius, sed eadem id spectat, ut restitutionem coniunctionis hominum cum deo, quae peccato soluta est, praepararet. Unus verus deus, quem Moses Hebraeis nomine Jahvae praedicat, non solum auctor, conservator, gubernator est mundi omniumque rerum in caelo et terra creatarum, sed etiam iustus et sanctus, benignus et misericors, qui, cum homines, postquam ab eo defecerunt, secum rursus placare velit, Abraham eligit, cuius progenies singulariter sua gens fiat, idque ita ut singulariter eius deus esse velit eo consilio, ut per eam gentem omnibus hominibus salutem pareret. Itaque in ea gente regnum suum condit, cum eam ex servitute Aegyptiorum liberat cum liberataque in monte Sinai foedus init, quod si servarit, Israel sibi „peculium ex omnibus gentibus, regnum sacerdotum, gens sancta“ fiat (Ex 19, 5 s.). Ratio autem inter Jahven et gentem Hebraicam illo foedere condita non solum in eo apparet, quod Jahve ut dominus et rex genti suae vitae ordinem statuit, terram Canaan propriam facit, numquam tueri et regere desinit, sed etiam cultu divino Hebraeis praescripto exprimitur, qui ita instituitur, ut plane aptus sit, quo gens peccatis polluta in metu et amore dei educetur et ad perfectam placationem dei, quae per Christum in novo foedere perficitur, praeparetur, qua re cultus veteris testamenti *typicam* quoque *vim* accipit.

Quae cum ita sint, e consilio revelationis veteris testamenti necessario manat, quod formae cultus Mosaici sensibus percipiuntur. Ita unâ opiniones eorum, qui inter cultus formas et notiones iis subiectas parum distinguunt, falsas esse demonstratum est. Quare id unum restat, ut de symbolica et typica significatione cultus Mosaici disputetur, quoniam symbolum et typus saepe inter se confusa sunt; patres

enim ecclesiae vocabula σύμβολον et τύπος promiscue usurpant, theologi autem priorum temporum (velut J. Cocceius eiusque discipuli) omnia veteris testamenti instituta ad Christum et ecclesiam ab eo conditam referunt neque quae vis symbolica aetate veteris testamenti in iis fuerit, ante perscrutati sunt. Itaque symbolum et typus diligenter distinguenda sunt. Atque *symbolum* res est, quae sub sensus cadat, cuius vis non specie, sed notione, quae sub sensus non cadit, ea autem re repraesentatur, contineatur. *Typus* res est, cuius vis sensibus percipi non possit, quae futurum quasi demonstret, ut idem „symbolum propheticum" nominetur.

Significatio symbolica cultus Mosaici non solum in eo consistit, quod eius institutis et ritibus rationes inter Hebraeos et deum intercedentes, quae sensibus subiectae non sunt, exprimuntur, sed eo cultu singularis illa necessitudo, quam Jahve cum gente electa iniit, i. e. foedus, quod cum ea icit, ita exprimitur, ut sensibus percipi possit. Velut tabernaculum Mosaicum (templum), locus eius cultus, ubi Jahve habitat et se adesse testatur, ita institutum est, ut gens peccatis contaminata non ipsa ad deum adire, sed tantum in atrio ante habitationem Jahvae communionis eius operâ sacerdotum particeps fieri possit. Item actionibus cultus, variis generibus sacrificiorum et purificationum, gens eo adducitur, ut se peccatis a deo separatam esse sentiat, quod peccata impuritatemque tollere volunt, ut placatio dei efficiatur. Itaque cultui Mosaico significationem symbolicam denegare non modo libidinis est, sed qui eam denegat, religionem veteris testamenti religionibus gentilium inferiorem esse dicit, quarum formae cultus (id quod viri docti recentioris aetatis satis demonstrarunt) vi religionis non carebant, quamquam iis non multum veritatis suberat. Neque dubium est, quin Moses atque doctiores eius aequalium alius magis alio cognoverint cultus formas sensibus subiectas et religionis notiones iis expressas distinguendas esse, sed universam gentem Hebraicam id cognovisse affirmare vix possumus.

Significatio typica cultus Mosaici solius propria est neque ad formas cultus religionum gentilium pertinet, quamquam significatione symbolica non carent. Eius autem causa est, quod deus religione veteris testamenti institutâ animos hominum praeparare voluit, dum in regno divino novi foederis totum se revelaret, quantum hominum interest. Atque in novo testamento et narrationibus personisque et rebus institutisque antiqui foederis significatio typica adscribitur. Typi prioris generis (Jo 13, 14 s. Rom 5, 12. Hebr 7, 1 ss. I Ptr 3, 20. al.) ad hanc disputationem non pertinent, sed tantum typorum posterioris

generis ratio habenda est. Atque lex cultus Mosaici universa ὑπόδειγμα καὶ σκιὰ τῶν μελλόντων appellatur (Hebr 8, 5; 10, 1. Col 2, 17); etiam singulae quaedam eius partes typice explicantur (Rom 3, 25. Eph 5, 2. Col 2, 11. Hebr c. 8–10. I Ptr 1, 19; 2, 5. Apc 5, 8). J. Spencer igitur (De Hebr. leg. rit. l. 1. c. 11. sect. 2), cum verba Pauli apostoli: ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ (Col 2, 17) hoc modo intellegat: „Cum apostolus legis instituta σκιὰν τῶν μελλόντων appellaverit, id solum intellegi voluit ea omnia meram umbram, fumum, nihil esse, si cum Christo et illa rerum soliditate, quas ipse introduxit, conferantur", quibus verbis clare docet id legi cum umbra commune esse, quod utrumque nihil sit, ob id ipsum prorsus errat, quod apostolus legem Mosaicam non aliquid inane atque nihil, sed aliquid divinum esse sibi persuasit. Praeterea loco Hebr 8, 5 vocabulum ὑπόδειγμα (— id quod oculis subicitur, repraesentatio, imago, exemplum Jo 13, 15) ita usurpatur, ut eadem significatio ei insit quae vocabulo σκιά. Utrumque igitur idem valet, quod typus intellegitur. Quod autem umbra cum corpore, quo praebetur, arte cohaeret, cum lex cultus Mosaici σκιὰ τῶν μελλόντων appellatur, ea lex cum τοῖς μέλλουσιν arte cohaerere dicitur. Quod in ea ratione, quae inter vetus et novum testamentum intercedit, nititur. Tota lex Mosaica, cuius praestantissima pars lex cultus est, foedus est (Ex 34, 28. Dt 4, 13. al.), quod primum ad salutem gentis electae, deinde per eam ad salutem omnium gentium spectat, ut foedus futurum i. e. novum quasi demonstret, quod eo praeparatur. Quodsi totum vetus testamentum typus est, ne cultui quidem veteris testamenti significatio typica deesse potest. Quare eadem symbola, quibus opiniones ad religionem antiqui foederis spectantes oculis subiciuntur, ad foedus novum ex vetere testamento profectum et in eo positum pertinent; qua re habitus typicus cultus Mosaici constituitur, qui ei cum nullo alio ante Christum cultu communis est, quoniam is habitus non cum forma cultus, sed tantum cum notionibus, quae ei subsunt, cohaeret.

Significatio igitur symbolica prior, typica posterior est; ut antiquum foedus novum antecedit, ita illa hanc antecedat necesse est. Quod tamen non ita accipiendum est, ut significatio typica minore sit momento quam symbolica; immo vero utraque pari est momento. Nam cum notiones ad religionem pertinentes, quae in vetere foedere symbolis expressae sunt, in novo foedere plane effectae sint, novo foedere rursus symbola veteris illustrantur, ut nunc demum recte certeque intellegatur, quid significent.

Significatio symbolica formarum cultus (sive eae res, sive actiones sunt) ut reperiatur, primum id, quod ad eas ipsas pertinet, ab eo, quod tantum

iis accedit, diligenter distinguendum est. Deinde nomen uniuscuiusque rei cultus ratioque, quae ei cum cultu universo intercedit, respicienda sunt et si eius significatio quaeritur, ab his rebus ordiendum est. Tum animadverti oportet, symbola cultus Mosaici tantum tale aliquid significare posse, quod religionis notionibus ac dogmatis et veteris et novi testamenti conveniat. Denique eius rei habenda est ratio, quod singula symbola unam, non plures res significare possunt.

Significatio typica, quae formis cultus inest, ut reperiatur, respiciendum est necesse esse, ea in significatione symbolica illarum posita sit neque ei repugnet. Deinde discriminis illius ratio habenda est, quod intercedit inter formas cultus veteris testamenti i. e. inter eas res et actiones, quae necessariae erant ad regnum divinum ita exstruendum, ut cum gente Hebraica congrueret, cum autem regnum divinum ad omnes gentes proferretur, ob id ipsum inutiles erant, ut esse desinerent, et inter religionis notiones iis subiectas, quae, quoniam ad regnum divinum ipsum pertinent, perire numquam possunt. Denique de typis veteris testamenti a Christo et in regno divino ab eo condito adimpletis neglegendum non est, quod in sacris litteris novi foederis plerumque non summa adimpletio typi in antitypo demonstratur et quod regnum divinum novi testamenti etiam nunc procedit atque futuro demum tempore perficietur absolveturque.

Cf. C. F. Keil, Handbuch der biblischen Archäologie[2] 54—68; C. Ch. W. Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus I[2] 14—44. 73—94

II. Cum religio Mosaica haud paucas opiniones ritusque contineat, quibus similes in religionibus ceterarum gentium orientis antiqui inveniuntur, ad id quoque respiciendum est, quae rationes inter ea, quae religioni Mosaicae cum religionibus gentilium communia sunt, intercedant; nam id quo modo diiudicetur, non solum ad cultum Mosaicum universum recte aestimandum, sed etiam ad singulos eius ritus bene intellegendos magni est momenti.

Dubium non est, quin religio veteris testamenti ab omnibus religionibus gentilium ipsâ rei naturâ diversa sit idque primum propter originem divinam, quoniam in doctrina a deo tradita consistit et cultum unius veri dei complectitur, cum religiones gentilium opinionis commentis vel fabulis nitantur neque quidquam aliud nisi cultum naturae rerum eiusque virium (res vel gignentium vel conservantium vel destruentium) complectantur; deinde propter significationem typicam et ex parte symbolicam cultus Mosaici, qua posteriore tamen ne gentilium quidem instituta religionum plane carent.

Quamquam fieri potest, ut in religione veteris testamenti nonnulla, quin etiam complura exstent, quae cum religionibus gentilium, imprimis orientis antiqui, communia habeat. Nam cum humana cognitio aut opera divinâ revelatione, qua religio illa nititur, non excludatur, com-

plures notiones ad religionem spectantes et formae cultus, quibus non opiniones religionum gentilium, sed universae religionis propriae exprimuntur, in doctrina et cultu religionis veteris testamenti inveniri possunt et re vera inveniuntur. Quod nunc diligentius exponendum est.

Si ipsa revelatio divina — id quod ab omnibus conceditur — iis opinionibus, quae de religione iam exstant, uti easque emendare ac novis sententiis implere in universum dici potest, id in ea, quae ad externum cultum divinum pertinent, magis quadrare equidem puto, primum quod homines formas cultus usu sacratas maxime retinent, deinde quod eae nihil aliud significant nisi homines ex superiore vi dependere et novis cogitationibus imbutae novae religioni idem praestant quod pristinae.

1) Notionis religionis revelatae est deum hominibus ita se aperuisse, ut quaedam vera cum iis communicaret et quaedam praecepta iis daret. Revelatione igitur homines in aliquibus rebus erudiri vel revelationem aliquid novi continere necesse est, quod ad religionem moresque hominum vehementer pertineat. Neque vero eam aliquid prorsus novum continere oportet; nam „gratia non destruit, sed supponit naturam“. Vel res supernaturales, quas deus patefacit, ex cognitionibus, quas sibi homines suo ingenio iam pepererunt, necti possunt. Multifariam autem revelatio divina non res supernaturales continet, sed solum cognitiones naturales confirmat. Neque praeceptis revelatione hominibus de cultu datis semper prorsus nova et adhuc ignota instituuntur. sed etiam ritus iam usitati recipi possunt, qui cum in religionem revelatam recipiuntur, novo ingenio et maiore vi implentur.

Praeterea eius rei ratio habenda est ne in revelata quidem religione omnia a deo ipso constituta sint necesse esse. Nam revelatio divina, etsi fundamentum est talis religionis, tamen et dogmata religionis et cultus etiam operâ ingenii humani excoli possunt atque sufficit, ut deus hominum operam gubernans provideat, ut revelatio integra et pura permaneat. Quidquid autem humanae est originis, ea tempora quoque, in quibus homo vivit, manifesto ostendit.

Illud quoque respiciendum est deo minime indignum esse, quae ingenio humano effecta sint, in religionem a se revelatam recipere. Immo vero in eo summa dei sapientia agnoscenda est. Nam ut res supernaturales ab hominibus aliquid intellegantur, necesse est deum se hominibus quodam modo accommodare, cum revelatio iis, quae hominibus iam nota sint, adiungat.

Quodsi religionem veteris testamenti spectamus, in libris sacris multa de ea ad revelationem divinam referuntur, quae nihil prorsus novum continent. Quod vel in eam doctrinam religionis Mosaicae, quae summi est momenti, monotheismum, convenit. Quae doctrina, ut

revelatio divina veteris testamenti ad eam pertinet, ita prima religio hominum est, id quod litteris sacris diserte confirmatur, quippe cum iam ex primis earum paginis constet initio rerum a deo religionem veram et perfectam, monotheismum, cum hominibus esse communicatam, ut primi homines unius veri dei, creatoris caeli et terrae, cultores fuerint. Hîc igitur revelatio non id agit, ut hominibus novam quandam opinionem dei det, sed tantum, ut quae iam exstat, eam conservet atque paulatim excolat. Item nonnulla instituta religionis Mosaicae non a deo, sed e viris piis profecta esse idque sine mandato dei in libris sacris memoriae traditur, velut 1 Chr 23, 1—26, 32. Atque nonnulli theologi docent etiam iis locis, ubi deus loquens inducitur, haud semper revelationem divinam factam credendum esse. Nam ut in vetere testamento tales leges ad externum cultum divinum spectantes, quae quin temporibus, quae Mosen secuta sunt, exstiterint, dubium non est, Mosi attribuuntur, quia eius mens in iis spirat, ita eius modi res ad deum revocari possunt, quae non a deo ipso, sed tantum a viris piis, qui duces gentis a deo electae erant, institutae sunt.

2) Nunc diiudicare possumus, quatenus religio Mosaica alias religiones eiusdem aetatis cognatione attingere possit.

Ex iis enim, quae diximus, primum efficitur nonnullas notiones religionis Mosaicae et aliarum religionum inter se vel pares vel similes esse posse, quod ex prima revelatione, quae omnium hominum communis est, manant atque in religionem revelatam veteris testamenti assumptae sunt. Quae religio prima apud gentem electam ex providentia divina pura permansit, cum apud ceteras gentes variis falsis opinionibus infecta sit.

Deinde nonnullas formas cultus religionis Mosaicae et aliarum religionum inter se vel pares vel similes esse posse, quod initio omnium gentium communes erant. Nam cum universum genus humanum ab eadem stirpe oriundum sit et instituta religionis multarum atque adeo omnium gentium orientis antiqui initiis earum rerum ab iis gestarum, quae memoriae traditae sunt, antiquiora sint, nonnulla ex earum cultu a communi domo patria manasse et famâ per generationes conservata esse possunt. Quare dici non potest vel auctores gentis Hebraicae eas cultus formas, quae iis cum ceteris gentibus orientis antiqui communes erant, ab iis mutuatos esse vel Mosen ipsum certos eius modi ritus ab aliis gentibus in gentem electam transtulisse suaque auctoritate sanxisse.

In gentis Hebraicae ante aetatem Mosis historia haud paucas formas cultus divini commemorari, quae in legibus Mosis rursus inveniuntur, complures critici recentiorum temporum haud aliter intellegere possunt nisi

ita, ut scriptorem biblicum „Levitismum“ suae aetatis contra rerum fidem in descriptionem (fabulosam) antiquitatis transtulisse dicant. At quantum equidem iudicare possum, nihil magis naturae rerum convenire videtur quam legibus Mosaicis eas formas cultus, quibus gens unâ cum ceteris gentibus orientis antiqui iam prius usa erat, receptas esse. Nam cultus a Mose institutus non ita cogitandus est, ut eo deus nova ratione cultus sit, sed eo cultu, quem Hebraei ut gens foederis exercere debebant, idem deus, quem iam eorum patres venerati erant, colendus erat. Ob id ipsum necesse erat cultus a Mose institutus formis cultus, quibus Hebraei ad id tempus usi erant, adiungeretur easque in se reciperet, dummodo ne a religione Jahvae abhorrerent. Ex alia parte nihil minus convenire videtur quam dicere aut ante Mosen nullas formas cultus fuisse aut eas, si exstabant, a legibus Mosaicis neglectas esse. Nam ex historia legislationis Mosaicae clare apparet Hebraeos tum, cum Jahve eos gentem suam elegit, iam multa religionis instituta habuisse, quia Moses nonnulla ex iis commemorat neque describit, quoniam genti iam nota erant (cogites verbi causâ de ephod sive lumbari sacerdotum, de Urim et Tummim summi pontificis), alia autem religionis instituta, quae genti nondum nota erant, diligentissime describit. Cur autem Moses formas cultus apud Hebraeos iam ante aetatem suam usitatas neque religioni Jahvae contrarias prorsus neglegere debuerit, intellegi non potest. Praeterea respiciendum est praeter multas similitudines inter formas cultus, quae ante Mosen et post Mosen fuerunt. etiam multas diversitates inveniri. Denique formae cultus ante Mosen tam vagae sunt, ut eas exstitisse non minus intellegi possit quam eas non exstitisse intellegi non possit.

Tum nonnullas formas cultus religionis Mosaicae et aliarum religionum inter se vel pares vel similes esse posse, quod, quoniam iis tantum opiniones ad religionem spectantes naturaliter exprimuntur, apud complures gentes per se, nullius vel adiumento vel auctoritate, ortae esse possunt. Itaque complures cultus formae (ut preces, sacrificia, purgationes) ex natura cultus sua sponte nascuntur, ut in cultu nullius gentis absint. Ut nulla gens tam fera est, cuius mentem non imbuerit deorum opinio et quae non diis, in quos credit, sacra faciat, ita nulla est gens humanitate polita, quae non habeat aras, templa, sacerdotes. In quibus institutis publici cultus divini apud omnes gentes multa communia et similia reperimus, quae tamen non inter se vel mutuata vel imitata sunt. Itaque mirum non est in formis cultus Mosaici complura inveniri, quae cum ritibus sacris ceterarum gentium antiquarum congruunt; nam iidem ritus, origine puri et sancti, et apud gentem electam et apud alias gentes sacri erant.

Denique etiam commercium gentium ad cultum divinum aliquid pertinere necesse erat, quandoquidem opiniones in ingenio humano sitae saepe commercio demum cum aliis hominibus excitatae et paulatim perfectae sunt. Quare mirum non est, quod haud paucae similitudines

inter religionem veteris testamenti et ceteras religiones orientis antiqui intercedunt, si quidem historiam gentis Hebraicae ab initiis usque ad mortem Mosis accuratius respicimus. Iam Abraham cum Babyloniis et Chittaeis, Jacob cum Aramaeis, Joseph cum Aegyptiis, Moses cum Aegyptiis et Midianitis artiora necessitudinis vincula contraxerat. Atque dubium non est, quin imprimis diuturna commoratio Hebraeorum in Aegypto cum ad eorum mores tum ad eorum cultum divinum non minimo fuerit momento. Quod igitur Hebraei cum aliis gentibus orientis antiqui artam societatem habuerunt, etiam nonnullae formae cultus divini, quae apud eas gentes usitatae erant, in cultum Mosaicum receptae et religioni Jahvae prorsus accommodatae ad regnum dei exaedificandum adhibitae esse possunt. Tantum eae formae cultus religionum gentilium inter Mosis de cultu praecepta recipi non potuerunt, quae cum ex opinionibus gentilium tantum profectae essent, ad notiones religionis Jahvae exprimendas aptae non erant (ut exemplum afferam, Jahve sub imagine vituli adoratus Ex c. 32). Eius modi autem ritus re vera inter Mosis de cultu praecepta receptos non esse ex eo ipso apparet, quod ita Moses commisisset, ut religiones miscerentur, id quod deo displicere necesse erat.

Ceterum ea, quae modo commemoravimus, etsi ad cultum Mosaicum aliquid pertinuerunt, tamen id iam clare cognosci non potest, et quia neque de origine cultuum gentilium orientis antiqui neque de forma cultus divini apud Hebraeos ante Mosen usitata satis docti sumus, et quia cultus Mosaicus 'corpus est ab uno ingenio i. e. ab ingenio dei creatum, in quo ea, quae ex religione prima vel ex revelatione divina nata sunt, ab iis, quae ex eruditione et opera hominum profecta sunt, iam recte distingui non possunt. Atque certas quasdam formas cultus Mosaici re vera in gentilium institutionibus positas esse adhuc a nullo demonstratum est; neque enim similitudine singulorum rituum declaratâ id effici potest. Sed etiamsi iudicandum est Aegyptios, Babylonios, Arabes, Cananaeos, alias gentes ad Hebraeorum cultum divinum aliquid contulisse, id tamen extrinsecus tantum fecisse existimandi sunt, ita ut inde apud Hebraeos instituta prorsus diversa orta sint. Extrinsecus igitur gentilium religiones ad Mosaicam religionem aliquid momenti habuisse sane concedere possumus. Neque enim — quod iam supra exposuimus — Mosis de cultu divino legislatio ita cogitanda est, ut quidquid continet tamquam novum a deo revelatum sit; immo vero deus hominibus eorumque institutis ac moribus se accommodavit atque nonnulla instituta, quae iam exstiterant, cum recepit, ad suum ministerium convertit et consecravit. Nam ut deus vasa aurea et argentea, quae Hebraei ex Aegypto proficiscentes secum auferre debuerant,

postea ad suum ministerium in sacrario usurpari iussit, quamquam prius fortasse diis colendis usi fuerant, ita nonnullos ritus, qui per se ipsi universae religionis notiones, non idololatriae solius proprias exprimebant, adhibere, adhibitos aliâ sententiâ imbuere et in suum ministerium comprehendere potuit. Si qui ritus igitur religionis Mosaicae formas cultus gentilium continent, tamen quae iis sententia subest, ea in libris sacris exculta et prout vera religio postulavit, immutata est, ut illae formae non simpliciter tralatae, sed immutatae emendataeque sint. Quae cum ita sint, divina cultus Mosaici origo negari non potest.

Tempus erat, cum ritus cultus Mosaici cum Aegyptiis coniuncti sunt. Velut vestimenta sacerdotum et summi pontificis, arca foederis, circumcisio ad Aegyptiorum exempla relata sunt. Atque *J. Spencer* (De legibus Hebraeorum ritualibus et earum rationibus libri tres. Cambridge 1685. Tubingae 1732) omnes fere formas cultus Mosaici ab Aegyptiis petitas esse demonstrare studuit. Quod ut probaretur, Mosen apud Aegyptios eruditum esse eorumque cultum penitus cognovisse atque Hebraeos diu in Aegypto commoratos esse afferri poterat. At respiciendum est, cum cultus Mosaicus unum quasi corpus sit mentis divinae plenum, eas solas cultus formas Aegyptias habere posse, primum quae in cultu et Mosaico et Aegyptio, nusquam alibi exstent; deinde quas apud Aegyptios vetustiores esse quam apud Hebraeos demonstrari possit; denique quae tales sint, ut apud Hebraeos solae per se exstitisse non possint. Talium autem cultus formarum in religione Mosaica perpauca reperiuntur vestigia, ut Mosen in cultu divino instituendo auctoritatem Aegyptiorum secutum esse is tantum dicere possit, qui animum induxit omnem similitudinem, quae formis cultus Mosaici cum Aegyptiorum intercedere videtur, pro argumento habere.

Recentiore aetate saepe dictum est haud pauca instituta cultus Mosaici a Babyloniis recepta esse, quod cultus atque humanitas Babyloniorum ad omnes gentes Asiae ad occidentem conversae pertinuisset. Et profecto opinio illa omnes fere gentes, quarum antiquissimam historiam novimus, nonnulla a Babyloniis mutuatas esse cum libris sacris non discrepat, quoniam ibi Babylonia ea terra appellatur, unde homines ob linguarum confusionem per orbem terrarum dispersi sunt. Eadem Babylonia gentis Hebraicae patria est. Abraham autem ex Ur-Kasdîm emigrantem Babyloniorum varias opiniones, mores, consuetudines secum abstulisse posterisque tradidisse tam manifestum est, ut non sit, cur pluribus verbis de ea re agatur. Neque vero Abraham ex iis opinionibus atque institutis, quae eius aetate apud Babylonios florebant, talia recepit, quae ad religionem pertinebant, nonnullis caerimoniis, quae plane extrinsecus cum cultu cohaerebant, fortasse exceptis. Id vetus testamentum diserte dicit. Omnes autem eae similitudines, quae inter formas cultus Babyloniorum et religionis Mosaicae demonstrari possunt, cum partim ad religionem omnium hominum communem i. e. ad religionem primam, partim ad ritus sacros omnium gentium Semiticarum communes revocandae sint, ad eas explicandas neque ulla mutuatione neque Panbabylonismo, qui vocatur, opus est.

Alii viri docti recentioris aetatis rursus haud paucos ritus sacros religionis veteris testamenti ad exemplum Arabum antiquorum (Minae-

orum) institutos esse contendunt, quippe cum Hebraei cum Minaeis arte coniuncti fuerint et in ea parte terrae Canaan, quae ad meridiem spectat, et apud omnes eas gentes, quae inter mare mortuum et sinum Arabicum habitabant, auctoritas Minaeorum per saecula multum valuerit. Et inveniuntur in religione Mosaica nonnulla vocabula nonnullaeque caerimoniae, quae etiam apud Arabes antiquos deprehenduntur. Neque tamen ex iis aliisque rebus ad cultum pertinentibus, quae Hebraeis cum Arabibus antiquis communes sunt, effici potest Hebraeos in religione multa ab Arabibus recepisse. Nam primum respiciendum est quasdam similitudines nominum et actionum sacrarum et supellectilis sacrae et ministrorum sacrorum ex magna cognatione, quae eae gentes earumque linguae inter se continentur, explicari posse. Deinde hîc res externas tantum et quae parvi sint momenti agi manifestum est, quibus rebus legum auctor, cum eas in cultum recepit, eam vim dedit, quae iis in Jahvae cultu inest. Denique auctoritas inscriptionum in Arabia adhuc inventarum eo vehementius imminuitur, quod plerumque definiri non potest, quando ortae sint. Quod imprimis cadit in tres illas inscriptiones Minaeas, ubi nomina *lawî'* et *lawî'at* inventa sunt (de quibus infra dicemus). Initio eas duobus milibus annorum a. Ch. n., deinde anno a. Ch. n. millesimo, tandem sexto aut quinto a. Ch. n. saeculo exstitisse dictum est. Quare illae similitudines ad religionem pertinentes fortasse ita explicantur, ut non Hebraei formas cultus Minaeorum, sed Minaei formas cultus Hebraeorum imitati sint.

Alii existimant Hebraeos nonnullos ritus sacros a Cananaeis recepisse. Quae opinio probari vix potest. Nam haec bene respicienda sunt. In cultu humano civilique quamquam multa Hebraeis cum Cananaeis communia erant, id quod mirum esse non potest, quoniam Hebraei nequaquam a cultu humano civilique abhorrebant, tamen etiam haud pauca inter utramque gentem intererant. At licet in cultu humano civilique Cananaei apud Hebraeos auctoritate plus valuerint, quam demonstrari potest, inde tamen colligendum non est auctoritatem Cananaeorum etiam ad legitimam religionem Hebraeorum pertinuisse. Nam minime neglegendum est Hebraeos haud dubie in Cananaeorum, quippe qui cultu atque humanitate iis multo praestarent, imperium dicionemque concessuros fuisse, nisi religione sua a Cananaeorum moribus servati essent. Religio autem Jahvae si Hebraeis tanti erat momenti, dici non oportet Hebraeos ritus sacros a Cananaeis mutuatos esse, nisi firmissima argumenta eius rei afferri possunt.

Quae cum ita sint, ex variis illis conatibus formarum cultus Mosaici ab aliqua gente idololatriae dedita repetendarum nihil efficitur, quo acquiescamus. Neque eas, si tam aperte cum cultu Aegyptio congruerent, ut nonnulli viri eruditi affirmant, alii ab alia gente ducere conarentur. Si igitur quaeritur, num quis ritus religionis Mosaicae ex ritibus gentilium receptus sit, summa cautio adhibenda est.

Adnotatio. — Ex iis viris doctis, qui recentiore aetate perscrutati sunt, quae ratio religioni Mosaicae cum ceteris religionibus orientis antiqui intercedat, commemoramus E. Sellin, Die alttestamentliche Religion im Rahmen der andern altorientalischen. Leipzig 1908; A. Dufourcq, Histoire comparée des religions païennes et de la religion juive[3]. Paris 1908;

J. Nikel, Das alte Testament und die vergleichende Religionsgeschichte (Frankfurter zeitgemäße Broschüren XXX, 12). Hamm 1911; F. Sawicki, Die Wahrheit des Christentums[2] 281—298. Paderborn 1913; N. Peters, Die Religion des alten Testaments in ihrer Einzigartigkeit unter den Religionen des alten Orients. Kempten 1913.

I

De locis sacris

De locis cultui divino ante Mosen sacratis

I. Simplici primorum hominum vitae etiam simplex cultus divinus respondebat. Quotienscumque religione introrsus movebantur, pietatem suam extrinsecus ostentabant, erigentes altaria, deum invocantes, ei sacra facientes.

Aedes cultui divino destinatas iam diu ante Mosen fuisse constat. Velut apud Aegyptios, qui iam ab antiquissimis temporibus quin templa habuerint, dubium non est, cum omnium primi fuerint, qui diis habitationes exstruxerunt, quod Herodotus Hist. 2, 4 memoriae prodit: βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους (Aegyptios). Item in Babylonia ad meridiem vergente Gudea, princeps urbis Lagaš, qui circa annum a. Ch. n. ter millesimum fuit, deo Ningirsu templum, quod „domus septem tabukâti“ appellabatur, aedificasse dicitur (Inscr. Gud. G I, 13 = KB III, 1, 59; D II 11 = ib. 51). Etiam Phoenicum et Syrorum templa antiquitatis gloriâ Aegyptiis haud multum concedere fateamur necesse est. Contra complures gentes antiquae templa exstruere nefas duxerunt, quod immensum numen parietibus includere eius maiestate indignum esse sibi persuaserant.

Arae quoque iam antiquissimis temporibus apud omnes gentes inveniuntur. Ac primus quidem Noah altare (מִזְבֵּחַ LXX θυσιαστήριον) aedificasse traditur, cum ex arca egrederetur (Gn 8, 20). Probabile tamen est altaria iam antea erecta esse, quoniam Kain et Abel primi sacra faciebant (ib. 4, 3 s.).

Paraphrastes Chaldaici (velut Ps. Jonathan ad Gn 8, 20; 22, 9) consuetudinem ararum usque ad Adam referunt, cum narrent Adam aram exstruxisse, in qua Kain et Abel, deinde Noah et Abraham sacrificarent.

II. Antiqui Hebraeorum patriarchae in locis dei conspectu quodam consecratis (Gn 12, 7 s; 13, 4. 18; 26, 25; 35, 1. 3. 7), haud

raro sub umbra arborum frondosarum (ib. 12, 6 s; 13, 18; 21, 33), imprimis in collibus et montibus (ib. 22, 9; 31, 54) libenter *altaria* erigebant et sacris operabantur. Qua de causa autem ad sacra facienda imprimis montes et colles vel alia loca editiora electa sint, ex illa ipsa sententia omnium fere gentium communi explicari potest, regiones caelo propiores ad res divinas perpetrandas propterea aptiores esse, quod numen divinum in excelso caelo habitet (Tacitus, Annal. 13, 57). Praeterea omnino decere credebatur praestantiam cultus divini ex loco quodam selecto, qui a communi regione remotus sit, apparere.

Quantum equidem iudicare possum, de materia altarium, quae patriarchae erigebant, Ex 20, 24 s. sermo est. Qui locus si ita accipitur, verba quidem את עלתיך ואת שלמיך *holocausta tua et pacifica tua* (sc. sacrificia) delenda sunt; ea autem re vera pro interpolatis habenda esse iam ex diversitate antiquarum versionum apparet. Atque cum hîc de altaribus secundum morem patriarcharum exstruendis agatur, nullam habemus discrepantiam neque cum altari e lignis acaciae aedificato (Ex 27, 1; 38, 1) neque cum altari aeneo (II Chr. 4, 1). Nam quae loco allato de altaribus e terra lapidibusve non sectis exstruendis dicuntur, de altaribus sacrarii legibus posterioris aetatis abrogata sunt. Aetate autem Maccabaeorum, cum de altaribus templi restituendis ageretur, Judaei ἔλαβον λίθους ὁλοκλήρους κατὰ τὸν νόμον καὶ ᾠκοδόμησαν τὸ θυσιαστήριον καινὸν κατὰ τὸ πρότερον (I Mcc 4, 47), penitus ignari legem Ex 20, 24 s. iam lege Ex 27, 1 de sacrario abrogatam esse. Tamen altare eius materiae, quod Ex 20, 24 s. describitur, a Josua iussu Mosis in monte Ebal (Jos 8, 30 s. cf. Dt 27, 4—6) atque ab Elia in monte Carmel (I Rg 18, 31 s.) aedificatum est. Nam cum de altaribus extra sacrarium exstruendis ageretur, cum Moses tum alii ad ea, quae Ex 20, 24 s. describuntur, revertebantur, sive quod eam legem tantum de altaribus sacrarii abrogatam esse censebant, sive quod ea, cum Jahve de iis nihil sanxisset, secundum morem patriarcharum exstruenda esse existimabant.

Etiam arae antiquorum Cananaeorum vel ex terra vel ex lapidibus exstructae erant. Quod autem Ex 20, 25 s. praecipitur, ne ara lapidea aedificetur nisi ex lapidibus non sectis neve gradus haberet, arae in Ta'annek et in Petra detectae ei praecepto non respondent. Nam in utraque lapides secti sunt et gradus sacrificantibus exstant. Quare falso dicitur rationem eius praecepti opinionem illam esse ferro lapidarii numen lapidis sacri pelli; quod si ita esset, Cananaei quoque cavissent, ne lapides ad aras destinatos caederent. Sed illud praeceptum ex proprietate cultus Jahvae explicari oportet.

Erat etiam moris vetustissimi, si cui in hoc illove loco singulare aliquod divinae providentiae beneficium obtigerat, ut ad huius rei memoriam conservandam *lapidem* quendam (מַצֵּבָה, Arab. *nuṣb, nuṣub, manṣab)* ibi poneret numinique divino consecraret. Eius modi lapides patriarchae quoque Hebraeorum erigere solebant eosque interdum oleo superfuso factoque libamine distinguebant. Jacob quidem lapidem in

Bethel erexit, quem oleum desuper fundens sacravit (Gn 28, 18—22. cf. 31, 13; 35, 14); alium lapidem singularem atque lapidum acervum erexit, ut monumentum sit foederis cum Laban icti (ib. 31, 44—48). Etiam ex tempore posteriore nonnulla insignia eius rei exempla habemus. Velut Moses duodecim columnis lapideis aram ad radices montis Sinai aedificatam circumdedit (Ex 24, 4). Josua duodecim lapides ex alveo fluminis sumptos in Jordane ipso (Jos 4, 4—9), alteros duodecim in Gilgal posuit (ib. v. 20—25). Samuel quoque lapidem singularem erexisse dicitur (I Sm 7, 12).

Effossionibus recentiore aetate in Palaestina factis complures eius modi lapides et rudes et arte caesi atque in acutum desinentes detecti sunt, qui interdum parva quoque foramina habent. Qui lapides nihil aliud nisi rudes imagines dei esse dicuntur, qui unctione lapidis et libationibus coli putabatur. Certe tales lapides in Dschezer inventi sunt; num aliis quoque locis non constat. Cum autem in vetere testamento saepius monumenta lapidum commemorentur, opinio illa non sine veritatis specie est etiam lapides in Dschezer inventos urbe capta ab Hebraeis eo consilio erectos esse, ut Cananaei ibi habitantes semper admonerentur se ab Hebraeis subactos esse; atque existimare possumus Hebraeos illos lapides eo ipso loco, ubi sacrarium Cananaeorum erat, erexisse, ut subiectos admonerent eorum deum a suo deo victum esse. Sed utcumque id se habet, id constat sacrarium in Dschezer detectum non cum locis excelsis, quorum in vetere testamento saepe mentio fit, coniungendum esse, cum demonstrari non possit Hebraeos umquam eo usos esse.

Quod autem antiqui Hebraei nonnumquam lapides a gentilibus in locis sacris positos imitati sunt, inde colligendum non est eos lapides initio ad Jahvae cultum pertinuisse et multo minus eos symbola Jahvae ipsius fuisse. Quod ut demonstrent, nonnulli viri docti locum Jes 19, 19 afferunt: „Illo die erit altare Jahvae (dedicatum) in media terra Aegypti et מצבה *cippus* in finibus eius Jahvae erit (dedicatus)". Praedicit igitur propheta media in Aegypto altare Jahvae, in finibus autem Aegypti cippum Jahvae futurum esse. Unde minime efficitur etiam apud unumquodque Jahvae in terra Canaan altare lapidem eius sacrum stetisse. Idem propheta v. 20 dicere pergit: „Eritque in signum et testimonium Jahvae, domino exercituum, in Aegypto". Quibus verbis haec dicit: Ut altare ad verum deum colendum media in Aegypto futurum sit et Aegyptii deo sacra facturi et vota concepturi sint (v. 21), ita cippum in finibus positum documento fore totam terram Jahven venerari. Sequitur, ut cippus ille non fuerit earum rerum, quae ad cultum superstitiosum pertinerent, sed nihil aliud nisi monumentum.

Ceterum praeter eos lapides, qui in locis sacris erigebantur, apud complures gentes, quae regiones in orientem spectantes incolebant, iam antiquissimis temporibus etiam *lapides sacri,* qui vocantur, fuerunt, qui propterea colebantur, quod in iis certum quoddam numen habitare seque aperire putabatur. Phoenices eius modi lapides βαιτύλια vocabant. Neque vero ullo veteris testamenti loco tales lapides commemorantur. Nam fieri non potest, ut scriptor biblicus Gn 28, 18—22 dicere voluerit eum

lapidem, quem Jacob erexit, lapidem animatum fuisse in eoque numen loci habitavisse.

Conferas J. Grimmel, De lapidum cultu apud patriarchas quaesito. Marburgi 1853. — J. De Groot, Palestijnsche Masseben (opgerichte steenen). Diss. Groningen 1913.

Hebraei in Aegypto commorantes neque loca sacra neque aras habebant, quod ibi Jahvae sacra non faciebant. Id ex loco Ex 8, 22 elucet, ubi memoriae proditur Pharaonem Hebraeis permisisse, ut in Aegypto (non in deserto) sacrificarent, Mosen autem postulasse, ut in desertum proficiscerentur, quod Hebraei tales victimas deo suo immolaturi essent, quas Aegyptii prorsus abhorrerent. Aegyptii enim et tales proprietates in victimis quaerebant, quales Hebraei neglegebant, et complura animalia, quae Hebraei immolabant, velut vaccas, sacra esse putabant, ut iis res nefanda esset ea mactare vel eorum carne vesci.

Id autem verisimile est, quod et Judaeorum quidam contenderunt et catholici interpretes ad unum omnes agnoscunt, Hebraeos in deserto commorantes iam ante pretiosum illud tentorium, quod Jahve exstrui iusserat, aliud אֹהֶל מוֹעֵד *tentorium conventus* (Ex 33, 7. Vulgata minus recte: *„tabernaculum foederis“*) atque intra illud הָעֵדוּת *praeceptum* sive *legem* (ib. 16, 34. fortasse arcam arcarum Aegyptiarum similem. Vulgata male: *„tabernaculum“*) habuisse, quo se homines reciperent, ut Jahven consulerent, nequaquam vero, ubi sacra publica fierent. Hoc tentorium, super quod columna nubis requiescebat, Moses extra castra transtulit, ut demonstraret dei speciem ob superstitiosum vituli aurei cultum in populo iam non apparere (ib. 33, 7—11). Tentorio sacro exstructo columna nubis a Mosis tentorio recedens novum sacrarium implevit illudque „tabernaculum conventus“ vel „foederis“ fecit (ib. 40, 34—38).

Sectio prima

De tabernaculo foederis

Praesidia doctrinae. — Complura opera in Bl. Ugolini Thes. VIII et IX. — C. Ch. W. Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus I², 95—602. — F. Friederich, Symbolik der mosaischen Stiftshütte. Leipzig 1841. — J. H. Kurtz, Beiträge zur Symbolik des alttestamentlichen Cultus. I. Die Cultusstätte. Berlin 1851. — W. Neumann, Die Stiftshütte in Bild und Wort. Gotha 1861. — J. Popper, Der biblische Bericht über die Stiftshütte. Ein Beitrag zur Geschichte der Composition und Diaskeue des Pentateuch. Leipzig 1862. — Ch. J. Riggenbach, Die mosaische Stiftshütte ². Basel 1867. — G. Karch, Die mosaische Stiftshütte als Abbild des Himmels in den acht Seligkeiten nach den vier Gesetzen des

Sabbat- und Jubeljahres dargelegt. 4 Bde. Würzburg 1876. — F. Whitfield, The tabernacle, priesthood and offerings of Israel. London 1884. — O. Wolff, Der Tempel von Jerusalem und seine Maße 5—14. Graz 1887; Der Tempel von Jerusalem. Eine kunsthistorische Studie über seine Maße und Proportionen. 16—26. Wien 1913. — H. A. Poels, Le sanctuaire de Kirjath Yearim. Louvain-Gand 1894; Examen critique de l'histoire du sanctuaire de l'arche. Louvain-Leyde 1897. — C. Schick, Die Stiftshütte, der Tempel in Jerusalem und der Tempelplatz der Jetztzeit 6—51. Berlin 1896. — D. Joseph, Stiftshütte, Tempel- und Synagogenbauten aus alter Zeit. Berlin 1902. — W. Shaw Caldecott, The tabernacle. Its history and structure. London 1904. — E. M. Epstein, The construction of the tabernacle. Chigago 1911 (demonstrare studet secundum textum Hebraicum Pentateuchi tabernaculum foederis facile restitui posse). — E. Sellin, Das Zelt Jahves (Atl St 168—192).

Institutá theocratiá Jahve certum locum ad sacra facienda excitari iussit, quem, dum genti electae quietas sedes daret, templum illud portatile esse voluit, cuius exemplar Mosi in monte Sinai ostenderet (Ex 25, 40; 26, 30. Act 7, 44. Hebr. 8, 5). In quo tabernaculo Hebraei non modo, quamdiu per deserta migrabant, deo cultum debitum tribuebant, sed etiam terrâ Canaan occupatá, idque usque ad undecimum annum regni Salomonis, quo templum Hierosolymis exstructum dedicatum est.

Profecto genti nomadum vitam agenti vix aliud conveniebat sacrarium nisi tabernaculum, quod sine difficultatibus de loco in locum asportari potuit. Quare a Philone (De vita Mosis l. 3. opp. II, 146) ἱερὸν φορητόν, a Josepho (A J 3, 6. 1) ναὸς μεταφερόμενος καὶ συμπεριφερόμενος, ab Augustino (De civ. dei 15, 20, 4. MSL 41, 465) „velut templum ambulatorium" appellatur. Eius modi sacrariis portatilibus Mongoli et Calmucci, qui cum pecudibus deserta Asiae in septentriones spectantis pererrant, etiamnunc utuntur.

Caput primum

De structura tabernaculi foederis

Sacrarium iussu Jahvae a Mose erectum, quod Ex cc. 25—27 et 36—38 (cf. Jos. A J 3, 6) describitur, ex duabus partibus constabat. ex *atrio* et *tabernaculo,* quod proprie dicitur.

I. Atrium (חָצֵר LXX αὐλή), tabernaculo undique circumdatum, erat spatium non opertum, centum cubita longum, quinquaginta latum, i. e. spatium quinque milium cubitorum quadratorum. Cingebatur sexaginta columnis (עַמּוּדִים) quinque cubita altis, quae sine dubio e lignis acaciarum (עֲצֵי שִׁטִּים LXX ξύλα ἄσηπτα = ligna imputrabilia)[1] con-

4*

STUDIO ADDICTUS

fectae ac basibus (אֲדָנִים) aeneis et capitulis (רָאשִׁים) auro obductis instructae aequali spatio (quinque cubitorum — Phil. De vita Mosis l. 3. opp. II, 149) inter se distabant; dispositae autem erant vicenae in latere versus meridiem et septentriones spectante, denae in latere ad orientem et occidentem vergente.[2] In his columnis e paxillis (וָוִים) argenteis vela sive aulaea (קְלָעִים LXX ἱστία = vela navis) e bysso retorta (שֵׁשׁ מָשְׁזָר)[3] suspendebantur. Ex oriente erat introitus viginti cubita patens, in quo quattuor columnae portam constituebant[4], cui velum (מָסָךְ LXX κάλυμμα) ex hyacintho, purpura, cocco byssoque contextum (מַעֲשֵׂה רֹקֵם = opus textoris pannorum variorum colorum) appendebatur, quod tollebatur, ut ingressus pateret. — Ex 27, 9—19; 38, 9—20.

Ea pars atrii, quae propter introitum erat, omnibus, qui vel orare vel sacra facere volebant, patebat (atrium Israelitarum), reliqua pars solis sacerdotibus et Levitis (atrium sacerdotum).

[1] שִׁטָּה *acacia* eaque acacia vera *(Spina Aegyptiaca* veterum, *Mimosa nilotica* L.), ab arbore, quam nos acaciam appellare solemus, i. e. *Robinia pseudoacacia* L., plane diversa. Est arbor magna in Aegypto et Arabia crescens, cortice spinis albis tecto, siliquis subnigris, ligno durissimo, putredini vix obnoxio et, cum vetustescit, ebeno simili. Cf. Hieronym. Comm. in Jes 41, 19. in Joel 3, 18. in Mich 6, 3 ss. MS L' 24, 417; 25, 986. 1207 s. Herod. Hist. 2, 96. Ceterum vocabulum שטה ex Aegyptio *šnṣt*, postea *šonte* interpretandum et cum Assyrio *samṭu* atque Arabico *sanṭun* comparandum est (Or Lz VI, 266 s. 446 s.).

Columnas atrii *ligneas* fuisse ex locis Ex 27, 10 et 38, 31 inter se collatis perspicuum est. Vehementer igitur errat Josephus (A J 3, 6. 2), qui eas κάμακας χαλκέας, *ex aere confectas* esse dicit. Fallitur quoque Philo (De vita Mosis l. 3. opp. II, 149), qui has columnas *ex ligno cedrino* factas esse affirmat. Idem (ib. 146) tabulas quoque tabernaculi cedrinas fuisse contendit; putat enim שטה esse cedrum. Etiam B. Jacob (Der Pentateuch. Exegetisch-kritische Forschungen I, 159. Leipzig 1905) שטה propter locum Jes 41, 19 speciem cedrorum esse existimat, quarum prima patria Sinai fuerit. Sed praeterquam quod nulla inter utrumque nomen convenientia appareat, loco allato אֶרֶז *cedrus* a שטה etiam manifeste distinguitur.

[2] Opinio nonnullorum (ut *C. Ch. W. Bähr, A. Knobel, D. B. Haneberg)* quinquaginta sex, non sexaginta columnas fuisse nullo solido nititur fundamento.

[3] Byssi retortae in sacris litteris frequens mentio fit. Intellegenda sunt fila byssi non simplicia, sed duplicata et inter se complicata, ut opus, quod ex iis faciendum erat, firmius fieret.

[4] Rectius quinque columnae introitum constituebant; nam sacer textus singulis columnis quinque cubita longitudinis veli attribuit.

II. In medio atrio et quidem lateri versus occidentem spectanti propius erat tabernaculum (אֹהֶל LXX σκηνή), quadratum oblongum, undique coopertum, ab occidente in orientem triginta cubita longum, a septentrionibus in meridiem decem cubita latum.[1] Eius parietes ex quadraginta octo tabulis (קְרָשִׁים) compositi erant, quae ex ligno acaciarum decem cubita in longitudinem, unum cubitum et dimidiatum in latitudinem (ex opinione Josephi A J 3, 6. 3 crassitudine quattuor digitorum, ex rabbinorum unius cubiti) paratae laminisque aureis obductae basibus (אֲדָנִים) argenteis innitebantur. Atque singulis tabulis erant binae bases ad duos earum cardines (יָדוֹת Jos. στρόφιγγες) recipiendos. Praeterea tabulae quinque vectibus (בְּרִיחִים) deauratis, qui per anulos (טַבָּעוֹת) tabulis inhaerentes transmissi erant, coniungebantur. Duo vectes ab una, duo alii ab altera parietis extrema parte profecti fortasse ad medium tantum parietem pertingebant; vectis autem medius, qui per medias tabulas transibat, per totam parietis latitudinem traiciebatur, ita ut singulae tabulae trinis vectibus coniungerentur.[2] Harum tabularum vicenae in lateribus ad septentriones et meridiem vergentibus ($20 \times 1\frac{1}{2} = 30$ cub.), octo, e quibus duae semicubitales in angulis[3], versus occidentem ($6 \times 1\frac{1}{2} + 2 \times \frac{1}{2} = 10$ cub.) erant. (Ex 26, 15—30; 36, 20—34). Ad orientem, ubi ingressus patebat, erant quinque columnae deauratae, capitulis aureis et basibus aeneis instructae, e quibus velum (מָסָךְ LXX ἐπίπαστρον, Jos. φάρσος) quadruplici colore contextum dependebat (ib. 26, 36 s; 36, 37 s.).

[1] Ita Josephus (A J 3, 6. 3) et Philo (De vita Mosis l. 3. opp. II, 148) latitudinem definiunt.

[2] Ex sententia C. Schick (op. all. 21 s.) singulae tabulae foris quinis vectibus in qualibet parte coniungebantur. Vectis autem medius („alius" Ex 36, 33), qui quadraginta cubita longus erat, circulis immittebatur, in quos tria tigna versatilia (super tabulas angulares in parte versus occidentem, super velum sanctissimi, super primas tabulas in parte versus orientem inserta) desinebant, et fastigium tecti constituebat.

[3] De compositione harum tabularum multae et discrepantes sunt virorum doctorum sententiae, quas enumerare et discutere supervacaneum videtur. C. Schick (op. all. 20 s.) auctor est tabulas angulares e trabibus duabus sive geminis (תְּאֹמִים Ex 26, 24) constitisse, quae insuper duobus tignis versatilibus in circulos desinentibus coniungebantur.

Adnotatio. — Respiciendum est structuram tabernaculi foederis, quam modo descripsimus, cum domibus antiquorum Aegyptiorum congruere. Nam et eae ex tignis ad perpendiculum directis, quae et trabibus ad libellam directis et cardinibus inter se coniuncta erant, constabant.

Tabernaculum quattuor operimentis tegebatur, quorum primum sive intimum, quadraginta cubita longum et duodetriginta latum, ex

bysso retorta, hyacintho, purpura, cocco mira arte elaboratum atque imaginibus cherubim ornatum erat (מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב = opus polymitarii). Compositum erat ex decem cortinis (יְרִיעוֹת), quarum singulae duodetriginta cubita longae, quattuor latae erant quaeque quinquaginta aureis uncinis sive fibulis (קְרָסִים) et bis quinquaginta laqueolis (לֻלָאוֹת) hyacinthinis ita cohaerebant, ut duo maiora tapeta, quae e quinis cortinis constabant, super velum sanctissimi inter se occurrentia formarentur. Id operimentum versus septentriones et meridiem uno fere cubito a terra distabat, in latere versus occidentem terram attingebat. Ex nonnullorum interpretum sententia intrinsecus tantum in ipso tabernaculo conspiciebatur (quam ob rem strictissime מִשְׁכָּן *habitatio, habitaculum* vocabatur), quod tamen alii negant. Secundum operimentum, quod אֹהֶל *tentorium* appellabatur, triginta tria cubita longum et triginta latum, compositum erat ex undecim sagis vel stragulis cilicinis, quorum singula triginta cubita longa et quattuor lata erant, quaeque et ipsa in duas maiores partes, quarum una ex quinque, altera ex sex sagis constabat, divisa et laqueolis aeneisque uncinis coniuncta erant. Quod operimentum undique terram fere attingebat et in fronte tabernaculi replicari poterat, instar fastigii aut porticus, ut haud inepte Josephus AJ 3, 6. 4 dicit. Tertium operimentum ex pellibus arietum rubro colore illitis (עֹרֹת אֵילִם מְאָדָּמִים LXX bene: δέρματα κριῶν ἡρυθροδανώμενα), quartum ex pellibus תַּחַשׁ compositum erat [1]. Eorum magnitudo in sacris litteris non traditur. Utrumque מִכְסֶה *tegumentum* vocabatur [2]. — Ex 26, 1—14; 36, 8—19.

Quae operimenta nec non vela atrii paxillis (יְתֵדוֹת) fusticatione solidatis figebantur, ad quos funes (מֵיתָרִים) ad summas tabulas revincti pertinebant et hinc inde eas erectas ex aequo trahebant, ne a vento deicerentur (Ex 27, 19; 35, 18; 38, 20. 31; 39, 40). Haec a Mose accuratius non describuntur, quoniam Hebraei tentoriorum statuendorum periti erant.

[1] Quid vocabulo תחש intellegendum sit, in controversia est. Veteres plerumque *colorem* corii interpretati sunt. Velut Graeci Alexandrini δέρματα ὑακίνθινα (cf. Jos. AJ 3, 6. 1: δορὰς ὑακίνθῳ βεβαμμένας), Aquila et Symmachus ἰάνθινα, Hieronymus „pelles ianthinas", Chaldaeus et Syrus rubro, Samaritanus et Sa'adja nigro colore tincta coria intellegunt. Contra talmudistae תחש animal viverrae *(Mustella Furo L.)* simile significare putant (Babyl. Schabbath 28[a]). Nonnulli ex vocabulo Assyrio *taḫšu* vervecem (vel pellem vervecinam) intellegendum esse contendunt (Frd. Delitzsch, A. Šanda). Alii ex lingua Arabica *(duḫas* sive *tuḫas)* significationem delphini *(Delphinus delphis L.)* vel alicuius animalis delphino propinqui petunt atque vel vitulum marinum *(Phoca vitulina* L.) vel virginem marinam *(Halicore cetacea* Illiger = *Halicore dugong* Quoy et Gaim) intelle-

gunt. Eius modi animalia in mari rubro abundant. Ex eorum pellibus calcei (cf. Ez 16, 10), tentoria, scuta conficiuntur. Rursus alii melibus sive taxis (*Meles taxus* Pallas) favent idque fortasse affinitate nominis taxi cum תחש seducti. Denique alii (inter quos J. H. Bondi) תחש genus corii subtile et elegans interpretantur, quod etiam Aegyptii usurpabant (voc. Aeg. *ṯḥs* = corium), quos eius parandi peritissimos fuisse ex A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 598 (Tübingen 1885) apparet. Quae cum ita sint, maxime probandum videtur veterum auctoritate acquiescere et תחש pro coloris nomine habere.

[2] Auctore C. Schick primum operimentum constituebat tectum rectangulum formabatque umbraculum quinque cubita latum, quod tabernaculum in qualibet parte circumdabat (op. all. 25 s.). Secundum operimentum illud infimum totum tegebat et custodiebat (28 s.). Tertium et quartum eo consilio confecta erant, ut duo priora operimenta tegerent ac totum tabernaculum ab iniuriis tempestatis custodirent; quare undique usque ad terram pertingebant (29 s.).

Tabernaculum in duo conclavia divisum erat. Prius conclave, quod sanctuarium sive *sanctum* (קֹדֶשׁ LXX τὸ ἅγιον; Hebr. 9, 6: ἡ πρώτη σκηνή) vocabatur, viginti cubita longum, decem latum et altum erat atque ab altero, quod cubus decem cubitorum erat et sanctum sanctorum sive *sanctissimum* (קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים LXX τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων; Hebr. 9, 3: σκηνὴ ἡ λεγομένη ἁγίων, ib. v. 7: ἡ δευτέρα σκηνή; Ps 28, 2: דְּבִיר *pars postica*; Jos. et Phil. τὸ ἄδυτον) appellabatur, velo (פָּרֹכֶת [1], plenius פָּרֹכֶת הַמָּסָךְ Ex 35, 12., LXX καταπέτασμα, quod vocabulum etiam a scriptoribus novi testamenti usurpatur, ut Mt 27, 51. Lc 23, 45. Hebr 9, 3) quadruplici colore magna arte contexto imaginibusque cherubim distincto (מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב = opus polymitarii) separatum erat. Quod velum aureis uncinis e quattuor columnis auro obductis, quae in basibus argenteis stabant, pendebat. — Ex 26, 31—33; 36, 35 s.

[1] Respiciendum est adytum templorum Babyloniorum, in quo simulacrum dei erat, persaepe *parakku* (= deorum cella; verbum *parâku* = claudere) appellari, ex quo vocabulo Syrium *perakka* (= armarium idolorum) ducendum est.

III. Si quaeritur, in qua ratione templa gentilium et tabernaculum foederis fuerint, et hoc et illa symbolum quoddam sunt i. e. utraque ex opinionibus, quae ad religionem pertinent, profecta in iisque posita sunt. Nam ut templa gentilium, ita tabernaculum foederis caelum quasi demonstrat, sed non id caelum, quod sideribus, quae a gentilibus ut dii colebantur, ornatum conspicitur, sed quod veri dei domicilium cogitatur. Qui unus verus deus summâ est sanctitate et qui gentem suam electam ad salutem omnium gentium terrae sanctificare ab eaque sanctificari i. e. coli velit, cum dii gentilium tantum vires naturae

rerum divinis honoribus ornatae eorumque templa sedes cultus naturae sint, qui neque ad sanctitatem dei neque ad sanctificationem hominum pertinet.

Praeterea de loco cultus Mosaici praecipue duae res respiciendae sunt, quibus Hebraei a ceteris gentibus orientis antiqui differunt: sc. unam fuisse cultus sedem et Jahven sine simulacro cultum esse.

1) Omnia tria corpora legum Pentateuchi praecepta de loco, ubi sacra legibus praescripta facienda sunt, continent. In codice sacerdotali is locus est tabernaculum foederis in mediis castris Hebraeorum erectum (Lv 17, 8 s.). In Deuteronomio, ubi legum auctor gentem brevi antequam in terram Canaan immigrat alloquitur, Jahve locum cultus electurus esse dicitur (Dt 12, 2—28). In libro foederis de domo Jahvae, quo Hebraei dona ferre debent, ita sermo est, ut situm loci notum esse ponatur (Ex 23, 14—19. cf. 34, 23—26). Omnia autem legum corpora in eo consentiunt, quod ibi unus locus sacer commemoratur, ubi Jahve a gente sua coli vult. Atque etsi verum est unam illam cultus sedem ab initio cum una arca foederis, qua Hebraei nihil sacrius habebant, coniunctam fuisse eosque aliis cultus privati sedibus uti procedente demum tempore vetitos esse, tamen maxime memoratu dignum est nullam aliam gentem orientis antiqui umquam cogitasse totum cultum divinum uno loco fieri necesse esse, ut Hebraei talem cultum ab alia gente mutuari non potuerint.

2) Sed illud magis respiciendum est nullum dei simulacrum in sede cultus Mosaici positum fuisse. Locis Ex 20, 4. 5ª = Dt 5, 8. 9ª Hebraei simulacra dei habere diserte vetantur. Nonnulli viri docti quidem demonstrare studuerunt, quod Hebraeos saepius a Jahvae cultu sine simulacris defecisse traditum est, inde colligendum esse eos simulacra Jahvae colere consuevisse. At tali modo religio Mosaica adeo detrectatur, ut quidquid libri divini docent, pervertatur. Contra recte iudicatur legitimum Jahvae cultum semper sine imaginibus fuisse, cum ceterae religiones orientis simulacra venerarentur. Jahve in sacrario ita habitat, ut non conspiciatur; neque ut simulacra deorum gentilium in eo inclusus est, nam „caeli caelorum eum capere non possunt“ (I Rg 8, 27. cf. Am 9, 2—5. Jer 23, 24. Ps 139, 8 s.); neque certo quodam loco continetur, nam „non propter locum gentem, sed propter gentem locum deus elegit“ (II Mcc 5, 19); neque artibus magicis, sed caritate hominum redemptione egentium cum gente coniunctus est, inter quam habitare vult. Quae cum ita sint, etiam hic cultus sine imaginibus ab alia gente receptus esse non potest.

Itaque tabernaculum foederis etsi specie templis gentilium multo est inferius, tamen opinionibus religionis, quibus innititur, omnibus illis multo est superius, quo magis admiratione dignum est.

Ceterum negari non potest sacrarium Mosaicum et templa non solum Aegyptiorum, sed etiam aliarum gentium antiquarum nonnullis rebus congruere. Atque primum quidem omnia templa antiqua parva erant, quia numquam aedificata erant, ut magnum numerum orantium exciperent, velut templum Jovis in Aegina situm et Aegyptiorum templa non solum in saxis riparum Nili incisa, sed etiam ex solo exaedificata. Deinde plerumque in tres partes divisa erant; nam omnium fere gentium antiquarum proprium erat numerum ternarium symbolicum arbitrari. Nonnulli viri docti demonstrare student Aegyptiorum quoque templa in tres partes divisa esse, cuius rei auctorem Strabonem (Rer. geogr. 17, 1) afferunt, qui προπύλαια, πρόναον, ναόν sive σηκόν partes templorum Aegyptiorum nominet. Itaque sacrarium Mosaicum imitationem templorum Aegyptiorum esse censent. At Strabo templa Aegyptia formae tripartitae esse non dicit. Nam primum commemorat τέμενος; deinde δρόμον sphingibus ornatum; tum πρόπυλον μέγα; postea νεών cum προνάῳ eiusque πτεροῖς, quae ex porta cum duobus muris prominentibus, qui magnis simulacris ornati erant, constabant; denique σηκόν. Praeterea πολυστύλου οἴκου et amplorum aedificiorum sacerdotum mentionem facit; sed loca saepta, ubi ferae pascebantur (ἄλση καὶ ὀργάδες), et lacus, quae Clemens Alexandrinus (Paedag. 3, 2. MSG 8, 560) commemorat, ne nominat quidem. Ceterum in nullo templo Aegyptio, quorum complura aetate recentiore effossa sunt, ullum vestigium formae tripartitae reliquum esse constat. Ut templum vetustissimum in Nubia in urbe Deir situm, quod totum e lapide arenaceo excisum est, ex quattuor partibus constat. Templum Osiridis in Edfu (Debḥot) situm sanctuarium porticibus circumdatum habet; praestructi sunt duo oeci duaeque porticus; magnum inter ea et porticum templi spatium peristylo eiusque columnis occupatur; pylonibus et peristylo propylaea eius templi formantur. Item magnum templum Osiridis in Aegypto superiore in insula Philae (Djesiret el-Birbeh) situm tres magnos et complures parvos oecos ante adytum habet; ad totum templum magnae porticus et pylones ducunt. Cum quibus templis si tabernaculum foederis comparamus, facile est intellectu nihil magis temere dici posse quam tres partes tabernaculi foederis a forma templorum Aegyptiorum profectas esse.

De templis Aegyptiis videas G. Perroth und Ch. Chipiez, Aegypten (Deutsche Ausgabe bearbeitet von *R. Pietschmann*. Leipzig 1882) 306—412.

Adnotatio. — Opinio, cum in gente Hebraica ars ex patria Abraham profecta permansisset, tabernaculum foederis formas Babylonias prae se tulisse (W. Neumann, op. all. 7 s.), nulla re confirmata digna non est, quae refutetur. Item opinio exemplar Mosi ad sacrarium, quod portari posset, aedificandum in monte Sinai monstratum templum Arabicum fuisse (D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Ueberlieferung 169) improbanda est, quoniam sacris litteris non adiuvatur. Adhuc duo templa antiquorum Arabum cognovimus: templum Ilmuḳah, primi dei Sabaeorum, et templum prope Petra in monte situm (ib. 99—103. 171—176). Quae eius modi esse dicuntur, ut nonnullis viris doctis probabile videatur saltem descriptionem quandam templi Arabici exemplum tabernaculi Mosaici fuisse (S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung 68 s.).

Caput secundum

De supellectile atrii

A) Altare holocaustorum

I. In atrio ante ostium tabernaculi (Ex 40, 29. Phil. De vita Mosis l. 3. opp. II, 149: τῶν εἰσόδων τῆς σκηνῆς ἀντικρύ; Jos. AJ 3, 6. 8: πρὸ τῆς σκηνῆς) erat altare ad sacra facienda destinatum, quod a nobilissimo eorum genere *altare holocaustorum* (מִזְבַּח הָעֹלָה et simpliciter מִזְבֵּחַ) atque contra altare interius *exterius* (הַחִיצוֹן) vocabatur. Erat tria cubita altum, quinque longum et latum, e ligno acaciarum constructum, laminis aeneis obductum (quare etiam מִזְבַּח הַנְּחֹשֶׁת *altare aeneum* appellabatur Ex 38, 30; 39, 39), intus cavum (נָבוּב), verisimiliter terrâ et lapidibus non sectis implendum, superne apertum cum craticula aenea superposita, per quam cineres et favilla deciderent. Mediam partem altaris circumdabat ambitus (כַּרְכֹּב, Onkelos סוּבְבָא) satis latus, ut ministri in eo versantes munia sua obirent [1]. Subter ambitum altare aeneo opere reticulato (מִכְבָּר מַעֲשֵׂה רֶשֶׁת) instructum erat. Quattuor huius reticulae extremis partibus anuli (טַבָּעוֹת) aenei affixi erant, quibus duo vectes (בַּדִּים) lignei aereque obducti immittebantur, ut altare in itinere commode portari posset. Quattuor altaris anguli altius eminebant instar cornuum (קְרָנוֹת) [2]. — Ex 27, 1—8; 38, 1—7.

[1] Cum carnes victimarum altari imponendae erant, sacerdotes non per gradus adscendebant, sed per planum inclinatum ex terra aggestum (in parte altaris versus meridiem spectante), idque ut omnia indecora praecaverentur (Ex 20, 26).

[2] קרנות sunt partes in quattuor altaris angulis ut cornua eminentes (κερατοειδεῖς γωνίαι Jos. BJ 5, 5. 6), quales in aris et Aegyptiorum et

Graecorum, quae ad nostram aetatem manserunt, inveniuntur. Nonnulli contra manifesta verba Ex 27, 2 ipsos altaris angulos intellegendos esse affirmant.

Ceterum haec cornua, quae rei asylum quaerentes amplectabantur (I Rg 1, 50; 2, 28), erant sanctissima altaris pars. Unde apparet nomen cornuum nonnumquam ipsum altare significare (Am 3, 14. Ps 118, 27). Praecipuus eorum usus fuisse videtur, ut sanguis sacrificiorum piacularium iis aspergeretur vel illineretur (Ex 29, 12. Lv 4, 25. 30. 34).

B. Baentsch, Exodus-Leviticus-Numeri 234 (Göttingen 1903) putat cornua arae adiuncta ex antiquissimo more profecta esse, ex quo lapidi, qui loco arae erat, pellis victimae iniciebatur eiusque caput cornutum affigebatur. Gentiles in cultu lunae cornua lunae arae adiunxerant; in cultu Marduk dei Babylonii cornua erant tauri, cum taurus signum Marduk esset. Fortasse in cultu Jahvae ara eo consilio cornibus arietis ornabatur, ut a gentilium ritu diversa esset.

Instrumenta ad hoc altare pertinentia (כְּלֵי הַמִּזְבֵּחַ), quae omnia ex aere parata erant, quinque enumerantur: סִירוֹת *urnae* ad cineres deportandos [1], יָעִים *palae* ad cineres colligendos, מִזְרָקוֹת *pelves* ad sanguinem excipiendum et spargendum, מִזְלָגוֹת *fuscinae* recurvae ad partes victimarum in igne vertendas, מַחְתּוֹת *batilla* sive receptacula prunarum (Ex 27, 3: 28, 3. Nm 4, 14). Huc etiam pertinent מְזַמְּרוֹת *cultri mactatorii* (Jer 52, 18), qui Esr 1, 9 מַחֲלָפִים, in Mischna חֲלָפוֹת vel חֲלִיפוֹת appellantur.

Ignis huius altaris, a deo miraculo excitatus, cum Aaron primum sacrum faceret (Lv 9, 24) [2], a sacerdotibus continuo nutriendus erat (ib. 6, 6. Jos. BJ 2, 17. 6) [3] neque alium ignem in sacris adhibere licebat (Lv 10, 1 s. Nm 3, 4; 26, 61). De eo igne quae postea evenerint, II Mcc 1, 19—33 memoriae traditur.

[1] Ad id altaris latus, quod in orientem spectabat, erat locus cinerum (Lv 1, 16).

[2] Talis caelestis ignis ad consumenda sacrificia demissus ab omnibus gentibus antiquis pro singulari et manifesto signo praesentis numinis et sacrificii grati habebatur. Velut Solinus, Polyhist. 5, 23 s. collis cuiusdam in Sicilia mentionem facit, ubi lignorum viteorum congeries super aras imposita igne caelitus delapso incendebatur. Servius ad *Vergil.* Aeneid. 12, 200 tradit apud maiores aras non incensas esse, sed eos ignem divinum precibus elicuisse, qui aras incenderit.

[3] Complures Hebraeorum et Christianorum interpretes opinantur miraculo factum esse, ut ignis caelitus delapsus in altari accensus maneret. Sed tale miraculum, de quo sacrae litterae nihil tradunt, est commenticium.

II. Aras ad sacra cruenta destinatas in religionibus gentilium iam vetustissimis temporibus invenimus. Quaeritur igitur, num altare ho-

locaustorum ex gentilibus profectum sit. Atque complures viri docti (inter quos H. Grotius, J. Spencer, A. Knobel) id cum aris gramineis sive de caespite [1] gentilium comparaverunt, quas imprimis ii, qui iter aliquod faciebant, exstruere solebant, cum caespes viridis omnibus locis promptus esset atque ex eo ara facile erigi posset; inde significatio quoque „ararum subitariarum“ et βωμῶν αὐτοσχεδίων. At altare Mosaicum, cum neque subito neque ex caespite viridi, sed ex lignis factum et verisimiliter terrâ lapidibusque non sectis impletum esset, cum illis aris gentilium componi nequaquam potest.

[1] Arae de caespite sive gramineae apud omnes fere gentes antiquitatis usitatae erant, velut apud Romanos (Horat. Carm. 1, 19, 13; 3, 8, 4: „caespes vivus“; Vergil. Aeneid. 12, 118 s: „arae gramineae“; Ovid. Metam. 4, 752: „caespes“) et Poenos (Sil. Ital. Punic. 4, 703: „arae gramineae“). Antiquissimum genus ararum fuisse videntur; Romani quidem antiquissimorum temporum „altaria de caespite“ habebant (Tertullian. Apologet. c. 25. MSL 1, 430).

B) Labrum aeneum

I. Inter altare holocaustorum et tabernaculum, sed paulum versus meridiem spectans, erat *labrum* (כִּיּוֹר LXX λουτήρ, Jos. AJ 3, 6. 2: περιῤῥαντήριον = aspersorium), quod unâ cum basi (כֵּן) ex speculis (בְּמַרְאֹת) [1]. quae mulieres ad ostium tabernaculi varia ministeria obeuntes obtulerant, verisimiliter formâ rotundâ fusum erat (Ex 38, 8); quare etiam כִּיּוֹר נְחֹשֶׁת *labrum aeneum* vocabatur (ib. 30, 18). Ex (non, ut nonnulli opinantur, in) hoc labro sacerdotes munia sacra obituri manus pedesque lavabant (ib. 30, 18—21; 40, 31 s.), ad quod quibusdam epistomiis instructum fuisse verisimile est [2].

In itinere quo modo labrum portaretur, in litteris sacris traditum non est. Graeci Alexandrini ad Nm 4. 14 ex Pentateucho Samaritano adiecerunt verba: Καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς (— super gestato). Indicari videtur ferculum [3], ex duobus vectibus transversisque baculis constans, quod duorum hominum umeris ferebatur.

[1] Praepositio בְּ ante מַרְאֹת praepositioni מִן *ex* (qua materia aliquid conficitur) par habenda est, quo modo eadem illa praepositio usurpatur etiam Lv 8, 32: וְהַנּוֹתָר בַּבָּשָׂר וּבַלֶּחֶם *et quod reliquum est in carne et in pane* i. e. ex carne et ex pane, ut Lv 7, 17 dicitur: וְהַנּוֹתָר מִבְּשַׂר הַזֶּבַח. Videas etiam Lv 14, 18 coll. cum v. 29. Recte igitur Graeci Alexandrini במראת verterunt ἐκ τῶν κατόπτρων et Ps. Jonathan מִן אִסְפַּקְלַרְיָא *ex speculis*. Idem Philo sentit (De migratione Abraham opp. I, 451: τῶν ἐσόπτρων,

ἐξ ὧν ὁ λουτὴρ δεδημιούργεται. Cf. De vita Mosis l. 3. opp. II, 156). Ex omnibus fere metallis specula olim facta esse notum et apud omnes pervulgatum est.

Nonnulli praepositionem ב idem valere existimant quod *cum*. Quare Ex 38, 8 vertunt: „Fecit labrum aeneum .... *cum* speculis mulierum" i. e. speculis adornavit, ut sacerdotes munia sacra obeuntes se in speculis intuerentur. Quae interpretatio ingenio quidem abundat, sed a communi consuetudine verborum Hebraicorum abhorret.

[2] Alterius labri ad lavandas carnes victimarum destinati Moses nullam mentionem facit.

[2] *Ferculum* erat vocabulum in sacris apud Romanos ad significandam ligneam machinam usitatum, cui simulacra deorum imponebantur.

Adnotatio. — Sunt qui existiment feminas Hebraeas, ex quarum speculis labrum aeneum fusum est, moribus Aegyptiis assuetas ad tabernaculum foederis, ut antea ad templa Isidis, catervatim et speculis instructas confluxisse atque Jahven iisdem paene caerimoniis, quibus olim deos Aegyptios, coluisse. Ita iam J. Spencer (op. all. 1090—1097), quem haud pauci viri docti secuti sunt.

Quod ut probent, Cyrillum Alex. (De adorat. in spir. et verit. l. 9. MSG 68, 629. 632) afferunt, qui ipse in Aegypto vivebat et antiqua Aegyptiorum monumenta suis oculis conspiciebat. Is enim loco allato memoriae prodit moris fuisse feminarum Aegyptiarum speculum aeneum gestare, cum templum adirent; quod feminas Hebraeas in Aegypto idola colentes imitatas esse; post egressum autem ex Aegypto illa specula ad labrum aeneum conficiendum contulisse. Idem Procopius Gazaeus (Comm. in Ex. MSG 87, 643) tradit: »Israelitae cum versarentur in Aegypto, coluerunt idola. Ibi autem mulieres consecratae et dicatae idolorum cultui ingrediuntur in templum amictae lineis vestimentis. Dextera sistro, sinistra ornabatur speculo pro more illarum superstitionis. Mulieres Israeliticae tenebant adhuc reliquias eius vanitatis, quas obtulerunt in aedificium tabernaculi«. Quod etiam monumentis Aegyptiis confirmatur, unde cognoscimus singulis templis mulieres ex omnium civium ordine electas attributas fuisse, quae *cantatrices* vel *musicae* appellabantur. Velut apud A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 316. 400, videas imagines mulierum Aegyptiarum, quae sinistrâ speculum metallicum, dexterâ sistrum tenent.

At Aegyptiae illae feminae ministrae deorum, imprimis Isidis, erant. Ut ἱερομύστιδες speculum et sistrum, signa arcanorum sacrorum, quae ad naturam rerum pertinebant, gestabant. Tale quidquam in specula feminarum, quae in sacrario Mosaico serviebant, non quadrat; ea non erant signa cultus, sed ab illis feminis (ut inaures aureae Ex 32, 2) vanitatis causâ gerebantur et vel sua sponte vel impulsu Mosis ad labrum aeneum conficiendum data sunt. Quo minus opinio originis Aegyptiae illius instituti feminarum apud sacrarium Jahvae habitantium (de quo infra dicemus) verisimilis est.

II. Ut demonstraretur Mosen, cum labrum aeneum poneret, exemplum gentilium secutum esse, dictum est apud omnes fere gentes

antiquas lavationes usitatas fuisse, priusquam res sacras facerent. At inde id unum efficitur in omnium usu fuisse, ante sacras actiones corpus, imprimis manus purgare, non efficitur Mosen praeceptum illud, ut sacerdotes manus et pedes lavarent, priusquam res sacras peragerent, ex gentilibus recepisse. Id praeceptum apud gentes antiquas nusquam reperitur. Eo autem ante oculos proponitur opinio illa sanctificationis et sanctitatis, qua cultus Mosaicus continetur, cum cultui gentilium, cum eorum religio ad solas res naturales pertineat, prorsus desit. Quae labra in templis gentilium vel ante templa erant, ea non sacerdotibus ad lavationes serviebant, sed eo spectabant, ut doctrina illa religionum naturalium, mundum ex aqua natum esse, significaretur. Ceterum omnia ea vasa neque formâ neque vi cum labro Mosaico quidquam commune habuisse demonstrare opus non est.

Caput tertium

De supellectile sanctuarii

A) Mensa panum propositionis

1. Ad eam sanctuarii partem, quae in septentriones spectabat (Ex 26, 35; 40, 22. Phil. De vita Mosis l. 3. opp. II, 151: πρὸς τοῖς βορείοις) sive ingredienti ad dexteram (siquidem ingressus ab oriente erat) mensa panum propositionis (הַשֻּׁלְחָן Ex 25, 23; 37, 10. שֻׁלְחַן הַפָּנִים Nm 4, 7. tempore posteriore שׁ הַמַּעֲרֶכֶת I Chr 28, 16. II Chr 29, 18. LXX ἡ τράπεζα τῆς προθέσεως) erat, lignis acaciarum auro obductis constructa (quare etiam שׁ הַטָּהוֹר *mensa munda* vocabatur Lv 24, 6. II Chr 13, 11) [1], duo cubita longa, unum cubitum lata atque unum cum dimidio alta, cum quattuor pedibus et totidem anulis, quibus vectes lignei deaurati ad mensam de loco in locum transferendam inserebantur. [2] Superiorem mensae tabulam ex omni parte limbus (זֵר) aureus ambiebat, qui undique aliquantum super longitudinem et latitudinem, quam modo memoravimus, prominens artificiosis incisis et emblematis ornatus erat. Infra tabulam (ex nonnullorum opinione in inferiore pedum parte) erat cingulum (מִסְגֶּרֶת LXX στρεπτὸν κυμάτιον = tortile cymatium) palmare, et ipsum limbo aureo cinctum. — Ex 25, 23—28; 37, 10—15.

[1] Nonnulli mensam hanc *mundam* vocari putant, quod praeter panes et tus nihil ei imponeretur. Sed quem ad modum candelabrum Lv 24, 4 mundum appellatur, quod ex auro puro confectum esset, ita nullum du-

bium est, quin eadem de causa mensa quoque pura appelletur, quod auro puro obducta esset.

[2] Qui vectes et anuli cum mensae tum altaris utriusque post templum a Salomo exstructum omissi sunt, quippe cum ea vasa non amplius huc illuc asportanda essent.

Huius mensae usui secundum Ex 25, 29 (LXX v. 28); 37, 16 (LXX 38, 12), Nm 4, 7 quattuor *vasa* aurea destinata erant: קְעָרֹת LXX τρυβλία, *lances* sive vascula planiora, in quibus panes sacri, ne frangerentur, mensae imponendi erant (Sam. צעין — scutulae cibariae); כַּפּוֹת LXX θυΐσκαι, *acerrae* sive vascula concava, turi ferendo et adolendo apta, quae duo erant (Jos. A J 3, 6. 6: φιάλαι δύο χρύσεαι λιβάνου πλήρεις; cf. M. Joma 2, 5. Menachoth 11, 7 s.); קְשָׂוֹת LXX σπονδεῖα, *phialae* sive vasa supra lata, infra angusta, quibus vinum libabatur; מְנַקִּיּוֹת LXX κύαθοι, *paterae* sive pocula, quibus vinum hauriebatur. Cf. etiam Jos. B J 1, 7. 6. Phil. Quis rer. div. heres sit, opp. I, 504.

II. Mensae sacrae duodecim panes (חַלּוֹת) azymi (Jos. A J 3, 6. 6; 3, 10. 7. Phil. De congr. erudit. grat. opp. I. 543. M. Menachoth 5, 1) imponebantur. Qui vocantur לֶחֶם הַפָּנִים LXX ἄρτοι ἐνώπιοι sive τοῦ προσώπου, *panes faciei* (Ex 25, 30; 35, 13; 39, 36. I Rg 7, 48), לֶ֫ הַתָּמִיד *panis perpetuus* (Nm 4, 7. cf. LXX et Vulg.), in libris posterioris aetatis לֶ֫ הַמַּעֲרֶכֶת LXX ἄρτοι τῆς προθέσεως sive τῆς προσφορᾶς, *panes propositionis* (Neh 10, 34. I Chr 9, 32. Mt 12, 4. Mc 2, 26. Lc 6, 4) [1], quia semper לִפְנֵי יְהוָה *coram Jahve* i. e. arca sacra, cui columna ignis et nubis, praesentis numinis divini symbolum, insidebat, positi erant; quare a Josepho A J 8. 3. 7 ἄρτοι τοῦ θεοῦ et I Sm 21, 7 לֶ֫ קֹדֶשׁ *panis sacer* vocantur. Singuli panes in forma plana ex binis decumis ephae similae triticeae (סֹלֶת חִטִּים Ex 29, 2. καθαρὸν πάνυ τὸ ἄλευρον Jos. A J 3, 6. 6) confecti erant. [2] Seni utrimque, ture lucidissimo (et, ut LXX interpretes ad Lv 24, 7 addunt, sale) [3] conspersi, disponebantur ibique per sex dies usque ad sabbatum relinquebantur atque novis appositis ad sacerdotes redibant [4], cum tus insuper positum adoleretur. Non desunt qui unâ cum panibus libamina quoque mensae sacrae imposita fuisse existiment. Cui tamen opinioni constans Judaeorum fama obstat neque ullum in sacris litteris fundamentum habet. — Lv 24, 5—9.

[1] Paulus apostolus Hebr 9, 2 πρόθεσιν τῶν ἄρτων commemorat.

[2] Panes propositionis coquere ad officium Levitarum pertinebat, qui אומני לחם הפנים artifices panum faciei appellabantur suoque ממונה praefecto parebant. Cf. I Chr 9, 32; 23, 29 (ubi verba Vulgatae „sacerdotes autem" delenda sunt).

[3] Graecis Alexandrinis adstipulatur Philo, De vita Mosis l. 3. opp. II, 151: ἐφ' ἧς ἄρτοι καὶ ἅλες. De vita contempl. ib. 483: ἐφ' ἧς ἄρτοι μὲν τροφὴ, προσόψημα δὲ ἅλες.

[4] Quaesitum est, quo iure David fugitivus a pontifice Achimelech sibi panes propositionis vindicare posset (I Sm 21, 1—6). Certe eos panes comedere nemini licebat nisi sacerdotibus; sed propter periculum vitae profani quoque homines illis vesci poterant, id quod Christus Mt 12, 3 s. diserte docet. Quare David cum in periculo vitae versaretur, iure de illis comedere poterat.

III. Mensa panum propositionis cum mensis et panibus templorum gentilium comparata est. Atque iam Josephus (A J 3, 6. 6) mensam sacram Hebraeorum cum *mensis Delphicis* composuit: Ἐν τῷ ναῷ τράπεζαν ἱδρύεται Δελφικαῖς παραπλησίαν. Praeterea et *pompa* illa *sacerdotum Aegyptiorum* prolata est, quam Clemens Alexandrinus (Strom. 6, 4. MSG 9, 253 s.) describit, de qua etiam οἱ τὴν ἔκπεμψιν τῶν ἄρτων βαστάζοντες (= qui emissos panes portant) memorantur, ita ut τῇ προθέσει τῶν ἄρτων (Hebr 9, 2) aliquid simile reperiri posset, et eae *imagines templorum Aegyptiorum,* quibus clare planeque panes propositionis ostendi dicuntur (F. Creuzer). Alii multos *locos scriptorum veterum* afferunt, unde morem ciborum diis in templis apponendorum late patuisse apparet (E. F. C. Rosenmüller, G. B. Winer, A. Knobel).

At inter eum ritum gentilium et panes propositionis legis Mosaicae nihil commune esse ex eo ipso elucet, quod in gentilium religionibus illi panes deabus a feminis offerebantur. Jeremia 7, 18 dicit Hierosolymis homines omnis aetatis et sexus in parandis sacrificiis, quae falsis diis offerantur, summo studio esse occupatos, omnes ac singulos idolorum cultui esse addictos eumque promovere, feminas farinam subigere et placentas reginae caeli (i. e. lunae) parare. Et 44, 15—19 eae feminae idololatrae ita se defendunt, ut locum Nm 30, 7 respicientes interrogent: „Num sine maritis nostris (i. e. iis nesciis et invitis) fecimus ei (reginae caeli) placentas ad formandam eam?“ Et in epistula Jeremiae v. 29 legimus: Γυναῖκες παρατιθέασι (cibum cf. II Sm 12, 20. II Rg 6, 22) θεοῖς ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς καὶ ξυλίνοις. Illa regina caeli, coniunx Baʿal, Mylitta, muliebris vis generandi erat adversus virilem (Baʿal sive Bêl). Panes autem pompae illius sacerdotum Aegyptiorum panes Isidis sunt, quae adversus Osiridem idem significat quod Mylitta adversus Baʿal: est luna (Plut. De Is. et Os. § 52) eademque mater terrae, quae cuncta e gremio suo gignit, Δημήτηρ (Herod. Hist. 2, 156), et quacum luna intimam rationem habere putabatur. Et huic et Cereri a feminis liba et panes offerebantur, quibus dea ipsa exprimebatur, cum formâ lunae vel cornibus lunae similes essent (cf. Jer 44, 19). Quae omnia

cum nihil aliud nisi muliebrem vim generandi valerent, cum panibus propositionis, qui cum opinionibus religionis Mosaicae propriis cohaerent, conferenda non sunt. Idem in mensas cadit. Macrobius (Saturn. 3, 11) tradit: „In fanis alia vasorum sunt et sacrae supellectilis, alia ornamentorum. Quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur, quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae libationesque et stipes reponuntur". Hieronymus (Comm. in Jes 65, 11. MSL 24, 639) memoriae prodit: „Est in cunctis urbibus, et maxime in Aegypto et in Alexandria idololatriae vetus consuetudo, ut ultimo die anni et mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis et poculo mulso mixtum vel praeteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes". Aristophanes (Plutus v. 676—678) sacerdotem Aesculapii ficus et liba ex mensa sacra rapientem describit: Ὁρῶ τὸν ἱερέα τοὺς φθοὺς ἀφαρπάζοντα καὶ τὰς ἰσχάδας ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς. Ad quem locum scholiastes notat: Εἰσὶ γὰρ τράπεζαι ἐν ἱεροῖς, ἐν αἷς τεθέασι τὰ ἐπιφερόμενα. Babylone in templo Bêl complures erant mensae aureae; in inferiore parte mensa quaedam erat referta cibis deo destinatis, quos sacerdotes cum uxoribus ac liberis clam nocte in suam rem convertebant (Vulg. Dn 14, 10—21. cf. Herod. Hist. 1, 183. Diod. Sic. Bibl. hist. 2, 9). In templo Junonis Populoniae erat angusta mensa, in qua epulae libationesque ponebantur (Macrob. l. c.). Eae mensae omnes ad id unum statutae erant, ut in iis aliquid poneretur; id neque aliud quidquam mensa sacra Hebraeorum cum iis commune habet; ea mensa cum panibus propositionis aliquid religionis Mosaicae proprium est, cui apud ceteras gentes antiquas nihil simile reperitur.

Ex Babyloniorum textibus ritualibus duodecim (vel ter duodeni) panes coram deo collocantur; quos ex minuta farina factos et suaves *(akal mutḫi)* esse oportere traditur; idem nomen habent quod apud Hebraeos: *akalpânu* = לחם פנים. At propterea dici non potest Hebraeos ritum panum Jahvae proponendorum a Babyloniis mutuatos esse; nam respiciendum est panes propositionis non modo in codice sacerdotali, quem plurimi interpretes protestantium aetate demum exsilii Babylonii exstitisse falso iudicant, sed etiam alibi (ut I Sm 21, 5—7) iam Hebraeorum antiquorum fuisse dici. Neque numerus duodenarius panum ad Babylonios referri potest; nam quid valeat, Hebraei iam antiquissimis temporibus cognoverant neque credibile est eos caerimonias idololatriae a se maxime contemptae imitatos esse.

B) Candelabrum aureum

I. Ad latus in meridiem vergens sive ingredienti ad sinistram candelabrum (מְנוֹרָה) positum erat, ex auro purissimo confectum (quam

ob rem מְנוֹרָה הַטְּהֹרָה *candelabrum mundum* vocabatur (Ex 31, 8; 39, 37. Lv 24, 4), pondere unius talenti (Ex 25, 39; 37, 24). Omnes eius partes caelatae (מִקְשָׁה) erant, intus cavae (λυχνία διάκενος Jos. AJ 3, 6. 7). Stabat in basi (יָרֵךְ) [1], ex qua stipes sive hastile (קָנֶה) lineâ rectâ in altum surgebat. Utrimque, aequalibus distantiis, tres calami sive rami lineâ incurvâ in eandem altitudinem, quae stipitis erat, procurrebant. Stipes in quattuor et rami in tribus locis ornati erant variis tuberibus sive nodis ex auro caelatis, qui formam calicum amygdaloidum (גְּבִיעִים מְשֻׁקָּדִים), sphaerularum (כַּפְתֹּרִים), florum (פְּרָחִים) exprimebant et ita dispositi fuisse videntur, ut infra calix, dein sphaerula, denique flos appareret. Septem candelabri extremae partes totidem portabant lampades (נֵרוֹת) aureas, mobiles, purissimo olivarum oleo (שֶׁמֶן זַיִת) [2] implendas, quas sacerdos vesperi accendebat, mane exstinguebat, ut ex locis Ex 27, 21; 30, 7 s. Lv 24, 3. I Sm 3, 3. II Chr 13, 11 apparet [3]. Dimensiones candelabri in sacris litteris non leguntur. Rabbini ei altitudinem trium cubitorum, latitudinem duorum attribuunt (Babyl. Menachoth 28[b]). Omnia vasa, quae ad candelabrum pertinebant (מַלְקָחַיִם *emunctoria*; מַחְתּוֹת *vasa*, in quae cineres et adustae partes ellychniorum colligebantur [4]: כְּלֵי שֶׁמֶן *vasa olei*), aurea erant. — Ex 25, 21—39; 37, 17—24. Nm 4, 9; 8, 2—4.

Candelabrum quo modo in sanctuario positum fuerit, dubitatur. Quidam ramos eius ab oriente ad occidentem se extendisse dicunt, quod omnia vasa aedis sacrae, arcâ foederis exceptâ, iuxta longitudinem domus collocata fuisse tradantur (Bab. Menachoth 98[a]); alii a meridie ad septentriones, quod ita aptius intellegi possit mediam lampada occidentalem esse appellatam.

[1] Quae basis teste Bab. Menachoth 28[b] pedibus (רגלים) instructa erat. S. Jarchi ad Ex 25, 31: „יָרֵךְ est pes inferior candelabri, factus ad formam arcae, et tres pedes alii inde egrediuntur".

[2] Vocatur *oleum olivae*, ut ab aliis oleorum speciebus, ut oleo nucum vel sesamorum, distinguatur. Debebat esse *purum* i. e. olivae tudiculâ tantum in mortario tundendae erant, non molâ conterendae, ne quid impuri ex faecibus traherent.

[3] Ergo illud תָּמִיד *perpetuo* Ex 27, 20 idem est atque *omni tempore debito* vel כל לילה ולילה *unaquaque nocte*, ut S. Jarchi interpretatur.

Josephus quidem AJ 3, 8. 3 dicit sacerdotem mane quattuor lucernas exstinxisse et tres reliquas ardere sivisse; vesperi autem rursum eas quattuor, quas mane exstinxerat, accendisse, ita ut omnes septem lampades per noctem lucerent: ὧν (i. e. τῶν λύχνων) τοὺς μὲν τρεῖς ἐπὶ τῇ ἱερᾷ λυχνίᾳ φέγγειν ἔδει τῷ θεῷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, τοὺς δὲ λοιποὺς περὶ τὴν ἑσπέραν ἅπτοντας. Quod non prorsus certum est; Josephus enim non tabernaculum Mosaicum, sed templum ab Herode exstructum vidit.

Hecateus apud *Jos.* CAp 1, 22 et *Euseb.* Praep. evang. 9, 4. MSG 21, 689 lampades diu noctuque accensas esse affirmat: (In candelabro) φῶς ἐστὶν ἀναπόσβεστον καὶ τὰς νύκτας καὶ τὰς ἡμέρας. Ad quam sententiam responderi potest Mosen lampades noctu lucere iussisse, interdiu lucere non prohibuisse. Potuit igitur temporibus posterioribus in consuetudinem venire etiam interdiu lampades accendere idque imprimis aetate Pharisaeorum, qui fortasse illud תמיד urgebant. Cuius consuetudinis sine dubio iam Salomo ansam dederat, qui in locum unius candelabri decem candelabra substituit (I Rg 7, 49). Neque mirum est Pharisaeos eam consuetudinem ipsi Salomo adscripsisse, cum Josephus AJ 8, 3. 7 memoriae tradat: (Salomo) λυχνίας μυρίας (!) ἐποίησε κατὰ τὴν Μωυσέος προσταγήν, ἐξ ὧν μίαν ἀνέθηκεν εἰς τὸν ναόν, ἵνα καίηται καθ' ἡμέραν ἀκολούθως τῷ νόμῳ.

Apud Judaeos fama obtinet lucernam mediam, quae occidentalis appellabatur, semper arsisse idque non ad collustrandum sanctuarium, sed ob dignitatem arcae foederis atque Jahvae honorandi causâ, qui super arcam se praesentem exhibebat. Hier. Joma 43^c memoriae traditur illam lucernam quadraginta annis ante vastatum templum exstinctam esse.

Ceterum per diem sanctuarium lumen solis recipiebat idque aut submoto velo, cum sacerdotes ingrediebantur, aut, ut Josephus AJ 3, 6. 4 dicit, per spatium, quo velum a terra distabat.

[4] Vulgata Ex 25, 38; 37, 23: „ubi, quae emuncta sunt, exstinguantur". Quibus verbis Graecorum ὑποθέματα conversa esse videntur, quo vocabulo quin vasa ad ea, quae emuncta sunt, suscipienda significentur, vix est dubium.

II. In cultu gentilium quidquam simile candelabri aurei in tabernaculo Mosaico positi non reperitur. Etsi enim in nonnullis templis ignis perpetuus alebatur, tamen manifestum est eum ignem, quae imago dei ipsius est, cum lumine candelabri illius, quod erat signum mentis Jahvae homines illustrantis et sanctificantis, minime conferendum esse. Velut in templo Vestae ignis perpetuus alebatur. Quod templum Plutarchus (Numa 11) pro imagine universi habet, in cuius media parte secundum doctrinam Pythagoricorum focus ignis sit: τὸ σχῆμα τοῦ σύμπαντος κόσμου, οὗ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἱδρῦσθαι νομίζουσιν. Praeterea ille dies festus allatus est, qui Neith deae Aegyptiae in urbe Sais (hodie ruinarum locus prope vicum Sâ el Haggar situs) celebrabatur, quo noctu multae lampades sub divo incendebantur, ut λυχνοκαΐη i. e. accensio lucernarum appellaretur (Herod. Hist. 2, 62). At hîc ne vestigium quidem similitudinis cum uno illo lumine, quod in sacrario Mosis ardere non desinebat, deprehenditur. Quod autem Plinius (Hist. nat. 34, 8) tradit: „Placuere et lychnuchi pensiles in delubris aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo", id multo posterioris est aetatis quam

Mosaicae, ut ad candelabrum tabernaculi foederis referri non potest, cui neque formâ neque vi tota antiquitate usquam simile quidquam exstat.

C) Altare thymiamatis

I. In medio sanctuario et quidem ante velum sanctissimi erat altare thymiamatis (מִזְבַּח מִקְטַר קְטֹרֶת Ex 30, 1. al. מִזְבַּח קְטֹרֶת Lv 4, 7. al.) [1], lignis acaciarum constructum, duo cubita altum, unum longum et latum, in quattuor angulis cornibus ornatum et totum laminis aureis obductum. Quare etiam מִזְבַּח הַזָּהָב *altare aureum* (Ex 39, 38; 40, 5. 26. Nm 4, 11) atque altari victimarum oppositum a rabbinis מִזְבַּח הַפְּנִימִי *altare interius* vocatur. Eius superficies (גַּג) [2] limbo sive coronâ (זֵר) aureâ cincta erat et ad duo latera aequali distantiâ gemini anuli aurei erant affixi, quibus perticae auro obductae inserebantur ad altare commode portandum. — Ex 30, 1—6; 37, 25—28.

[1] A Graecis Alexandrinis vocatur τὸ θυσιαστήριον (τοῦ) θυμιάματος Ex 30, 1. 27. Lv 4, 7. τὸ θυσιαστήριον τῶν θυμιαμάτων I Chr 6, 49; 28, 18. II Chr 26, 16. 19. τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν Ex 40, 5. 24. al. τὸ θυσιαστήριον Lv 16, 20. al., apud Josephum (BJ 5, 5. 5) et Philonem (De vita Mosis l. 3. opp. II, 149) etiam θυμιατήριον.

[2] Pro vocabulo גג Vulgata habet „craticulam", sicut LXX interpretes τὴν ἐσχαρίδα vel secundum codicem Vaticanum τὴν ἐσχάραν = cratem. Consentit Josephus AJ 3, 6. 8. Sed neque vocabulum גג cratem sive craticulam significat neque altare suffitus eam habebat. Unde locis Ex 30, 3; 37, 26 Vulgatam corrigendam esse censeo.

Errant Origenes (Hom. 9. in Ex. § 3. Hom. 9. in Lv. § 9. MSG 12, 364. 521), Augustinus (Quaestt. in Heptateuch. l. 2. qu. 133 et 136. MSL 34, 642 s.), Rupertus Tuitiensis, Oecumenius, A. Montanus, C. Sigonius, complures interpretes recentioris aetatis, qui altare thymiamatis *intra* sanctissimum fuisse contendunt. Nam id *extra* sanctissimum fuisse ex loco Ex 30, 20 apparet, ubi simplices quoque sacerdotes, quibus sanctum sanctorum ingredi nefas erat, ad illud accessisse dicuntur. Atque etiam Lc 1, 9 Zacharias, qui ex octava sacerdotum classe erat (ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά ib. v. 5), ministerium suffitum adolendi obisse dicitur. Idem Josephus quoque AJ 3, 6. 8 testatur.

Imprimis verba Pauli apostoli Hebr 9, 3 s: σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον interpretes vehementer vexaverunt. Atque putabant vocabulo θυμιατήριον altare thymiamatis significari, cuius apostolus v. 2, ubi vasa sanctuarii enumerat, mentionem non facit. Dicunt enim apostolum propterea iure meritoque altare aureum tamquam aliquid cum sancto sanctorum coniunctum considerare, quod etiam Ex 26, 35 inter

res, quae in sanctuario inveniuntur, mensa tantum et candelabrum nominentur atque alii sacrarum litterarum loci, ubi de hoc altari agitur, velut Ex 30, 6; 40, 5. 26., eius locum in obscuro relinquant atque secundum LXX ita verti possint, ac si altare aureum ante ipsam arcam foederis positum fuerit, imprimis autem quod apostolus loco I Rg 6, 22 (ubi altare turi cremando destinatum הַמִּזְבֵּחַ אֲשֶׁר־לִדְבִיר dicitur, quod Graeci Alexandrini convertunt: θυσιαστήριον κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβίρ) adduci potuerit, ut crederet altare aureum re vera ante arcam foederis stetisse.

Contra hanc autem sententiam dicimus haec: Etsi negari non potest a Josepho (BJ 5, 5. 5. AJ 3, 6. 8) et Philone (Quis rer. div. her. sit, opp. I, 504) de ara suffitus vocabulum θυμιατήριον usurpari, LXX interpretes tamen eam semper vocant θυσιαστήριον; quocirca etiam apostolo loco vocabuli θυμιατήριον vocabulum θυσιαστήριον eligendum erat, si altare thymiamatis intellexisset; porro vocabulo θυμιατήριον, si altare significare voluisset, articulus ei praeponendus erat, sicut ceteris rebus, quae in sanctuario erant, praeposuit; denique ex Mose, Josepho, Philone, rabbinis constat altare suffitus non in sanctissimo, sed in sanctuario collocatum fuisse.

Rectius igitur complures viri docti θυμιατήριον de turibulo aureo (מַחְתָּה) interpretantur, quod teste Lv 16, 12 pontifex die sollemnis expiationis secum in sanctissimum ferebat quodque haud dubie ibi semper asservabatur.

Quod autem apostolus, si θυμιατήριον turibulum significat, altaris suffitus nullam mentionem facit, apostolus ipse v. 5 fatetur se de supellectile sacra κατὰ μέρος *per singula* dicere nolle.

Adnotatio. — Altare(?) fictile ad odores adolendos destinatum, quod in *Tell Taʿannek* inventum est, circa annum a. Ch. n. septingentesimum factum est et mensuris cum praeceptis Ex 30, 2 de Hebraeorum altari ad adolendum thymiama faciendo paene congruit. Quo demonstratur apud Hebraeos mobilia quoque altaria eius modi usitata fuisse. Quod igitur Mesa, rex Moabitarum, memoriae tradit se focum dei *(Arʾel)* ex terra Hebraeorum asportasse (Inscr. Mesae l. 12 et 17), nunc scimus, quo modo is nobis cogitandus sit. Ceterum videas E. Sellin, Tell Taʿannek 76—78. 109—111. tab. XII et XIII.

II. In hoc altari bis cottidie, et mane et vespere, ut sacrificium perpetuum thymiama (קְטֹרֶת LXX θυμίαμα) offerebatur, quod arte pigmentarii (רֹקֵחַ) e quattuor aromatibus (סַמִּים LXX ἡδύσματα) compositum erat: e *resina styracis* (נָטָף LXX et Vulg. στακτή); *ungue odorato* (שְׁחֵלֶת LXX et Vulg. ὄνυξ i. e. testa conchylii, quod in mari rubro et ad litora Arabiae invenitur, operculo purpurae similis atque odoris suavissimi); *galbano aromatico* (חֶלְבְּנָה סַמִּים LXX χαλβάνη ἡδυσμοῦ), quod ex suco stirpis cuiusdam (ferulae erubescentis?) paratur; *turo lucidissimo* (לְבֹנָה זַכָּה LXX λίβανος διαφανής), quod ex arbore turifera sua sponte profluit[1]. Ex Sir 24, 15 apparet ad thymiama alia quoque aromata adhibita esse: κιννάμωμον, quod ex libro sive cortice interiore ramorum arboris paratur, quae *Laurus cinnamomum* L. vocatur; ἀσπά-

λαθος ἀρωμάτων i. e. „spina candida, magnitudine arboris modicae, flore rosae, cuius radix unguentis expetitur“ (Plin. Hist. nat. 12, 52); σμύρνα ἐκλεκτή i. e. resina sua sponte e trunco ramisque arboris emanans, quae *Balsamodendron myrrha* L. appellatur. A talmudistis (Babyl. Kerithoth 78[a]. Hieros. Joma 41[d]) quattuor aromatibus, quae in libro Exodi enumerantur, haec septem alia adduntur: מוֹר *myrrha;* קְצִיעָה *cassia;* נֵרְד *nardus* (Sanscr. *nalada,* Pers. et Arab. *nârdîn, nardîn*); כַּרְכֹּם, talmud. כּוּרְכְּמָא, *Crocus sativus* L. vel *Curcuma longa* L. (Sanscr. *kunkuma*); קִנָּה *calamus aromaticus;* קִנָּמוֹן *cinnamomum;* קוֹשְׁטְ, κόστος, *Costus arabicus* L. Quare rabbini thymiama אחד עשר סממנין *undecim aromata* vocant (Midrasch schir haschirim 12[d]; 21[c]). Etiam Josephus BJ 6, 8. 3 memoriae prodit in templo κιννάμωμον, κασσίαν, alia aromata asservata esse et ib. 5, 5. 5 de tredecim aromatibus incensi sacri loquitur[2]. Praeterea thymiama *sale conditum* (מְמֻלָּח), ab omni aliena substantia *purum* (טָהוֹר) et *sanctum* (קֹדֶשׁ) i. e. soli cultui divino reservatum esse necesse erat. Unde Jahve apud Ez 16, 18 id קְטָרְתִּי *thymiama meum* vocat. — Ex 30, 7 s. 34—38.

[1] A. Knobel testatur se suffimentum, quale a Mose describitur, miscuisse et odorem fortem, vires recreantem, iucundum sensisse.

[2] Similis incensi sacri compositio apud Aegyptios in usu erat, qui celeberrimum illud incensum nomine *kyphi,* quod ex sedecim aromatibus mixtum erat, offerebant. Cf. V. Loret, Le Kyphi, parfum sacré dans anciens Égyptiens (Journal asiatique VIII. sér. t. X. 1887, 76—132).

Ceterum suffimenta apud alias quoque gentes usitata fuisse sacrae litterae tradunt, velut apud Babylonios (Jes 65, 3) et Phoenices (Hos 2, 15. Jer 7, 9).

III. Cum in gentilium quoque religionibus altaria incensi inveniantur (ut in pronao templi Mylittae Babylone, reginae caeli [Aphrodites] Paphi, Aphrodites Hierapoli in Phrygia), quaeritur, quae ratio inter ea et altare incensi Mosis intercedat. In qua re respiciendum est deam fuisse, cui in iis altaribus sacra incruenta fiebant. Velut Mylitta est coniunx Bêl sive Baal; quare etiam Beltis sive Baaltis appellatur. Bêl est rex caeli, Mylitta regina caeli; ille est deus solis, haec dea lunae. Deo solis sacra cruenta fiebant, deae lunae sacra incruenta, quod in religionibus, quibus res naturales ut dii colebantur, luna imprimis ad herbas pertinere videbatur, ex quibus suffimenta sumuntur. Quare illa altaria incensi gentilium prorsus ad aliam rem spectant atque altare incensi Mosis.

Adnotatio. — In sanctuario etiam קֶרֶן הַשֶּׁמֶן *cornu olei* asservatum esse videtur, quod Sadok, pontifex maximus, ex tabernaculo sumpsisse dicitur,

ut Salomo regem ungeret (I Rg 1, 39), nec non codex, in quo Samuel מִשְׁפַּט הַמְּלוּכָה *ius regni* descripserat (I Sm 10, 25).

Caput quartum

De supellectile sanctissimi

De arca foederis conferas F. Seyring, Der alttestamentliche Sprachgebrauch inbetreff des Namens der sogenannten „Bundeslade“ (ZAW XI, 1891, 114—125); L. Couard, Die religiös-nationale Bedeutung der Lade Jahwes (ib. XII, 1892, 53—90); J. Meinhold, Die „Lade Jahves“. Tübingen 1900 (cf. St Kr 1901, 593—617); W. Lotz, Die Bundeslade. Erlangen—Leipzig 1901; M. Dibelius, Die Lade Jahves. Göttingen 1906; H. Gunkel, Die Lade ein Thronsitz. Heidelberg 1906; K. Budde, War die Lade Jahwes ein leerer Thron? (St Kr 1906, 489—507. cf. ZAW XXI, 1901, 193—197); F. Hommel, The Ark of Jahweh (Exp T XVIII, 155—158); W. B. Stevenson, Was the Ark Jehovah's Throne? (ib. 379 s.); Johannes, Die Bundeslade und ihre Geschichte (Theol.-prakt. Monats-Schrift XXIII, 1913, 495—507. 533—555).

I. In sanctissimo, in quod nullus lucis radius penetrabat, praestantissimus gentis Hebraicae thesaurus asservabatur, i. e. arca (אָרוֹן cf. Arab. *'irânun*, Assyr. *arânu*), quae in sacris litteris variis appellatur nominibus. Dicitur 1) *arca legis* (א׳ הָעֵדוּת LXX κιβωτὸς τοῦ μαρτυρίου, Vulg. *arca testimonii* Ex 25, 22; 26, 33 s; 30, 6. 26; 39, 35; 40, 3. 5. 21. Nm 4, 5; 7, 89. Jos 4, 16), quia tabulas legis (לֻחֹת הָעֵדוּת LXX πλάκες τοῦ μαρτυρίου, Vulg. *tabulae testimonii* Ex 31, 18; 32, 15; 34, 29) continebat. — 2) *arca foederis* sive *testamenti* (א׳ הַבְּרִית Jos 3, 14. א׳ בְּרִית־יְהוָה Nm 10, 33; 14, 44; Dt 10, 8; 31, 9. 25 s. II Chr 6, 11. א׳ בְּרִית הָאֱלֹהִים II Sm 15, 24. LXX et Hebr 9, 4 κιβωτὸς τῆς διαθήκης). quia lex, quam asservabat inclusam (לֻחֹת הַבְּרִית Dt 9, 9. 11. 15., LXX Dt 9, 9. 11 et Hebr 9, 4 πλάκες τῆς διαθήκης, LXX Dt 9, 15 αἱ δύο πλάκες τῶν μαρτυρίων, Vulg. *tabulae pacti* sive *foederis*), erat testimonium foederis et ipsa arca signum adspectabile foederis inter deum et gentem Hebraicam initi. — 3) *arca Jahvae* vel *dei* (א׳ יְהוָה LXX κιβωτὸς κυρίου Jos 4, 11; 6, 6 s. 11—13; 7, 6. I Sm 4, 6; 5, 3 s; 6, 2. 8. 11. 15. 19. 21. II Sm 6, 9. 11. 15. 17. א׳ (הָ)אֱלֹהִים LXX κιβωτὸς τοῦ θεοῦ I Sm 3, 3; 4, 11. 13. 17—19. 21 s; 5, 1. 10. II Sm 6, 2 s. 6. 12; 7, 2; 15, 24 s. 29. א׳ אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל LXX κιβωτὸς τοῦ θεοῦ Ἰσραήλ I Sm 5, 7 s. 10. s; 6, 3), quia thronus occulti dei erat.

Ceterum etsi arca foederis apud Hebraeos summae erat dignitatis et venerationis, tamen proprio dei nomine יהוה nusquam significatur, id quod nonnulli ex Iudaeis et Sociniani contenderunt. Pro qua opinione com-

plures sacrarum litterarum locos (velut Ex 16, 33. Nm 10, 35. I Sm 4, 7. II Sm 6, 2. Ps 24, 7—10; 47, 6; 132, 8) attulerunt. Sed accurata eorum interpretatio docet nusquam nomen יהוה arcae soli tribui, sed deum significare, qui super operculum arcae in nube apparebat.

II. Arca e lignis acaciarum fabricata, duo cubita cum dimidio longa, unum cubitum cum dimidio lata et alta, intus et foris auro purissimo obducta atque totus circuitus partis eius superioris limbo aureo (זֵר זָהָב)[1] ornatus erat. In quattuor angulis erant anuli aurei, quibus duo vectes (בַּדִּים LXX bene ἀναφορεῖς = gestatoria) lignei auro obducti inserebantur, quorum ope arca in itinere portari posset[2]. — Ex 25, 10—16; 37, 1—5.

[1] Graeci Alexandrini reddunt κυμάτια χρυσᾶ στρεπτά = cymatia aurea tortilia. Κυμάτιον proprie parvam undam significat. In columnis eo nomine suprema pars capituli (Kehlleiste, Kehlstoß) vocatur (Vitruv. De architectura 3, 3, 15). Voluit igitur interpres Graecus haud dubie ornamentum quoddam prominens significare. Hieronymus „coronam" interpretatur, quia superiorem arcae partem ad modum coronae cingebat.

[2] Qui vectes secundum clarum dei mandatum numquam dimovendi erant (Ex 25, 15). Cui praecepto refragari videtur, quod Nm 4, 6 vectes, cum castra moverentur, ad portandum aptari dicuntur (שָׂמוּ בַדָּיו). Sed verisimile esse videtur verba allata ex Nm 4, 8. 11. 14 in v. 6 irrepsisse, antiquissimo utique tempore, cum ea in omnibus textibus nunc deprehendantur.

Arcae impositum erat operculum (כַּפֹּרֶת)[1] ex auro puro factum, eiusdem longitudinis et latitudinis atque arca. Utrumque latus duo cherubim (כְּרוּבִים)[2] ornabant, vel stantes vel sedentes, ex auro ducti, facie inter se conversâ simulque paululum ad operculum inclinatâ. Eorum alae super operculum expansae erant formabantque thronum dei regis (I Sm 4, 4. II Sm 6, 2. II Rg 19, 15. Jes 37, 16. Ps 18, 11; 80, 2; 99, 1. Dn 3, 55 Vulg. I Chr 13, 6), ut arca esset eius scabellum (Ps 99, 5; 132, 7. Thrn 2, 1. I Chr 28, 2)[3]. — Ex 25, 17—20; 37, 6—9.

[1] Vocabulum כפרת derivari potest a כָּפַר *texit* (hinc Josephus AJ 3, 6. 5 ἐπίθεμα, *superpositum* supra arcam) vel a כִּפֶּר crimen *expiavit, placavit, propitium reddidit* (unde Hebr 9, 5 et LXX omnibus locis ἱλαστήριον [bis utramque nominis originationem simul exprimentes ἱλαστήριον ἐπίθεμα, *propitiatorium operculum* verterunt Ex 25, 16; 37, 6], Syrus *ḥûsâjâ*, Vulgata *propitiatorium*). Atque si ad usum eius attendas, כפרת utramque habet significationem, cum et arcam tegeret et typico expiationis sanguine aspergeretur, quo Jahve, qui super arcam sedem constituerat, cum populo reconciliaretur.

[2] Forma cherubim Hebraeorum neque ex descriptione, quam in libro Exodi legimus, clare cognoscitur neque ex originatione vocabuli

כְּרוּב certo efficitur. Adhuc nemini contigit, ut satis explicaret, unde id vocabulum ductum esset. Postquam tauros alatos Assyriorum *kirûbi* appellatos esse asseveratum est (F. Lenormant, Les origines de l'histoire I, 118), manifestum esse videbatur cherubim ex Assyria ortos esse. At postea apparuit in inscriptionibus cuneatis nomen Hebraico *kᵉrûb* respondens neque de tauris et leonibus alatis neque de imaginibus (partim hominum partim bestiarum) alatis, quae ab utroque latere arboris sacrae adspiciuntur, demonstrari posse (H. Zimmern KAT³ 529 s. 632 s.). Quod non ita compensari potest (id quod H. Gunkel, Die Genesis³ 25 putat), ut in inscriptionibus Assyriis, quae Susis inventae sunt, tauris illis alatis nonnumquam nomen *karibâti* attributum sit. Cum verbum Assyrium *karâbu* favere, studium praestare, venerari valeat, vocabulo *kᵉrûbîm* tales spiritus significati esse possunt, qui vel hominibus faveant vel deum venerentur. Frd. Delitzsch autem (Assyrisches Handwörterbuch 352ᵃ) aliam originationem praefert. Ex eius opinione adiectivum Assyrium *karûbu* sive *kurûbu* magnum, potentem valet, ut vocabulo *kirûbu* dii Assyriorum Babyloniorumque formâ tauri induti magni potentesque dii appellentur. Quod si verum est, *kᵉrûbîm* magni, potentes intellegi possunt (cf. tamen A. Dillmann, Die Genesis⁴ 81. J. Nikel, Genesis und Keilschriftforschung 160 s.). Alii, imprimis B. Meissner et M. Kmoskó, vocabulum *kᵉrûbîm* cum nomine *kuribê* coniungunt, quo in inscriptione quadam regis Asarhaddon, quae in Aššur (hodie Kalʿa Serkat) inventa est, genii significantur, qui (ut ii, qui *lamassê*, *šedê*, *lamassê* appellantur) introitum templorum et domorum regiarum ornavisse videntur; vocabulum *kurib* originis esse Sumericae (*ku*+*rib* = splendidus staturâ). Etiam E. König (Hebräisches und aramäisches Wörterbuch zum alten Testament 188ᵃ) vocabulum *kᵉrûb* speciem splendidam, „Glanzerscheinung" valere iudicat. Quae explicatio ceteris multo verisimilior videtur. Inde etsi forma cherubim colligi non potest, tamen omnes locos librorum divinorum, ubi eorum mentio fit, consideranti dubium non est, quin potissimum formâ hominis fuerint, id quod ex eo ipso elucet, quod homo solus ex omnibus rebus creatis imaginem dei refert, cherubim autem homine non humiliorem, sed altiorem gradum in rebus creatis tenent. Etiam in visionibus prophetae Ezechiel et scriptoris Apocalypsis cherubim, quamvis eorum forma mire composita sit, tamen praecipue formâ hominis sunt. Eorum species Ez 1, 5 his verbis describitur: דְּמוּת אָדָם לָהֵנָּה forma hominis iis erat, quamquam unumquodque quattuor חַיּוֹת animantium quaternas facies habet, hominis, leonis, tauri, aquilae (v. 6. 10). Neque ex Ez 10, 14 collato cum 1, 10 taurina forma cherubim colligi potest; nam si 10, 14., ubi פְּנֵי הַכְּרוּב pro פְּנֵי שׁוֹר 1, 10 legitur, verba incorrupta sunt, propter articulum ipsum ante כרוב positum id vocabulum appositum tauri intellegendum est. Neque verba פני הכרוב taurinam formam cherubim significare possunt, id quod *H. Grotius, S. Bochart, J. Spencer,* alii existimant. Immo vero ex Ez 1, 5 totaque cherubim in Ez cc. 1 et 10 descriptione apparet eos instar hominum formatos fuisse. Ex Apc 4, 7 primum ζῷον leonis, secundum vituli simile est, tertium os hominis refert, quartum ad similitudinem aquilae volantis accedit. Quod de tertio ζῴῳ non ὅμοιον ἀνθρώπῳ, sed ἔχον τὸ πρόσωπον ὡς ἀνθρώπου dicitur, efficitur ceterorum similitudinem cum leone, vitulo, aquila ad os solum spectare, ita ut ea ore solo

hominis dissimiles fuerint, humana autem forma corporum omnium communis fuerit. Si autem cherubim praecipue humanâ erant formâ, eos sphingibus Aegyptiis vel alatis bestiarum compositionibus, quales in Aegypto atque in Assyriorum et Babyloniorum monumentis inveniuntur, assimilatos esse dici non potest. Sunt tamen qui existiment, quamquam cherubim apud Ezechiel potissimum forma hominis, simulacris illis alatis gentilium forma bestiarum attribuenda sit, nihilo minus inter ea tot similitudines intercedere, ut simulacra illa alata saltem aliquid ad Ezechiel pertinuisse existimanda sint, idque eo magis, quod visio prophetae in Babylonia contigerit *(J. Knabenbauer, F. Sawicki)*. Quod quin probetur, si solidis argumentis confirmatur, nihil obstat, quippe cum religio revelata in formis suis alias religiones sequi possit.

Ceterum conferas E. C. A. Riehm, De natura et notione symbolica cheruborum. Basileae et Ludoviciburgi 1864. Die Cherubim in der Stiftshütte und im Tempel. Gotha 1871. — L. Reinke, Die Cherubim der heiligen Schrift, (Beiträge zur Erklärung des alten Testamentes VIII, 59—85). — J. Nikel, Die Lehre des alten Testaments über die Cherubim und die Seraphim. Breslau 1890. Genesis und Keilschriftforschung 155—161. — J. Petersen, Cherubim. Gütersloh 1898. — M. Kmoskó, Kerub und kurib (BZ XI, 1913, 225—234).

[3] Jes 60, 13 verba מְקוֹם רַגְלַי *locus pedum meorum* (dei) integrum templum significare videntur.

III. In arca praeter duas tabulas lapideas, quibus decem leges, fundamenta religionis et reipublicae Hebraeorum, ipsius dei digito inscriptae erant (Ex 25, 16. 21; 32, 15 s; 34, 1. 28; 40, 20. Dt 10, 4 s. I Rg 8, 9 = II Chr 5, 10)[1] etiam asservabatur vas (צִנְצֶנֶת)[2] mannâ plenum ad perennem caelestis huius cibi populo in deserto commoranti divinitus concessi memoriam conservandam (Ex 16, 33) et virga, quae floruerat, ut significaretur Aaron eiusque domui sacerdotium a deo tributum esse (Nm 17, 16–26). Atque Paulus apostolus Hebr 9, 4 de arca expresse testatur: ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης. Quibus verbis aperte repugnare videtur locus I Reg 8, 9: אֵין בָּאָרוֹן רַק שְׁנֵי לֻחוֹת הָאֲבָנִים *In arca nihil erat aliud nisi duae tabulae lapideae* (cf. II Chr 5, 10), quocum Josephus AJ 8, 4. 1 consentit: Εἶχε ἡ κιβωτὸς οὐδὲν ἕτερον ἢ δύο λιθίνας πλάκας. Cui difficultati sacrarum litterarum interpretes varie occurrunt. Atque sunt qui illud ἐν ᾗ *in qua* non ad proximius τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης (v. 4), sed ad remotius τὴν σκηνήν (v. 3) referant, ut apostolus dicat in tabernaculo secundo, quod τὰ ἅγια ἁγίων vocatur, etiam urnam mannae et virgam Aaron fuisse idque *ante* arcam, tabulas autem lapideas *in* arca. Cui tamen interpretationi obstat, quod de eadem (non σκηνῇ, sed) κιβωτῷ immediate v. 5 dicitur: ὑπεράνω δὲ αὐτῆς Χερουβὶμ δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον. Unde etiam verba,

quae praecedunt, ad arcam referenda sunt. Alii dicunt illud ἐν ᾗ ab apostolo non proprie pro *in qua* vel *intra quam,* sed ex consuetudine Graecorum et Judaeorum sermone Graeco utentium (qui ἐν pro ב substituere solebant) latius pro *cum* accipi (ut etiam v. 25 ἐν αἵματι = *cum sanguine)*[3], quod videlicet urna aurea et virga Aaron non intra arcam fuerint, sed unâ *cum* arca, *ad* vel *iuxta* arcam. At videtur esse non probabile illud ἐν in uno eodemque contextu sermonis aliam atque aliam habere vim, ut et *intra* et *prope* vel *cum* valeat; immo vero, si verba: ἐν ᾗ . . . αἱ πλάκες τῆς διαθήκης significent tabulas foederis *intra* arcam fuisse, ἐν ᾗ non aliter intellegi potest, ubi de manna et virga Aaron agitur. Rursus alii tempora distinguunt atque tabulas legis, urnam cum manna et virgam Aaron eo tempore *intra* arcam fuisse dicunt, de quo apostolus scribit i. e. quo tentorium Mosaicum in itinere per deserta Arabiae portari necesse erat; tunc enim, cum locus ad ea collocanda aptus non esset, quoniam tentorium vagum et instabile erat, urna aurea et virga florens unâ cum tabulis decalogi *in* arca reponenda erant; postea autem cum templum sive stabile arcae foederis domicilium exstructum esset et in sacrario capaciora repositoria ad ea asservanda essent, tunc solam legem *intra* arcam mansisse, reliqua autem *iuxta* illam sive *ad* eius latus reposita esse contendunt. Quae sententia probari potest. Apostolus igitur de statu tentorii Mosaici ambulatorio loquitur, cum loco ex primo libro regum allato de templo stabili agatur. Sic neutri textui vis infertur.

[1] Quare arca a Philone (De vita Mosis l. 3. opp. II, 150) ἀγγεῖον νόμων *receptaculum legis* vocatur. Josephus (AJ 3, 5. 8; 3, 6. 5) et Philo (De decalogo, opp. II, 188) singulis tabulis unam tribuunt pentaden (5 + 5). Alii, ut omnes fere theologi scholastici, ob sanctitatem numerorum 3 et 7 tria priora praecepta, quae ad deum spectant, tabulae primae, septem posteriora, quae de officiis erga homines agunt, tabulae secundae inscripta fuisse existimant.

Praecepta decalogi Ex 20, 2—17 et Dt 5, 6—21 legimus. Tertia quaedam forma inventa est in papyro, cui nomen *Nash* inditur, ab eo viro, qui eam anno 1902 acquisivit et Anglicae societati archaeologiae biblicae proposuit. Quod folium a viris criticis ad primum aerae Christianae saeculum refertur. Cf. N. Peters, Die älteste Abschrift der zehn Gebote, der Papyrus Nash. Freiburg 1905.

Ut Hebraei tabulas legis in arca sacra servabant, ita aliae gentes antiquae tabulas publicas magni momenti in templis deponere solebant, ut libros Sibyllinos in Capitolio (Dionys. Halicarn. Antiqu. Rom. 4, 62). Id quoque respiciendum est in Aegypto veteres libellos sub pedibus simulacrorum deorum depositos esse (cf. J. Herrmann, Aegyptische Analogien zum Funde des Deuteronomiums. ZAW XXVIII, 1908, 291 ss. 299; S. Euringer, Die aegyptischen und keilinschriftlichen Analogien zum

Funde des Codex Helciae. BZ IX, 1911, 230—243. 337—349. X, 1912, 13—23).

[2] Vocabulum צנצנת (ἅπαξ λεγόμενον Ex 16, 33) Onkelos reddit צלוחית *scutella,* Ibn'Esra autem exponit כלי חרס או נחשת *vas testaceum vel aeneum.* Graeci Alexandrini vertunt στάμνον χρυσοῦν, *urnam auream.* Philo (De congr. erudit. grat. opp. I, 533) scribit: τῆς οὐρανίου καὶ θείας τροφῆς τὸ μνημεῖον· ἐν στάμνῳ χρυσῷ καθιεροῦτο. Praeterquam quod haec interpretatio etiam auctoritate apostoli (Hebr 9, 4) defenditur, iam ratio ipsa docet vas aureum potius quam testaceum vel aeneum ad servandam mannam adhibitum esse. Ut ex nummis veteribus colligitur, etiam duabus ansis instructum erat. Atque cum Graeci tale vas ὄνον asinum appellarent, calumnia illa orta esse videtur Hebraeos in adyto *asinum* coluisse.

[3] Conferas LXX Gn 32, 10: ἐν τῇ ῥάβδῳ μου (Hbr. v. 11: בְּמַקְלִי); II Sm 23, 21: ἐν ῥάβδῳ (Hbr. בְּשִׁבְטוֹ); Ps 22, 5: ἐν ἐλαίῳ (Hbr. 23, 5: בַּשֶּׁמֶן); Sir 45, 15: ἐν ἐλαίῳ (Hbr. בשמן); Mt 3, 11: βαπτίζω ἐν ὕδατι. Item loquendi formulas: ἵπποι ἐν πτεροῖσιν, *sequi in hastis, occurrere in iaculis,* quas apud Pindarum, Ennium, Vergilium legimus.

Ad latus arcae (מִצַּד אָרוֹן) *autographum pentalogi Mosis* sive thorae, quae proprie dicitur et probabiliter Dt 6, 1—7, 11 continetur, reponebatur (Dt 31, 26). Super arcam, inter alas cherubim illustre gratiosae praesentiae divinae symbolum apparebat i. e. עָנָן *nubes* (Ex 40, 36 s. Lv 16, 2. I Rg 8, 10. 12. II Chr 5, 13 s.), unde summus sacerdos divina accipiebat oracula. Haec Jahvae in nube lucida manifestatio a Judaeis posterioris aetatis שְׁכִינָה, Aram. שְׁכִינְתָּא *inhabitatio* vocabatur (cf. Ex 24, 16: „et habitavit gloria Jahvae").

Vocabulo ענן omnes fere interpretes et Judaei et Christiani nubem illam intellegunt, quae Hebraeis in itinere ex Aegypto in terram Canaan viam monstrasse narratur (Ex 13, 21. Nm 14, 14. Dt 1, 33. Neh 9, 19). Quam sententiam reicientes nonnulli (inter quos *Ch. G. Thalemann, G. B. Winer, C. Ch. W. Bähr, G. H. A. Ewald*) eo vocabulo nubem sive fumum suffitus, quem summus sacerdos die expiationis sanctissimum ingrediens excitare debuit, significare existimarunt.

Atque Lv 16, 2 Jahve Mosi praecipit: „Loquere ad Aaron, fratrem tuum, ne omni tempore introeat in sanctuarium, intra velum coram propitiatorio, quod super arcam est, ne moriatur, כִּי בֶעָנָן אֵרָאֶה עַל־הַכַּפֹּרֶת *nam in nube conspiciar super propitiatorio".* Graeci Alexandrini ita verterunt: ἐν γὰρ νεφέλῃ ὀφθήσομαι ἐπὶ τοῦ ἱλαστηρίου. Eodem modo Onkelos, Ps. Jonathan, Syrus, uterque Arabs verba Hebraica reddiderunt. Contra Ch. G. Thalemann (Tractatus de nube super arca foederis. Lipsiae 1771) ea interpretatus est: „sed in conspectum meum veniet (summus sacerdos die expiationis) cum nube, quam excitet super propitiatorio". Nam ארא valere ait *videbit me, in conspectum meum veniet;* כי praecedente negatione significare *verum, sed;* ענן vocari fumum ex suffitu, qui die expiationis in sanctissimo adolebatur. Unde verbis Hebraicis hanc sententiam subiectam esse censet: Aaron non irreverenter coram me compareat; nam moreretur,

si hoc auderet; verum in nube fumi ex suffitu, quae propitiatorium tegat, conspiciar. Sed respiciendum est Hebraico usu loquendi minime admitti verba בענן ארא על־הכפרת vertere: *in conspectum meum veniet cum nube;* nam haec sententia Hebraice ita exprimenda erat: בֶּעָנָן עַל־הַכַּפֹּרֶת יֵרָאֶה אַהֲרֹן *in nube super propitiatorium videbit me Aaron.* Praeterea si Moses hîc nubem sive fumum suffitus intellegi voluerit, dubium esse vix potest eum scriptum fuisse בֶּעָנָן הַקְּטֹרֶת, ut v. 13. Denique cum Moses, qui inde a versu 3 exponit, quae caerimoniae a summo sacerdote die expiationis peragendae sint, versu demum 12 ad suffitum in sanctissimo faciendum veniat, minime credibile est eum iam versu 2 illius suffitus mentionem facere.

Adnotatio. — Sunt qui putent *duas arcas* fuisse, unam, quae in tabernaculo Mosaico fuerit, alteram, quae exercitum praeierit; illam, in qua integrae tabulae legis erant, semper in tabernaculo fuisse, alteram, in qua tabulae fractae erant, exercitum praeiise (cf. Hier. Schekalim 9[a]. Sota 22[b]. S. Jarchi et D. Kimchi ad I Sm 4). Quae tamen opinio a vero prorsus abhorret. Nam unam fuisse arcam ex eo apparet, quod una confici iussa est (Ex 25, 10; 35, 12), unam Levitae et sacerdotes gestabant (Nm 4, 5 s. Dt 31, 9. Jos 3, 3. 6. 8. 14. 17; 6, 6. I Rg 8, 3 s. 6. II Chr 5, 7. Jos. A J 3, 6. 5), una in tabernaculo reposita erat (Nm 10, 33. Dt 31, 26), una Jordanem transiit (Jos 3, 3. 6. 8. 14. 17) eaque capta nulla superfuerit (I Sm 4, 3. 11. 17).

IV. De nulla re tentorii Mosaici recentiore aetate tam saepe dictum est eius exemplum in religionibus gentilium (imprimis Aegyptiorum) exstitisse eamque inde receptam esse quam de arca foederis.

Atque certum est complurium gentium antiquarum morem fuisse deorum vel imagines vel symbola in arcis aut tentoriis collocata circumferre, ut eos vel honore singulari colerent vel assiduos viarum et periculorum comites haberent.

Velut apud Aegyptios erat arca Osiridis sacra, de qua *Plutarchus* (De Is. et Os. 39) memoriae prodit mense Ἀθύρ (Novembri) interitum Osiridis die festo lugubri celebrari, quia illo tempore Nilus (Osiris) terram Aegyptum (Isim) fecundam reddens ariditate a meridie veniente (Typhone) adeo deficiat, ut solum prorsus aquâ nudetur, nocte simul crescente, stirpibus folia abicientibus, totâ terrâ ad inopiam redactâ. Deinde addit: Τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Παχόντος ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι . καὶ τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσιν (ex templo Osiridis) ἔχουσαν κιβώτιον, εἰς ὃ ποτίμου λαβόντες ὕδατος ἐγχέουσι. Cuius pompae cum cista sacra imago in templis, quae adhuc manent, imprimis in templo vici Karnak, qui a Thebis ad orientem vergens situs est, et in pylone quodam templi magni insulae Philarum repperisse putatur et complures viri docti illam cistam exemplum arcae foederis fuisse contenderunt. Aegyptii autem et alias cistas sacras habuerunt, ut eas, ubi bestiae sacrae arte medicatae ponebantur. Deinde notum est, quanti sit momenti in mythis Aegyptiis loculus Osiridis a Typhone interfecti (*Plut.* l. c. 13). Praeterea *Synesius*,

philosophus neoplatonicus et episcopus Ptolemaidis († 412), de sacris cistis, ubi globi fuerint, mentionem facit (Calvit. encom. 10. MSG 66, 1184).

Troianos arcam quandam sacram habuisse *Pausanias* (Graec. descript. 7, 19, 3) testatur. Postquam enim arcae cuiusdam, quae Ilio capto Eurypylo praedae loco obtigit, mentionem fecisset, addit: Διονύσου δὲ ἄγαλμα ἦν τῇ λάρνακι, ἔργον μὲν (ὡς φασίν) Ἡφαίστου, δῶρον δὲ ὑπὸ Διὸς ἐδόθη Δαρδάνῳ. Phoenices in Cabirorum caerimoniis (quibus Jason, Orpheus, Hercules, alii gentium heroes initiati sunt) cistam sacram habuisse *Eusebius* (Praep. evang. 2, 3. MSG 21, 128 s.) tradit. Etiam Etrusci, gens antiquissima, arcam quandam sacram habebant et in Bacchi sollemniis κίστην θρησκεύειν *cistam colere* debebant (*Clem. Alex.* Cohort. ad gentes c. 2. MSG 8, 81).

Graecos quoque inter instrumenta cultus divini eius modi cistas habuisse ex *Theocriti* verbis Idyll. 26, 7 intellegimus: Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεπεναμένα χερσὶν ἑλοῖσαι. Idem testatur *Suidas* (Lex. II, 1, 269. s. v. κιστοφόρος); Ἔοικε δὲ τὰς κίστας ἱερὰς εἶναι Διονύσου καὶ ταῖν Θεαῖν i. e. Cereri et Proserpinae. Sacras cistas in cultu Demetros (Cereris) usurpatas esse *Pausanias* (Graec. descript. 10, 28, 3) tradit, ubi Polygnoti picturam inferorum, quae Delphis conspiciebatur, describens de Cleoboea in lintre Charonis navigante dicit: ἔχει ἐν τοῖς γόνασι κιβωτὸν, ὁποίας ποιεῖσθαι νομίζουσι Δήμητρι. *Plutarchus* (Phocion § 28) memorat mysticas cistas (μυστικὰς κοίτας), quibus Athenienses in sacris Eleusiniis utebantur.

Etiam Romanos cistarum usum in mysteria recepisse ex verbis *Ovidii* De art. amor. 2, 609—612 conicimus:

„Condita si non sunt Veneris mysteria cistis;
Nec cava vesanis ictibus aera sonant:
Attamen inter nos medio versantur in usu:
Sed sic, inter nos ut latuisse velint".

Non minus ex testimoniis scriptorum constat arcas in aliarum quoque gentium antiquarum caerimoniis sacris haud obscurum tenuisse locum.

Cum igitur ille mos deorum simulacra eorumve symbola in arcis collocandi et circumferendi longe lateque per gentes percrebuisset, Jahve, quoniam ei cum populo contumacis ingenii res erat, illi quoque eius modi arcam circumferendam tradidisse dicitur.

Sed respiciendum est arcam sacram Hebraeorum et cistas mysticas gentilium tam parva similitudine inter se esse, ut vero proximum esse videatur neque arcam Hebraeorum a cistis gentilium neque has ab illa formam et originem petiisse, sed utrosque ob rationes peculiares et cum ipsa sacrorum natura coniunctas eas res habuisse. Ac primum quidem consideremus, quae res in cistis ethnicis et in arca foederis fuerint. Vulgo putant in illis signa procreationis latuisse. Atqui nullo loco veteris testamenti arca foederis cum procreatione vel ullo deo procreationis vel signis eius propriis quodam vinculo conectitur. Ergo

cum cistis mysticis componi non potest; neque enim quidquam arcani continet, sed nihil aliud erat nisi receptaculum tabularum legis, quibus gens Hebraica maiorem thesaurum non habebat. Iam vero si formam cistarum gentilium cum arca foederis comparamus, nullam similitudinem reperire possumus. Cum nullas imagines vel descriptiones cistarum neque Asiae minoris neque Graeciae habeamus, solae cistae Aegyptiae spectandae sunt, imprimis cistae in templis vici Karnak et insulae Philarum effictae. Ibi in media nave, quae et in puppi ut in prora arietis capite (in templo Philarum Isidis capite) ornata est, sacra cista conspicitur formâ altaris, altero tanto altior quam latior, in parte adversa figuris alatis, quae bestiam compositam (fortasse dei alicuius simulacrum) inter se habent, distincta; navis ipsa multis figuris et formis symbolicis ornata est et a sacerdotibus perticis portatur. In illa imagine quo modo arca foederis conspici possit, non intellegitur. Nam navis signum Hebraeis prorsus alienum est: eius cista modos arcae foederis non habet; nullum operculum figuris cherubim ornatum conspicitur; figurae navis illae quidem alatae sunt, sed id in omnes compositiones animalium quadrat; restat similitudo perticarum, quae profecto parvi sunt momenti. Ceterum credi non potest illam ipsam rem, qua Hebraei sacriorem non habebant, ex eo cultu receptam esse, qui Jahvae detestabilis erat. Et si Mosis erat gentem Hebraicam ex Aegypto educere, ut impediret, quominus ea idololatriam Aegyptiorum amplecteretur, certe res ad religionem Aegyptiam pertinentes in cultum suae gentis non recepit, neque si vitulum aureum, cum Hebraei eo de cultu quodam Aegyptiorum tantum admonerentur, delevit (Ex 32, 20), in sacrario ipso rem quandam Aegyptiam poni iussit. Denique respiciendum est apud nullam gentem antiquitatis praesentiam dei ut apud Hebraeos ad arcam sacram pertinere, et quod Carthaginienses et ipsi ut Hebraei tentorium sacrum (ἱερὰν σκηνήν) in castris habebant, nihil tamen de arca sacra memoriae proditum est.

Quae cum ita sint, arcis sacris, quae apud alias gentes antiquas inveniuntur, cum arca foederis nihil commune est. Si qua ratio omnino illis cum hac intercedit, ea sola esse potest, ut et eo, quod spectant, et iis, quae continent, clare demonstretur, quam contraria sit religio Jahvae, qua Hebraei divinitus imbuti sunt, religionibus naturalibus, quae sunt hominum opera. Qua de causa complures viri eruditi (inter quos G. B. Winer, F. Hitzig, J. Urquhart, M. Dibelius) opinionem illam arcam sacram Hebraeorum cistas ethnicas imitatam esse impugnabant.

Adnotatio. — Arcae foederis, cum solium quoque Jahvae appelletur (cf. Jer 3, 16 s), recentiore aetate eae sellae regiae formâ cistae comparatae sunt, ubi gentiles deos sedentes aut fecerunt aut cogitaverunt.

W. Reichel quidem (op. all.) et J. Meinhold (op. all.) arcam cum inanibus sellis deorum Graecorum convenire contendunt. M. Dibelius (op. all.) similitudines ex Babylonia, Aegypto, Sendširli profectas protulit. Cui H. Gunkel quoque (op. all.) adstipulatus est. Atque W. B. Stevenson (l. c.) pro opinione, quam M. Dibelius pronuntiavit, multos locos affert, unde apparet vocabulum „cista" pro „sedile" usurpari potuisse.

At dubitari non potest, quin quae in vetere testamento de arca foederis dicuntur, pro opinione illa sint, eam veram cistam, non tantum solium fuisse. Pro eadem est etiam usus cistarum in religionibus aliarum gentium orientis antiqui.

Caput quintum

De impensis in tabernaculum foederis factis

Ad tabernaculum sacrum quam magnificentissime construendum atque exornandum Moses universum populum cohortatus est, ut ex spoliis Aegypti propriisque facultatibus sua sponte animoque devoto conferret quidquid ad id opus requireretur. Cui obsequentes Hebraei armillas, inaures, anulos, gemmas, vasa aurea et argentea, varia metalla, hyacinthum, coccum, purpuram, byssum, pelles, ligna acaciarum aliaque eius modi multa obtulerunt (Ex 35, 4—29). Auri in toto opere expensa sunt viginti novem talenta et septingenti triginta sicli i. e. 87.730 sicli, argenti centum talenta et mille septingenti septuaginta quinque sicli i. e. 301.775 sicli, aeris septuaginta talenta et duo milia quadringenti sicli [1] i. e. 212.400 sicli (ib. 38, 24—31). Ad tabernaculum foederis aedificandum et vasa eius conficienda quod tantum auri, argenti, aeris impensum est, mirandum non est. Antiqua tempora auro et argento abundasse multis testimoniis confirmatum est, imprimis pro Aegypto, unde Hebraei magnis thesauris onusti profecti sunt. Aes vero in ipsa paeninsula Sinaitica inveniebatur ibique antiquitus in fodinis earum vallium, quae hodie Wâdi Maghara et Wâdi Naṣb vocantur, aliorumque locorum prope Ṣarbût el-Khâdem sitorum ab Aegyptiis eruebatur.

Atque quicumque erant sexus virilis viginti annos nati [2], sive divites sive pauperes, in summa praeter Levitas sescenta tria milia quingenti quinquaginta (Nm 1, 46 s.) secundum legem divinam Ex 30, 11—16 dimidium sicli offerre debebant i. e. $\frac{603550}{2} = 301.775$ sicli, qui ad centum bases tabernaculi sacri construendas ($40 + 40 + 16 + 4 = 100$, cf. Ex 26, 19. 21. 25. 32) et ad capita columnarum facienda easque ornandas impendebantur (Ex 38, 25—28). Hoc tributum, quod

II Chr 24, 6 מַשָּׂאת מֹשֶׁה, Vulg. „pecunia, quae constituta est a Mose", vocatur, quotannis exigendum fuisse in sacris litteris non traditur, sed non est dubium, quin exigi posset, quotienscumque necesse aut commodum videbatur (cf. II Rg 12, 4. II Chr 24, 6). Post exsilium Babylonium Nehemia constituit, ut quotannis tertia sicli pars ad templi usus daretur (Neh 10, 32 s.). Postea autem, quod Moses praeceperat, id vim perpetuae legis habere existimatum est. Itaque ad ipsa Vespasiani tempora δίδραχμον i. e. dimidium sicli pro templo et cultu divino solvebatur (Mt 17, 24) [3]. Quam pecuniam Judaei in regionibus exteris commorantes quotannis collectam Hierosolyma mittebant (Jos. AJ 18, 9. 1). Hinc ingentes illae templi divitiae confluebant, quarum Josephus saepius mentionem facit (ut AJ 14, 4. 4; 14, 7. 1 s. BJ 6, 5. 2: ἄπειρον χρημάτων πλῆθος). Post templum dirutum singuli Judaei quotannis binas illas drachmas pro templo Jovis Capitolini pendere coacti sunt (Jos. BJ 7, 6. 6. Dio Cass. Hist. Rom. 66, 7).

[1] Vulgata: „Aeris oblata sunt talenta septuaginta duo milia et quadringenti supra sicli". Qua in re Hieronymus erravit.

[2] Nam ex hoc tempore homo Hebraeus civis pleni iuris et qui munus militiae sustinere posset habebatur (Nm 1, 3; 26, 2. II Chr 25, 5).

[3] Pendendus autem erat nummus sacer i. e. Judaicus. Quam ob rem, ut talmudistae memoriae produnt, a die quinto decimo mensis Adâr nummularii (κολλυβισταί) in atrio templi sedebant, qui nummos Graecos et Romanos semisiclis Judaicis permutabant. Cum autem lucrum, quod inde petebant (κόλλυβος, in Mischna קלבון *nummus minutus*), usura esset, quam a popularibus accipere Hebraei lege Dt 23, 20 vetiti erant, a Christo templo expulsi sunt (Mt 21, 12. Mc 11, 15. Jo 2, 14 s.). — Cf. tract. *Schekalim* (M II, 4).

Caput sextum

Quae de tabernaculo foederis procedente tempore acciderint

I. Tabernaculum sacrum, postquam ab artificibus Bezaleel et Aholiab aliisque opificibus peritis intra sex menses rite adornatum erat (Ex 36, 1 ss.) [1], primo die mensis primi sive Nisan anni ab exitu ex Aegypto secundi [2] erectum atque, arcâ in eo repositâ omnique supellectile secundum ordinem collocatâ, olei unctione sanguinisque aspersione ad divinum cultum dedicatum est (Ex 40, 1—33. cf. Hebr 9, 21), qua occasione principes tribuum, ut aequalem dei in omnes res auctoritatem agnoscerent aperteque profiterentur, aequalia obtulerunt dona

(Nm 7, 1—88). Dedicatione peractâ Jahve tabernaculum tamquam domicilium, in qua posthac habitare vellet, glorioso praesentiae suo symbolo sive nube replevit (Ex 40, 34 s.) [3].

[1] Summo artificio Aegyptiorum explicatur ne Hebraeis quidem artifices defuisse, qui brevi tabernaculum foederis cum vasis pretiosis conficere possent. Atque Bezaleel ex tribu Juda et Ahaliab ex tribu Dan ad tabernaculi sacri constructionem nominatim designati et electi, spiritu divino, sapientia et intellectu atque omni scientia et doctrina ad opus quodvis excogitandum et faciendum impleti sunt (Ex 35, 30—35). Bezaleel autem, quae ex auro, argento, aere, ex ligno et gemmis parari necesse erat, excogitavit; Ahaliab, quae ad sculpturam vel figuras in opere textili et acu picto exprimendas pertinebant, perfecit (ib. 38, 22 s.). Praeterea etiam mulieres artis nendi et acu pingendi peritae suam conferebant operam (ib. 35, 25 s.).

[2] Secundum I Rg 6, 1 Hebraei 480 annis antequam templum Salomonis aedificari coeptum est, ex Aegypto emigraverunt. Cum autem quartus annus regni Salomonis, quo templum aedificari coeptum est, inter annos a. Ch. n. 1016 et 958 intercedat, Hebraei inter annos a. Ch. n. 1496 et 1438 emigraverunt, quo tempore Pharaones duodevicesimae domus regiae in Aegypto regnabant (1580—1350). Thutmosis III (1501—1447) is Pharao est, qui gentem Hebraicam opprimebat, Amenophis II, eius filius (1447—1420), is, quo regnante Hebraei ex Aegypto profecti sunt. Quae opinio, quae etiam monumentis magis commendatur, alteri praestare videtur, quae propter Ex 1, 11 Hebraeos a Pharaone Ramses II oppressos esse et Mernephtah, eius successore, regnante Aegyptum reliquisse dicit.

[3] Profecto necessarium erat, ut Hebraei eius modi signum adspectabile praesentiae divinae haberent. Populus enim rudis et qui omnia sensibus metiretur, sine dubio brevi imaginem numinis divini e lapide vel ligno finxisset atque ita ad idololatriam prolapsus esset, nisi deus illo modo sapienter cavisset, ne hoc fieret. Utrum autem nubes ut signum praesentis dei posteriore quoque tempore semper in sanctissimo conspecta sit an ad tempus tantum apparuerit, plerumque cerni non potuerit, cognosci non potest. Sed respiciatur velim, tum cum Hebraei cum Philistaeis bella gerebant, nubem, quae super arca foederis cernatur, nusquam commemorari.

II. Circa tabernaculum foederis omnes Hebraeorum actiones religiosae versabantur; quam ob rem in mediis castris erectum erat (Ex 25, 8; 29, 45 s. Lv 26, 11 s. cf. Nm 5, 3) singulisque tribubus circa illud suae sedes assignatae erant, ut apud alias gentes antiquas tentorium ducis medium castrorum locum tenere solebat. A temporibus Josua usque ad Saul tabernaculum primo in Gilgal, ubi Hebraei per complures annos commorabantur (Jos 4, 19; 5, 10; 9, 6; 10, 6 s. 9. 15. 43; 14, 6), dein in Silo (hodie *Sêlûn*), oppido fere in media terra Canaan sito (Jos 18, 1; 19, 51. Jdc 18, 31; 21, 19. I Sm cc. 1—4; 14, 3. Ps 78, 60) [1], regnante Saul in Nob, urbe sacerdotali tribus

Beniamin (I Sm 21, 1), sub David et Salomo in Gibeon, urbe in eadem tribu sita (I Chr 16, 39; 21, 29. II Chr 1, 3. I Rg 3, 4), exstructum erat. Templo aedificato reliquiae tabernaculi in conclavibus superioribus aedis sacrae asservabantur (I Rg 8, 4. II Chr 5, 5. Jos. AJ 8, 4. 1).

Arca foederis unâ cum tabernaculo fere usque ad aetatem Samuelis in Silo permansit, nisi quod tempore belli contra Beniaminitas in Bethel erat (Jdc 20, 26 s.) ibique altare exstruebatur et sacra fiebant (ib. 21, 2—4)[2]. Sub pontifice Eli, cum Hebraei ab hostibus premerentur, arca seniorum populi iussu ex tabernaculo ad castra afferebatur, sed a Philistaeis capta (I Sm 4, 3—11) et post septem demum menses restituta est (ib. 6, 1 ss.). Tum per viginti annos in domo sacerdotis Abinadab (et quidem בגִּבְעָה *in colle,* LXX ἐν τῷ βουνῷ, Vulg. *in Gabaa,* nomine appellativo pro nomine proprio explicato) in Kirjath-Jearim *(hodie Ḳarjet el-ʿineb* vel *Abu Rôsch),* urbe in confiniis tribuum Juda et Beniamin sita, collocata erat (ib. 7, 1 s.). Dein a David in domum Obed-Edom Gethaei et post trimestre in tentorium quoddam in monte Sion erectum translata (II Sm 6, 1—17. I Chr 13, 1—16, 3) ac tandem a Salomo in templo, quod eo consilio exstruxerat, reposita est (I Rg 8, 1—11. II Chr 5, 1—14)[3]. Ubi summa religione asservabatur, donec piis regibus Judae impiis et idololatris succedentibus in ipsa eius sede commenticiorum deorum simulacra invecta sunt (II Rg 21, 4 s. 7. II Chr 33, 4 s. 7. cf. II Rg 21, 21. II Chr 33, 22). Quam impietatem sacerdotes aegre ferentes arcam de loco in locum deportabant, prout copia furoris regum sacrilegorum declinandi incurrebat. Josia regnante ea rursus suae sedi reddita simulque vetitum est, ne alio asportaretur (II Chr 35, 3). Cum Chaldaei Hierosolyma cepissent, etiam arca interiit[4].

Cf. J. Buxtorf, Historia arcae foederis (in Bl. Ugolini Thes. VIII, 143—350).

[1] Ibi tabernaculum ab omnibus tribubus facile adiri poterat cum ad sacra facienda tum ad consulendum pontificem.

[2] Quod Vulgata Jdc 20, 26 habet „domum dei" intellegendum est Bethel. Et ib. 21, 2 verbis „ad domum dei" in Vulgata perperam additur „in Silo". Graeci Alexandrini utroque loco recte habent Βαιθήλ.

[3] Ex quo tempore Hierosolyma appellantur *civitas dei* (Ps 48, 2), *civitas regis magni* (ib. v. 3), *urbs sanctitatis* sive *sancta* (Jes 48, 2; 52, 1. Dn 9, 24. Neh 11, 1). Eadem appellatio etiam in novo testamento (ἡ ἁγία πόλις Mt 4, 5; 27, 53) et in nummis Hebraicis, qui a principibus Hasmonaeis cusi sunt (ירושלם קדשה vel ירושלים הקדושה *Hierosolyma sancta),* legitur.

[4] In epistula, quam Judaei Palaestinenses post mortem Antiochi IV Epiphanis ad Judaeos in Aegypto commorantes miserunt, memoriae pro-

ditur, haud multum ante captivitatem Babyloniam Jeremia prophetam, cum spiritu divino instinctus aerumnas suae gentis praenosceret, arcam et tabernaculum cum ara incensi in spelunca quadam eius montis, quem Moses, ut terram promissam adspiceret, adscenderat (Nebo), occultasse eundemque vaticinatum esse fore, ut eae res non prius invenirentur quam omnes Judaei ad deum conversi essent (II Mcc 2, 4—7). Et alio loco traditur nonnullos sacerdotes ignem sacrum in puteo abscondisse (ib. 1, 19). Hic cum de litterarum monumentis agatur, quae auctor libri secundi Maccabaeorum recepit, quaeritur, num ea vera esse iudicet. Quod neque ex notione inspirationis neque ex contextu sententiarum colligi potest, ut dubium sit, utrum facta tradantur an res, quae a Judaeis illius aetatis vulgo ferebantur. De fide duarum epistularum conferas H. Herkenne, Die Briefe zu Beginn des zweiten Makkabäerbuches 1, 1—2, 18 (BSt VIII, 4. 26—36) Freiburg 1904.

Arcam foederis et ipsam in iis rebus, quas Nebucadnezar in Babyloniam transportavit (II Chr 36, 10), numerandam esse demonstrari non potest. Neque, quod multi viri docti contendunt Cyrum arcam foederis Judaeis in patriam redeuntibus reddidisse, loco Esr 1, 7—11 fulcitur; immo vero multo magis contrarium inde colligi potest.

Caput septimum

De variis tabernaculi foederis eiusque vasorum significationibus

I. Ut Paulus apostolus Hebr 8, 5 docet, tabernaculum sacrum cum omni sua supellectile symbolicam habet significationem; quam maxime enim rebus revelationis divinae adumbrandis servit. De explanatione autem symbolorum multae et variae sunt virorum eruditorum sententiae. Quantum equidem iudicare possum, tabernaculum optime consideratur tamquam *foederis divini et theocratiae symbolum*, quo notio Jahvae in media gente habitantis, se revelantis, eius preces exaudientis exprimitur. Quam ob rem erat locus totius Hebraeorum vitae religiosae.

1. Tabernaculum sacrum erat symbolum foederis inter Jahven et Hebraeos initi, symbolum theocratiae in republica Hebraeorum vigentis. Nam primum non aliud erat nisi *mons Sinai continuatus*, in quo Jahve voluntatem et gloriam suam ostenderat, ut ex verbis Ps 68, 18 apparet: „Dominus inter eos est, Sinai in sacrario est“ i. e. sicut in Sinai, ita in sacrario est dominus. Deus, qui olim in monte Sinai inter myriadas angelorum se praesentem demonstraverat maiestatemque suam exhibuerat, nunc in hoc sacrario inter cherubim sedem suam

collocavit. In arca sunt tabulae legis ex eadem rupe Sinaitica sculptae, in qua lex promulgata est, et super illam Jahve in nube sedem habet. sicut olim in Sinai. Sic Sinai in sacrarium transiit. Deinde erat *domus maiestatis divinae* in medio gentis suae habitantis (בֵּית Ps 5, 8 בֵּית - יְהוָה Ex 23, 19; 34, 26. Dt 23, 19. Jos 6, 24. I Sm 1, 7. 24; 3, 15. Ps 27, 4 בֵּית - הָאֱלֹהִים Idc 18, 31. אֹהֶל יְהוָה I Rg 2, 28. מִשְׁכַּן יְהוָה Lv 17, 4. Nm 16, 9; 17, 28; 19, 13; 31, 30. 47. Jos 22, 19. מִקְדָּשׁ Ex 25, 8. Lv 12, 4. הֵיכַל יְהוָה I Sm 1, 9; 3, 3. οἶκος τοῦ θεοῦ Mc 2, 26); hoc ipso autem signum erat foederis inter Jahven et gentem Hebraicam initi (cf. Ex 25, 8; 29, 42. 45 s. Lv 26, 11 s. Nm 5, 3. Dt 4, 7). Tum erat *tentorium* sive *tabernaculum legis* (אֹהֶל הָעֵדוּת Nm 9, 15; 17, 22 s; 18, 2. מִשְׁכַּן הָעֵדוּת Ex 38, 21. Nm 1, 50. 53; 10, 11. LXX ἡ σκηνὴ [τὸ σκήνωμα III Rg 8, 4] τοῦ μαρτυρίου, Vulg. „tabernaculum testimonii“ vel „foederis“)[1], quia ibi Jahve legis tabulis voluntatem suam testabatur. Denique erat *tentorium conventus* (אֹהֶל - מוֹעֵד Ex 27, 21; 28, 43; 29, 4. 10 s. 30. 32. 42. 44; 30, 36. Nm 17, 19. מִשְׁכַּן אֹהֶל - מוֹעֵד Ex 39, 32; 40, 2. 6) sive locus, in quo Hebraei societatis dei, omnis beatitudinis fontis, participes fieri poterant[2]. Quare pii et religiosi in tentorio sacro versari magni faciebant (Ps 23, 6; 27, 4; 42, 2).

[1] Quod Luther habet „Stiftshutten“, in editionibus recentioris aetatis „Stiftshütte“, in eo interpretationem Vulgatae „tabernaculum foederis“ secutus est. Nam „Stift“ est vocabulum obsoletum pro „Bund“.

[2] H. Zimmern (KAT[3] 592) existimat verba אהל מועד significare *tentorium conventus* deorum (= Babyl. *upšukkinnaku* i. e. *spatium conventus* deorum) atque polytheismum demonstrare, qui apud Hebraeos monotheismum antecesserit. Quod nullo argumento probatur neque probari potest.

2. Videamus nunc, quaenam significatio symbolica tribus tabernaculi sacri partibus (atrio, sanctuario, sanctissimo) sit subiecta.

a) Atrium erat locus sacer omnium communis, *locus sacrificiorum et purgationis,* sine quibus homo ob peccata et infirmitates suas ad deum accedere non potest. Qua de causa ibi res, quibus homo cum deo offenso reconciliari posset, aderant, et quidem α) *Altare sacrificiorum,* quibus homo expiabatur deoque gratias agebat. Erat e terra constructum, ut significaretur hominem de terra sumptum non sua virtute, sed sacrificiorum efficacitate a peccatis expiari et sanctificari. Cornua altaris erant symbola omnipotentiae divinae, nec non virtutis et salutis, quae ex altari exoriuntur (cf. II Sm 22, 3. Am 6, 13. Ps 18, 3; 148, 14. Dn 7, 7 s; 8, 3 ss. Lc 1, 69). β) Labrum, e cuius aqua sacerdotes sanctuarium ingredientes, ubi functiones sacras obirent, manus pedesque lavabant (Ex 30, 19—21), in memoriam revocabat ab

homine numini divino appropinquante summam actionum et externarum et internarum puritatem et innocentiam requiri. Haec ablutio, quam deus iam ante promulgationem legis Sinaiticae a populo Hebraico diserte postulaverat (Ex 19, 10), sanctificatio (קדש) vocatur, quia orta est ex summa cognitione infirmitatis humanae et sanctitatis divinae, cuius confessio expressa est, cum vim sacramentalem induit (symbolum baptismi, cf. Cyrill. Hieros. Catech. 3. de bapt. MSG 33, 433: Σύμβολον ἔκειτο τοῦ βαπτίσματος λουτὴρ ἔνδον ἀποκείμενος τῆς σκηνῆς).

b) In sanctuario cultu divino sacerdotes soli fungebantur, per quos populus Jahvae coniungebatur et admonebatur, ut totum se Jahvae traderet eumque coleret.

α) In ara thymiamatis incensum adolebatur idque non ad honorem sacrorum inter homines eius modi ritibus assuetos augendum, neque ad odorem ex combustis hostiis ortum abigendum aut minuendum [1], sed quia suffitus secundum complura sacrarum litterarum indicia commodum symbolum est precum et gratiarum actionum, quae per sacerdotes deo offeruntur ab eoque benigne accipiuntur (Ps 141, 2. Apc 5, 8; 8, 3)[2]. Ideo incensum cum sacerdos (cf. M. Tamid 6, 3) tum populus foris (Lc 1, 10) oratione prosequebatur.

[1] Velut ex opinione Thomae (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 6) in sacris suffimenta adolita sunt, „ut iugiter in tabernaculo esset fumus boni odoris, cum propter venerationem tabernaculi tum etiam in remedium foetoris, quem oportebat accidere ex effusione sanguinis et occisione animalium". Idem sentit Maimonides, More nebochim 3, 45.

[2] Etiam Latini dicunt *tura rogare* pro *per tura precari* sive *exorare tura votiva* et *tura* pro *verba precantia*.

β) Ut lux, ita *candelabrum* est symbolum intellegentiae, principii omnis cognitionis, imprimis cognitionis dei, qui se populo suo revelat (cf. Jes 10, 17; 60, 1. Ps 36, 10; 97, 11; 112, 4). *Oleum* symbolum est spiritus Jahvae (I Sm 10, 1. 6. 10; 16, 13. Jes 61, 1) et *septem lucernae* septem spiritus sancti dona, quae in sacramentis novae legis distributa sunt et homini vitam supernaturalem conciliant, significant (cf. Jes 11, 2 s. Sach 3, 9; 4, 2—6. Apc 5, 6). Itaque candelabrum vitam populi supernaturalem indicabat, vitam deo per fidem veram et vivam dicatam (cf. Mt 5, 14—16. Lc 12, 35. Phil 2, 15), simulque typus veri luminis mundi i. e. verbi divini erat (Jo 1, 5; 8, 12. I Jo 1, 5). Decem candelabris templi Salomonis idem auctius exprimitur.

γ) In *mensa*, secundum numerum tribuum Hebraeorum duodecim panibus instructa, sacrificium incruentum purumque veteris testamenti

positum erat, quo gens Hebraica perpetuas referebat gratias pro omnibus cibis et donis terrestribus, quae Jahve ei largiebatur, et se atque omnia opera bona fructusque sanctitatis, quae et ipsae symbolice panibus significantur, ei dedicabat.

Ceterum panes propositionis erant typus eucharistiae novi testamenti. Cf. Origen. Hom. 13. in Lv. § 3. Hom. 9. in Ez. § 5. MSG 12, 547; 13, 739. Cyrill. Hieros. Catech. mystag. 4. de corp. et sang. dom. § 5. ib. 33, 1100. Cyrill. Alex. In Jo. l. 4. c. 2. ib. 73, 569. Hieronym. Comm. in Mal 1, 7. MSL 25, 1548.

Tali modo populus foedere cum Jahve coniunctus tamquam populus precibus, cognitione doctrinaque divina, bonis operibus instructus coram Jahve apparebat.

c) *Sanctissimum*, propria sedes et habitatio dei, nemini patens nisi summo sacerdoti, erat locus obscurus et nebulosus, ut maiestas divina abscondita et incomprehensibilis significaretur; nam deus est φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον (I Tim 6, 16).

In hoc loco sanctissimo erant res sacratissimae. *Arca*, propter quam deus tabernaculum exstrui iusserat, erat quasi centrum cultus Mosaici idque eo, quod omnia sacrificia ad eam tamquam ad thronum dei referebantur. Continebat tabulas legis i. e. documentum pacti inter Jahven et Hebraeos initi (II Chr 6, 11), quo significabatur Jahven sola huius foederis vi cum populo habitaturum esse. Ideo ex auro fabricata simulque erat scabellum Jahvae (Ps 99, 5; 132, 7. Thrn 2, 1. I Chr 28, 2) super propitiatorium et alas cherubim sedentis (I Sm 4, 4. II Sm 6, 2. II Rg 19, 15. Jes 37, 16. Ps 18, 11; 80, 2; 99, 1. I Chr 13, 6. Dn 3, 55 Vulg.) [1]. Quam ob rem etiam כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל *gloria Israel* vocabatur (I Sm 4, 21 s.), quippe qui iure ad regem suum accedendi gauderet. Arcae *operculum* erat sedes vel thronus Jahvae (Jer 17, 12. Ez 43, 7). Vocabatur propitiatorium, quia erat locus placationis, ubi Jahve placabatur et precibus pontificis propitiabatur, et *oraculum* [2] i. e. sedes oraculi (= λαλητήριον), quia inde Jahve Mosi et Aaron, deinceps summis pontificibus se consulentibus responsa dedit. Ut *tabulis legis* sapientia divina, ita *virgâ Aaron* potestas regiminis ecclesiastici, quae familiae Aaron divinitus tributa est, vase *mannae* pleno sustentaculum vitae in regno divino [3] repraesentabatur, vel „per haec tria significabantur tria dei attributa, scilicet *sapientia* in tabulis, *potentia* in virga, *bonitas* in manna“ (Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 6). *Cherubim*, throno divino assistentes (Ez 1, 5 ss.), facie in propitiatorium versâ, maiestatem divinam super se collocatam adorantes et sanctissimum religionis Mosaicae thesaurum infra se positum custo-

dientes habebantur. Ergo ut ministri Jahvae, non ut ipsi colerentur, erecti erant, quippe cum Hebraei unum verum deum venerarentur. Per cherubim velo sanctissimi et operimento infimo intextos sanctum sanctorum fiebat imago paradisi terrestris, quem homines propriâ culpâ amiserunt (Gn 3, 23 s.), et typus paradisi caelestis.

[1] Quae imagines amplificantur, cum *caelum* thronus dei et *terra* scabellum pedum eius vocatur (Jes 66, 1. Mt 5, 34 s.).

[2] Ita Hieronymus I Rg 6, 5. 16. 19—23; 7, 49; 8, 6. 8. II Chr 3, 16; 4, 20; 5, 7. 9 vocabulum Hebraicum דְּבִיר vertit, quasi a verbo דִּבֶּר *locutus est* deducendum esset.

[3] Erat igitur typus ss. eucharistiae, quae in Christum credentibus eumque spiritualiter per fidem caritate formatam manducantibus vitam aeternam praestat. Cf. Jo 6, 32. 49.

Adnotatio. — Hebraei adorantes ad occasum solis sese convertebant, ut ita ostenderent se precantes non solem orientem adorare (more gentium, imprimis Persarum, qui solem eiusve symbolum, ignem, divinis prosequebantur honoribus). Bene Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 8. ad 5: „Adoratio ad occidentem fuit introducta in lege ad excludendam idololatriam, nam omnes (?) gentiles in reverentiam solis adorabant ad orientem. Unde dicitur Ez 8, 16., quod *quidam habebant dorsa contra templum domini et facies ad orientem et adorabant ad ortum solis.* Unde ad hoc excludendum tabernaculum habebat sancta sanctorum ad occidentem, ut versus occidentem adorarent".

3. Cum deus πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξεν (Sap 11, 21) et πάντα τὰ ἔργα ἐξηρίθμησεν καὶ ἐξέχεεν (Sir 1, 9), ex complurium virorum eruditorum opinione etiam mensuris, numeris, materiae tabernaculi sacri significatio symbolica subest. At dum id ex libris divinis non demonstratur, nihil aliud nisi ludus acuminis habendus est.

Atque ex eorum sententia numerus *ternarius* est signum dei. Ideo *tripartitum* tabernaculum *tres* introitus habebat. Sanctissimum *tres* res continebat (arcam, propitiatorium, thronum dei), item sanctuarium (candelabrum, mensam, aram incensi) et arca foederis (tabulas legis, vas mannae, virgam Aaron). Ad tabernaculum exstruendum *tria* metalla, adhibebantur: *aurum*, quod gloriam et maiestatem domus dei, *argentum*, quod puritatem et veritatem, *aes* (vasorum in atrio), quod humanam in regno divino infirmitatem significet.

Numerus *quaternarius* est signum mundi (quoad quattuor eius partes), proportionis et perfectionis (cf. Ez 48, 16. Apc 21, 16. Phil. De opific. mundi, opp. I, 10. De plantat. ib. 347. De humanit. ib. II,

402). Unde sanctissimum format *cubum*, sanctuarium *duplicem cubum*, totum tabernaculum *duo quadrata*, quorum lineae diagonales se in sanctissimo et in altari holocaustorum secant. *Quadrangula* sunt duo altaria, mensa, arca foederis. Sunt *quattuor* operimenta tabernaculi, *quattuor* aromata in thymiamate et oleo unctionis. Sunt etiam *quattuor* colores in cortinis et velis tabernaculi (nec non in vestimentis sacris): *byssus*, typus lucis et sanctitatis; *purpura*, imago vitae; *carmesinus* vel *coccus*, imago gloriae: *hyacinthus*, qui caelum indicet. Alii hos colores ad dei proprietates referunt, ita ut in bysso sanctitas et gloria dei, in hyacintho deus legislator, in purpura regia dei maiestas, in cocco sive colore sanguinis deus vivens vitaeque auctor adumbretur. Alii alias explicationes proponunt.

Numerus *septenarius*, qui in candelabro, festis sacris, sacrificiis, lustrationibus aliisque caerimoniis sacris occurrit, iam ab antiquissimis temporibus sacer habebatur (Gn 2, 2 s.). Compositus ex numero ternario et quaternario, is numerus est significatio dei (3) se in mundo (4) revelantis vel symbolum revelationis, foederis divini, sanctitatis dei.

Ceterum numerus septenarius non modo Hebraeis, sed omnibus fere gentibus antiquis est numerus perfectionis et plenitudinis ac quodam modo mysticus et sanctus. Velut eorum scriptores haud raro septem stellas errantes, septem metalla, septem climata, septem mundi miranda, septem maria, septem caelos, septem thesauros celebres commemorant. Cf. Augustin. De civ. dei 11, 31. MSL 41, 344 s., ubi s. doctor de perfectione huius numeri multa profert.

Numerus *denarius*, qui in variis mensuris tabernaculi, tabularum, columnarum et alibi occurrit (sanctissimum dena cubita longum, latum, altum est; sanctum dena cubita latum et altum, bis dena cubita longum; atrium decies dena cubita longum et quinquies dena latum; in utroque longo latere atrii bis denae, in utroque lato latere denae, i. e. sexies denae columnae stant . . .), est „signum perfectionis, in quantum est quodam modo terminus omnium numerorum“ (Thomas, S. th. 3. qu. 31. a. 8. ad 1), cum numeri simplices in decade finiantur et a decade ad unitatem — est enim decas unitatum maxima — revertantur indeque rursus ordiantur, adeo ut ille numerus pro imagine summi dei, qui omnium rerum principium et finis est, habeatur. Philo, De opific. mundi, opp. I, 10: ἡ δέκας τῆς παντελείας. De vita Mosis l. 3. ib. II, 147: ἡ δέκας τῆς παντελείας ἀριθμός. Cyrillus Alex. Comm. in Hos. § 33. MSG 71, 105: Σύμβολον τελειότητος ὁ δέκα ἐστὶν ἀριθμός, παντέλειος ὤν. Cf. etiam eius Comm. in Jo. l. 4. c. 2. ib. 73, 572. Origen. Hom. 13. in Lv. § 4. ib. 12, 548. Augustin. Ad inquisit. Januar. l. 2. sive ep. 55. c. 15. Enarr. in Ps 150. § 1. Serm. 264. § 5.

MSL 33, 218; 37, 1961; 38, 1216. Ex aliorum opinione numerus denarius propterea sacer habebatur, quod e duobus aliis numeris sacris, tres et septem, compositus sit.

Cf. J. H. Kurtz, Ueber die symbolische Dignität der Zahlen an der Stiftshütte (St Kr 1844, 315—370).

II. Ut Paulus apostolus Hebr 9, 1—14 docet tabernaculum Mosaicum (τὸ ἅγιον κοσμικόν v. 1. ἡ σκηνὴ χειροποίητος et τὸ ἅγιον τῆς κτίσεως v. 11) typicam quoque significationem habet; adumbrat enim et Christum et ecclesiam a Christo fundatam sive regnum divinum, quod in terra initum capit et in caelo perficitur, atque imaginem huius regni sive ecclesiam Christianam ex lapidibus erectam.

1. Tabernaculum foederis est *typus* sive figura *Christi*, dei-hominis, salvatoris generis humani. Ipse enim de solvendo erigendoque templo sermonem faciens περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ dixisse traditur (Jo 2, 19—21). Paulus apostolus velum, quod sanctuarium a sanctissimo separabat, symbolum carnis Christi fuisse affirmat (Hebr 10, 20). Christus ipse est tabernaculum, quo intrare et habitare possunt fideles (ib. 12, 18 ss. cf. Mt 11, 28). Eodem referendi sunt loci Jo 1, 14: Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν et Col 2, 9., ubi πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος in Christo σωματικῶς habitare dicitur.

Typicam hanc tabernaculi sacri relationem ad Christum Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 6 dilucide explanat: Christus est *propitiatorium* (I Jo 2, 2: „Ipse est propitiatio pro peccatis nostris"); *arca*, nam corpus eius ex purissimis membris constat, *deaurata*, quippe qui sapientiâ et caritate, quae auro significatur, plenus sit; *urna aurea* est anima eius sancta, habens *manna* i. e. omnem plenitudinem sanctitatis et divinitatis; *virga*, quia sacerdos in aeternum (Ps 109, 4. Hebr 5, 6; 7, 1); *tabulae*, quia legis lator; *candelabrum*, quia lux mundi (Jo 8, 12: „Ego sum lux mundi"); *mensa*, quia cibus spiritualis (Jo 6, 51: „Ego sum panis vivus"); *duodecim panes* sunt apostoli vel doctrina eorum; ipse est *duplex altare* (holocaustorum et thymiamatis), in quo nos afflictam carnem et pia desideria offerimus (Hebr 13, 15: „Per ipsum offeramus hostiam laudis semper deo").

2. Tabernaculum sacrum est *typus ecclesiae* a Christo fundatae, quae a Paulo apostolo ναὸς θεοῦ ζῶντος (II Cor 6, 16), οἶκος θεοῦ (I Tim 3, 15), οἶκος Χριστοῦ (Hebr 3, 6) appellatur. Discrepant tamen inter se virorum eruditorum de hac typica significatione sententiae. Augustinus enim (Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 112. MSL 34, 635) putat sanctissimo novum testamentum, sanctuario vetus testamentum significari: „Significatur *foris vetus testamentum*, *intus* autem

novum, cum sit utrumque in lectione veteris testamenti et expressum operibus et significatione figuratum. Ac per hoc in sanctis figura est figurae, quia figura est veteris testamenti; in sanctis autem sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est novi testamenti". Consentit Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 4: „Secundum rationem figuralem per *exterius tabernaculum*, quod dicitur sancta, significatur *status veteris legis*, ut apostolus dicit Hebr 9, 8 s., quia in illud tabernaculum semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. Per *interius* vero *tabernaculum*, quod dicitur sancta sanctorum, significatur vel *caelestis gloria* vel etiam *status spiritualis novae legis*, qui est quaedam inchoatio futurae gloriae, in quem statum nos Christus introduxit, quod figurabatur per hoc, quod summus sacerdos semel in anno solus in sancta sanctorum introibat" Aptior vero aliorum opinio esse videtur, qui tabernaculum tripartitum ecclesiam sive communitatem, qua deus homines ad salutem ducere decrevit, significare contendunt, et quidem atrium *vetus testamentum*, quod apostolus Gal 3, 24 παιδαγωγὸν εἰς Χριστόν vocat, vel, ut quidam censent, *ecclesiam, quae cerni potest*, tabernaculum ipsum autem *ecclesiam, quae cerni non potest* (ex nonnullorum opinione sanctuarium *ecclesiam militantem*, sanctissimum *ecclesiam triumphantem*, cf. Apc 13, 6; 15, 5).

Adnotatio. — Typicam tabernaculi sacri relationem ad Christum et ecclesiam a Christo fundatam uberius explanant Tertullianus, De corona c. 9. MSL 2, 89. Hilarius, Tr. in Ps 14. 67. 131. ib. 9, 300 s. 464 s. 737. Ambrosius, Epist. cl. I. ep. 4. § 4. ib. 16, 890. Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 105 ss. Enarr. in Ps 25. § 12. Enarr. II. in Ps 26. § 12 s. Enarr. in Ps 30. serm. 3. § 8. ib. 34, 633 s; 36, 194 s. 205 s. 252 s. Clemens Alex. Strom. 5, 6. MSG 9, 56 ss. Cyrillus Alex. Comm. in Jo. 4, 4. Hom. pasch. 30. ib. 73, 617 ss; 77, 969 ss. Theodoretus, Qu. 60. in Ex. ib. 80, 281 ss. Ephraem Syr. Explan. in Ex. c. 37. opp. I, 231 s. (Romae 1732—46).

3. Denique tabernaculum sacrum est *typus templi Christiani*, quod ex tribus partibus (navi, presbyterio, altari cum tabernaculo; ex aliorum opinione idque melius e nartice, navi, presbyterio) constat, quae idem significant quod tres partes tabernaculi Mosaici.

III. Praeter significationes tabernaculi foederis, quas memoravimus, etiam tres aliae crebro usurpantur.

1. Significatio cosmica tabernaculum sacrum considerat tamquam symbolum universi (τοῦ κόσμου, τῶν ὅλων) tripliciter distincti, ita ut atrium mundum terrestrem, sanctuarium mundum caelestem (qui sole, luna, stellis refulget), sanctissimum mundum angelicum (in quo dei thronus est) indicet.

Velut ex opinione Philonis tabernaculum ipsum undique contectum neque omnibus patefactum τὰ νοητά, atrium τὰ αἰσθητά significat (De vita Mosis l. 3. opp. II, 147. Cf. De ebriet. opp. I, 378). Quattuor materiae, e quibus operimentum intimum et duo vela confecta erant (byssus, purpura, hyacinthus, coccus), ad quattuor rerum principia (terram, aquam, aëra, ignem) spectant (opp. II, 148). Duo cherubim arcae sacrae impositi duas principales potestates divinas, potestatem creantem et gubernantem (δύο δυνάμεις, τήν τε ποιητικὴν καὶ βασιλικήν) exprimunt (opp. II, 150. Cf. De fug. et invent. opp. I, 561). Altare thymiamatis, quod est terrae et aquae symbolum (γῆς καὶ ὕδατος σύμβολον), gratiarum actionem indicat, quae pro iis rebus, quae ex duobus illis elementis gignuntur, referenda est; ut haec elementa medium universi spatium (τὸν μέσον τοῦ κόσμου τόπον) tenent, ita etiam altare inter candelabrum et mensam positum est (opp. II, 150). Secundum alium locum (Quis rer. div. her. sit, opp. I, 504) id altare est symbolum gratiarum actionis pro quattuor elementis referendae. Candelabrum aureum, septem lampadibus instructum, est symbolum caeli (σύμβολον τοῦ οὐρανοῦ) et quidem stellarum errantium (σύμβολα τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς φυσικοῖς ἀνδράσι πλανήτων); lampas, quae in medio candelabro posita est, Solem significat; lampades unius lateris Saturnum, Jovem, Martem, alterius lateris Mercurium, Venerem, Lunam indicant. Omnes eae stellae quia in spatio ad meridiem spectante moventur et a septentrionibus longissime absunt, candelabrum ad meridiem positum est. Propter immensitatem caeli sacrae litterae etiam de candelabri (symboli caeli) magnitudine nihil commemorant (opp. II, 150. I, 504 s.). Mensa panum propositionis alimenta significat. Quia venti a septentrionibus orientes herbis crescentibus maxime idonei sunt, ad latus septentrionale (πρὸς τοῖς βορείοις) posita est. Quia caelo (pluviam tribuenti) et terrae (seminibus madefactis fecunditatem praebenti) omnia alimenta debentur, iuxta candelabrum sive symbolum caeli et altare thymiamatis sive symbolum terrae locum tenet (opp. II, 150. I, 504). Duodecim panes propositionis ad duodecim sidera orbis signiferi et ad duodecim menses anni referendi sunt (opp. I, 573).

Josephus quoque (AJ 3, 6. 4; 3, 7, 7) tabernaculum sacrum symbolum universi esse opinatur (ἕκαστα τούτων εἰς ἀπομίμησιν καὶ διατύπωσιν τῶν ὅλων γεγονότα). Atrio et sanctuario terram et mare, sanctissimo caelum indicari; duodecim panibus propositionis duodecim menses, candelabro et septem lampadibus septem stellas errantes significari; quattuor materiae et colores, ex quibus operimentum primum et vela tentorii contexta sunt, ad quattuor rerum principia spectare existimat.

Significatio cosmica ab antiquissimis temporibus etiam apud rabbinos, qui tabernaculum Mosaicum tamquam symbolum creationis caeli et terrae (אהל מועד כנגד מעשה בראשית) considerant, et apud patres scriptoresque ecclesiae invenitur. Atque iam Justinus (Cohort. ad Graec. c. 29. MSG 6, 296) ad eam respicit. Clemens Alex. (Strom. 5, 6. ib. 9, 56 ss.) tabernaculum eiusque partes haud multum discrepans ab opinione Philonis interpretatur. Origenes (Hom. 9. in Ex. § 4. ib. 12, 366) testatur: „Tabernaculum, ut quidam ante nos quoque dixerunt, totius mundi tenet figuram“. Gregorius Naz. (Orat. 28. ib. 36, 71) tabernaculum ἀντίτυπον τοῦ κόσμου παντός (τοῦ ἐξ ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων συστήματος)

nominat. Chrysostomus (Hom. in nat. Chr. diem, ib. 56, 385) templum τύπον τοῦ κόσμου παντός appellat et auctor Hom. in laud. concept. Joan. Bapt., quae ei adscribitur, εἰκόνα τοῦ κόσμου παντὸς τοῦ τε αἰσθητοῦ καὶ τοῦ νοητοῦ. Ex sententia Theodoreti (Qu. 60. in Ex. ib. 80, 281. 284) tabernaculum est εἰκὼν τῆς κτίσεως, sanctissimum inaccessibile εἰκὼν τῶν ἐπουρανίων, sanctuarium sacerdotibus patens εἰκὼν τῶν ἐπιγείων, cherubim sunt τύποι τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων, reliqua sanctissimi supellex symbolum praecipuorum dei donorum: tabulae legis significant donum legis (τὴν νομοθεσίαν), virga Aaron sacerdotium (τὴν ἱερωσύνην), propitiatorium (oraculi sedes) prophetiam (τῆς προφητείας σύμβολον ἦν); candelabrum septem lampadibus instructum septem hebdomadis dies (τῶν ἡμέρων τῆς ἑβδομάδος τὸν ἀριθμὸν ἐδήλουν), ara incensi et mensa sacra fructus terrae hominibus datos (αἰνίγματα τῶν ἀπὸ γῆς τοῖς ἀνθρώποις δεδωρημένων καρπῶν); denique quattuor colores, qui in operimento infimo et in velis tabernaculi apparent, ad quattuor elementa refert (αἰνίγματα τῶν τεσσάρων στοιχείων). Hieronymus quoque significationi cosmicae adstipulatur; nam in ep. ad Fabiol. § 9. MSL 22, 613 scribit: „Totus mundus in tabernaculo describitur sacramento. Primum et secundum vestibulum omnibus patet. Aqua enim et terra cunctis mortalibus data sunt. In sanctis vero sanctorum, quasi ad aethera et in caelum, paucorum introitus et volatus est. Duodecim panes duodecim mensium significant circulum. Septem lucernae septem errantia astra demonstrant". Ex doctrina Thomae (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 4) in unitate tabernaculi repraesentatur „unitas dei vel unitas ecclesiae", in sanctissimo „saeculum altius, quod est spiritualium substantiarum", in sanctuario „mundus corporalis" et in velo quattuor coloribus distincto „quattuor designantur elementa, per quae incorporales substantiae nobis velantur".

At auctoribus interpretationis cosmicae, qui omnem operam dederunt, ut Judaeorum religio gentilibus placeret, omnis neganda est fides, etsi multi homines eruditi illam interpretationem probant atque laudant. Nam primum ne cogitari quidem potest tabernaculum sacrum nullo modo ad theocraticam Hebraeorum condicionem spectasse. Dein res terrestres ad idololatriam pertinentes (ut solem, lunam, stellas, ignem, aquam), quas venerari Hebraei severe vetiti erant (Dt 4, 19; 17, 3. al.), in sacrario symbolice indicatas esse nullo modo accipi potest.

2. Significatio moralis, ex qua tabernaculum sacrum, quippe quod locus totius vitae religiosae Hebraeorum sit, tres gradus vitae spiritualis, quibus homo semper ad perfectiora tendit, adumbrat, i. e. *vitam purgativam*, *illuminativam*, *unitivam* (Thomas, S. th. 2, 2. qu. 24. a. 9). Cui triplici gradui etiam singula tabernaculi vasa respondent.

Purgatio eo spectat, ut peccatum auferatur. Quod ut assequatur, hominem et se peccasse eoque poenâ dignum esse penitus cognoscere et se redemptum iri confidere ac verâ ob peccata paenitentiâ percussum esse

necesse est. Quam viam, quoniam omnibus patet, omnes ire debent. Quae omnia partibus sacrarii cultuque sacrificandi quodam modo ostentabantur. Atque atrium omnibus patebat. Ara quidem cum sacrificiis cruentis idonea erat, quae conscientiam culpae excitaret hominemque admoneret peccata sua poenâ esse digna; destructio autem hostiarum symbolum erat animi paenitentiae pleni totusque sacrificandi cultus redemptionem significabat. Labro aeneo rursus indicabatur peccatum, quoniam homo eo a deo seiungeretur, amovendum esse, ut homo cum deo reconciliaretur.

Peccato liberatus homo in gradu est sanctificationis vel quasi in sanctuarium, ubi gratiâ cum deo coniunctus est, pervenit. Ad id ut omnes sunt vocati, pauci electi, ita soli sacerdotes in sanctuarium admittuntur. Eius, qui in altero hoc gradu stat, est virtute exercenda atque constanter augenda se ipsum deo tradere, id quod sacrificio thymiamatis significatur. Virtutem autem ut colat, omnino lumine et cibo opus est; utrumque ei gratia divina praebet, quod candelabro aureo et mensâ panum propositionis indicatur.

Unitatem perpauci assequuntur. Qui status singularis in eo consistit, quod homo et rerum et sui ipsius oblitus in deum quasi transformatus est; est arcana cum deo consuetudo. Pontificis maximi rarus introitus in sanctissimum tenebris completum certe aptus est, qui illam unitatem monstret. Quod autem pontifex maximus, si in sanctissimum intrabat, sacros odores et sanguinem victimarum secum ferre debebat, id eo spectat, ut ne ille quidem, qui artissime cum deo coniunctus est, paenitentiâ peccatorum et progressu virtutis careat.

3. Significatio anthropologica, secundum quam atrio, sanctuario, sanctissimo diversae hominis partes (corpus, anima, spiritus) repraesentantur.

Quam interpretationem, quae nullo sacrarum litterarum loco commendatur, iam in scriptis Philonis (velut Leg. alleg. l. 2. opp. I, 76) et nonnullorum rabbinorum (cf. librum *Cosri*, quem J. Buxtorf edidit, II, 26—28) legimus. Imprimis eam defendit Luther in explanatione cantici Magnificat (opp. ed. J. G. Walch, VII, 1236). Etiam F. Friederich (op. all. 93 ss.) eam tenet.

Caput octavum

Opinio criticorum recentioris aetatis tabernaculum foederis, quod in codice sacerdotali describitur, ad exemplum et imaginem templi Hierosolymitani confictum esse diluitur

Ex opinione eorum, qui scholae criticae adhaerent, tabernaculum foederis, quod in codice sacerdotali tamquam centrum totius cultus divini Hebraeorum describitur, numquam fuit, sed ab auctore illius co-

dicis ad exemplum et imaginem templi Hierosolymitani confictum est. Tabernaculi enim illius nullo alio loco mentionem fieri nisi Jos 18, 1., qui versus ad codicem sacerdotalem pertineat, et in libris Chronicorum, quibus fides abroganda sit. In ceteris veteris testamenti libris, qui ante templum a Salomo exstructum alicuius loci sacri mentionem faciant, eum ita describi, ut tabernaculum intellegi non possit. Nam locis Jdc 18, 31; 19, 18. I Sm 3, 3 de vera *domo* (בית־יהוה, בית־האלהים, היכל יהוה) agi. I Sm 4, 3 ss. arcam foederis sine tabernaculo in castra deportari, recuperatam autem arcam ad pristinum locum non reduci (ib. 7, 1 s.), quod procul dubio factum esset, si tabernaculum a Mose erectum centrum cultus divini constituisset. II Sm 6, 17 David tentorium exstruxisse ibique arcam foederis collocavisse, ut tabernaculum Mosaicum eo tempore incognitum esset. II Sm 7, 2 Jahven non magnificum quoddam tabernaculum, quale in codice sacerdotali describatur, sed vile tentorium tenere dici. I Rg 8, 4 memoriae prodi *tabernaculum conventus* (אהל מועד) templo illatum esse, id quod de tentorio a David exstructo intellegendum sit; sed ea verba postea demum interposita esse videri. Denique dubium non esse, quin Hebraei tam pretiosum et magnificum aedificium ut tabernaculum Mosaicum in deserto Sinai construere non potuerint.

At unicuique opinionibus praesumptis libero perspicuum esse censeo etiam in deserto ab Hebraeis tam magnificum sacrarium, quale tabernaculum foederis erat, re vera construi potuisse. Nam res pretiosas, quae ad eius constructionem necessariae erant, Hebraei iussu divino ex Aegypto secum abstulerant (Ex 12, 35 s. cf. 11, 2). Quo tempore apud Aegyptios omnes artes florebant, Hebraei, cum in eorum templis et urbibus aedificandis occupati fuissent, earundem artium certe rudes non erant. Neque vero tabernaculum quia ex lignis tantum aulaeisque constructum erat, in perpetuum durare poterat. Josua illud in Silo erexit (Jos 18, 1), ibique coram Jahve terra Canaan singulis tribubus sorte distributa est. Quod autem brevi ante mortem Josua populus promisit se „praeter altare Jahvae dei sui, quod est ante tabernaculum eius“ (ib. 22, 29), nullo alio altari usurum esse, nemini dubium est, quin tabernaculum, quod in deserto huc atque illuc portandum erat, non tantum saepius refectum, sed procedente tempore etiam totum fere renovatum sit, ita ut solae reliquiae tabernaculi Mosaici remanerent. Quapropter verisimile esse videtur id quod M. Sebachim 14, 6 memoriae proditur, „in Silo non fuisse contignationem ligneam, sed structuram lapidum inferius et aulaea superius; nam illum fuisse locum quietis“. Jahve igitur illo tempore *domum* habebat, quae aulaeis contecta speciem *tentorii* retinebat; quare utroque nomine apte appellaba-

tur, ita ut nomen *domus dei* sive *Jahvae* (Jdc 18, 31; 19, 18. I Sm 3, 3) nequaquam mirum sit. Quoniam autem inferior pars ex lapidibus constabat, patet novum illud tabernaculum in castra non esse deportatum (I Sm 4, 3 ss.)[1]. Neque maiorem admirationem excitare potest, quod arca sacra a Philistaeis restituta in pristinam sedem non est reportata (I Sm 7, 1 s.); Hebraei enim poenis Bethsemitarum, qui parum reverenter arcam sacram tractaverant, metu perterriti eam portare noluerunt (ib. 6, 19). Aedificium autem in Silo erectum, postquam arcâ privatum est, de pristina religione magnam partem deperdidit; cum vero ob causas nobis incognitas altare holocaustorum et reliqua vasa sacra unâ cum antiqui tabernaculi Mosaisi reliquiis primo in urbem Gilgal (I Sm 10, 8; 11, 14 s; 13, 7. 12; 15, 12. 33)[2], deinde in urbem Nob (ib. 21, 1), postremo in urbem Gibeon (I Rg 3, 4. II Chr 1, 3) translata itaque iis locis similia aedificia exstructa essent, in quibus aliae quoque reliquiae vel res insignes asservabantur (I Sm 21, 10), penitus periit. Neque tabernaculi Mosaici religio tanta erat, ut arca foederis cum eo necessario coniungenda videretur. Tum demum, cum templo Hierosolymis aedificato arca illata est, Hebraei reliquiarum tabernaculi Mosaici recordati sunt atque „tabernaculum foederis et omnia vasa eius“ in templum deportarunt (I Rg 8, 4)[3]. Sacrarii igitur a Mose erecti non modo mentio fit, sed etiam eius historiam ab Hebraeorum ingressu in Canaan usque ad templum a Salomo exstructum quodam modo contexere possumus. Quod autem tota iudicum aetate pauca de eo atque de universo cultu Mosaico tradita sunt, ut vehementer dolendum, ita mirandum non est, quippe cum tota illa aetas continuis bellis et perturbationibus exagitaretur.

[1] Ceterum etiam Josua et iudicum aetate arca foederis sine tabernaculo castra secuta est, ut ex Jos cc. 3. 4. 6. Jdc 20, 18. 26 apparet. Postremum locum Hieronymus aliquantulum obscuravit, cum verbis v. 18: „Qui surgentes venerunt in domum dei“ explicationis causâ adderet: „hoc est in Silo“. Itaque בית־אל non pro nomine proprio urbis, sed pro nomine appellativo (= *domus dei* i. e. tabernaculum) habuit. Sed de tabernaculo sacro constanter בית־יהוה vel בית־האלהים, numquam בית־אל usurpari constat. Loco allato בית־אל nomen urbis esse ex v. 27 patet, ubi arca foederis illis diebus eo loco fuisse dicitur, qui v. 26 commemoratus erat, i. e. in Bethel. Quare v. 18 vertendus est: „Tum surrexerunt et adscenderunt in Bethel, ut interrogarent deum“. Arca foederis, cuius auxilio Jahve consuli solebat, cum exercitu in Bethel erat, licet tabernaculum in Silo fuerit.

[2] Alii dubitant, an verum sit tabernaculum foederis eo tempore in Gilgal fuisse; nam locis allatis id unum probatur Jahven singularem in modum in Gilgal praesentem fuisse. Fieri autem potuit, ut ob metum

Philistaeorum arca foederis e domo Abinadab in urbem Gilgal esset deportata (potius quam in urbem Silo, quippe cum ea incursionibus Philistaeorum magis pateret). Verba enim „coram Jahve" (I Sm 11, 15; 15, 33), quae plerumque de iis dicuntur, quae ante tabernaculum vel arcam fiunt, demonstrare videntur tabernaculum vel arcam illo tempore in Gilgal fuisse.

[3] Quem locum ii, qui scholae criticae addicti sunt, spurium putant, sicut omnes libri Josua partes, in quibus tabernaculi Mosaici mentio fit, ad codicem sacerdotalem pertinere contendunt.

Cf. R. Cornely, Hist. et crit. introd. in UT libr. sacr. II, 1, 139—141.

Caput nonum

Tabernaculum Mosaicum usque ad exstructionem templi sedem cultus divini fuisse demonstratur

Ut demonstremus tabernaculum foederis a Mose erectum usque ad exstructionem templi Hierosolymitani sedem cultus divini fuisse, prius de legibus agendum est, quibus praecipitur, ut *uno* loco sacra procurentur.

Atque in finibus, quos Hebraei habitabant, *unum* sacrarium fuisse, ubi Jahve ab universo populo publice coli volebat, omnia tria corpora legum, quae a criticis in Pentateucho distinguuntur, testantur.

1. In libro foederis, Ex 23, 14—19 unus locus cultus divini ponitur: tria festa anniversaria coram Jahve celebranda sunt; cuncti viri iis interesse neque vacuis manibus coram Jahve apparere debent; primitiae in domum Jahvae deferendae sunt. Ex verbis Ex 34, 23—26, quae loco allato respondent, viros longius iter ad domum Jahvae facere necesse est, quo tempore Jahve terram ab hostium incursionibus defendet.

Quae lex, si multa sacraria in terra dispersa fuissent (verba בֵּית יְהוָה a criticis collective accipiuntur), necessaria non fuisset; viris longius iter faciendum non fuisset; praeterea incertum esset, et in quod ex multis illis sacrariis primitiae deferendae essent et quis eas reciperet. Quae cum ita sint, lex ita tantum interpretanda est, ut quemadmodum Jahve unus sit, ita domicilium eius unum sit.

Quod autem contra unum locum cultus divini ex loco Ex 21, 5 s. affertur, id probabile non est; nam vocabulum הָאֱלֹהִים non sacrarium loci, sed (ut Ex 22, 8 s. Dt 1, 17. Ps 82, 6) iudices loci significat. Quod vocabulum non usurpari, ut illa ianua, ubi perforatio auris servi facienda

sit, accuratius significetur, inde cognoscimus, quod simili loco Dt 15, 17 non legitur. At etiamsi sacrarium significat, dominus servi uno ex tribus festis anniversariis eum ad sacrarium Jahvae ducere poterat.

Ut multa sacraria in terra fuisse demonstrent, critici imprimis locum Ex 21, 12—14 proferunt; qui si cum Dt 19, 11 s. comparetur, effici unum locum cultus divini paulatim demum exstitisse. Ex 21, 13 homicidae scienti loca, ad quae confugiat (numerus singularis ratione locorum Nm 35, 9—15. Dt 4, 41—43. Jos 20, 1—9 habita collective accipiendus est), in futurum constituuntur; v. 14: „qui de industria alium dolose interfecerit, is vel ab ara mea ad supplicium trahatur". Locum asyli, qui v. 13 nominatur, propter aram, quae v. 14 commemoratur, locum cultus divini proxime situm esse illi critici dicunt. Deuteronomium, quod sacrarium Hierosolymitanum unum legitimum locum cultus divini consideret, etsi ceteras aras, tamen ius asyli abolere nolle, ut 19, 1—13 quasdam urbes loca asyli describat. At respiciendum est, Ex 21, 12—14 id tantum dici homicidam scientem aram complexum tutum se putare, Dt 19, 11 s. autem dici, quid de eo, si ad urbem aliquam asyli fugerit, seniores eius civitatis faciant. Neque quod utroque loco vocabulum לָקַח usurpatur, idcirco in locum ararum abolitarum urbes asyli substitutae sunt. Ara ut apud alias gentes, ita apud Hebraeos semper iure asyli praedita erat, cum urbes asyli postea demum constituerentur; quamquam ara illud ius etiam tum retinebat. Duo in historia sacra exempla eius iuris usurpati (I Reg 1, 50; 2, 28) ad aram tabernaculi foederis pertinent.

Nihilo magis ex loco Ex 22, 28 s. concludi potest multa fuisse sacraria. Neque enim dies octavus, quo animal Jahvae reddendum est, diem sacrificandi significat, sed, si locum Lv 22, 27 comparamus, id tantum dicitur animal a die octavo immolari posse atque deo dicandum esse; quare etiam ex ministerio hominum eximitur (in eo operandum non est Dt 15, 19). Die aliquo festo Jahvae reddebatur idque haud dubie eodem modo, quo primitiae frugum terrae (Ex 23, 19). Verbum זָבַח (Ex 22, 29) immolare ipsum intellegamus minime necesse est; id vel inde efficitur, quod in versu antecedente de filio primogenito usurpatur.

2. Codicem sacerdotalem unum sacrarium nosse, tabernaculum conventus cum arca foederis, ante quam solam cultus lege praescriptus celebrandus sit, nemo est qui neget. Lv 17, 8—9 sacra legitima ullo alio loco fieri diserte vetantur.

3. In Deuteronomio saepius praescribitur, ne cultus publicus alio loco exerceatur nisi eo, quem Jahve elegerit. Quod 12, 2—7. 13—18 claris verbis dicitur; item 14, 23; 15, 20; 26, 2. Secundum 16, 2 etiam pascha eo loco, „quem Jahve elegerit, ut habitet nomen eius ibi", mactandum est. Secundum 17, 8 s. summum iudicium eo loco, quem Jahve elegerit, erit. Levitae ad cultum divinum exercendum vocati secundum 18, 6 s. eo tantum loco, quem Jahve elegerit, munere suo fungi debent.

Unumquodque igitur ex tribus legum corporibus Pentateuchi praecepta de eo loco, ubi sacra lege praescripta fiant, continet. In codice sacerdotali is locus tentorium conventus est; in Deuteronomio Jahvae reservatur, quem locum ad sacra facienda electurus sit; in libro foederis de domo Jahvae, quo populus dona deferat, ita agitur, ut situm eius loci notum esse ponatur. In unoquoque autem ex tribus corporibus legum de *uno* loco, ubi Jahve a populo suo coli velit, sermo est.

Quibus praemissis demonstrare possumus tabernaculum foederis usque ad templum a Salomo exstructum sedem cultus divini fuisse. Atque quod ad aetatem Josua attinet, id nemo negat nisi qui opinionibus praesumptis occupatus omnes libri Josua locos, quibus tabernaculi foederis mentio fit (18, 1. 8. 10; 19, 51; 22, 29), commenticio illi codici sacerdotali adscribit; neque alterius loci, qui ad sacra facienda destinatus fuerit, invenitur vestigium. Liber iudicum de Hebraeorum statu religioso pauca tradit; quamquam memoriae prodit in Silo, ubi „domus dei" erat (18, 31), festa anniversaria Jahvae honorandi causâ esse acta (21, 19). Verum quidem est in eo libro alia quoque loca commemorari, ubi Jahvae sacra fiebant. Velut Hebraei paenitentes in Bochim (2, 1—5), Gideon prope domum paternam (6, 20—28), Manoah, pater Simson, in agro (13, 19) sacris operabantur. Sed illa loca apparitionibus „angeli Jahvae" consecrata erant ibique permittente deo legislatore sacrificia offerebantur. Sed cum Gideon sua sponte „in urbe sua Ophra" sacrarium quoddam constituisset, sacer scriptor memoriae tradit id „Gideon eiusque domui laqueum (i. e. causam perniciei) factum esse" (8, 27). Etiam ultimis iudicum temporibus praeter tabernaculum in Silo erectum nullum aliud sacrarium vel locum ad res divinas perpetrandas destinatum fuisse tota historia de ortu et pueritia Samuelis confirmat (I Sm cc. 1—3).

Quae cum ita sint, dubium non est, quin a morte Mosis usque ad Samuel *uno loco* sacra celebrata sint. A Samuel autem usque ad templum exstructum res aliter se habuisse videtur. Illud quidem mirum non est, quod Samuel ipse diversis locis, ubi neque tabernaculum neque arca foederis erat, sacra fecerit (I Sm 7, 6—9. 17); erat enim propheta agebatque divino impulsu. Neque mireris, quod Saul post victoriam de Philistaeis reportatam (I Sm 14, 35) aut David in area Aravnae Jebusaei (II Sm 24, 25. I Chr 21, 26) altare erexerit; nam ea loca miraculoso Jahvae auxilio et apparitione angeli consecrata erant; atque in castris Saul arcam foederis fuisse ex I Sm 14, 18 apparet. At illo tempore usu receptum esse videtur, ut familiae in suis domibus vel in praecipua tribuum civitate sacrificia offerrent (I Sm 20, 28 s. II Sm 15, 7 s.). Sequitur, ut lex, quae alio loco atque ante

tabernaculum sacris operari vetabat, a morte summi sacerdotis Eli usque ad aedificationem templi servata non sit. Quamquam illa impietas, etsi non plane excusanda est, attamen explicari potest. Arca enim a tabernaculo foederis separata erat, ita ut eo tempore quasi duo legitima sacraria apud Hebraeos essent; nam ante arcam semper sacrificare licebat atque etiam tabernaculum. ante quod altare holocaustorum relictum erat, legitimus sacrificiorum locus remanebat (I Rg 3, 4. coll. c. II Chr 1, 3). Tabernaculum autem et arca saepius locum mutaverunt; unde populum dubitatione quadam aestuasse facile intellegitur. Praeterea eodem tempore duo quoque summi sacerdotes erant, quorum alter ab Eleazar, alter ab Ithamar originem trahebat (quod de aetate David ex II Sm 20, 25 certum est). Quare mirum non est animos Hebraeorum eo rerum statu perturbatos esse, ita ut etiam sacra, quae extra legitima sacraria fiebant, rata esse existimarent.

Ab eo demum tempore, quo templum Hierosolymitanum exstructum eique arca foederis et reliquiae tabernaculi Mosaici illatae erant, mons Sion sedes cultus divini factus est neque extra templum sacris operari fas erat. Quod quidem nonnulli negant atque loca excelsa afferunt, ubi incolae utriusque regni diu sacra fecerint, incolae regni Israelitici usque ad eius interitum, incolae regni Judaici usque ad aetatem regis Josia.

Atque imprimis sacrificiis prophetarum Elia (I Rg 18, 29—38) et Elisa (ib. 19, 21) argumentis utuntur. At iis sacrificiis illa opinio minime demonstratur; nam ea a prophetis oblata sunt idque permittente aut approbante deo. Neque rectius confugiunt ad sacrificium a Salomo in Gibeon oblatum, „quia ibi erat הַבָּמָה הַגְּדוֹלָה *excelsum maximum*“ (I Rg 3, 4); maximus autem ille locus excelsus vocatur, quia „ibi erat אֹהֶל מוֹעֵד *tabernaculum conventus* dei, quod fecerat Moses, servus Jahvae, in deserto“ (II Chr 1, 3). Praeterea respiciendum est eo tempore templum nondum aedificari coeptum esse (I Rg 3, 2).

Deinde inter reges Josia primum fuisse contendunt, qui loca excelsa abstulerit. Quod a vero plane abhorret. Nam II Rg 18, 4. 22 = Jes 36, 7 memoriae proditur iam centum fere annis ante regem Josia Hiskia ea delevisse, cuius argumenti vis eo non infringitur, quod post mortem regis Hiskia cultus locorum excelsorum restitutus est (sub Menasse II Rg 21, 3 = II Chr 33, 3. 19. cf. v. 17 et Amon II Rg 21, 20—22 = II Chr 33, 22). Atque plus trecentis annis ante Josia iam Asa et Josaphat loca excelsa auferre conati sunt (II Chr 14, 2; 17, 6. cf. I Rg 15, 14 = II Chr 15, 17. I Rg 22, 44 = II Chr 20, 33). Opinio igitur Jahven uno loco sacrificiis colendum esse nequa-

quam regis Josia demum aetate exorta est, sed lex, quae id praescripsit, etsi non semper servata est, tamen semper exstabat.

Quod clarius patet, si sacros libros inspicimus. Atque libros Regum omittimus, quia ii, qui scholae criticae adhaerent, eorum testimonium, quippe quod recens sit, respuunt. Ex libris autem propheticis, quorum fidem agnoscunt, adhuc ne unum quidem dictum attulerunt, quo comprobaretur apud Hebraeos plura loca ad sacra facienda fuisse destinata, sed ex silentio solo argumentantur et negant prophetas unum locum sacrum usquam commendasse; unde apparere nullam eius modi legem fuisse. Quod argumentum nullius esse auctoritatis nemo non videt. Ceterum aetate Hiskia regis Jesaia (2, 2 s.) et Micha (4, 1 s.) ita de Sion dicunt, ut, nisi ille mons eo tempore sola sedes cultus divini fuisset, eorum verba quid valerent, non intellegeretur. Ea quoque, quae Jesaia 4, 2—6 dicit, omni carerent intellectu, si propheta plura cultus legitimi loca agnovisset. Praeterea idem clare dicit: „Jahve exercituum in monte Sion habitat“ (8, 18); mons Sion est „locus nominis Jahvae exercituum“ (18, 7); „Jahve ignem suum in Sion focumque Hierosolymis habet“ i. e. perpetuis sacrificiis in templo Hierosolymitano colitur (31, 9); Hierosolymis „sollemnitates“ Jahvae aguntur (29, 1); Hierosolyma Hebraei pergunt, ut tibiarum cantu aliorumque instrumentorum musicorum concentu „ad montem (i. e. templum) Jahvae“ veniant (30, 29); Sion est „civitas conventuum“ populi, nam ibi „magnificus est Jahve“ (33, 20 s.). Idem autem propheta ut Sion tamquam sedem religionis celebrat, ita loca excelsa damnat; nam non solum memoriae prodit Hiskia ea abstulisse (36, 7), sed etiam praedicit fore, ut Hebraei propter hortos, quos elegerint, i. e. propter lucos sacros erubescant (1, 29), et praevidet, quo tempore non amplius ad aras (Jahvae erectas praeter eas, quae secundum legem divinam in templo exstructae erant) et simulacra deorum, quae fecerint, animum attenturi sint (17, 7 s.). Acrius Micha, Jesaiae aequalis, in loca excelsa invehitur; nam „loca excelsa Judae“ ita usurpat, ut unum idemque valeant quod „peccatum“ Judae κατ' ἐξοχήν (1, 5). Etiam prophetae regni decem tribuum Hierosolyma tamquam sedem Jahvae considerant (cf. Am 1, 2: „Jahve e Sion rugiet et ex Hierosolymis edet vocem suam“) et omnia loca excelsa damnant (cf. Hos 4, 15; 5, 8. Am 3, 14; 4. 4. al.).

In psalterio quoque, cuius plurima cantica ante aetatem regis Josia composita sunt, mons Sion ut sola sedes Jahvae in medio populo celebratur. Nam postquam arca foederis in eum translata est, factus est „mons sanctus“ Jahvae (2, 6; 3, 5; 15, 1), „tabernaculum“ Jahvae (15, 1), in quo Jahve „habitat“ (9, 12), ex quo preces „exau-

dit" (3, 5), „mittit auxilium" et „suffulcit" (20, 3), ubi populus vota persolvit, quae rebus adversis temptatus et auxilium Jahvae exspectans atque implorans fecerat (65, 2). Quare pii Jahvae cultores tanto cum ardore ad eum montem accedere desiderant (cf. Ps 42. 43. 122); nam „quicumque Jahvae confidit, sicut mons Sion non movebitur, (sed) perpetuo sedebit" i. e. firmus et immotus consistet (125, 1). Quae omnia intellegi non possunt, si praeter templum Hierosolymitanum alia loca erant, ubi Jahve praesens adesse, suos exaudire eorumque sacrificia accipere credebatur.

Cf. R. Cornely, op. all. II, 1, 141—145; J. Kley, Die Pentateuchfrage 196—204; W. Engelkemper, Heiligtum und Opferstätten in den Gesetzen des Pentateuch. Paderborn 1908.

Adnotatio. — Memoratu digna est opinio, quam P. Vetter (Th Q LXXXI, 1899, 525) de loco cultus Jahvae protulit: Secundum legem Mosaicam unus erat locus legitimus sacrificiorum. Quae lex aetate iudicum ita intellegebatur, ut sacrificia ordinaria eo loco, ubi arca foederis erat, offerenda essent, sacrificia autem extraordinaria etiam in locis aliquâ Jahvae praesentiâ consecratis offerri possent, velut sacrificium, quod Gideon (Jdc 6, 11—24) et parentes Simson (ib. 13, 16—23) obtulerunt. Postquam arca foederis in manus Philistaeorum venit (I Sm 4, 11), nullus iam locus fuit, qui a Jahve ad sacra facienda electus existimari posset; quare Samuel, David, Salomo, alii modo hîc modo illic sacra faciebant. Templo Hierosolymitano aedificato hîc erat unus locus legitimus sacrificiorum. Sed multitudo ex longo tempore in variis locis excelsis sacra facere consuevit, quod tenuit, imprimis in regno decem tribuum, cuius reges eam sacrorum causâ Hierosolyma proficisci vetabant. Quare etiam prophetae cultum Jahvae in locis excelsis exercitatum paterentur necesse erat, quem si prohibuissent, multitudo deos commenticios colere coepisset. Sed post interitum regni decem tribuum severe postulabant, ut lex Mosaica de uno cultus divini loco observaretur. Atque iam Hiskia cultum locorum excelsorum acriter neque frustra impugnare coepit; sed regi Josia demum contigit, ut loca excelsa in perpetuum aboleret. Ex quo tempore templum Hierosolymitanum unus locus sacrificandi erat ac permanebat.

Sectio secunda

De templo Salomonis

Praesidia doctrinae. — Complura opera in Bl. Ugolini Thes. VIII et IX. — A. Hirt, Der Tempel Salomo's. Berlin 1803. — J. F. v. Meyer, Der Tempel Salomonis. ib. 1831. — C. F. Keil, Der Tempel Salomo's. Eine archäologische Untersuchung. Dorpat 1839. — C. Ch. W. Bähr, Der salomonische Tempel mit Berücksichtigung seines Verhältnisses zur heiligen Architektur überhaupt. Karlsruhe 1848. — M. de Vogüé, Le temple de

Jérusalem. Monographie du Haram-esch-Cherif. Paris 1864. — L. de Saint-Aignan, Le temple de Jérusalem. ib. 1876. — O. Wolff, Der Tempel von Jerusalem und seine Maße 15—65. Graz 1887. Tempelmaße. Das Gesetz der Proportion in den antiken und altchristlichen Sakralbauten. Wien 1912. Der Tempel von Jerusalem 27—53. ib. 1913. — Th. Friedrich, Tempel und Palast Salomo's. Denkmäler phönikischer Kunst. Rekonstruktion, Exegese der Bauberichte, mit Grundrißen und Perspektiven. Innsbruck 1887. — C. Chipiez et G. Perrot, Le temple de Jérusalem et la maison du Bois-Liban, restitués d'après Ezechiel et le livre des rois. Paris 1889. — H. Sulley, The Temple of Ezechiel's Prophecy. London 1889. — C. Schick, Die Stiftshütte, der Tempel in Jerusalem und der Tempelplatz der Jetztzeit 55—215. Berlin 1896. — J. Prestel, Die Baugeschichte des jüdischen Heiligtums und der Tempel Salomons. Straßburg 1902. — E. Schmidt, Solomon's Temple in the Light of other Oriental Temples. Chicago 1902. — C. Mommert, Topographie des alten Jerusalem. II. Das Salomonische Tempel- und Palastquartier auf Moriah. Leipzig 1903. — H. Vincent, La description du temple de Salomon. Notes exégétiques sur I Rois 6 (RB N.S. IV, 1907, 515—542). — H. Lesêtre, Le temple de Jérusalem. Paris 1912. — G. Richter, Der ezechielische Tempel. Gütersloh 1912.

Descriptio templi a Salomo exstructi, quam I Rg 6, 1—38; 7, 13—51 et II Chr 3, 1—5, 1 legimus, multa, quae eo tempore aliunde nota erant, reticet neque nonnulla vocabula, quae ad artem architectonicam Hebraeorum pertinent, satis certae sunt significationis; praeterea nonnumquam mendis librariorum laborare videtur, ut multis locis imperfecta sit.

Uberior templi descriptio, quae apud Ez cc. 40—43; 46, 19—24 invenitur, nemo facile definiet quatenus templi Salomonis imaginem exprimat. Complures quidem existimant templum ab Ezechiel conspectum idem fuisse atque illud Salomonis, quod utriusque descriptio ab eodem auctore deo profecta sit, utrumque templum eundem cultum divinum spectaverit, nulla in utraque descriptione differentia inveniatur respectu atriorum, aedis sacrae eiusque partium. Quapropter contendunt Ezechiel eas templi partes aut parcius descripsisse aut plane omisisse, quae in libris historicis uberius descriptae sunt, velut duas columnas ante aedem sacram positas, candelabrum, mensam panum, altare suffitus, arcam; contra eum uberius descripsisse altare exterius, mensuras portarum, atriorum, conclavium, quorum in libris historicis aut nulla aut parum plena mentio fit. Quantum autem equidem iudicare possum, Ezechielis descriptio non ad verbum, sed ut imago intellegenda est. Quod ex eo ipso apparet, quod templum postea non ex descriptione a propheta facta aedificatum sit, id quod Esra et Nebemia, si eam ad verbum intellexissent, dubium non est quin fecissent.

Ceterum imperfecta illa descriptio templi Salomonis, quam in libris Rg et Chr legimus, etiam ex Jos. AJ 8, 3 suppleri non potest; iure enim dubitatur, an Josephus, quae de templo suae aetatis i. e. Herodiano observaverat, plus minus templo Salomonis tribuerit. Atque multo minus iis, quae Judaei posterioris aetatis memoriae prodiderunt, res, de qua quaeritur, explicatur.

Caput primum

De aedificatione templi

Quod Jahve regi David non permiserat, ut stabilem divino cultui locum sive templum exstrueret, quoniam multum sanguinem bellis effudisset (II Sm 7, 1—13. I Chr 22, 8—10; 28, 3—6. I Rg 5, 17)[1], id Salomo eius successor effecit, qui quarto anno regni[2] ad figuram tabernaculi Mosaici[3] imprimis ex ingentibus opibus ad id iam a David collectis (I Chr 22, 2—5. 14—16; 28, 14—18; 29, 2—9) templum aedificare coepit. Ad quod exstruendum antequam aggrederetur, cum Hiram, eodem Tyriorum rege (980—946 a. Ch.), quocum iam David tractaverat[4], pactum iniit de cedris et abietibus Libani caedendis atque opificibus mittendis (I Rg 5, 15—26. II Chr 2, 3—16. Jos. AJ 8, 2. 6 s.); utrorumque enim in Palaestina magna erat penuria. Deinde ad id tam magnificum opus efficiendum septuaginta milia baiulorum et octoginta milia latomorum cum tribus milibus et sescentis praefectis ex gentilibus operam conferebant (I Rg 5, 29. II Chr 2, 1. 17)[5], ex Hebraeis triginta milia operariorum, qui ducentis quinquaginta praepositis subditi erant et cum caementariis Phoeniciis lapides in Libano dolabant, ita tamen ut tertia eorum pars tertio quoque mense laboribus incumberet, cum ceteri ad familias suas regrederentur et quiescerent (I Rg 5, 27 s.). Lapides et ligna praeparata e Libano in mare, deinde mari Joppen, postremo terrâ Hierosolyma deportabantur (II Chr 2, 15). Etiam ex lapicidinis Hierosolymitanis, quae hodie Murârat el-Kettân vocantur, lapides excidebantur.

[1] Cur Jahve regem David templum aedificare noluerit, David ipse et Salomo filio (I Chr 22, 8—10) et principibus populi (ib. 28, 3—6) his verbis indicavit: „Verbum Jahvae factum est ad me: Fudisti multum sanguinis et proelia magna gessisti, non aedificabis nomini meo aedem, sanguinis enim multum fudisti in terram coram me. Ecce filius tibi nascetur, hic erit vir quietis... Ille aedificabit domum nomini meo“ — „Deus dixit mihi: Non aedificabis aedem nomini meo, es enim vir bellator et effudisti sanguines ... Et dixit mihi: Salomo, filius tuus, ipse aedificabit domum meam“. Cum quibus verbis verba Salomonis ad Hiram, regem Tyriorum, bene conciliari possunt: „Tu nosti, quo modo David, pater meus, non potuit aedificare aedem nomini Jahvae dei sui ob bella, quae eum undique cinxerant, donec Jahve hostes eius pedibus eius subegerit. Nunc vero requiem praestitit mihi Jahve deus meus circumquaque, ita ut non sit, qui se mihi opponat aut malum obiciat“ (I Rg 5, 17 s.). Neque vero si II Sm 7, 1—13 et I Chr 17, 3—12 illa ratio non diserte adducitur, idcirco ea additamentum est postea insertum, id quod nonnulli (velut *J. Benzinger, R. Kittel*) affirmant; nam auctor primi libri Chr testatur regem David bis (22, 8—10 et 28,

3—6) eam rationem a Jahve sibi patefactam attulisse; credendum ergo est David eam re vera attulisse. Alii (ut *E. Bertheau*) existimant illis verbis id unum significari regi David multis bellis implicato tempus templi aedificandi defuisse; at Jahve iam dederat ei „requiem circumquaque ab universis inimicis suis" (II Sm 7, 1), cum de templo exstruendo cogitaret, et I Chr 22, 8; 28, 3 de sanguine iam effuso dicit. Alii (velut *F. de Hummelauer*) putant David, cum aliqua bella iniqua gessisset, a Jahve prohibitum esse templum aedificare; sed haec opinio neque ex sacris litteris neque ullo alio argumento confirmari potest.

[2] J. Hontheim (ZkTh XXXVI, 1912, 50—55) iustis causis tribus variis modis demonstravit templum Salomonis anno a. Ch. n. 969 aedificari coeptum esse.

[3] Quamvis Salomo auctore Sap 9, 8 in exstruendo templo μίμημα σκηνῆς ἁγίας sequeretur, duplicatis tamen dimensionibus omnique apparatu mirum in modum aucto, nihilo minus haud pauca ex architectura Aegyptiorum et Phoenicum adoptavit. Et cum dubium non sit, quin in ceteris Salomonis operibus Syrorum auctoritas magni fuerit momenti, imprimis in porticibus, verisimillimum est etiam in templo aedificando Syrorum auctoritatem plurimum valuisse. Quod ex reliquiis quoque aedificiorum Syrorum (nempe ex posteriore aetate) cum Salomonis templo comparatis apparet. Nonnulli viri docti structurae genus et apparatum templorum Babyloniorum et Assyriorum ad templum Hierosolymitanum pertinuisse existimant; sed eorum quaestiones adhuc non tantum profecerunt, ut aliquid certi dici possit. Quod autem templum a peregrinis artificibus, qui ex parte peregrina exempla sequebantur, aedificatum est, inde non efficitur, eo non opiniones ad religionem Jahvae spectantes, sed tantum notiones ad religionem pertinentes, in quibus totus oriens antiquus versabatur, significari *(J. Benzinger);* nam ex I Chr 28, 19 apparet Jahven ipsum exemplaris templi auctorem fuisse.

[4] Fuerunt qui duos reges Tyriorum nomine Hiram distinguerent, amicum regis David et amicum Salomonis. Contra quos iam F. C. Movers (Die Phönizier II, 1, 147 ss.) locum II Chr 2, 2 (Vulg. v. 3) attulit, ubi Hiram amicus Salomonis idem fuisse dicitur, qui amicus David. Ipse F. C. Movers existimat scriptorem librorum Samuelis ordinem temporum non servare atque tum, cum David domo cedrina aedificata de templo exstruendo cogitabat (II Sm 7, 2), Salomo iam natum fuisse. Quam opinionem J. F. Stenning quoque (*J. Hastings,* Dictionary of the Bible II, 389[b]) approbat. Verum obstat, quod Nathan propheta, qui regem David templum a Salomo exstructum iri docet, de Salomo nondum nato, sed nascituro loqui videtur. Neque eam difficultatem a F. C. Movers, qui eam et ipse sensit, commode solutam esse dici potest (op. all. 149).

[5] I Rg 5, 30 non leguntur nisi tria milia trecenti praefecti. Sed verisimile est et I Rg 5, 30 et II Chr 2, 1. 17 non de praefectis operariorum agi. Cf. N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige 36 s. Die Bücher der Chronik 110. 112.

Caput secundum

De atriis templi

I. Moria (מֹרִיָּה et מוֹרִיָּה, Jos. AJ 1, 13. 1: τὸ Μώριον ὄρος)[1], in quo secundum ultimam regis David voluntatem templum aedificatum est (II Chr 3, 1)[2], erat collis praeceps, quem ab oriente et occidente valles profundae Kidron et Tyropoeon, a meridie collis proclivis Ophel cingebant. Quare Salomo, ut spatium pro atriis et aedificiis templi ampliaret, montem muro solido lapidibus quadris e vallibus erecto et substructionibus munivit atque intervalla aggere explevit. Quae area plana muro cincta, in quovis latere, imprimis versus orientem, porticibus ornata erat, ad quas se populus, cum pluebat aut aestus exoriebatur, recipiebat[3]. Ad orientem versus *duo atria* (II Rg 21, 5; 23, 12. II Chr 33, 5) subdialia sita erant, atrium exterius populo destinatum et atrium interius sacerdotibus reservatum[4].

[1] Vulgo nomen *Sion* etiam collem *Moria* complectebatur, cuius nomen in sacris litteris bis legitur, Gn 22, 2. II Chr 3, 1. De origine nominis מֹרִיָּה cf. A. Deimel in Zk Th XXIII, 1899, 555—557.

[2] In huius montis vertice, ubi secundum famam Hebraicam, contra quam tamen nonnulli dicunt, Abraham filium suum deo sacrificare voluit (Gn c. 22), erat area Aravnae Jebusitae, ubi angelus Jahvae David apparuit (II Sm 24, 16—25. I Chr 21, 18—26).

[3] Templum non medium huius areae locum occupabat; ea enim etiam *aulam regiam* includebat, quae ad partem templi versus orientem spectantem sita unà cum porticibus centum cubita longa, quinquaginta lata, triginta alta erat (cf. Th. Friedrich, op. all. 48—55).

Auctore O. Wolff (Der Tempel von Jerusalem und seine Maße 24. 53. cf. tab. VI.) arca foederis in summo saxo sacro posita erat. Sed vero propior esse videtur opinio C. Schick (op. all. 111) eum locum altari holocaustorum occupatum fuisse.

[4] Quod temporibus regis Josaphat memoratur הֶחָצֵר הַחֲדָשָׁה *atrium novum* (II Chr 20, 5), non tertium quoddam atrium erat, cum multo post, aetate regis Menasse, sacrae litterae duorum tantum atriorum mentionem faciant (II Rg 21, 5; 23, 12. II Chr 33, 5). Erat nihil aliud nisi atrium maius sive Israelitarum, quod vel ab Asa, cum altare holocaustorum instauraret (II Chr 15, 8), vel ab ipso Josaphat, eius successore, renovatum est.

In priore igitur templo non fuit *atrium gentium*. Neque enim scriptores librorum sacrorum neque interpretes Judaici usquam eius mentionem faciunt. Salomo quidem in precibus ad deum effusis, cum templum dedicaret, הַנָּכְרִי *peregrinum* memorat, „qui non sit ex populo Israel" et אֶל־הַבַּיִת הַזֶּה adoret (I Rg 8, 41 s.). Sed non constat vocabulum נכרי hominem eo tempore, quo adorat, sacris ethnicis addictum intellegi et אל־הבית הזה verbis *in hac aede*, non *ad* vel *versus aedem hanc* verti necesse esse.

II. Atrium exterius (חֵצֶר הַחִיצוֹנָה Ez 40, 17) sive atrium magnum (הָעֲזָרָה הַגְּדוֹלָה II Chr 4, 9. Vulg. *basilica grandis*). verisimiliter quadratum, muro cinctum (Ez 40, 5) et lapidibus stratum (ib. v. 17) erat. Habebat ab oriente, aquilone, meridie singulas portas parvis turribus instructas, ad quas per septem gradus adscendebatur (ib. v. 6. 20. 22. 24. 26). Valvae portarum bifariae aereque tectae erant (II Chr 4, 9). Quartus aditus ab occidente patebat isque שַׁעַר שַׁלֶּכֶת *portá deiectionis* vel *eversionis*, ad quam clivus ducebat (I Chr 26, 16). Inter singulas portas varia aedificia exstructa erant, in quorum cubiculis (לְשָׁכוֹת) vasa sacra aliaque utensilia, praeterea magna copia earum rerum, quae ad sacrificia necessariae erant, servabantur, denique sacerdotes et Levitae tempore ministerii habitabant (Jer 35, 2. 4. Ez 40, 7 ss. II Chr 31, 11). In quattuor atrii angulis erant atria minora (Vulg. *atriola*), ubi epulae sacrificales populo parabantur (Ez 46, 21—24).

In medio atrio (II Chr 6, 13), ante altare holocaustorum (I Reg 8, 22. 54. II Chr 6, 12) עַמּוּד *suggestus* lignei collocabatur, quem reges e familia David oriundi occupare solebant (II Rg 11, 14; 23, 3. II Chr 23, 13; 34, 31). — II Rg 16, 18 memoratur מוּסַךְ הַשַּׁבָּת (Kethîb מוּסָךְ) *porticus sabbati*, pars quaedam atrii templi, quam Ahaz propter regem Assyriorum exstruendam curavit. Sub qua quid intellegendum sit, non constat. Cf. RE³ XVII, 284.

III. Ex hoc atrio complures (octo vel quindecim) gradus ad atrium interius (חֵצֶר הַתִּיכוֹנָה I Rg 6, 36) vel atrium sacerdotum (חֲצַר הַכֹּהֲנִים II Chr 4, 9) ducebant; quare etiam *atrium superius* (הָעֶלְיוֹן Jer 36, 10) vocabatur. Id aedem sacram ipsam circumdabat (I Rg 8, 64), ab atrio exteriore muro, e tribus ordinibus lapidum politorum atque ordine lignorum cedrinorum constructo, separabatur (ib. 6, 36) et lapidibus stratum erat (cf. II Chr 7, 3). Tres habebat portas, ab oriente („portam domus Iahvae excelsam“ II Chr 27, 3), a septentrionibus et meridie singulas; murus autem in occidentem spectans ob sanctissimi reverentiam portá carebat. Habebat quoque complura cubicula ad varios usus destinata (Jer 35, 4; 36, 10. Ez 40, 28—47; 46, 19 s. I Chr 9, 33).

In quo atrio aedes sacra exstructa erat. Ad orientem versus altare holocaustorum erectum erat, verisimiliter ex lapidibus non sectis aedificatum et, ut in atrio tabernaculi Mosaici, aere obductum (I Rg 8, 64. II Rg 16, 14), vicena cubita longum et latum, decem altum (II Chr 4, 1). Diligentius non describitur. Fortasse ita cogitari potest, ut Ezechiel 43, 13—17 altare describit. Vasa et instrumenta ad altare pertinentia multo plura quam in tabernaculo sacro aderant.

Rex Ahas id altare holocaustorum removit aliudque substituit, cuius formam Damasci viderat (II Rg 16, 10—14), et licet probabile sit regem Hiskia eius loco novum fecisse (ib. 18, 22) — etiam Menasse altare exstruxisse dicitur (II Chr 33, 16) — tamen vix est verisimile id altare, quod usque ad excidium templi mansit, aeneum fuisse, quoniam inter vasa aenea a Chaldaeis ablata non memoratur (II Rg 25, 13—17. Jer 52, 17—23). Unde multi colligunt iam ab Ahas altari aeneo lapideum substitutum esse.

Inter altare et aedem sacram [1] erat lavacrum aeneum permagnum (quare יָם הַנְּחֹשֶׁת *mare aeneum* I Chr 18, 8 et יָם מוּצָק *mare fusum* I Rg 7, 23. II Chr 4, 2 vocabatur), ad lustrationem sacerdotum destinatum, quinque cubita altum, decem cubita per medium occupans, triginta (secundum Graecos Alexandrinos ad III Rg 7, 10 τρεῖς καὶ τριάκοντα) [2] cubita in circuitu metiens, instar lilii (quod est symbolum sanctitatis et suavitatis) sexagonum et in labiis tamquam campana inversa repandum. Sculpturis varii generis ornatum et epistomiis quoque instructum, in dorsis duodecim boum aeneorum (quibus duodecim tribus in sacerdotio coniunctae significabantur) quiescebat, quorum terni in aliud orbis latus respiciebant (I Reg 7, 23—26. II Chr 4, 2—5). Eius capacitas secundum I Rg 7, 26 erat duorum milium batorum, secundum II Chr 4, 5 et Jos. AJ 8, 3. 5 trium milium batorum. Quod quidam mendum librariorum existimant ג = 3000 et ב = 2000 inter se permutatis. Ex aliorum opinione labrum capiebat quidem tria milia batorum, sed duobus milibus batorum replebatur. Alii aliter explicant. [3]

[1] Spatium „inter vestibulum et altare", quippe quod sacrum haberetur, solis sacerdotibus concessum erat, qui ibi tempore supplicationum sollemnium pro populo deprecari solebant (Joel 2, 17).

[2] Fortasse interpres Graecus post litteram ל = 30 etiam litteram ג = 3 legit. In editione Complutensi verba τρεῖς καί ante τριάκοντα desunt.

[3] Variae dubitationes moveri possunt et contra aptitudinem maris aenei, quod duodecim bobus erectis superpositum quinque cubita altitudinis habet, et contra textus I Rg 7, 23—26 et II Chr 4, 2—5, qui saepius corrupti esse videntur sicut multi alii sacrarum litterarum loci, ubi de Salomonis aedificiis operibusque arte factis agitur. Conferas ea, quae F. de Hummelauer in BZ IV, 1906, 225—231 exponit.

Praeterea aderant decem labra (כִּיֹּרִים) minora, et ipsa aenea, perquam artificiose confecta, probabiliter rotunda, quorum quina ad septentriones et ad meridiem versus spectabant. Sustentabantur basibus aeneis quadratis, quattuor cubita longis et latis, tria altis, quarum latera figuris leonum, iumentorum, cherubim, sertis dependentibus ornata erant. Basibus rotae aeneae suppositae erant, ut facile moveri possent. In his labris carnes victimarum lavabantur. Ambitus unius-

cuiusque quattuor cubitorum, capacitas quadraginta batorum erat. — I Rg 7, 27—39. II Chr 4, 6.

Bases (מְכֹנוֹת) illorum lavacrorum similes esse dicuntur *makânat* apud Minaeos, labris quibusdam apud Babylonios, praeterea in Creta (in Jovis antro in Ida sito) et Cypro (in Larnaka et Enkomi) usitatis. At quid aqua in cultu valeat, tam clarum est, ut opus non sit explicare, cur labra in templo Hierosolymitano in usu fuerint.

Cf. B. Stade, Die Kesselwagen des salomonischen Tempels (ZAW XXI, 1901, 145—190). R. Kittel, Studien zur hebräischen Archäologie und Religionsgeschichte 189—242. Leipzig 1908.

Omnia aenea templi vasa, quae modo memoravimus, in vicinia Jordanis fusa sunt. Ad haec aliaque opera Salomo homine in aere conflando et cudendo peritissimo usus est, Hiram Judaeo, sed a patre Tyrio oriundo, qui a Phoenicibus artibus institutus erat (I Rg 7, 13 ss. II Chr 2, 12 s.).

Adnotatio. — Mensuras atriorum litterae sacrae non definiunt. Verisimile autem est atrium interius muris additis ducenta cubita longum et centum latum, exterius quadraginta cubita longum et ducenta latum fuisse. Auctore Ezechiel illud quadratum centum cubitorum (40, 47), hoc quadratum quingentorum cubitorum (42, 15—20) erat.

Caput tertium

De aede sacra

I. Aedes sacra (הַבַּיִת), intus sexaginta cubita longa, viginti lata, triginta alta (I Rg 6, 2. II Chr 3, 3), magnis lapidibus quadris constructa erat (I Rg 5, 31). Parietes, qui tabulis cedrinis obtecti et diversis figuris, i. e. cherubim, palmis, aliis ornamentis caelatis (i. e. basreliefs en creux) ornati erant (I Rg 6, 18. 29), unâ cum laquearibus cedrinis et pavimento, tabulis cupresseis constrato, laminis aureis vestiti erant, a quibus lumina candelabrorum refulgebant (I Rg 6, 15. 18. 20—22. 29 s. II Chr 3, 5—7). Tectum planum e lignis cedrinis factum (I Rg 6, 9) et fortasse lapidibus marmoreis stratum erat.

Secundum interpretes Alexandrinos (III Rg 6, 6) aedes sacra quadraginta cubita longa, viginti quinque alta erat. Sine dubio litterae ם = 60 et מ = 40 permutatae sunt.

Ante ianuam aedis sacrae erat pronaus (אוּלָם) [1], viginti cubita latus, decem longus (I Rg 6, 3. II Chr 3, 4). Eius altitudo in sacris litteris non memoratur. Si enim II Chr 3, 4 pronaus centum viginti cubita altus fuisse dicitur, id pro mendo librariorum habendum est [2].

At temporibus Herodis Magni opinio illa de tanta pronai altitudine vulgata erat; nam ut Josephus AJ 15, 11. 1 memoriae tradit, Herodes de templi Salomonis altitudine certior factus novam templi structuram in eandem altitudinem erigere molitus est. In pronao arma regis David (II Rg 11, 10) aliaque dona templo sacrata suspensa erant. Eius porta valvis carebat.

[1]) Pronaus a nonnullis parum diligenter *vestibulum* appellatur, quod non pars aedium erat. Cf. Aul. Gell. Noct. Attic. 16, 5: „C. Aelius Gallus in libro secundo de significatione verborum, quae ad ius civile pertinent, vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum.“ Nomen autem προνάου ei parti convenit, vel quod est ante ναόν sive aedem sacram vel quod est prior pars τοῦ ναοῦ, velut πρόλογος ingressus sermonis vocatur.

[2]) Fortasse loco allato אמות עשרים *viginti cubita* legendum est (cf. versionem Arabicam). Ex aliorum opinione pronaus ut aedes sacra triginta cubita altus erat.

Ad pronaum exornandum duae columnae aeneae serviebant, quarum una a dextera, altera a sinistra erecta erat. Illa יָכִין i. e. *stabilivit* Jahve, haec בעז (quod vocabulum non בְּעַז = בּוֹ עֹז *in eo* sc. Jahve est *robur* legendum est, sed בְּעֹז *in fortitudine)* vocabatur. Quae columnae, intus cavae, octodecim cubita altae [1], duodecim in circuitu metientes [2], ex aere quattuor digitos crasso confectae et capitibus quinque cubita altis [3] ornatae erant. Unumquodque caput habebat duos ordines centenûm malogranatorum et magnificam sculpturam i. e. implexum cumulum florum, frondium fructuumque, septem largioribus ramis ramusculos ac frondes pulcherrime interserentibus. A Chaldaeis Hierosolyma irruentibus columnae diffractae sunt earumque aes Babylonem deportatum est. — I Rg 7, 15—22. 41 s. II Rg 25, 16 s. II Chr 3, 15—17; 4, 12 s. Jer 52, 17. 20—23.

Nomina ipsa יכין et בעז votum regis Salomo pro templo reddebant simulque symbolum et certum vaticinium erant, Jahven aedem sacram et regnum theocraticum stabiliturum et confirmaturum, quod iam eo probatur, quod illae columnae non necessaria pars aedificii neque oneri ferendo conflatae erant [4].

[1] II Chr 3, 15 et LXX Jer 52, 21 altitudo columnarum triginta quinque cubitorum fuisse dicitur. Fortasse mendum librariorum est, qui לה = 35 pro יח = 18 scripserunt.

[2] LXX III Rg 7, 3 circuitus columnarum quattuordecim cubitorum fuisse dicitur. Habemus mendum librariorum, qui יב = 12 pro יד = 14 legerunt.

[3] Secundum II Rg 25, 17 capita tria cubita alta erant. Fortasse etiam hîc mendum librariorum habemus, et quidem ג = 3 pro ה = 5.

[4] Conferas id, quod regi David per prophetam Nathan promissum est: „Stabilis erit domus tua et regnum tuum in perpetuum“ (II Sm 7, 16. cf. I Rg 9, 3—5). Quod celebre promissum Ps 89 multis verbis illustrat. Quia autem in exsilio Babylonio dignitas regia exstincta erat et interitu familiae David illud promissum irritum videri poterat, Jahve apud Jes 55, 3 s. animos spe orbatos confirmat et pollicetur fore, ut regnum theocraticum sub magno quodam rege a familia David oriundo restituatur et stabilita permaneat.

J. Benzinger (EB 4933) quamquam dicit ambas illas columnas signa Jahvae fuisse, ut duae pretiosae columnae, quae in templo dei Melkart Tyri erant, ut signa dei cultae sint (Herod. Hist. 2, 44), tamen ad extremum ipse dubitat, num illae columnae re vera signa Jahvae considerata sint.

Ad latera aedis sacrae (excepto latere in orientem spectante, ubi ingressus patebat) conclavia trium contignationum (צְלָעוֹת *latera* appellata, quod lateribus domus adhaerebant) e trabibus et asseribus constructa erant, in quae (secundum Ez 41, 11 a septentrionibus et) a meridie per cochlidem sive scalam cochlearem (לוּלִים) adscendebatur (I Rg 6, 5 s. 8. 10. Ez 41, 5—11). Ea conclavia, quae in quaque contignatione triginta erant (Jos. AJ 8, 3. 2), et ad fulcimentum murorum templi eiusque decorem et ad varios usus serviebant. Ibi enim praecipui altaris ministri, sacerdotes et Levitae, degebant; ibi instrumenta sacrificalia custodiebantur et thesauri sacri recondebantur (I Rg 7, 51. II Chr 5, 1. I Rg 15, 15); ibi religiosae mulieres vitam divino cultui sacratam agebant (cf. II Rg 11, 1—3). Quia conclavia quinorum cubitorum altitudine unum super alterum exstructa ad duas partes altitudinis domus sacrae adscendebant, in huius muro fenestris decussatis et clathratis (I Rg 6, 4) satis spatii relinquebatur.

Tabulato cedrino aedes sacra in sanctuarium (קֹדֶשׁ) et sanctissimum (קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים, plenius בֵּית־קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים II Chr 3, 8. 10. etiam דְּבִיר I Rg 6, 5. 19—22; 8, 6. 8. II Chr 3, 16; 4, 20; 5, 7. 9. Ps 28, 2) divisa erat (I Rg 6, 16).

Sanctuarium quadraginta cubita longum, viginti latum, triginta altum erat [1]. Ibi erant: *altare thymiamatis*, quod הַמִּזְבֵּחַ אֲשֶׁר־לַדְּבִיר *altare, quod* est *ad adytum* sive *ante adytum,* Vulg. *altare oraculi* (I Rg 6, 22) et מִזְבַּח הַזָּהָב *altare aureum* (ib. 7, 48. II Chr 4, 19) vocatur atque ex ligno cedrino fabricatum auroque obductum erat (I Rg 6, 20. 22) [2]; *decem mensae* deauratae, sine dubio ad figuram mensae sacrae in tabernaculo Mosaico confectae, in quibus panes propositionis et centum phialae aureae suavissimorum odorum plenae ponebantur [3], et quidem quinae a septentrionibus et a meridie (II Chr 4, 8. cf. I Chr 28, 16); *decem candelabra* aurea, κατὰ τὴν Μωυσέος προσταγήν constructa

(Jos. AJ 8, 3. 7), quina a septentrionibus et meridie (I Rg 7, 49. II Chr 4, 7)[4]. Porta, quae e pronao in sanctuarium ducebat, decem cubita lata (Ez 41, 2), instructa erat postibus e ligno oleastri et valvis, quae e lignis cupresseis fabricatae, cherubim, palmis, aliis figuris ornatae et laminis aureis obductae erant (I Rg 6, 33—35) atque in cardinibus aureis vertebantur (ib. 7, 50). Eodem modo ornata erat porta, quae in sanctissimum ducebat; erat e ligno oleastri formâ pentagoni constructa simulque velo pretioso, quod e bysso quadruplicis coloris mira arte elaboratum et imaginibus cherubim ornatum erat, clausa; eius valvae semper apertae erant (I Rg 6, 31 s; 7, 50. II Chr 3, 14).

Sanctissimum cubus viginti cubitorum erat (I Rg 6, 20. II Chr 3, 8)[5]. Itaque cum interior eius altitudo viginti cubita haberet, exterior triginta (I Rg 6, 2), spatium decem cubitorum cubiculis superstructis (עֲלִיּוֹת I Chr 28, 11. II Chr 3, 9) remansit, in quibus reliquiae tabernaculi Mosaici servabantur. Continebat *arcam* sacram a Mose factam; quapropter etiam בֵּית הַכַּפֹּרֶת *domus propitiatorii* vocabatur (I Chr 28, 11). Temporibus Salomonis praeter duas tabulas foederis nihil erat in arca (I Rg 8, 9. II Chr 5, 10. Jos. AJ 8, 4. 1). Urna aurea, in qua manna repositum erat, et virga Aaron, quae floruerat, distinctis locis servatae esse videntur. Ad utrumque arcae latus stabant *duo cherubim*, e ligno oleastri sculpti auroque obducti, facie ad exteriorem domum versâ (לִפְנִים II Chr 3, 13)[6]. Quorum uterque, decem cubita altus, duabus alis instructus erat, quarum unam, quinque cubita longam, super arcam protendebat, alterâ parietem domus tangebat, ita ut cherubim totum parietem posteriorem alis suis tegerent (I Rg 6, 23—28. II Chr 3, 10—13).

[1] Secundum versionem Syriam et Arabicam sanctuarium viginti cubita longum erat. Sine dubio interpres Syrius, quem Arabs secutus est, כ = 20 pro מ = 40 legit.

[2] Errant rabbini (velut *Levi ben Gerson, D. Kimchi*) et nonnulli ex doctoribus Christianis (ut *G. Sanchez*), qui id altare intus lapidibus refertum esse contendunt, ita ut Salomo primo altare lapideum erigeret, deinde lignis cedrinis tegeret, ad postremum auro obduceret.

[3] Sed una mensa (idque in vicem, quod quidem videtur, cf. II Chr 4, 19) panibus exstruebatur. Quare nonnumquam unius mensae sacrae mentio fit (I Rg 7, 48. II Chr 13, 11; 29, 18. cf. *Jos.* AJ 8, 3. 7).

[4] Plerumque lucernae unius candelabri et quidem in vicem accendebantur, ut ex locis II Chr 4, 20 et 13, 11 inter se collatis apparet. At Josephus AJ 8, 3. 7 auctor est semper idem candelabrum accensum esse et etiam panes propositionis semper eaedem mensae impositos esse.

[5] Secundum interpretem Syrium, quem Arabs secutus est, sanctissimum quadraginta cubita longum erat. Sine dubio Syrus מ = 40 pro כ = 20 legit.

[6] Sunt qui vocabulum לבית *introrsum* significare et facies cherubim alteram alteri adversas fuisse existiment. Quod prorsus falsum esse censeo. Nam si res ita se haberet, procul dubio בְּתוֹכָה scribendum fuit (cf. I Rg 7, 25), sed ne hoc quidem vocabulum satis planum et distinctum esset. לבית autem (articulum respicias) nihil aliud significare potest nisi *ad aedem*. Iam vero totius templi, quod הבית vocari solet, hoc loco mentionem fieri non posse perspicuum est. Quare vocabulo הבית hîc tantum *aedem exteriorem* (הַהֵיכָל I Rg 6, 5 opponitur הַדְּבִיר ib. sive הַבַּיִת הַפְּנִימִי ib. v. 27; 7, 50) denotari statuendum est, ut I Rg 6, 17.

Adnotatio. — Cum „pulchrum in debita proportione consistat" (Thomas S. th. 1. qu. 5. a. 4. ad 1), etiam artificiosae templi structurae proportio quaedam singularum partium congruere debet. Atque O. Wolff (Der Tempel von Jerusalem und seine Maße 42 ss.) omnes templi Salomonis mensuras ad mensuram fundamentalem geometricam altaris holocaustorum, quod quadratum viginti (additis gradibus duodetriginta) cubitorum erat, reducit; conferas fig. 13 in extremo libro. Si enim circa hoc quadratum circulus describitur, dein circum hunc duo triangula paribus lateribus depinguntur ($\alpha\beta\gamma$ et $\delta\varepsilon\zeta$), *stella hexagona* sive hexagramma (etiam *stella Salomonica, scutum David, hexagonum Salomonicum* vel *sigillum Salomonis* dicta) enascitur, qua formula mensurae singularum templi partium determinantur. Quae stella tamquam signum super portam templi apparebat et nunc super omnes fere synagogas apparet. Est symbolum nominis divini: nam circulus perfectam unitatem divinam significat; duo triangula intra circulum, quae unam figuram constituunt, trinitatem (unum in tribus et tres in uno) indicant. Cum hoc hexagrammate etiam *monogramma Christi* arte cohaeret. Conferas fig. 14 et 15. Videas etiam F. de Saulcy, Recherches sur la numismatique judaïque, tab. XI—XIV. Paris 1854.

O. Wolff igitur mensuras singularum templi partium hac ratione proponit (37 s.): Tota templi altitudo erat duodeoctoginta cubitorum; aedes sacra centum cubita longa, sexaginta (sine pronao quinquaginta duo) lata erat; pronaus sexagena cubita altus et latus erat; atrium sacerdotum muris additis ducenta cubita longum (ab occidente versus orientem), centum latum, sine muris centum undenonaginta longum, nonaginta latum erat; atrium populi longitudinem et latitudinem nonagenûm cubitorum habebat; utrumque atrium cum exedris et muris ducenta nonaginta sex cubita longum, centum duodequinquaginta latum erat (148 : 296 = 1 : 2); tota area templi trecenta duodecim cubita longa, centum octoginta lata erat. — De singularum partium proportione auctor 39—50 tractat. — Ceterum conferas etiam librum, quem O. Wolff inscriptum „Der Tempel von Jerusalem" anno 1913 edidit, ubi ex parte alias mensuras persequitur et supputat. Praeterea videas St. Beissel, Tempelmaße (Stimmen aus Maria-Laach LXXXIII, 1912, 391—407).

Caput quartum

De dedicatione templi eiusque historia

I. Salomo, cum templum intra septem annos (accuratius post septem annos et menses sex) perfecisset (I Rg 6, 38), proceribus populi congregatis maxima cum sollemnitate arcam foederis e monte Sion [1] in templum transferendam curavit et multis hostiis immolatis festum dedicationis templi septem dies sollemniter egit (I Rg 8, 1—9, 9. II Chr 5, 2—7, 22) [2].

[1] Tentorium, quod David in monte Sion erexit (II Sm 6, 17. I Chr 16, 1), nihil aliud continebat nisi arcam foederis. Altare holocaustorum eo tempore in Gibeon erat, ubi tabernaculum Mosaicum stabat (I Chr 21, 29), in quo etiam Salomo Jahvae sacra faciebat (II Chr 1, 3—6). Quid posterius de tentorio a David erecto factum sit, non liquet.

[2] De tempore dedicationis templi viri docti in contrarias sententias discedunt. Atque nonnulli putant Salomonem septimo mense undecimi anni regni sui templum dedicasse Alii dedicationem septimo mense duodecimi anni celebratam esse existimant. Sed ex contextu (I Rg 6, 37 s. coll. c. I Rg 7, 1; 9, 1. 10. II Chr 7, 1. 11) apparet viginti annis post inchoationem operis expletis Salomonem templum dedicasse. Mirum quidem videri potest regem dedicationem templi iam anno septimo perfecti tam diu distulisse; sed scriptor librorum Rg causam quoque dilationis indicat, confectionem ornamentorum et supellectilis templi nondum perfectam (I Rg 7, 1. coll. c. 7, 13 s. 51). Itaque res ita se habet: Salomo anno quadringentesimo octogesimo post Hebraeorum exitum ex Aegypto, quarto anno regni sui, mense secundo (Zîv) templum aedificare coepit (I Rg 6, 1. II Chr 3, 1 s.) atque undecimo anno regni, mense octavo (Bûl) perfecit (I Rg 6, 37 s.). Deinde tredecim annis regiam aedificavit aliaque aedificia exstruxit (ib. 7, 1—12). Quo tempore etiam templum ab Hiram artifice, quem Hiram, rex Tyriorum, Salomoni miserat, ornatum eiusque supellex confecta est (I Rg 7, 13—51. II Chr 4, 1—22). Omnibus perfectis (I Rg 7, 51. cf. II Chr 4, 22) Salomo septimo mense sive 'Ethânîm (I Rg 8, 2) vicesimi anni post opus incohatum templum dedicavit (I Rg 9, 1. 10. coll. c. II Chr 7, 1. 11).

II. Templum a Salomo aedificatum, quod Jahve gloriâ suâ complere dignatus est (I Rg 8, 10—12. II Chr 5, 13 s.), tantum breve tempus caput cultus divini universi populi mansit. Iam rege Salomo mortuo decem tribus regni Israel a domo Davidica defecerunt simulque templum Hierosolymitanum deseruerunt (I Rg 12, 25—33. II Chr 11, 15). Regno autem Juda templum caput cultus divini permansit, dum dirutum est. Procedente tempore cum incursionibus hostium tum vetustate et impietate adeo ruinosum factum est, ut saepius refici ne-

cesse esset. Regnante Rehabeam a Pharaone Sisak, qui Hierosolyma expugnavit, compilatum est (I Rg 14, 25 s. II Chr 12, 9). Rex autem Asa, quamquam thesaurum templi rursus supplere studuerat (I Rg 15, 15. II Chr 15, 18), tamen brevi eum impendere coactus est, ut a Ben-Hadad, rege Syrorum, foedus contra Baesa, regem Israel, emeret (I Rg 15, 18—20. II Chr 16, 2—4). Idem altare holocaustorum, cum Abia antecessore regnante inutile factum esset, vel reparavit vel novum fecit (II Chr 15, 8); Josaphat autem regnante totum atrium interius renovatum esse videtur (ib. 20, 5). Regina Athalja templum devastavit atque ipsis donis Jahvae sacratis ad deos falsos colendos abusa est (ib. 24, 7). Rex Jehoas templum totum reficiendum suscepit, quod ut perficeret, omnem pecuniam a populo Jahvae oblatam conferri iussit (II Rg 12, 4—16. II Chr 24, 4—14); sed brevi quaecumque superiores reges (Josaphat, Jehoram, Ahasja) templo consecraverant et „universum argentum, quod in thesauris templi et in aula regia inveniri potuit", Hasael, regi Syriae, dedere coactus est, ut is ab Hierosolymis recederet (II Rg 12, 18). Amazja regnante Jehoas, rex Israel, „omne aurum et argentum atque universa vasa, quae in domo Jahvae inventa sunt", dempsit omniaque in Samariam abstulit (II Rg 14, 14. II Chr 25. 24). Jotham portam superiorem templi i. e. portam atrii superioris sive interioris ad septentriones spectantem (quae eadem esse videtur atque porta nova, cuius Jer 26, 10 et 36, 10 mentio fit) renovavit et ornavit (II Rg 15, 35. II Chr 27, 3). Ahas contra reges Syriae et Israel, qui terram eius invaserant, a Tiglat-Pileser, rege Assyriorum, auro et argento ex thesauris domus Jahvae et aulae regiae missis opem sibi redemit (II Rg 16, 8. II Chr 28, 21). Idem altare holocaustorum removit aliudque substituit, quod Damasci viderat (II Rg 16, 10—14), artificia templi abstulit, mare aeneum de duodecim bovibus aeneis, in quorum dorsis quiescebat, dempsit atque in basi lapidea imposuit (ib. v. 17), etiam eam porticum atrii templi, quae pro rege eiusque aulicis destinata erat, si diebus sabbati sacris caerimoniis interesse volebant („Musach sabbati"), demolitus est (ib. v. 18). Atque ut cultum Jahvae prorsus exstirparet, portas templi clausit et in universis angulis Hierosolymorum diis falsis aras exstruxit (II Chr 28, 24. cf. 29, 7). At rex Hiskia, qua erat pietate, portas templi rursus aperuit, omnes res, quae ad idololatriam pertinebant, abstulit cunctamque templi supellectilem, quam Ahas polluerat, ad suum locum restituit (II Chr 29, 3—19); sed tributo a Sanherib, rege Assyriorum, imposito „omne argentum, quod in domo Jahvae et in aula regia inveniri poterat", demere et vel laminas auri de portis templi refigere coactus est (II Rg 18, 15 s.). Prorsus templum a rege Menasse contaminatum est (II Rg 21, 4 s. 7.

II Chr 33, 4 s. 7); et quamquam ad Jahven conversus omnes res ad cultum deorum pertinentes, ex templo removerat (II Chr 33, 15 s.), Amon tamen, qui ei successit, cum omnibus idolis, quae eius pater fecerat, immolaret (II Rg 21, 21. II Chr 33, 22), cultum deorum alienorum restituit. Quem Josia demum, rex pius, omnino sustulit (II Rg 23, 4—12. II Chr 34, 3—7); idem eas partes templi, quas superiores reges deleverant, denuo aedificavit (II Chr 34, 8—13). Jojakim regnante Nebucadnezar complura vasa pretiosa templi ademit Babylonemque transtulit (ib. 36, 7), Jojachin autem regnante et thesaurum templi et cunctam pretiosam supellectilem templi rapuit rursusque Babylonem asportavit (II Rg 24, 13. II Chr 36, 10). Aetate regis Zedekia templum idololatriâ varii generis pollutum est (II Chr 36, 14. cf. Ez 8, 3—17). Tandem ex iusto dei iudicio a Chaldaeis igni concrematum ac plane devastatum est, vasa autem sacra omnesque res pretiosae inde ablatae Babylonemque asportatae sunt (II Rg 25, 9. 13—17. II Chr 36. 18 s. Jer 52, 13. 17—23).

Adnotatio. — Ut Salomo (i. e. pacificus) *typus* erat *messiae,* ita templum ab eo aedificatum *typus* erat *ecclesiae,* quam messias (qui est verus pacificus, cf. Gn 49, 10. Jes 9, 6 s. Mich 5, 5. Ps 72) exstruxit, quod ex loco II Sm 7, 13 apparet, ubi thronus eius, qui nomini Jahvae domum aedificaverit, in perpetuum manere dicitur. Idem ex eo patet, quod apud Sach 3, 8; 6, 12 s. is, cuius nomen est צֶמַח *germen,* suboles sc. dei (Vulg. *oriens*), templum Jahvae aedificabit; nam imagine germinis messiam significari ex compluribus prophetarum locis elucet, velut ex Jes 4, 2; 11, 1. Jer 23, 5; 33, 15 et Ez 17, 22 s., qui de summo arboris cedri fastigio tenerum aliquem surculum vel stolonem decerpendum atque in excelso monte Israel serendum esse dicit, ubi suo tempore fructum laturus atque in arborem altam et amplam excreturus sit, ut omnes aves caeli sub ea habitent, i. e. domus David non interibit, sed licet in humilem et obscuram condicionem redacta sit, Jahve servat ei progeniem eamque servabit, dum ipse ex ea illum educat, qui regnum universale fundet omnesque gentes in dicionem suam redigat.

Templum Salomonis typum esse ecclesiae a Christo fundatae etiam patres scriptoresque ecclesiastici vulgo docent. Qua de re consuli possunt Origenes, Comm. in Jo. tom. 10. § 23. MSG 14, 381. Irenaeus, Adv. haer. 4, 27, 1. ib. 7, 1057. Gregorius Nyssenus, Hom. 7. in Ct. ib. 44, 908. Augustinus, Enarr. in Ps 126. § 2. De civ. dei 17, 8. MSL 37, 1668; 41, 540—542. Beda, De templ. Salom. c. 1. ib. 91, 737.

Sectio tertia

De templo Serubbabelis

Praesidia doctrinae. — L. de Saint-Aignan, Le temple de Jérusalem, sa construction par Zorobabel et par Hérode. Paris 1876. — J. Ha-

lévy, Cyrus et le retour de l'exil (Revue des études Juives. Juillet 1880). — Fl. de Moor, Le temple reconstruit par Zorobabel (Le Muséon 1890). — A. van Hoonacker, Zorobabel et le second temple. Gand-Leipsic 1892. — E. Sellin, Serubbabel. Ein Beitrag zur Geschichte der messianischen Erwartung und der Entstehung des Judentums. Leipzig 1898. — J. Nikel, Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem Babylonischen Exil (BSt V, 2—3) Freiburg 1900.

Caput primum

De aedificatione templi

Septuaginta captivitatis Babyloniae annis elapsis Cyrus exsulantibus Judaeis non solum potestatem libere in patriam remigrandi fecit (Esr 1, 2 s.)[1], sed etiam magnum vasorum templi numerum summa cum liberalitate restituit (ib. v. 7—11); praeterea etiam omnes, qui ei parebant, mandato diserte adhortatus est, ut in reduces eadem essent liberalitate (ib. v. 4). Atque sicut Jahve pro gente Hebraica ex Aegypto educta et per Arabiae deserta errante aquas e rupibus produxit (Ex 17, 1—7. Nm 20, 11. Dt 8, 15), ita pari providentia curavit, ne exsulibus e Babylonia dimissis et ducibus Serubbabel principe[2] et Josua pontifice in patriam redeuntibus ullae res necessariae deessent (cf. Jes 41, 19s; 43, 20; 44, 3; 48, 20 s.).

[1] Cyrus Judaeis primo anno regni Babylone i. e. anno 538 permisit, ut in patriam redirent. Atqui ab anno 538 usque ad annum, quo Judaei primum in Babyloniam abstracti sunt (597 vel 599), non plus undesexaginta vel unus et sexaginta anni praeterierunt. Tamen Cyrus vaticinium illud Jeremiae 25, 11; 29, 10 exsilium septuaginta annos futurum esse exsecutus est, quia is numerus summatim comprehenditur.

[2] Serubbabel (זְרֻבָּבֶל i. e. *Zêr-Bâbili* = semen Babylonis) eundem atque Šešbaṣṣar (שֵׁשְׁבַּצַּר i. e. *Sin-abal-uṣur* = Sin protegat filium! aut *Šamaš-abal-uṣur* = Šamaš protegat filium!) fuisse complures (ex recentioribus *A. van Hoonacker*) ex Esr 1, 8 collato cum 2, 2 et 5, 16 collato cum 3, 8; 5, 2 colligunt. At Esr 5, 2 collato cum 5, 14. 16 Serubbabel a Šešbaṣṣar clare distinguitur (ita *A. Kuenen, E. Meyer, R. Smend, J. Nikel,* alii). In nonnullis codicibus Graecis nomen Šešbaṣṣar formâ Σαναβασσαρ, in aliis forma Σασαβασσαρ redditur. Si lectio Σαναβασσαρ, ex qua nomen a *Sin-abal-uṣur* ducendum est, praefertur, Šešbaṣṣar idem esse potest qui Senaṣṣar, cuius I Chr 3, 18 mentio fit, filius regis Jojachin, ut Šešbaṣṣar domus regiae David fuerit. Ex Neh 5, 15 fortasse colligi potest Šešbaṣṣar fuisse primum, Serubbabel secundum, Nehemia tertium praefectum Judaeorum, qui in patriam redierant. — Cf. RE[3] XVIII, 225—227.

In Palaestinam reversi[1], postquam altare holocaustorum in ruderibus templi Salomonis exstruxerunt et sollemnitatem tabernaculorum ad prae-

scriptum legis Mosaicae celebraverunt, statim ad templum restituendum advolarunt, cuius fundamenta, Levitis opus urgentibus, secundo mense secundi post reditum anni magnis cum caerimoniis iacta sunt, aliis gaudio exsultantibus, aliis, qui prioris templi gloriam viderant, dolore in lacrimas effusis (Esr 3, 1—13)[2]. At Samaritani, qui ob religionis diversitatem a societate illius operis, quam petierant, exclusi erant, exstructionem templi impedire conati sunt idque sub Cyro variis fraudibus, sub Cambyse (529—522. Aḥašweroš Esr 4, 6) et Pseudo-Smerde (522—521. Artaḥšašta ib. v. 7) vi aperta usi, quoad Judaei a Dario I, filio Hystaspis (521—485), liberrimam potestatem templi exstruendi impetrarent, ad cuius exaedificationem, prophetis Haggai et Sacharia cohortantibus, ultimam admoverunt manum (Esr c. 4—5). Tandem anno 515 templum feliciter perfectum ac sollemni ritu dedicatum est (ib. 6, 15—17).

[1] Non omnes exsulantes reverterunt, sed plerique in Babylonia partim ob possessiones ibi acquisitas partim ob cultum idolorum, cui pertinaciter dediti erant, remanserunt. Quia maxima pars eorum, qui redierant, ex tribu Juda erat, Israelitae abhinc Judaei vocabantur. Ceterum in sacris novi testamenti litteris nomine Ἰουδαίων imprimis religio Judaica, qualis initio novi foederis erat, nomine Ἑβραίων ortus Judaicus significatur. Velut Paulus II Cor 11, 22 se Ἑβραῖον vocat, quia non amplius Judaeus erat respectu religionis, Hebraeus autem respectu gentis. Atque Gal 2, 14 verbum Ἰουδαΐζειν idem est quod religionem Judaicam profiteri et Gal 1, 13 nomen Ἰουδαϊσμός cultum Mosaicum valet, quae significatio a vocabulis ἑβραΐζειν et Ἑβραϊσμός prorsus aliena est.

[2] Hoc templum quamvis illo Salomonis ornatu et opulentia multo inferius esset, tamen secundum prophetiam Hagg 2, 9 eius magnificentia prioris splendorem superavit, quia ipse dominus templi in templo aderat, i. e. ille, ἐν ᾧ κατοικεῖ τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς (Col 2, 9), sicut divina gloria olim super arcam τυπικῶς apparebat.

Caput secundum

De partibus formaque templi

Hoc templum, mandato Cyri altitudine et latitudine sexagenûm cubitorum exstructum (Esr 6, 3. Jos. AJ 15, 11. 1), eiusdem fuit formae atque Salomonis neque tamen in sacris litteris diligentius describitur. Sanctissimum erat vacuum; deerat enim arca foederis cum tabulis legis neque amplius illud praesentiae divinae symbolum i. e. nubes conspiciebatur, quae olim supra tabernaculum Mosaicum videbatur (Ex 40, 34—38. Lv 16, 2) et dein templum Salomonis complebat (I Rg 8,

10—12. II Chr 5, 13 s.)[1]. Lapis tantummodo, tres digitos altus, de quo Judaei mirum quantum memoriae tradunt, locum indicabat, ubi arca foederis collocanda esset. Qui lapis אֶבֶן שְׁתִיָּה *lapis positionis* vocabatur (M. Joma 5, 2), quia pontifex die sollemnis expiationis turibulum in eo deponebat. In sanctuario erant una mensa, unum candelabrum, altare thymiamatis (I Mcc 1, 21 s; 4, 49). Atria (αὐλαί) erant duo, interius sive sacerdotum et exterius sive populi (I Mcc 4, 38. 48), cum porticibus (στοαί) et cellulis (παστοφόρια), in quibus vasa templi servabantur ac sacerdotes et Levitae tempore ministerii habitabant (Neh 10, 38—40; 12, 25. 44; 13, 4 ss. I Mcc 4, 38. 57. Jos. AJ 11, 4. 7; 14, 16. 2). In atrio sacerdotum erant altare holocaustorum ex lapidibus non sectis exstructum (I Mcc 4, 38. 44. 47. 53. 59) et lavacrum, quod temporibus Simonis pontificis, filii Onias, ad exemplum maris Salomonis ex metallo fusum erat (Sir 50, 3: שיחה כים בהמונו, λάκκος ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον). Atrium exterius procedente tempore munitum est (Sir 50, 1 s. I Mcc 6, 7. cf. 6, 51 ss; 13, 52)[2]. Alexander Jannaeus autem atrium sacerdotum cancellis ligneis (δρυφάκτῳ ξυλίνῳ) ab atrio populi separavit (Jos. AJ 13, 13. 5). Ponte quodam templum cum urbe superiore coniungebatur (ib. 14, 4. 2. BJ 1, 7. 2; 2, 16. 3; 6, 6. 2; 6, 8. 1).

[1] Noluit Jahve antiquum foedus cum gente Hebraica initum renovare, sed novum et multo sublimius facere (Jer 31, 31 s. cf. Hebr 8, 8) atque intendit legem suam οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλὰ ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις conscribere (II Cor 3, 2 s.). Quare arca foederis paulatim oblivione obruta est (Jer 3, 16).

[2]) Praeterea Hasmonaei (Joannes Hyrcanus I.) ad id latus templi, quod in septentriones vergebat, arcem *Baris* (Βάρις = בִּירָה cf. voc. Assyr. *birtu*) aedificarunt, quam Herodes Magnus amplius munivit et triumviri M. Antonii, fautoris sui, honorandi causâ *Antoniam* appellavit (Jos. AJ 15, 11. 4; 18, 4. 3. Tacit. Hist. 5, 11). Ibi milites Romani stationem habebant; ibi etiam procurator Romanus, quotienscumque Hierosolyma veniebat, habitasse videtur.

Sectio quarta

De templo Herodis

Praesidia doctrinae. — In sacris litteris templum Herodis nusquam describitur, nisi quod pauca hic illic de eo traduntur. Josephus praeter ea, quae per occasionem nonnullis locis de eo commemorat, duplicem huius templi praebet descriptionem, AJ 5, 11 et BJ 5, 5, ita ut altera alteram illustret et compleat. Praeterea tractatus Middoth (M V, 10) respiciendus

est, cuius tamen templi descriptio cum Josepho non convenit. Conferas etiam (praeter opera, quae iam supra commemoravimus) Bl. Ugolini Thes. IX, 555—804. — A. Hirt, Ueber die Baue Herodes des Großen überhaupt und über seinen Tempelbau zu Jerusalem insbesondere (Abhdl. d. hist.-phil. Kl. d. Berl.-Akad. 1816—17. p. 1—24). — H. Hildesheimer, Die Beschreibung des herodianischen Tempels im Traktate Middoth und bei Flavius Josephus. Ch. Bloch, Entwurf eines Grundrisses vom herodianischen Tempel nach talmudischen Quellen bearbeitet (Jahresbericht d. Rabbin.-Semin. f. d. orthod. Judentum. Berlin 1876—77). — F. Spiess, Das Jerusalem des Josephus 46—94. Berlin 1881. Der Tempel zu Jerusalem während des letzten Jahrhunderts seines Bestandes nach Josephus. ib. 1881. — M. V. Sattler, Geschichte der Stadt Jerusalem und ihrer merkwürdigsten Gebäude nach den Berichten des jüdischen Geschichtsschreibers Flavius Josephus. München 1884. — P. Aucler, Le temple de Jérusalem au temps de N. S. Jésus-Christ (RB VII, 1898, 193—206). — W. S. Caldecott, The second temple in Jerusalem. Its history and its structure. London 1908. — G. Dalman, Der zweite Tempel zu Jerusalem (Palästinajahrbuch V, 1909, 29—57).

Caput primum

De aedificatione templi eiusque historia

Templum Serrubbabelis variis casibus affectum est. Ex dimidio siclo, quem Judaei ubique terrarum quotannis pendebant, atque ex donis pretiosissimis, quae complures reges gentium exterarum Hierosolyma mittebant, paulatim magnifice exornatum est (I Mcc 10, 39. II Mcc 2, 13; 3, 2 s; 5, 16. Jos. AJ 12, 2. 5—15; 14, 7. 2; 14, 16. 4. BJ 5, 13. 6. al. Phil. De virtutib. opp. II, 569. 591 s.). Antiochus IV Epiphanes, rex Syriae (137—149 aer. Sel. = 175—164 a. Ch.), templum non modo expilavit (I Mcc 1, 21—24), verum etiam varie polluit. Nam supra magnum altare holocaustorum βδέλυγμα ἐρημώσεως erectum est (ib. v. 54); sues aliaque pecora immunda in loco sancto immolabantur (ib. v. 47. 59. II Mcc 6, 5); templo ipso gentiles ad heluationem (ἀσωτίαν) atque epulas (κώμους) abutebantur et in eius atriis cum scortis consuetudinem stupri faciebant (II Mcc 6, 4). Judas autem Maccabaeus, postquam caelestibus subsidiis adiutus ingentes Antiochi copias profligavit, templum expiavit in eoque cultum divinum restituit (I Mcc 4, 37—58. II Mcc 10, 1—3. Jos. AJ 12, 7. 6). Iterum templum a Syris Antiocho Eupatore, qui Antiocho Epiphani successerat, regnante captum est; qui partem murorum eius diruit (I Mcc 6, 62. Jos. AJ 12, 9. 7); Jonathan princeps eos restituit (AJ 13, 5. 11). Anno 63 a. Ch., die sollemnis expiationis (10. Tišri) Pompeius Hiero-

solyma expugnavit, cum haud paucis comitibus templum intravit, vasa sacra inspexit, sed nihil diripuit (AJ 14, 4. 2—4. BJ 1, 7. 2—6). At Crassus circa annum 56 thesaurum templi duorum milium talentûm et ornamentum aureum parietum et portarum, quod pretii octo milium talentûm erat, rapuit (AJ 14, 7. 1). Herodes cum Hierosolymis potiretur (die 10. mensis Tišri anni 37), etiam templum magna cum caede expugnatum est; tum nonnullae porticus deflagrarunt (AJ 14, 16. 2. BJ 1, 18. 2). Ad postremum Herodes, ut Judaeorum animos conciliaret, immensis sumptibus templum per partes novum aedificare coepit (quod anno duodevicesimo eius regni i. e. anno 20/19 a. Ch. sive 734/735 a. u. c. factum esse Josephus AJ 15, 11. 1 auctor est)[1] neque sacra in eo intermissa sunt. Quod opus intra novem annos et dimidium (interius templum post octodecim menses, atria post octo annos) perfecit, cum aedificia, quae templo adstruebantur, sexagesimo quarto demum p. Ch. n. anno exstructa essent[2]. Sed vix perfectum a Romanis duce Tito funditus eversum est (Jos. BJ 6, 4. 3—8).

Ceterum templum Serubbabelis ab Herode restauratum, non commutatum est. Quam ob rem templum Herodianum *tertium* appellare non convenit. Judaei ipsi duo tantummodo templa agnoverunt, מקדש ראשון *templum primum* et מקדש שני *templum secundum;* unde *alterum*, non tertium a Tito vastatum esse dicunt (cf. Babyl. Baba mezia 28[a]. Echa rabbathi 62[a])[3].

[1] Herodem anno 734/735 a. u. c. templum instaurare coepisse certum est. Nam coepit, postquam Caesar Augustus e Syria discessit, quo tum profectus erat, cum Herodes septimum decimum annum impleverat (Jos. AJ 15, 10. 3). Augustum autem M. Apuleio et P. Silio consulibus i. e. anno 734 a. u. c. in Asiam profectum esse ex historia rerum Romanarum constat. — BJ 1, 21. 1 Josephus memoriae prodit Herodem quinto decimo anno regni templum aedificare coepisse, quod quin mendum librariorum sit, dubium non est.

[2] Verba Judaeorum: „Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc" (Jo 2, 20) ex opinione interpretum antiquioris aetatis ad templum Serubbabelis referenda sunt, in qua tamen interpretatione ratio temporum vacillat. Quare viri docti recentioris aetatis ea de templo Herodis intellegenda esse existimarunt. Et stetit id templum tum, cum Judaei illa verba ad Christum dixerunt, quadraginta sex annos. Tot enim anni inter duodevicesimum annum imperii Herodis, quo templum aedificari coeptum est, et annum baptismi Christi, quo ea verba dicta esse putantur, intercedunt.

[3] Etiam sacras litteras duo tantummodo templa agnoscere, aedem priorem e Salomo aedificatam et aedem posteriorem a Serubbabel exstructam adventuque messiae exornatam ex Hagg 2, 9 colligi potest.

Caput secundum

De atriis templi

I. Area templi ab Herode renovati duplo maior erat quam templi prioris; nam a septentrionibus, meridie, occidente magnis substructionibus amplificata murisque cincta est. Erant autem tria atria, quorum tertium erat altissimum. Atque atrium primum, quod in Talmude הַר הַבַּיִת, I Mcc 13, 52 τὸ ὄρος τοῦ ἱεροῦ, apud Josephum τὸ πρῶτον ἱερόν vel τὸ ἔξωθεν ἱερόν appellatur, quadratum quingentûm cubitorum erat (Middoth 2, 1), muro alto (ὁ πρῶτος περίβολος Jos. AJ 15, 11. 5) cinctum. Habebat complures *portas,* meridiem versus duas (quae nomine *Huldae* vocabantur earumque altera bipartita, altera tripartita erat), unam orientem versus (quae porta *Susan* appellabatur, quia imaginem urbis Susorum, capitis illius Persarum, referebat), unam septentriones versus eamque parvam (nomine *Teri* vel *Tadi*), unam (quae *Kiponos* dicebatur) occidentem versus. Tot portas Middoth 1, 3 enumerat. Sin Jos. AJ 15, 11. 5 sequaris, primum atrium occidentem versus quattuor habebat portas, quarum duae multis gradibus in vallem subiectam, quae ad meridiem versus patebat et domibus consita erat, ducebant; tertia ponte, qui in valle factus erat, templum cum monte Sion (proxime cum Xysto, loco quodam quadrato, egregie strato porticibusque instructo) coniungebat; quarta in urbem inferiorem ducebat. Praeterea in lateribus ad septentriones, occidentem, orientem spectantibus duplici, in latere ad meridiem triplici *porticu* ornatum erat. Quaeque porticus triginta cubita lata et triginta tria cum tertiario alta erat; media vero in meridiem spectans mensuram ceterarum dimidio superabat. Earum tectum planum erat, e lignis cedrinis affabre constructum; sustentabatur columnis ex candido marmore excisis et viginti quinque cubita altis. Porticus ad meridiem vergens, in loco montis maxime praerupto sita, centum sexaginta duas columnas habebat, quarum singulae duplici basi et capite Corinthio ornatae erant. Quae cum omnium porticuum pretiosissima esset, *porticus regia*, (ἡ βασιλικὴ στοά Jos. AJ 15, 11, 5) vocabatur. Eius summa pars τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ (Mt 4, 5) dicta esse videtur, unde ut se praecipitaret, ex nonnullorum opinione diabolus Christo suasit. (Cf. ZDPV XV, 1892, 234—256). Porticus in orientem spectans (στοὰ ἀνατολική Jos. AJ 20, 9. 7) a Salomo nomen trahebat στοὰ Σολομῶνος (Jo 10, 23. Act 3, 11; 5, 12), vel quia ex quorundam sententia in devastatione templi Babylonia inviolata mansit, vel quia in eodem loco sita erat, quo Salomo porticum exstruxerat.

Hoc atrium, quod marmore versicolori stratum erat (Jos. BJ 5, 5. 2), gentiles quoque et Judaei immundi ingredi poterant; quapropter apud investigatores antiquitatis Christianos etiam *atrium gentium* vocatur. In hoc atrio et quidem in חֲנֻיּוֹת *tabernis* nummularii sedebant et venditores victimarum aderant, quos a Christo e templo eiectos esse legitur (Mt 21, 12. Mc 11, 15. Lc 19, 45. Jo 2, 14 s.). Ibidem erant varia conclavia diversis usibus destinata; quorum in quodam ea synagoga erat, ubi Christus duodecim annos natus cum legis doctoribus disputavit (Lc 2, 46); in alio synedrium minus sive tribunal viginti trium assessorum ius dicebat. In medio atrio, et quidem in parte ad meridiem vergente, erat saeptum lapideum (סוֹרֵג Middoth 2, 3. δρύφακτος λίθινος Jos. AJ 15, 11. 5), tria cubita altum, (tredecim) ianuis hinc inde patentibus et columnis adstantibus, quarum inscriptiones (Graecae et Latinae) immundis et ethnicis ingressu in interiorem templi aream (quae apud Josephum τὸ δεύτερον ἱερόν, τὸ ἔσωθεν ἱερόν, ὁ δεύτερος ἐντός, ὁ ἐνδότερος περίβολος appellatur) morte propositâ interdicebant (Jos. AJ 15, 11. 5. BJ 5, 5. 2; 6, 2. 4. Phil. De virtutib. opp. II, 577. cf. Act 21, 28) [1]. Inde quattuordecim gradibus adscendebatur in aream planam (חֵיל spatium *antemurale* Middoth 2, 3. Kelim 1, 8) [2], decem cubita latam, unde quinque (vel, ut Middoth 2, 3 traditur, duodecim) gradus ad portas muri secundi ducebant, qui ab exteriore parte quadraginta, ab interiore viginti quinque cubita altus fuisse dicitur (Jos. BJ 5, 5. 2) et atrium internum concludebat, quod a septentrionibus et a meridie quaternas portas habebat, quae laminis aureis et argenteis coopertae erant, ab oriente unam, quae aere Corinthio, quod argento et auro praeferebatur (Jos. BJ 2, 17. 3; 5, 5. 3), fulgebat et in Talmude שַׁעַר נִיקָנוֹר *porta Nicanoris* [3], apud Josephum ἡ χαλκῆ sive Κορινθία πύλη, etiam ὁ πυλῶν μέγας vocatur. Omnes portae bifores erant, triginta cubita altae, quindecim latae (secundum Middoth 2, 3 viginti cubita altae, decem latae). Eis superstructa erant cubicula, quadraginta cubita alta. Intra ianuas autem erat spatium triginta cubitorum, quo populus convenire solebat. Ante portas binae columnae duodecim cubitorum in circuitu erectae erant (Jos. BJ 5, 5. 3).

[1] Una ex iis inscriptionibus anno 1871 a C. Clermont-Ganneau rursus inventa et edita est (Revue archéologique N. S. XXIII, 1872, 214—234. 290—296. pl. X). Quae nunc Constantinopoli in museo Tschinili-Kiöschk servatur. Eius verba sunt: μηθένα ἀλλογενῆ εἰσπορεύεσθαι ἐντὸς τοῦ περὶ τὸ ἱερὸν τρυφάκτου καὶ περιβόλου. ὃς δ' ἂν ληφθῇ, ἑαυτῷ αἴτιος ἔσται διὰ τὸ ἐξακολουθεῖν θάνατον.

[2] In hoc spatio erat מדרש הגדול *collegium* vel (ut alii vertunt) *auditorium magnum,* in quo et sabbatis et diebus festis iudices considebant,

qui alias in conclavi גזית sedere solebant, idque propterea quod illis diebus magnus concursus populi fiebat, spatium autem conclavis גזית angustum erat. Alii collegium iudicum in הר הבית collocant.

[3] Porta Nicanoris nomen adepta esse creditur a miraculo illo, cum Nicanor eius valvas ex Aegypto per mare in Palaestinam deferret (Babyl. Joma 38[a]. Hieros. Joma 41[a]); quamquam etiam ab impio illo Nicanore, cuius lingua κατέναντι τοῦ ναοῦ suspensa est (II Mcc 15, 33), denominata esse potest.

Ceterum porta Nicanoris vulgo eadem esse dicitur, quae Act 3, 2. 10 θύρα sive πύλη τοῦ ἱεροῦ ἡ λεγομένη ὡραία vocatur. Nonnulli quidem aliam portam, per quam ex atrio mulierum in atrium interius intrabatur, intellegunt. Sed dubitare licet, num homo claudus, de quo Act 3, 1—10 sermo est, in ipso loco orationi destinato positus sit; magis convenire videtur, ut ad portam in extimo templi latere sitam portatus sit; ibi enim ab introeuntibus εἰς τὸ ἱερόν stipem petere poterat; qui vero ad eam portam, quae ex atrio mulierum in atrium interius ducebat, consistebat, is τὸ ἱερόν iam ingressus erat.

II. Porta Nicanoris sive Corinthia aditus erat in atrium mulierum (עֶזְרַת הַנָּשִׁים Middoth 2, 5. γυναικωνῖτις vel τὸ τῶν γυναικῶν περιτείχισμα Jos. BJ 5, 5, 2; 6, 9. 2), quadratum centum triginta quinque cubitorum, a virorum atrio muro humili separatum. Ex hoc atrio, in quod tres portae (ab oriente [porta Corinthia], septentrionibus, meridie) ducebant, mulieres ulterius progredi non poterant, sed ibi in podiis, quae columnis affabre factis sustinebantur, rebus divinis intererant, cum viri infra haec morarentur. Erant ibidem tredecim cistae (quae ob figuram tubis similem a rabbinis שׁוֹפָרוֹת appellabantur, Schekalim 2, 1; 6, 1. 5), in quas nummi, qui vel ultro dabantur vel a Judaeis ad templum conservandum quotannis pendendi erant, condebantur [1]. In quattuor atrii angulis erant cubicula, quadragena cubita longa et lata, certis usibus destinata, et quidem לִשְׁכַּת הַנְּזִירִים *cubiculum naziraeorum*, ubi naziraei carnem sacrificalem coquebant et crines tondebant; לִ מְצוֹרָעִים *cubiculum leprosorum*, ubi a lepra sanati se purgabant; לִ הָעֲצִים i. e. cubiculum, quod lignis servandis serviebat; לִ בֵּית שְׁמֻנֵּה *cubiculum domus pinguedinis*, ubi vinum et oleum reponebantur (Middoth 2, 5) [2]. Ex hoc atrio etiam introitus patebat in duo conclavia atrii Israelitarum, in quibus instrumenta musica Levitarum servabantur.

[1] Locus, in quo illae cistae positae erant, Mc 12, 41. Lc 21, 1. Jo 8, 20 τὸ γαζοφυλάκιον (a γάζα *thesaurus* et φυλακή *custodia*) vocatur. Ceterum *gazophylacium* (Vulg.) est appellatio cellarum in atrio templi sitarum, in quibus aerarium sacrum servabatur (IV Rg 12, 10). Josephus BJ 6, 5. 2 de γαζοφυλακίοις dicit, ἐν οἷς ἄπειρον χρημάτων πλῆθος, ἄπειροι ἐσθῆτες καὶ ἄλλα κειμήλια, πᾶς ὁ Ἰουδαίων σεσώρευτο πλοῦτος. Et

AJ 19, 6. 1 memoriae prodit Agrippam duas catenas (unam auream, alteram ferream) intra consaeptum templi ὑπὲρ τὸ γαζοφυλάκιον suspendisse.

[2] Ad atrium mulierum nonnulli duo alia conclavia referunt, quorum in M. Schekalim 5, 6 mentio fit: לשכת חשאים *conclave occultorum,* in quod viri pii eleemosynas clam conferebant, et ל' הכלים *conclave vasorum,* ubi vasa templo consecrata servabantur. At ea conclavia, cum ex conclavi vasorum cottidie vasa ad ritus sacros necessaria peterentur, ad atrium Israelitarum aut sacerdotum pertinuisse videntur.

III. Ad occidentem versus quindecim (secundum Josephum quattuordecim) gradus [1] semicirculati in atrium interius sive magnum ducebant (Jos. AJ 5, 5. 3. Middoth 2, 5. Sukka 5, 4), quod centum octoginta septem cubita longum (ab oriente in occidentem) et centum triginta quinque latum erat (Middoth 5, 1). Sex portis (ternis et a septentrionibus et a meridie) cum atrio externo, unâ portâ (ab oriente), quinquaginta cubita altâ et quadraginta latâ (quae Tamid 3, 7 שַׁעַר הַגָּדוֹל *porta magna*, Jos. BJ 5, 5. 3 ἡ μείζων πύλη, AJ 17, 6. 2 ὁ πυλὼν ὁ μεγάλος τοῦ ναοῦ vocatur), cum atrio mulierum coniungebatur (Middoth 1, 4). Loricâ quadam, unum cubitum altâ et ex pulchro saxo confectâ, in atrium Israelitarum (עֶזְרַת יִשְׂרָאֵל) et atrium sacerdotum (ע' כֹּהֲנִים) divisum erat (Jos. BJ 5, 5. 6).

Atrium Israelitarum, ante atrium sacerdotum situm, centum triginta quinque cubita latum (a septentrionibus in meridiem) et undecim longum (ab oriente in occidentem) erat. In eo Israelitae stabant, qui sacris intererant, nec non musici et cantores Levitici. Interioribus eius atrii parietibus complura cubicula adstructa erant ad sacram supellectilem conservandam, ad synedria habenda, ad alios usus. Atque Middoth 5, 2 s. sex conclavia numerantur, tria ad septentriones versus: לשכת המלח *conclave salis*, ubi sal sacrificale servabatur, ל' הפרוה *conclave Parvah*, ubi pelles victimarum sale condiebantur, ל' המדיחים *conclave lavantium,* ubi intestina victimarum lavabantur; ad meridiem versus: ל' העץ *conclave lignorum,* in quo ligna selecta atque ad usum altaris apta servabantur, ל' הגולה *conclave exsilii*, ubi erat puteus, unde aquam hauriebant situlam ope rotae extrahentes, ל' הגזית *conclave caesi lapidis,* quo synedrium magnum conveniebat. Supra conclave lignorum erat ל' פרהדרין *conclave Parhedrin*, in quo summus sacerdos per septem dies ante diem expiationis commorabatur.

Atrium sacerdotum, centum septuaginta sex cubita longum et centum triginta quinque latum, aedem sacram ipsam circumdabat. Continebat *altare holocaustorum* idque non aeneum, quale in atrio et ta-

bernaculi Mosaici et templi Salomonis fuerat, sed rudibus lapidibus (Jos. BJ 5, 5. 6. Middoth 3, 4. cf. Ex 20, 25. Dt 27, 5. I Mcc 4, 47) in altitudinem quindecim atque in longitudinem et latitudinem quinquaginta (teste Middoth 3, 1 triginta duorum) cubitorum exstructum. Anguli altaris superius eminebant et ad figuram cornuum arietis retorti erant (κερατοειδεῖς γωνίαι Jos. BJ 5, 5. 6. Middoth 3, 1). Cum cornu inter meridiem et occasum solis sito duo canales coniuncti erant, qui in torrentem Kidron ducebant; alter ad excipiendum sanguinem victimarum vinumque libaminum, alter ad suscipiendam aquam libationis, quae in sollemnitate tabernaculorum fiebat, destinatus erat (Joma 5, 6. Sukka 4, 9. Sebachim 6, 2. Tamid 7, 3. Middoth 3, 2) [2]. In eo latere altaris, quod in septentriones vergebat, erat *locus mactationis* (בית המטבחים, בית הטביחה), ubi sex ordines anulorum erant, quorum singuli quaternos anulos complectebantur, ut victimae ad illos constrictae minore cum incommodo iugularentur; praeterea octo mensae marmoreae ad excipiendas carnes victimarum et totidem columnae humiles, quibus trabes cedrinae, trina uncorum serie instructae, impositae erant, ut hostiae ex iis suspensae excoriarentur. Ad occidentem clivi altaris duae aliae mensae erant, altera marmorea, cui membra victimarum dissecta imponebantur, altera argentea, quae vasa ad ministerium sacrum necessaria sustinebat. In parte altaris ad orientem versa erat *locus cineris* (בית הדשן), in quem cottidie cineres proiciebantur. Inter altare et pronaum erat *labrum* magnum (Middoth 3, 6), quod aquis e fonte עֵיטָם prope Bethlehem [3] deductis implebatur et duodecim epistomiis instructum erat (Joma 3, 10. Tamid 3, 8). In ea parte atrii, quae ad septentriones spectabat, erat *domus foci* (בית המוקד), ubi ignis alebatur ad calefaciendos sacerdotes, qui nudis pedibus supra marmoreum atriorum solum incedebant. In quattuor eius angulis quattuor erant conclavia: in primo conclavi panes propositionis conficiebantur; in secundo lapides altaris holocaustorum, quod a Syris profanatum erat, servabantur [4]; in tertio introitus in balneum subterraneum patebat; in quarto agni ad holocaustum cottidianum destinati, minimum sex, alebantur (Middoth 1, 6).

[1] In his gradibus Levitae quindecim שִׁיר הַמַּעֲלוֹת LXX ᾠδαὶ τῶν ἀναβαθμῶν, Vulg. *cantica graduum* (Ps 120—134., LXX et Vulg. 119—133) decantasse creduntur. Ita nonnulli interpretes Judaici (ut *D. Kimchi, S. Jarchi,* cf. Sukka 5, 4. Middoth 2, 5), quos etiam complures Christiani aetatis et antiquioris (velut *Hippolytus,* In Ps. fragm. 4. MSG 10, 716. *C. l' Empereur, S. van Til)* et recentioris (inter quos *F. Hitzig)* secuti sunt. At de ea re nullum exstat testimonium antiquum. Alii (ut *Saʿadja Gaon, Ibn ʿEsra)* ea carmina propterea ita appellata esse existimabant, quod clariore voce decantata sint, quam opinionem, pro qua nullum argumen-

tum afferri potest, *Luther* quoque sequi videtur, cum vertat: „Lieder im höheren Chor". Neque eorum opinio probari potest, qui ea cantica ad itinera referunt, quibus Hebraei ter quotannis Hierosolyma ad festa in templo agenda *adscendebant* (cf. Jes 30, 29); cui licet plerorumque canticorum argumenta faveant, alia tamen (Ps 120. 132) minus apta sunt. Alii illa cantica de reditu ex Babylonia interpretati sunt neque incongrue ea a reducibus, qui ex Babylonia in Palaestinam *adscenderunt* (cf. Esr 7, 7. 9), decantata esse putarunt (*Chrysost.* Hom. in Ps 119. MSG 55, 338 s. *Theodoret.* In Ps 119, 1. ib. 80, 1876). Quae opinio eo quoque commendatur, quod in numero redeuntium permulti cantores et cantrices fuisse dicuntur (Esr 2, 65. Neh 7, 67). Quodsi obicitur nonnullis carminibus (Ps 122. 134) templum cultumque divinum restitutum poni, responderi potest toto illo tempore a primo anno Cyri usque ad Nehemiam continuo alios atque alios exsulantes redisse (quod ex libris Esrae et Nehemiae apparet), ut carmina eius modi argumenti iis, qui post sextum annum Darii I Hystaspis reverterunt, omnino apta fuerint. Inter interpretes recentioris aetatis nonnulli verba שיר המעלות peculiarem carminum formam intellegunt, quae gradatim quasi procedunt, ita ut antecedentis sententiae pars ab initio subsequentis repeti, novis verbis augeri, quasi *adscendere* videatur. At fateamur oportet non in omnibus iis carminibus hanc formam inveniri, eam autem et in cantico Jdc 5, 2—31 et in nonnullis aliis psalmis, qui inscriptione „cantica graduum" carent, observari. Quare haec sententia pro certa haberi non potest.

[2] In altari tres ignes ardebant, unus (ad orientem versus) ad combustionem victimarum et fertorum, alter (ad meridiem versus) ad adolendum suffitum, tertius (ad septentriones versus), de quo etiam sacrae litterae mentionem faciunt, erat perpetuus. Alii autem duos, alii quattuor ignes fuisse dicunt (cf. Joma 4, 6).

[3] Fons עין עתם idem esse videtur, qui hodie *ʿAin ʿAṭán* vocatur neque procul a Bethlehem prope vicum *ʿArṭás* conspicitur. Eius aquae tribus lacubus, qui a Salomo nomen trahebant, excipiebantur et per aquaeductum, cuius rudera etiam nunc supersunt, Hierosolyma deferebantur.

[4] I Mcc 4, 46 memoriae proditur eos lapides ἐν τῷ ὄρει τοῦ οἴκου ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ servatos esse.

Caput tertium

De aede sacra

I. Sacrarium sive templum ipsum (ὁ ναός, τὸ ἅγιον ἱερόν), sex cubitis i. e. duodecim gradibus atrio sacerdotum altius situm, lapidibus candidissimis [1] non minore elegentia quam arte exstructum (Jos. AJ 15, 11. 3. BJ 5. 5. 6), centum cubita altum et unâ cum pronao totidem longum (BJ 5. 5. 4) atque sine pronao sexaginta (BJ 5, 5. 5.,

teste Middoth 4, 7 septuaginta) cubita latum erat. Omnes eius parietes intus atque partim etiam foris pretiosa tabulatione et auro obducti erant.

Pronaus, intus totus deauratus, centum (intus quinquaginta) cubita latus (ab utraque igitur parte viginti aut quindecim cubita prominens) et totidem (intus nonaginta) altus atque undecim cubita longus (ab oriente ad occidentem) erat. In eius angulis ad septentriones et meridiem vergentibus erant cubicula ad asservanda utensilia mactationis destinata (בית התליפות Middoth 4, 7). Porta pronai, septuaginta cubita alta et viginti quinque lata (secundum Middoth 3, 7 quadraginta cubita alta et viginti lata), valvis carebat et velo tantum claudebatur. Ianua biforis, quinquaginta quinque cubita alta et sedecim lata (teste Middoth 4, 1 viginti cubita alta et decem lata), quae praeterea velo pretioso claudebatur, e pronao in sanctuarium ducebat. Supra hanc ianuam vitis aurea (symbolum gentis electae cf. Jes 3, 14; 5, 1—7; 27, 2. Jer 2, 21; 5, 10; 12, 10. Ez 19, 10) conspiciebatur, ingeniose facta, ex qua uvae magnitudine hominis dependebant (Jos. BJ 5, 5. 4. AJ 15, 11. 3. Middoth 3, 8). Ad duo latera ianuae singulae mensae positae erant, una marmorea, ubi panes propositionis novi in sanctuarium inferendi, altera aurea, ubi veteres elati deponebantur (Schekalim 6, 4. Menachoth 11, 7). Praeterea pronaus plurimis muneribus a regibus et civitatibus exteris Hierosolyma missis ornatus erat, quae Antiochus Epiphanes comminuta abstulit (I Mcc 1, 21 s; 4, 57. II Mcc 3, 2; 5, 16). Inter ea imprimis memorantur lychnuchus aureus, quem Helena, Adiabenorum regina, templo dedicavit, mensa aurea, quam Ptolemaeus Philadelphus, rex Aegyptius, cum aliis donis sacravit (Jos. AJ 12, 2. 8 s), θαλλοὶ νομιζόμενοι τοῦ ἱεροῦ, quos Alcimus pontifex regi Demetrio, qui modo imperium inierat, obtulit, ut reverentiam et oboedientiam populi et reipublicae praestaret (II Mcc 14, 4). Ibidem coronae (עֲטָרוֹת) aureae suspensae fuisse dicuntur, quae Josua pontifici impositae erant, ut eius dignitas regia et pontificalis significaretur (Sach 6, 11—14) [2], et catenae aureae, quibus iuniores sacerdotes adscenderent, ut eas coronas contemplarentur (Middoth 3, 8).

In sanctuario, viginti cubita lato, quadraginta longo, sexaginta (Jos. BJ 5, 5. 5., secundum Middoth 4, 6 quadraginta) alto, erat candelabrum aureum, mensa deaurata, altare thymiamatis. Quae τρία θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα (Jos. l. c.) ad exemplar prioris templi confecta esse verisimile est. Quae omnia Antiochus Epiphanes rapuerat (I Mcc 1, 21); sed Maccabaei Syris terrâ depulsis nova eorum loco facienda curarunt (ib. 4, 49) [3].

Sanctissimum obscurum, vicena cubita longum et latum ac sexaginta (teste Middoth 4, 6 quadraginta) altum, pariete interiecto a sanctuario separabatur. Qui paries ianuam habebat, quae velo quodam pretiosissimo (καταπέτασμα Jos. BJ 5, 5. 5. τὸ δεύτερον καταπέτασμα Hebr 9, 3) eoque secundum traditionem Judaicam duplici (unum cubitum inter se distante, Middoth 4, 7) claudebatur[4]. Cum arca deesset, sanctissimum plane vacuum mansisse videtur. Nam Josephus (l. c.) diserte testatur nihil ibi fuisse (ἔκειτο οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ) et „vacuam sedem et inania arcana" Cn. Pompeium ibi invenisse Tacitus Hist. 5, 9 memoriae tradit.

Tectum aedis sacrae non planum, sed leviter adscendens, loricâ tria cubita altâ cinctum et aureis verubus iisque acutissimis, ne ab insidentibus avibus inquinaretur, instructum erat (Jos. BJ 5, 5. 6. Middoth 4, 6).

[1] Plerique lapides viginti quinque cubita longi, octo alti, circiter duodecim lati erant (Jos. AJ 15, 11. 3). Nonnulli longitudinem quadraginta quinque, altitudinem quinque, latitudinem sex cubitorum habuisse dicuntur (BJ 5, 5. 6).

[2] Hieronymus (MSL 25, 1456) ad locum allatum notat: „Facies coronas auri atque argenti varietate distinctas, non unam coronam, sed vel duas vel plures; עטרות quippe, i. e. στέμματα, non unum, sed vel dualem vel pluralem numerum significant". Alii autem non existimant duas coronas distinctas capiti sacerdotis impositas esse, neque quia de regno et sacerdotio sermo fit, idcirco duas coronas distinctas formandas fuisse; nam duas illas potestates, cum summa concordia agere dicantur, aptius unâ coronâ significari, sed quae ex duplici quasi diademate vel compluribus aureis argenteisve circulis constet et ut tiara pontificia triplici exstructione aut similiter formata sit. Rursus alii numerum pluralem de sola magnificentia coronae explicant, quod tamen arbitrarium esse videtur, quamvis iam interpres Chaldaicus vertat: „Et facies coronam magnam". Syrus numerum singularem habet. Cum textu Hebraico Graeci Alexandrini consentiunt: ποιήσεις στεφάνους.

[3] Titus cum alia vasa sacra tum mensam panum propositionis et candelabrum aureum triumpho transtulit (Jos. BJ 7, 5. 5), id quod in arcu Titi Romae erecto adhuc conspicitur (cf. W. S. Caldecott, The temple spoils represented on the arch of Titus. PEF, Quarterly Statement 1906, 306—315). Vespasianus ea in templo Pacis a se aedificato asservavit. Quod templum regnante Commodo incendio absumptum est. Neque vero sine veritatis specie est illas res sacras a Vandalis Româ direptâ (anno 455 p. Ch.) in Africam, inde a Belisar, qui regno Vandalorum finem fecit (anno 534), Constantinopolim tralatas esse (cf. A. Bludau, Der Verbleib der Geräte des Tempels zu Jerusalem. Kth LXXXII, 1. 1902, 109—119).

[4] Quod velum ex doctrina Pauli apostoli carnem Christi significat (Hebr 10, 20). Quam ob rem moriente Christo εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω scissum est (Mt 27, 51), quippe cum nulli usui futurum esset, post-

quam morte Christi via ad caelum, cuius imago quaedam sanctissimum fuerat, aperta est.

II. Aedes sacra a tribus lateribus (excepto latere in orientem vergente) aedificiis trium contignationum (οἶκοι τρίστεγοι Jos.), quae sexaginta cubita alta erant et complura cubicula continebant (teste Middoth 4, 3 duodequadraginta, et quidem ad septentriones et meridiem versus quindena, ad occidentem octo), circumdata ac superne fenestris instructa erat. Contignatio super sanctuarium et sanctissimum (τὸ ὑπερῷον μέρος Jos.) quadraginta cubita alta erat includebatque conclavia ad res veteres et pretiosas conservandas destinata. Tali modo domus sacra cum super aedificia adstructa emineret ac marmore candidissimo auroque splenderet, oculos etiam eorum, qui procul adveniebant, in se convertebat (cf. Mc 13, 1. Jos. BJ 5, 5. 6. Babyl. Baba bathra 4 [a]. Sukka 51 [b]).

Adnotatio. — O. Wolff (Der Tempel von Jerusalem und seine Masse 66—98) mensuras templi ab Herode exstructi hoc modo definit: *Tota altitudo templi* centum septemdecim (templi solius centum) cubitorum erat. Ex atrio magno duodecim gradus (= sex cubitis) in aream ducebant atque ex hac quinque gradus (= duobus cubitis cum dimidio) in atrium mulierum. Atrium Israelitarum quindecim gradibus (= septem cubitis cum dimidio) atrio mulierum altius erat, atrium sacerdotum duobus gradibus (= uni cubito) altius atrio Israelitarum. *Aedes sacra* septuaginta septem (et quidem sanctuarium et sanctissimum quadraginta, cubicula superstructa viginti, fundamentum sex, tectum cum fastigio undecim) cubita alta erat. *Pronaus* unâ cum fundamento centum cubita altus, totidem latus, viginti duo (intus undecim) longus erat. *Tabulata templo adstructa* quadraginta (unâ cum fundamento, tecto, porticu quinquaginta quattuor) cubita alta et quinquaginta quattuor lata erant. *Atria interiora:* atrium sacerdotum centum octoginta novem cubita longum et centum triginta quinque latum erat; atrium mulierum latitudinem centum triginta quinque et longitudinem nonaginta cubitorum habebat; utrumque atrium, muris et exedris additis, ducenta nonaginta sex cubita longum et ducenta latum (cum turribus portarum trecenta cubita longum et ducenta duo latum) erat. *Atrium gentium* auctor non dimetitur. *Tota latitudo* templi erat ducentorum triginta quattuor (= 2×117), *tota longitudo* trecentorum duodecim cubitorum. Quibus mensuris ea lex, quam supra exposuimus, subiecta est. — Conferas etiam eiusdem auctoris librum inscriptum „Der Tempel von Jerusalem“ 60—98, ubi ex parte alias mensuras persequitur et supputat.

C. Schick (op. all. 53 ss.) mensuras templi ita proponit: *Templum* centum cubita longum et latum (i. e. spatium decem milium cubitorum quadratorum) atque unâ cum fundamento sex cubita (= duobus gradibus) alto centum cubita altum erat. Sacrarium, i. e. sanctuarium et sanctissimum, unâ cum fundamento et tecto, quod quattuor cubita altum erat, altitudinem quinquaginta cubitorum habebat. Solarium (a septentrionibus, meridie, occidente umbraculo quodam circumdatum) sexaginta cubita lon-

gum, viginti latum, viginti quinque (unâ cum fastigio quinquaginta) altum erat. Domus sacra (muris additis) centum cubita longa et (sine utraque a septentrionibus et meridie porticu) sexaginta lata, in parte autem in orientem spectante unâ cum duabus a septentrionibus et meridie turribus, quae altitudinem centum cubitorum habebant, centum cubita lata erat. *Atrium interius* bipartitum (sacerdotum et Israelitarum) ante sacrarium ipsum positum erat. Atque atrium sacerdotum (unâ cum exedris in parte ad occidentem versus sitis) ducenta cubita longum (ab occidente in orientem) et unâ cum atrio Israelitarum (quod et a septentrionibus et a meridie latitudinem triginta duorum cubitorum cum dimidio habebat et centum octoginta septem cubita longum erat) ducenta cubita latum, non plus centum octoginta septem cubita longum (ab oriente in occidentem) et centum triginta quinque latum ac quinque gradibus (= duobus cubitis cum dimidio) atrio Israelitarum altius erat. *Atrium mulierum* vel rectius *atrium medium* (I Rg 8, 64. II Chr 7, 7), quindecim gradibus (= septem cubitis cum dimidio) atrio interiore inferius, sine aedificiis ducenta cubita latum (a septentrionibus in meridiem) et centum triginta quinque longum erat. *Tota regio sacra* quadringenta cubita longa (ab occidente in orientem) et trecenta lata erat i. e. spatium centum viginti milium cubitorum quadratorum. Area, quae tam aedificia a septentrionibus, meridie, oriente exstructa quam exedras ab occidente positas circumdabat et *Chêl* vocabatur, erat quadratum quadringentorum cubitorum i. e. spatium centum sexaginta milium cubitorum quadratorum. Erat duodecim gradibus (= sex cubitis) altius *atrio gentium*, quod unâ cum atriis interioribus et area quadratum quingentorum cubitorum formabat i. e. spatium ducentorum quinquaginta milium cubitorum quadratorum. Solium templi igitur $12 + 15 + 5 + 12$ gradibus (= $6 + 7\frac{1}{2} + 2\frac{1}{2} + 6$ = viginti duobus cubitis) altius erat atrio gentium, quod undique porticus vel exedrae, eaeque a meridie latiores quam a ceteris partibus, circumdabant. Singularum partium proportionem auctor p. 107—110 describit.

Sectio quinta

De aliis templis Jahvae sacratis

Praeter templum Hierosolymis exstructum alia quoque templa Jahvae sacrata commemoranda sunt, templum Samaritanorum in monte Garizim aedificatum et templa Judaeorum in Aegypto commorantium.

Caput primum

De templo Samaritanorum

Coloni a Sargon II (II Rg 17, 24) et postea ab Esarhaddon (Esr 4, 2) [1] atque Assurbanipal (ib. v. 9 s.) ex Babylonia et Assyria [2] in regiones regni decem tribuum missi cum reliquiis Israelitarum, quae

etiamtum in terra habitabant in unum populum coaluerunt et a capite *Samaria* (Assyr. *Samerina*, postea Σεβαστή i. e. *Augusta*, hodie *Sebastîje*) Samaritani (שֹׁמְרִים, LXX et Jos. AJ 11, 8. 6 Σαμαρεῖται, AJ 18, 4. 1 Σαμαρέων ἔθνος, Mischn. כּוּתִים, AJ 9, 14. 3; 11, 4. 4; 11, 7. 2 Χουθαῖοι, ib. 13, 9. 1 Κουθαῖοι, ib. 10, 9. 7 Χουθαίων ἔθνος) vocati sunt. Cum idololatrae essent, primo Jahven non colebant. Sed paulo post quam consederant, a permultis leonibus in illa regione saevientibus exagitati deum terrae, in qua domicilia collocaverant, venerari cupiebant, cum leones malum ab illo deo immissum esse putarent. Quam ob rem Esarhaddon unum e sacerdotibus e regno decem tribuum deductis ad eos misit, qui, cum in Bethel consedisset, colonos docebat, „quo modo Jahven colerent“ (II Rg 17, 25—28). Quae cum ita essent, coloni Samariae et suos deos et Jahven venerabantur (ib. v. 33—41. Esr 4, 1 s.). Quem cultum Jahvae in Bethel institutum, cum a sacerdote quodam non legitimo regni Israelitici inductus esset, fuisse cultum vitulorum iam inde a temporibus regis Jerobeam I apud Israelitas vigentem persuasum habemus, etsi simulacri vituli in Bethel erecti clare mentio non fit (II Rg 23, 15).

Cum Judaei post reditum e captivitate Babylonia templum Hierosolymitanum rursus aedificare coepissent, Samaritani eis se socios ingesserunt. Quia vero magis beneficiorum a Cyro Judaeis concessorum quam templi et religionis participes fieri neque deos patrios deserere volebant, repulsi abierunt. Quapropter implacabali in Judaeos odio concepto templi exstructionem, quantum in ipsis erat, impediebant. Cum Nehemia uxores alienigenas ob periculum seductionis e populo submoveret, Manasses, frater pontificis Jaddua et nepos Jojada, Nikaso uxorem, filiam Sanballat II, satrapae Samaritanorum (Jos. AJ 11, 7, 2), dimittere nolens ad Samaritanos transiit (Neh 13. 28) et per socerum ab Alexandro Magno, qui Tyrum tum obsidebat (anno 332 a. Ch.), veniam obtinuit templi (Hierosolymitano similis, Jos. AJ 13, 9. 1. BJ 1, 2. 6) in monte Garizim (monte benedictionis cf. Dt 11, 29; 27, 12. hodie *Gebel eṭ-Tôr* vel *el-Ḳibli*) aedificandi, cuius pontifex creatus est (Jos AJ 11, 8. 4). Postea Antiochus Epiphanes per senem quendam Atheniensem (γέροντα Ἀθηναῖον, Vulg. falso „senem Antiochenum“), cuius nomen non traditur, id templum Samaritanis petentibus Jovi Hospitali (iuris hospitii alienigenarumque custodi), quoniam Samaritani hospitalissimi existimabantur, dicari iussit (II Mcc 6, 1 s.) [3]. Anno 128 a. Ch. n. Joannes Hyrcanus I Samariam expugnavit atque etiam templum evertit (Jos. AJ 13, 9. 1; 13, 10. 2 s. BJ 1, 2. 6). Nihilo minus etiam templo destructo montem Garizim a Samaritanis sacrum habitum esse ex Jos. AJ 18, 4. 1. BJ 3, 7. 32 apparet.

[1] Etiam ex inscriptionibus cuneiformibus apparet regem Esarhaddon *(Aššur-aḫ-iddin)* gentes ex oriente in terram *Ḥatti,* quo nomine Syria cum Phoenica et Palaestina significatur, transtulisse.

[2] Praecipue ex urbibus Babel, Cutha *(Gudû'a, Gudû, Kutû,* hodie *Tell 'Ibrahîm),* Ava (hodie *Imm),* Chamat *(Amâtu, Ḥamnâtu,* nunc *Ḥamât),* Sepharvaim *(Šabarin,* fortasse *Saphrane* nostrae aetatis). — Errat Josephus, qui AJ 10, 9. 7 colonos ex Media et Persia venisse tradit.

[3] Josephus quidem AJ 12, 5. 5 auctor est sacrarium Samaritanum Διὶ Ἑλληνίῳ dicatum esse. At in hunc non cadit causa, quae affertur, quod dicatio illa propter hospitalem Samaritanorum animum facta sit.

Caput secundum

De templis Judaeorum in Aegypto commorantium

I. Onias sacerdos, filius Onias III summi pontificis, cum nullam spem pontificatus in Judaea obtinendi haberet, a Ptolemaeo VI Philometore (181—146 a. Ch.) circa annum 160 petiit, ut sibi liceret aedem deae Bubastis [1] Leontopoli (Litopoli) in nomo Heliopolitano sitam [2] in templum Judaicum mutare. Quod etiam innixus vaticinio Jes 19, 18—20 de cultu vero deo in terra Aegypti tribuendo impetravit atque ibi sacerdotes e genere suo instituit et sacra procuravit, quae tamen Palaestinenses ut non legitima abominabantur (M. Menachoth 13, 10). Cuius templi structura sacrarium Hierosolymitanum imitabatur, sed loco candelabri aurei habebat lychnuchum aureum ex catena aurea pendentem. Aream templi murus latericius, qui portis lapideis instructus erat, circumdabat (Jos. AJ 12, 9. 7; 13, 3. 1—3. BJ 7, 10. 2 s.). Per multos annos templum incolume mansit. Tandem propter seditiones Judaeorum iussu Vespasiani a Lupo, Alexandriae praefecto, anno 73 p. Ch. clausum ac paulo post omnino dirutum est (BJ 7, 10. 4) [3].

[1] Aegyptiorum deam Bubastin (Aeg. *Pi-Bast* vel *Pi-Bését),* quae sub felis imagine colebatur, Herodotus Hist. 2, 137. 156 eandem atque Graecorum Artemin esse ait. Eius templi idem scriptor ib. 138 mentionem facit. Urbem perantiquam Aegypti inferioris *P(r)-ubaste(t),* hodie *Tell-Basṭa* Ezechiel 30, 17 (פִּי־בֶסֶת LXX Βούβαστος) commemorat.

[2] Quo loco templum situm fuerit, Josephus AJ 13, 3. 2 accuratissime definit: τὸ ἐν Λεόντων πόλει τοῦ Ἡλιοπολίτου ἱερὸν συμπεπτωκός... προσαγορευόμενον δὲ τῆς ἀγρίας Βουβάστεως. Idem ex AJ 13, 3. 1 efficitur. Ceteris locis Josephus id unum dicit templum ἐν τῷ Ἡλιοπολίτῃ νόμῳ fuisse (AJ 12, 9. 7; 13, 10. 4; 20, 10. BJ 1, 1. 7; 7, 10. 3); tan-

tum BJ 7, 10. 3 addit locum centum octoginta stadia a Mempli afuisse. Cum autem ea Leontopolis, quam nos quidem novimus, proprius nomos sit ab Heliopoli ad septentriones vergens (Strabo, Geogr. 17, 1, 19. Plin. Hist. nat. 5, 9), Josephus eo loco aliam Leontopolim nobis ignotam, in nomo autem Heliopolitano sitam, significet necesse est.

Ruinas templi W. M. Flinders Petrie anno 1905, cum in *Tell el-Jehudije* (= vico Judaeorum), qui locus parvo spatio a Memphi ad septentriones versus distat, effoderet, repperit. Ibidem etiam reliquias templi Bubastis deae invenit. Quibus effossionibus quidquid Josephus de illo templo memoriae prodidit, confirmatum est. Quare sententia illa templum ab Onias exstructum in eo loco nominis Tell el-Jehudije, qui in nomo Bubasti quingentis fere stadiis a Memphi ad septentriones versus abest, quaerendum esse iam defendi non potest.

[3] Quo loco Josephus narrat templum Onias tum a Romanis clausum esse, cum trecentos quadraginta tres annos stetisset. Pro numero 343 numerus 243 legendus est, ut templum anno a. Ch. n. centesimo septuagesimo aedificatum sit, id quod et ipsum rectum esse non potest. Josephus tempus necis Onias III (+ 170) cum tempore, quo templum aedificabatur (ca. 160), aequasse videtur.

Conferas W. M. Flinders Petrie, Hyksos and Israelitic cities (19—27. tab. 22—27) London 1906. — F. H. Pope, The temple of Onias at Leontopolis (The Irish theological Quarterly III, 1908, 415—424).

II. Locus sacer Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium ille quidem in papyris Aramaicis ibi inventis אגורא, *'êgora* (= Assyr. *êkurru*) appellatur, quo nomine templa quoque Aegyptiorum significantur. Cum autem etiam בית מדבחא, *bêth madbeḥâ* appelletur, quae vocabula et domum sacrificiorum et locum altaris valent, dubium est, utrum ille locus templum ipsum an ara sub divo intra spatium saeptum (τέμενος) posita fuerit. In qua ara cum etiam sacra fierent, colligendum est Judaeos urbis Syene praeceptum illud de uno loco cultus divini non diligentius observasse quam Judaeos Aegyptios secundi a. Ch. n. saeculi, cum in nomo Heliopolitano templum Jahvae sacratum aedificarent. Illud sacrarium quantum temporis manserit, reperiri non potest. Constat autem Cambyse Aegyptum expugnante (anno 525 a. Ch.) id iam fuisse, quod diserte memoriae traditur eum id incolume reliquisse, cum Aegyptiorum templa vastaret. Sacerdotibus dei Chnum (Aeg. *ḫnmw*, Aram. חנוב, in inscript. Graec. Χνοῦβις) auctoribus anno a. Ch. n. 410 a militibus Persarum deletum est. Num rursus aedificatum sit, dubitandum est, cum seditio Aegypti superioris paulo post exorta ei rei adversa fuisse putanda sit. Quamquam permissum erat, ut aedificaretur.

Ex complurium virorum doctorum opinione templum Judaicum in insula Elephantine aedificatum legi illi Mosaicae, quae uno loco Jahven

coli iubet (Dt 12, 5. 13), non repugnat, cum ea in terra Canaan sola valeret (cf. ib. v. 1); consuetudini autem sacrorum in gentilium i. e. impuro solo non faciendorum repugnat (*F. H. Pope, J. Nikel*, alii). Itaque dici non potest legem illam ante sextum vel quintum a. Ch. n. saeculum nondum fuisse (*Th. Nöldeke, F. Stähelin, E. Schürer*). Eodem iure dicas eam ne secundo quidem a. Ch. n. saeculo fuisse, quo templum Onias exstructum est. Quod adhuc nemo dicere ausus est.

Appendix

De synagogis

Praesidia doctrinae. — Maimonides, Hilchoth Tephilla (in lib. sec. operis „Jad ha-chasaka" sive „Mischne Thora"). — C. Vitringa, De synagoga vetere libri tres, quibus tum de nominibus, structura, origine, praefectis, ministris et sacris synagogarum agitur, tum praecipue formam regiminis et ministerii earum in ecclesiam Christianam translatam esse demonstratur. Franequerae 1696. — Complura opera in Bl. Ugolini Thes. XXI. — L. Löw, Der synagogale Ritus (Monatsschr. f. Gesch. u. Wissensch. d. Judentums 1884, 97 ss. 161 ss. 214 ss. 305 ss. 364 ss. 458 ss.). — E. Schürer, GJV II[4], 497—544. — D. Joseph, Stiftshütte, Tempel- und Synagogenbauten aus alter Zeit. Berlin 1902. — M. Rosenmann, Der Ursprung der Synagoge und ihre allmäliche Entwicklung. Eine historisch-kritische Studie zur Erforschung beider. Berlin 1907.

Caput primum

De synagogarum origine

Praeter templum Hierosolymitanum Judaei habebant alia quoque loca cultui divino dicata i. e. synagogas[1], de quarum origine variae discrepantesque sunt virorum doctorum sententiae. Nonnulli temporibus primorum patriarcharum eas ortas esse arbitrantur[2]; alii temporibus Mosis, quod septimo quoque anno lex populo recitanda esset (Dt 31, 11 s.), recitatio autem legis ad cultum divinum in synagogis exercitatum pertineret; alii aetate iudicum incipiente, postquam terra Canaan ab Hebraeis pacifice habitari coepta est; alii, qui verbis כָּל־מוֹעֲדֵי־אֵל בָּאָרֶץ (Ps 74, 8) synagogas significari contendunt, paulo post exstructionem templi Salomonis[3]; denique alii in exsilio aut certe paulo post reditum exsulantium in patriam[4]. Quoquo modo res se habet, id constat synagogarum originem a temporibus antiquis trahendam esse, cum Act 15, 21 legem Mosaicam ἐκ γενεῶν ἀρχαίων populo in synagogis recitatam esse dicitur. Verisimillimum autem est eas in exsilio Babylonio institutas

esse. Nam cum templo diruto sacra praescripta cessassent (cf. Jes 43, 22—24), exsulantes, ne omni religionis exercitatione carerent, statis temporibus (verisimiliter sabbatis aut festis diebus) ad prophetam quendam (Ez 8, 1; 14, 1; 20, 1) vel alium virum pium convenire solebant, ut ab eo rebus divinis instituerentur atque erudirentur (cf. Neh 8, 1 ss.; 9, 1 ss.; 13, 1 ss.); immo iam ante exsilium talis mos nonnumquam viguisse videtur (II Rg 4, 23). Quae congregationes domesticae procedente tempore in quibusdam locis fixae sunt et certus quoque in iis ordo invaluit i. e. synagogae ortae sunt. Quod institutum Judaei ex Babylonia reversi etiam post templum aedificatum retinuerunt. Neque tantum in coloniis exteris (velut Damasci Act 9, 2. 20. Salaminae ib. 13, 5. Antiochiae Pisidiae ib. v. 14 s. 44. Jos. BJ 7, 3. 3. Iconii Act 14, 1. Thessalonicae ib. 17, 1. Beroeae ib. v. 10. Athenis ib. v. 17. Corinthi ib. 18, 4. Ephesi ib. v. 19. 26; 19, 8. Alexandriae Phil. De virtutib. opp. II, 565. Romae ib. 568 s.) et urbibus Palaestinae (ut Nazareth Mt 13, 54. Mc 6, 2. Lc 4, 16. Capharnaum Mc 1, 21. Lc 7, 5. Jo 6, 60), sed etiam ipsis Hierosolymis praeter templum multae erant synagogae [5]. Quare Christus quoque (Mt 4, 23; 9, 35. Mc 1, 39. Lc 4, 15. 44. Jo 18, 20) et apostoli (Act ll. cc.) in synagogis evangelium praedicabant et cum suis ad sacra procuranda conveniebant.

[1] Συναγωγή (NT et Jos.), a συνάγω *colligo*, proprie est *conventus* vel *coetus*, dein *locus conventus*, sicut ἐκκλησία, ab ἐκκαλέω *evoco*. proprie *convocationem* vel *congregationem*, dein *locum congregationis* significat. Apud Philonem (opp. I, 675. II, 591) etiam nomen συναγώγιον invenimus. Mischna בֵּית הַכְּנֶסֶת *domus congregationis* (a כָּנַס *congregavit*) et צִבּוּר *congregatio* (a צָבַר *congregavit*). Aramaice בֵּי כְנִישְׁתָּא. Sunt qui existiment etiam vocabulum σαββατεῖον (Jos. AJ 16, 6. 2) synagogam significare.

[2] Quod G. B. Winer (Biblisches Realwörterbuch [3] II, 548. cf. eius Diss. de Jonath. in pentateuch. paraphr. chald. I, 30) dicit Targumim originem synagogarum in tempora primorum patriarcharum referre, id non plane recte se habet. Nam quamquam apud Onkelos Gn 25, 27 legimus Jacob in „domo institutionis“ (בית אולפנא) servisse et in Targ. Hieros. I. Gn 33, 17 Jacob sibi „domum institutionis“ (בית מדרשא) aedificasse, tamen his locis non synagoga ipsa significatur. In Targ. Hieros. I. Ex 18, 20 memoriae proditur socerum Mosis eum adhortatum esse. ut Hebraeis eas preces, quas in synagoga dicerent, aperiret. At ibi iam non de aetate patriarcharum agitur. Ceteri quoque loci, quos G. B. Winer affert, ad posteriora tempora pertinent.

[3] Synagogas paulo post templum exstructum ortas esse demonstrari non posse equidem existimo. Ps 74 (73), 8 secundum textum masorethicum legitur quidem: „Combusserunt omnia loca conventuum dei (כל-מועדי-אל, Aquil. πάσας συναγωγάς) in terra“. Cum autem non omnes synagogae ut templum aedes sacrae appellari possint, verisimile est textum corruptum

esse, praesertim cum Graeci Alexandrini verterint: Καταπαύσωμεν τὰς ἑορτὰς κυρίου ἀπὸ τῆς γῆς. Etiam Vulgata vertit: „Quiescere faciamus dies festos dei a terra".

[4] M. Rosenmann (op. all.) cultum Jahvae in synagogis exercitatum de instituto „virorum stationis" repetit, cum dicat iis dei cultum sine victimis ad sacrarium institutum esse, qui paulatim per totam terram Judaeorum diffusus est. At de tali cultu divino nihil accepimus.

[5] Sed omnem fere fidem exsuperare nonnullis videntur, quae Judaei de quadringentis octoginta (Echa rabbathi 55[a]. 74[d]) vel secundum alios de quadringentis sexaginta (Hieros. Kethuboth 35[c]) synagogis Hierosolymitanis narrant.

Ceterum Hierosolymis non solum indigenae, sed etiam Judaei exteri proprias habebant synagogas. Velut Act 6, 9 τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων καὶ Κυρηναίων καὶ Ἀλεξανδρέων καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας καὶ Ἀσίας mentio fit. Copula καί, quam etiam Vulgata, versio Arabica et Aethiopica retinet, varias synagogas significare videtur. Syrus autem coniunctionem καί aut non legit aut omisit; vertit enim: „Surrexerunt quidam e synagoga, quae vocatur libertinorum, Cyrenaei, Alexandrini . . ." Atque ita statuisse videtur verbis allatis unam synagogam indicari eamque in usum omnium Judaeorum, qui ex diversis regionibus religionis causa Hierosolyma confluebant, exstructam.

Adnotatio. — Προσευχαί (Latine *proseuchae,* Juvenal. Satir. 3, 296) sive προσευκτήρια (Phil. De vita Mosis l. 3. opp. II, 168) i. e. *oratoria* a quibusdam pro synagogis habentur, ita ut προσευχή pro οἶκος vel τόπος τῆς προσευχῆς dicatur (I Mcc 3, 46. III Mcc 7, 20) = Aram. בֵּית תְּפִלִּין *locus precum,* quod est nomen synagogae. Atque vocabulum προσευχή iam in inscriptione quadam ex tertio a. Ch. n. saeculo profecta, quae in Schedia prope Alexandriam inventa est, ita legitur, ut *synagogam* valeat. Inscriptiones, ubi προσευχή pro *domo orationis* usurpatur, in Aegypto inferiore saltem quinque inventae sunt (cf. M. L. Strack, Inschriften aus ptolemäischer Zeit. Archiv für Papyrusforsehung und verwandte Gebiete II, 1903, 541), in his ea, quae anno a. Ch. n. tricesimo septimo orta ad dedicationem synagogae Alexandrinae pertinet (ib. 559). Etiam Josephus (Vit. § 54) proseucham Tiberiensem μέγιστον οἴκημα καὶ πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυνάμενον vocat. Philo quoque (Adv. Flacc. opp. II, 523 s. 535. De virtutib. ib. 565. 568. 596. 600) vocabulum προσευχή ad significandas synagogas usurpat. Ex aliorum autem opinione proseuchae erant loca extra urbes prope aquam (ad lotiones caerimoniales), nonnumquam sub divo sita (cf. Act 16, 13. Jos. AJ 14, 10. 23. Epiphan. Haer. 80, 1. MSG 42, 757), quo Judaei ad usus sacrorum convenire solebant.

Caput secundum

De synagogarum structura

Synagogae, plerumque in locis altioribus sitae, vel sumptibus publicis vel etiam liberalitate privatorum quorundam (interdum gentilium

Lc 7, 5) erectae, formam templi Hierosolymitani imitabantur, ut atrium cum porticibus haberent, sicut etiam nunc synagogae in oriente formatae sunt. Atque ex ruinis synagogarum, quae in Galilaea ad septentriones vergente adhuc exstant [1], quarum veterrimae secundi, fortasse primi p. Ch. n. saeculi sunt, cognoscere possumus, quo modo Judaei Christi fere aetate aedificare soliti sint. Plerumque *introitus* earum synagogarum a meridie erat et ex porta magna et duabus portis minoribus constabat (Kafr Bir'im, Mêrôn, Tell Ḥum). Introitum nonnumquam *porticus* excepit (Kafr Bir'im, Mêrôn). Nonnullae synagogae vel duobus ordinibus columnarum in tres (Kasiun et Nabartein) vel quattuor in quinque (Tell Ḥum) partes dividebantur. Synagoga Alexandrina formâ basilicae erat (Hieros. Sukka 55 a b). Quarum synagogarum nonnullae num sine tecto fuerint, ut synagogae Samaritanorum, non constat. In media synagoga erat *suggestus* ligneus (בִּימָה = βῆμα. מוּגְבָּל) [2] et super hunc *pulpitum* (בִּמָּא, בּוּרְסְיָא, ἀναλογεῖον), cui liber sacer recitandus imponebatur. Volumina, cum ex iis non recitabatur, in *armario* (אָרוֹן, תֵּיבָה, etiam הֵיכָל), pannis linteis involuta, servabantur. Varia *subsellia* (קָתֶדְרִין vel קתדראות, καθέδραι) pro honore et dignitate eorum, qui aderant, disposita erant [3], et quidem subsellia mulierum a virorum separata. Praeterea *lucernae* (גְּרוֹת) suspensae erant, quae cum ad usus precum vespertinarum tum ad sollemnia augenda accendebantur. Ad introitum *lavacra* constituta erant, ubi ii, qui synagogam ingrediebantur, manus abluerent. Instrumentis quoque musicis Hebraei deum in synagogis colentes utebantur, et quidem *bucinis* (שׁוֹפָרוֹת) et *tubis* (חֲצוֹצְרוֹת). Illis imprimis primo incipientis anni die, his diebus ieiunii canebatur.

Inter synagogas, quarum veteres scriptores mentionem faciunt, praeter Hierosolymitanas imprimis Jamnienses et Tiberienses celebrantur, quas tamen omnes procul a se reliquit Alexandrina illa μεγίστη καὶ περισημοτάτη, cuius διπλαὶ στοαί et septuaginta cathedrae aureae, lapidibus pretiosis et margaritis distinctae, summis laudibus celebrantur (Phil. De virtutib. opp. II, 565) [4].

Ceterum omnes synagogae tanti aestimabantur, ut Philo eas διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης (De virtutib. ib. 592) vel διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρείας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς (De vita Mosis l. 3. ib. 168. cf. De septen. ib. 282) appellet, et *loca sacra* habebantur, quae nulla re profanari debebant. Etiam cum dirutae erant, locus, ubi aedificatae erant, sacer permanebat.

[1] Eius modi ruinae in Kasiun, Kafr Bir'im, el Ğiš, Mêrôn, Nabartein, Tell Ḥum, Keraze, Irbid inventae sunt. In Kasiun inscriptio aetatis Sep-

timii Severi (197 p. Ch.) effossa est, ex qua cognosci potest, quo tempore eae synagogae exstructae sint.

[2] Iam Esra, cum legem recitaret, Neh 8, 4 על-מגדל-עץ LXX ἐπὶ βήματος ξυλίνου, Vulg. *super gradum ligneum* stetisse dicitur. Cf. etiam Jos. AJ 4, 8. 12.

[3] Πρωτοκαθεδρίαι legis peritorum in novo testamento saepius memorantur (Mt 23, 6. Mc 12, 39. Lc 11, 43; 20, 46).

[4] Velut in proverbii consuetudinem venit, qui synagogam Alexandrinam non vidisset, eum gloriam Israelis non vidisse (Babyl. Sukka 51[b]).

II

De ministris sacris

Praesidia doctrinae. — Bl. Ugolini, Thes. XII, 1—80. 81—120. XIII, 135—1156. — C. Ch. W. Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus II, 3—186. — G. Gerth, De Israelitarum sacerdotio. Jenae 1874. — S. J. Curtiss, The levitical priests. A contribution to the criticism of the pentateuch. Edinburgh and Leipsic 1877. De Aaronitici sacerdotii atque Thorae elohisticae origine. Dissertatio historico-critica. Lipsiae 1878. — S. Maybaum, Die Entwickelung des altisraelitischen Priestertums. Ein Beitrag zur Kritik der mittleren Bücher des Pentateuchs. Breslau 1880. — J. Lippert, Allgemeine Geschichte des Priestertums. Berlin 1883. — P. Grünbaum, Die Priestergesetze bei Flavius Josephus, eine Parallele zu Bibel und Tradition. Halle 1887. — H. Vogelstein, Der Kampf zwischen Priestern und Leviten seit den Tagen Ezechiels. Eine historisch-kritische Untersuchung. Stettin 1889. — W. W. Baudissin, Die Geschichte des alttestamentlichen Priestertums untersucht. Leipzig 1889. — A. van Hoonacker, Le sacerdoce lévitique dans la loi et dans l'histoire des Hébreux. Louvain 1899. Les prêtres et les lévites dans le livre d'Ezéchiel (RB VIII, 1899, 177—205). — A. Büchler, Die Priester und der Cultus im letzten Jahrzehnt des jerusalemischen Tempels. Wien 1895. — F. v. Hummelauer, Das vormosaische Priestertum in Israel. Freiburg 1899. — E. Schürer, GJV II[4], 267—336. — O. Kluge, Die Idee des Priestertums in Israel-Juda und im Urchristentum. Leipzig 1906. — H. Strunk, Die hohepriesterliche Theorie im alten Testamente. Halle 1906. Das alttestamentliche Oberpriestertum (StKr 1908, 1—26).

De Hebraeorum ante Mosen sacerdotibus

Qui temporibus ante Mosen apud Hebraeos sacerdotio fungebantur, non divinae, sed *humanae* institutionis erant. Ab Adam enim usque

ad Mosen nulla exstat lex divinitus revelata i. e. nullum corpus legum neque civilium neque religiosarum a deo revelatione profectum (cf. Rom 5, 13), sed paucae quaedam leges divinae singulares inveniuntur, velut prohibitio sanguinis bibendi et homicidii Noahidis imposita (Gn 9, 4—6) et lex circumcisionis Abraham eiusque progeniei data (ib. 17, 10—14). Utrum vero illo temporis spatio ius sacerdotale ad principes populi patresque familiarum an ad primogenitos spectaverit, inter viros eruditos diseptatur.

I. Atque a Judaeis memoriae proditum est *primogenitos* eosdem fuisse sacerdotes. Velut M. Sebachim 14, 4 legimus: „Antequam erectum esset tabernaculum, fuerunt excelsa licita et cultus per primogenitos fiebat; postquam erectum est tabernaculum, prohibita fuerunt excelsa et cultus per sacerdotes factus est“. Et Onkelos locum Gn 49, 3 ita exponit: „Tibi (Ruben) conveniebat accipere tres partes, בכורותא primogenituram (i. e. dignitatem terrenam in duplici hereditatis portione positam), כהונתא sacerdotium et מלכותא regnum“. Ps. Jonathan paulo fusius: „Ad te pertinebat primogenitura et dignitas sacerdotis et regnum; sed propterea quod peccasti, mi fili, data est primogenitura Joseph et regnum Juda et sacerdotium Levi“ [1]. Idem sentiunt complures patres et doctores ecclesiae. Velut Hieronymus, Quaest. Hebr. ad Gn 49, 3. MSL 23, 1056: „Debebas iuxta ordinem nativitatis tuae et hereditatem, quae primogenitis iure debebatur, sacerdotium scilicet et regnum accipere; hoc quippe in portando onere et praevalido robore demonstratur“. Thomas, S. th. 1, 2. qu. 103. a. 1. ad 3: „Sacerdotium etiam erat ante legem apud colentes deum secundum humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant“ [2].

[1] Similia afferunt paraphrastes Hierosolymitanus ad Gn 49, 3 et Bereschith rabba 71[3]. Quare Hieronymus, Quaest. Hebr. ad Gn 27, 15. MSL 23, 980 scribit: „(Est) traditio Hebraeorum primogenitos functos esse officio sacerdotum et habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur.“ Et ep. 73. ad Evangel. ib. 22, 680: „(Judaei) tradunt, quod usque ad sacerdotium Aaronis omnes primogeniti ex stirpe Noë . . . fuerint sacerdotes et deo victimas immolarint“.

[2] Ex interpretibus posterioris aetatis opinioni primogenitos eosdem fuisse sacerdotes praeter alios etiam *Cornelius a Lapide*, *J. Tirinus*, *H. Grotius*, *S. Bochart*, *J. Selden*, *J. Saubert*, *J. Jahn*, *D. B. Haneberg*, *J. L. Saalschütz*, *A. Stöckl* adstipulati sunt.

Neque tamen, ut demonstretur temporibus ante Mosen primogenitos sacerdotio functos esse, afferri potest deum Hebraeis ex Aegypto pro-

ficiscentibus omnia Aegyptiorum primogenita interfecisse (Ex 12, 29) et Hebraeos omnia primogenita sibi sanctificare iussisse (ib. 13, 2), tum autem pro primogenitis tribum Levi ad ministerium suum constituisse (Nm 3, 11—13. 41. 45). Nam illud praeceptum, quo omnia primogenita Jahvae sanctificari imperatum est, tam universum erat, ut non solum ad homines primogenitos, sed etiam ad animalia primogenita pertineret. Praeterea illud praeceptum eo tempore, quo Hebraei ex Aegypto proficiscebantur, datum non ante ratum esse coepisse videtur quam Hebraei in terram Canaan immigravissent (Ex 13, 11—16), tum igitur, cum tribus Levi iam pro primogenitis ad ministerium divinum electa erat. Etiam ex Levitarum surrogatione in locum primogenitorum (Nm 3, 11—13. 41. 45) apparet primogenitos nequaquam muneri sacerdotali praefuisse; neque enim Levitae sacerdotio fungebantur, sed ministerio sacerdotum in sacris peragendis; itaque primogeniti non ampliore erant dignitate quam Levitae in ipsorum locum surrogati. Etiam Dt 21, 17., ubi Moses τὰ πρωτοτοκεῖα explicat, nihil de sacerdotio invenimus.

Quare contra opinionem temporibus ante Mosen apud Hebraeos primogenitos munere sacerdotali functos esse *A. Calmet, V. H. Kurtz, P. Scholz, J. Linder,* alii viri docti dixerunt.

II. Sunt qui existiment ex loco Ex 24, 5., ubi Moses נַעֲרֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *adulescentes filiorum Israel* ad sacra facienda misisse dicitur, colligi posse ante Mosen primogenitos munere sacerdotali functos esse.

Onkelos, Ps. Jonathan, Saʿadja loco allato pro נערים *iuvenibus* posuerunt בוכרי *primogenitos.*

At verbis וַיַּעֲלוּ עֹלֹת *obtulerunt holocausta* et וַיִּזְבְּחוּ זְבָחִים שְׁלָמִים *immolaverunt victimas pacificas* illi iuvenes neque ut *sacerdotes* neque ut *sacerdotum ministri* describuntur. Non appellantur *sacerdotes*; nam primum illa verba etiam de iis, qui Jahvae sacra faciunt, crebro usurpantur (velut Ex 3, 18; 5, 3; 8, 23 s; 22, 19. Lv 17, 8. I Rg 1, 19. 25; 3, 4; 8, 63. Jes 66, 3. Koh 9, 2); deinde victimas adigere, quod verbo שָׁלַח *misit* significatur, non est sacerdotis, qui sacris operabatur, sed eius, qui offerebat; denique Moses sacrum, quod proprie dicitur, i. e. aspersionem sanguinis ipse exsecutus est. Neque vero illo loco dicitur iuvenes nihil amplius fuisse nisi *sacerdotum ministri* (cf. I Sm 2, 13); nam ea ministeria, quae iis attribuuntur, numquam a simplicibus ministris fiebant; sed verba allata in eos iuvenes cadunt, *quatenus partes filiorum Israel, qui sacrificabant*, i. e. totius populi *gerunt.*

III. Plerique interpretes locum Ex 19, 22. 24 de sacerdotibus, qui temporibus ante Mosen apud Hebraeos sacra procuraverint, agere

contendunt. Idque alii nulla explicatione addita affirmant, alii coniciunt illos sacerdotes aut primogenitos fuisse aut e variis familiis oriundos aut a Mose interim constitutos.

F. de Hummelauer (op. all.) existimat sacerdotes, qui loco allato commemorantur, secundum ordinem Melchisedech fuisse, sed non bonos piosque. Si enim, ut ex Jos 24, 14. Ez 20, 7 s; 23, 3. 8. 19 apparet, aut tota gens Hebraica aut certe magna eius pars, dum in Aegypto commorabatur, fictorum deorum cultui dedita erat, id sine aliqua sacerdotum neglegentia aut indulgentia fieri non potuit. Ne autem illi sacerdotes post Hebraeorum egresum ex Aegypto sacro ministerio, quo ad id tempus functi erant, privarentur, Aaron, cum Moses per plurimos dies apud deum in monte Sinai versaretur, instigaverunt, ut vitulum conflatilem ex inauribus aureis formandum curaret, quem Hebraei pro simulacro ipsius Jahvae, qui eos e servitute Aegyptia eduxerat, venerabantur (Ex 32, 1—8). At Moses Levitas armatos per media castra misit, qui seditiosos illos sacerdotes circa vetus tabernaculum ebrios recubantes districtis gladiis ceciderunt: quo impetu ad tria milia virorum perempta traduntur (ib. v. 26—28. Falso Vulgata: „quasi viginti tria milia“).

Exsistit autem hoc loco quaestio subdifficilis, quinam sacerdotes illi antiqui ordinis fuerint. Auctor, quem modo commemoravimus, ad eam ita respondet: Primis temporibus capita familiarum res divinas perpetrabant. Filii non sacrificabant, nisi postquam familiam propriam nacti erant. Velut *Jacob* sacrum non fecit, cum caelebs in Mesopotamiam proficisceretur (Gn 28, 18): fecit autem, cum unà cum familia in patriam redisset, idque ante patris mortem (ib. 31, 54: 33, 20: 35, 7). Ex quo patet, ubi singulae familiae paulatim ita auctae erant, ut ex iis gentes evasissent, imprimis apud principes sacerdotium fuisse solere. Conferas Gn 14, 18., ubi de Melchisedech, sacerdote et rege urbis Salem, et Ex 2, 16., ubi de Jithrò, sacerdote et principe Midianitarum, agitur. Etiam antiquissimi illi Babyloniorum reguli clientes (*patesi, išakku*) sacerdotes fuerunt. Quare vocabulum quoque כֹּהֵן non modo sacerdotem (et quemvis dei ministrum Ps 99, 6), verum etiam summum magistratum civilem (cf. Ex 2, 16: 3, 1) significat. Jacob defuncto unus erat, cui sacerdotium iure obvenit, *Joseph*, quem pater moriens נְשִׂיא אֶחָיו *eximium* (principem) *fratrum suorum* salutaverat (Gn 49, 26) et quem fratres ipsi principem agnoverunt (ib. 50, 17—21). Primogenitus Joseph *Menasse* erat patrique maxime carus (ib. 48, 17). Quae cum ita sint, F. de Hummelauer accipiendum esse censet tempore, quo Hebraei in Aegypto commorabantur, sacerdotium penes *Menassaeos* fuisse, non tamen ita ut omnes Menassaei sacerdotes fuissent, sicut ne Levitae quidem omnes sacerdotes exstiterunt: nam trucidatis tribus illis milibus sacerdotum, de quibus Ex 32, 28 sermo est, triginta duo milia ducenti viri pugnatores tribus Menasse superfuerunt (Nm 2, 21).

Quod F. de Hummelauer multâ doctrinâ defendere studet. Quamquam nihil aliud est nisi audax opinio, quam, cum firmis fundamentis caret, pauci probabunt.

IV. Quantum equidem iudicare possum, de Hebraeorum ante Mosen sacerdotibus ita statuendum est: Aetate ante Mosen *quilibet* suorum

sacrificiorum erat minister. Velut Kain et Abel (Gn 4. 3 s.). Noah (ib. 8. 20). Jacob (ib. 33, 20; 35. 7). Moses (Ex 17. 15; 24. 6 ss; 29. 1 ss.) sacra faciebant. Imprimis vero *patriarchae*, qui erant capita familiarum neque ullum super se principem agnoscebant, intra patriarchatus sive familiae suae dicionem sacerdotali officio fungebantur (praedicabant nomen dei Gn 12. 8; 13. 4; 26. 25; 33, 20.. sacra faciebant ib. 12. 7 s.; 13. 4. 18; 22. 2; 26, 25; 35. 1.. impertiebant benedictionem vel maledictionem ib. 9. 25 -27; 27. 27—29. 39 s.; 48. 15 s. 20; 49. 1 - 27.. peragebant circumcisionem ib. 17. 23), cuius rei vestigium apud Hebraeos etiam post institutum sacerdotium Leviticum in mactatione agni paschalis invenimus, quam ex lege Ex 12. 3 quilibet pater familias perficere debebat; neque vero ex libris divinis evinci potest patris vicem implere soli *primogenito* licuisse. Sed cum omnes primitiae Jahvae consecratae essent, non mireris, quod iis, qui natu maximi essent, nonnumquam munus sacrum mandabatur (cf. Ex 24. 5. Jdc 17, 5).

Potestatem sacerdotalem patris familias vel principis per longum tempus valuisse constat; nam etiam iudicum aetate eum usum invenimus (Jdc 6. 17—19; 13, 19).

Hebraei *in Aegypto* commorantes num proprium ordinem sacerdotalem, fortasse ex certa quadam tribu sumptum, habuerint, ex sacris litteris clare cognosci non potest. Neque vero dubium est, quin postulatis religionis in animis paulatim auctis et vario commercio atque usu cum Aegyptiis, quibus sacerdotum ordo summa auctoritate erat, periculoque, quod inde religioni Hebraeorum imminebat, quin his aliisque rebus effici coeptum sit, ut pristinae res commutarentur. Item constat easdem res magni fuisse momenti, ut tempore procedente dignitas sacerdotalis singulari tribui deferretur.

Sacerdotes Hebraeorum si iam in Aegypto in unum corpus coaluerant, manifestum est novum sacerdotum ordinem haud facile institui potuisse, quod ea re iis, qui ad id tempus sacerdotes erant, sua dignitas (fortasse iam a maioribus accepta) adempta est. Sed praeter narrationem de seditione a Korah, Dathan, Abiram factá (Nm c. 16) in sacris litteris nihil fere invenitur, unde mutationem illam difficilem fuisse appareat.

Conferas P. Scholz, Die heiligen Altertümer des Volkes Israel I. 3—10. — J. Linder, Geschichte des alten Bundes 556. Klagenfurt 1913.

Sectio prima

De institutione ministrorum cultus divini variisque eorum ordinibus

I. Omnes quidem Hebraei ad cultum divinum obligati erant; quare Ex 19, 6 populus theocraticus מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים *regnum sacerdotum* ideoque גּוֹי קָדוֹשׁ *gens sancta* vocatur singulique cives sunt כֹּהֲנֵי יְהוָה *sacerdotes Jahvae* (Jes 61, 6), sacerdotes reliquarum gentium ad Jahvae templum confluentium. Sed singulari ratione Jahve *primogenitos*, quibus in clade Aegyptiorum vita conservata erat, ad ministerium sacrum sibi vindicavit (Ex 13, 2; 34, 19. Lv 27, 26. Nm 3, 13; 8, 17).

Foedere autem ad montem Sinai cum Hebraeis inito ad sacra publica celebranda loco primogenitorum, qui ideo redimendi erant, Jahve *tribum Levi* substituit (Nm 3, 6—8. 12. 40 s; 8, 17—19). Atque viginti duo milia Levitarum (ib. 3, 39) Jahvae attribuebantur pro redemptione totidem primogenitorum ceterarum tribuum, reliqui, qui supererant, 273 primogeniti redimebantur quinis siclis (ib. v. 45—47). At numeri Nm 3, 22. 28. 34 traditi (Gersonitae 7500 + Kahathitae 8600 + Meraritae 6200) non 22.000, sed 22.300 efficiunt. Scribae in numeris ponendis errasse videntur. Complures interpretes errorem notant v. 28, ubi שֵׁשׁ legitur, cum (מֵאוֹת) שְׁלֹשׁ *tres* legendum sit, ut summa Levitarum, quae singulis ex numeris conficitur, non sit 22.300, sed 22.000. Alii existimant mendum esse v. 22 in numero Gersonitarum, ubi littera ר, quae est nota numeri 200 (litteras enim ad numeros exprimendos olim ab Hebraeis adhibitas esse constat), cum littera ך (= תק) sive nota numeri 500 commutata est. Cui tamen coniecturae obstat, quod parum verisimile est in antiquissimis codicibus Kaph finale exstitisse, quale nec Samaritani habent, quorum scripturae antiquissima Hebraica simillima fuerit. Alii interpretes putant numero viginti duorum milium homines sexus virilis familiarum sacerdotalium Aaron eiusque filiorum non esse additos, quod ii non ut Levitae in locum primogenitorum succedebant.

Jahve *unam* tribum ad sacrum ministerium elegit, ut unitate sacrarii et sacerdotii unitas religionis et nationis servaretur. Elegit autem *hanc* tribum propter eius singularem in superstitione vituli conflatilis reprimenda fervorem (Ex 32, 28 s.) [1], quam ob causam in benedictione tribuum etiam diserte commendatur (Dt 33, 8—10. cf. Mal 2, 4—6). Princeps vero ratio, ex qua ministerium divinum in tribum Levi collatum est, fuit libera dei electio (Nm 18, 6) [2].

[1] S. Jarchi ad Nm 6, 12: „Accepi Levitas in permutationem (primogenitorum), eo quod peragi deberet ministerium sacrum per primogenitos; verum postquam peccaverant vituli aurei cultu, profani evaserunt; Levitae autem, qui non commiserant idololatriam, electi sunt in eorum locum". Et ad Nm 1, 49 verba dei affert: „Nam illi (Levitae) mei sunt; quia non errarunt in vituli aurei cultu". — Maimonides (De idololatria 1, 10) Hebraeos accusat, quod in Aegypto a cultu veri dei desciverint et ad mores Aegyptiorum transierint, „ut exemplo eorum idola venerarentur, excepta tribu Levi, quae in mandatis maiorum perseveravit, neque ullo tempore tribus Levi idolis serviit".

[2] Nomen *Levi* (et *Leviae*) a nonnullis non nomen personae aut tribus, sed nomen ob munus quoddam datum intellegitur. Iidem vocabulum לֵוִי a radice לוה (= *adhaesit* alicui) ducunt et ad arcam foederis comitandam referunt, unde ea tribus, quae eam comitari debebat, nomen traxerit. At videas A. van Hoonacker, Le sacerdoce lévitique 287 ss.

Alii ex Gn 49, 7 collegerunt tribum Levi iam interisse, antequam Hebraei terram Canaan ingrederentur. Quod omnino falsum est. Nam dispersio tribus praedicitur illa quidem loco allato velut poena peccati a Levi commissi; sed ea dispersio poena esse desiit, postquam filii Levi „consecraverunt manus suas Jahvae, unusquisque in filio et in fratre suo (i. e. eos interficiendo), ut data sit illis benedictio" (Ex 32, 29).

II. Imprimis Jahve *familiam Aaron* elegit (Nm 3, 10), in qua sacerdotium ita hereditarium erat, ut primogenitus summum teneret *pontificatum*, ceteri simplici fungerentur *sacerdotio*, cum omnes alii ex eadem tribu ad *munus Levitarum* assumerentur, quae trifaria hierarchia tripartito tentorio omnino respondebat.

1. Dignitas sacerdotalis iam ante vituli aurei superstitionem familiae Aaron destinata est (Ex 28, 1)[1] tuncque saltem implicite Levitarum quoque electio facta est, quae appendix et complementum electionis sacerdotum esse videtur. Quam sacerdotii dignitatem Jahve Aaron postea insigni quodam miraculo confirmavit, virgâ Aaron germinante amygdalasque proferente (Nm 17, 21—23. cf. Hebr. 9, 4)[2] ac brevi novi mandati promulgatione (Nm 18, 1—7). Neque ergo propria auctoritate Aaron sacrum munus suscepit, sed καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ (Hebr 5, 4)[3].

[1] Iam Ex 4, 14 Aaron הַלֵּוִי *Levita* = הַכֹּהֵן *sacerdos* vocatur, ex quo nonnulli interpretes colligendum esse censent tribum Levi iam ante vocationem Mosis sacerdotio functam esse. At textum loci allati corruptum esse existimandum est. Adverte, quam facile הַלֵּוִי ex corrupto proxime adscripto vocabulo הִלְוֹא (Sam.) oriri potuerit.

[2] Quam tam miram rem rationalistae, qui vocantur, hoc fere modo evenisse coniciunt: Moses conventum populi instituerat, in quo constitueretur, ex quanam familia in posterum sacerdotes sumendi essent. De qua

dignitate principes duodecim tribuum per baculos sortiti sunt, quod sortitionis genus etiam nunc apud Arabes usitatum est. Sorte ius sacerdotii familiae Aaron obtigit, cuius baculus floribus et fructibus ornabatur, ut id significaretur. Qui baculus ad diem posterum in tentorio sacro asservatus est; eo autem die baculus prolatus populoque pronuntiatum est Jahven familiam Aaron sorte elegisse, ut in posterum sacerdotio fungeretur, vel (posito signo rei pro re significata) baculum Aaron a Jahve floribus et fructibus ornatum esse. Cuius rei memoria ut perpetuo conservaretur, ille baculus in loco sacro repositus est.

Quam interpretationem intento studio refutare supervacaneum videtur.

[3] Sacerdotium Leviticum sive Aaroniticum, quod Paulus apostolus Λευϊτικὴν ἱερωσύνην et τάξιν Ἀαρών vocat (Hebr 7, 11), obscuram tantum et tenuem adumbrationem sacerdotii novi testamenti fuisse docent idem apostolus (ib. 4, 14—8, 13), Augustinus (De civ. dei 17, 6, 1. MSL 41, 536: „Ipsum secundum ordinem Aaron sacerdotium tamquam umbra futuri aeterni sacerdotii constitutum est"), alii.

2. Pontifex in libris divinis variis appellatur nominibus. Vocatur הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל *sacerdos magnus* (Lv 21, 10. Nm 35, 25. 28. Jos 20, 6. II Rg 12, 11; 22, 4. 8; 23, 4. Hagg 1, 1. 12. 14; 2, 2. 4. Sach 3, 1. 8; 6, 11. Neh 3, 1. 20; 13, 28. II Chr 34, 9), הַכֹּהֵן רֹאשׁ *sacerdos princeps* (II Rg 25, 18. Esr 7, 5. II Chr 19, 11; 24, 11; 26, 20; 31, 10) et simpliciter רֹאשׁ *princeps* (II Chr 24, 6), הַכֹּהֵן הַמָּשִׁיחַ *sacerdos unctus* (Lv 4, 3. 5. 16; 6, 15) et הַכֹּהֵן *sacerdos* κατ' ἐξοχήν (Ex 29, 30; 31, 10; 35, 19; 39, 41. Lv 1, 7; 4, 6 s. 10. 17. 20. Nm 3, 32; 25, 7; 26, 1. 3. 63. I Rg 1, 8. II Rg 11, 9 s. 15. 18; 12, 3. 8. 10; 16, 10 s. 15 s; 22, 10. 12. 14; 23, 24), Chaldaice כָּהֲנָא רַבָּא (cf. Jos. AJ 3, 7. 1: ἀναραβάχης, fortasse ἀναραβάτης = רִבְתָּן legendum), apud LXX interpretes ὁ ἱερεὺς μέγας (semel Lv 4, 3 etiam ἀρχιερεύς, cf. III Esr 9, 40), in novo testamento ἀρχιερεύς (Act 5, 24 in nonnullis codicibus ὁ ἱερεύς, cf. III Esr 9, 39), III Mcc 1, 11 ὁ προηγούμενος πάντων ἀρχιερεύς.

a) Ut unum erat sacrarium, in quo religio publica exercitanda erat, ita *unus* quoque sacerdos magnus, quod ad unam religionem conservandam multum conferebat. Munere suo usque ad mortem fungebatur; habebat tamen vicarium, qui ipso impedito munus sacrum administrabat et כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה *sacerdos secundus* sive propontifex (II Rg 25, 18 [et 23, 4., ubi כֹּהֵן pro כֹּהֲנֵי legendum est] Jer 52, 24), כֹּהֵן אַחֵר *sacerdos alius* (M. Joma 1, 1. cf. Megilla 1, 9), ἕτερος ἀρχιερεύς (Jos. AJ 17, 6. 4. cf. 11, 8. 2) vocabatur.

Imprimis die sollemnis expiationis nemo praeter summum sacerdotem sacris operari poterat. Cum autem pontifex vel pollutione nocturna vel morbo vel alio inopinato casu impediri posset, quominus sacra perageret,

eius vicarius, qui eadem fere potestate et auctoritate instructus erat, sacra praescripta faciebat.

Sunt qui existiment officium propontificis perpetuum fuisse atque ius succedendi in pontificatum adnexum habuisse. Quod tamen nullo argumento probari potest.

Cum *Aaron,* primus pontifex a deo constitutus [1], filiis maioribus Nadab et Abihu interfectis (Lv 10, 1 s.) [2], duos haberet filios, *Eleazar* et *Ithamar,* ille in paternam dignitatem successit (Nm 20, 28. Dt 10, 6. Jos 14, 1; 17, 4; 19, 51; 21, 1) et hoc defuncto eius filius *Pinhas* (Jdc 20, 28. Jos. A J 5, 1. 28), cui deus propter perpetuum divini honoris studium promisit pontificatum fore penes posteros suos (Nm 25, 12 s. Sir 45, 23—26. I Mcc 2, 54) [3]. Et mansit summum sacerdotium in familia Eleazar usque ad *Eli*; hunc enim Ithamaridem fuisse ex I Chr 24, 6 colligitur, ubi Ahimelech, ab eo genus ducens, ad progeniem Ithamar refertur (cf. Jos. A J 5, 11. 5). Creduntur illo tempore duo pontifices simul hoc munere (in Gibeon et Hierosolymis) perfuncti esse (II Sm 8, 17; 15, 24. 29. 35; 17, 15; 19, 11; 20, 25. I Rg 4, 4. I Chr 15, 11; 16, 39; 18, 16; 24, 3. 6. 31). Rursus ad posteros Eleazar pontificatus transiit sub rege Salomo, qui Abjathar, qui ex familia Ithamar oriundus erat, de dignitate locoque deiecto (I Rg 2, 27) genus Eleazar in *Sadok* restituit (ib. v. 35. Jos. A J 8, 1. 3) [4]. Inde pontificatus in eo genere permansit (I Chr 5, 34—41. Esr 3, 2; 5, 2. Neh 12, 10. 26. Hagg 1, 1. 12; 2, 3) usque ad tempora Antiochi IV Epiphanis, regis Syriae (175—164 a. Ch.), qui summum sacerdotium pontifice vivente contra legis divinae praescriptum plus offerenti vendebat (II Mcc 4, 7—10. 23 s.). Alexander Balas, Antiochi Epiphanis filius [5], dignitatem pontificalem *Jonathan* duci belli, qui ex classe sacerdotali Jojarib erat, detulit (I Mcc 10, 15—21). *Simon* demum, eius fratrem, Judaei principem et summum sacerdotem crearunt (ib. 14, 41). Cuius posteri, qui iidem erant reges, officio pontificali fungebantur usque ad Herodem Magnum, qui pontifices ad arbitrium mutabat, quod exemplum postea Romani quoque sequebantur. Quo quidem tempore ex paucis familiis sacerdotalibus (Phiabi, Boethos, Ananos sive Hannas, Kamith) semper fere summi sacerdotes sumpti sunt (cf. Jos. A J 15, 2. 4—20, 6) [6]. Christi morte postquam cultus Mosaicus abolitus est, quod ut indicaretur, illo moriente miraculo dei velum templi scissum est (Mt 27, 51), dignitas pontificalis — eaque in dies magis imminuta — Judaeis verbo usque ad eversionem reipublicae mansit, re vera tota in Jesum Christum translata est, cuius imaginem pontifices a Mose divinitus instituti quodam modo adumbrarant. Ille igitur, ubi primum per suum sanguinem homines expiavit et ad ipsam summae maiestatis

sedem caelestem delatus est, ad omnium sine ullo discrimine gentium salutem summus isque sempiternus sacerdos merito habetur (cf. Hebr 2, 17; 3, 1; 4, 14—16; 5, 1—10).

[1] Dignitas pontificalis ab Aaron suscepta eiusque virtutes sacerdotales Sir 45, 6—22 maximis celebrantur laudibus.

[2] Nadab et Abihu propterea perierunt, quod ignem profanum ad suffitum adolendum adhibiti sunt. Atque deus eos ideo tam graviter punivisse creditur, ut exemplum statueret, ne sacerdotes in posterum sacra mutarent.

[3] Quod promissum quo modo effectum sit, F. de Hummelauer (Comm. in Dt 292) ita explanat: Verba בְּרִית כְּהֻנַּת עוֹלָם *foedus sacerdotii perpetuum* non aliam habent vim quam similia verba, quae leguntur in Romanorum pontificum decretis „perpetuo valituris" i. e. nulla auctoritate prorsus humana abrogandis, quae tamen nihilo minus auctoritate vel pontificis, qui decretum tulit, vel alicuius successoris abrogari possunt et interdum abrogantur. Itaque verba, quibus Jahve Pinhas pontificatum perpetuum promisit, nihil aliud dicunt nisi illud promissum nulla auctoritate humana abrogandum fore neque negant ipsum Jahven posse illud mutare, revocare, necessitatibus temporum accommodare. — Cf. August. Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 124. MSL 34, 639: „De ordine Aaron dictum est *in sempiternum* vel propter tempus non praeceptum, quousque observaretur, vel quod res significaret aeternas".

[4] Complures critici nostrae aetatis Sadok ex genere Aaron fuisse negant, pro qua opinione loco I Sm 2, 27—36 nituntur. Sententiam enim, quam „vir dei" loco allato contra Eli pronuntiat, pro vaticinio post eventum conficto habent eamque conscriptam censent, postquam Abjathar, abnepos pontificis Eli, a rege Salomo dignitate pontificatus privatus est. Quia autem ille vir dei non tantum זְרוֹעַ *bracchium* (non זֶרַע *semen*, LXX σπέρμα) Eli, sed etiam *bracchium domus patris* Eli praecisum iri praedicit (v. 31), concludunt in Abjathar totam domum, cuius erat Eli, i. e. domum Aaroniticam sacerdotio privatam et צַר aemulum (Vulg.) ex alia familia ad dignitatem sacerdotalem assumptum esse. Quam interpretationem a vero longe aberrare cum ex primo libro Chronicorum tum ex vaticinio ipso apparet. Nam I Chr 6, 8; 24, 3 docemur Sadok ab Eleazar, filio Aaron, originem duxisse, in sententia autem illius viri dei verba בֵּית אָב *domus patris* non domum Aaron, sed domum Ithamar, alterius filii Aaron, significant neque ipsa domus Ithamar *universa* dignitate sacerdotali, sed tantum *summo* sacerdotio privatur. Opinio igitur Sadok ex genere Aaron fuisse allato argumento non refellitur.

[5] Cf. I Mcc 10, 1: ὁ τοῦ Ἀντιόχου ὁ Ἐπιφανής. Haud dubie τοῦ Ἐπιφανοῦς legendum est.

[6] Nonnulli ex eo, quod Jo 11, 49. 51; 18, 13 ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου dicitur, colligendum esse existimant annuum fuisse illo tempore pontificatum atque ad arbitrium principum Romanorum modo huic modo illi datum esse. At evangelista nihil aliud dicit nisi illo anno memoratu dignissimo Kaiaphas fuisse pontificem.

Adnotatio. — Seriem summorum pontificum secundum traditionem Hebraeorum exhibent Josephus (qui AJ 20. 10 ab Aaron usque ad templum a Salomo exstructum tredecim, stante hoc templo duodeviginti, stante templo secundo quinquaginta duos, in summa octoginta tres pontifices enumerat); Chronicon paschale MSG 92. 461. 464. 508.; liber Seder olam. De pontificibus, qui ab Herode Magno usque ad interitum civitatis Judaicae fuerunt, videas E. Schürer in St Kr XLV. 1872, 597—607.

b) Supra diximus unum, non plures eodem tempore pontificatum tenuisse. Quod cum certum sit atque indubitatum, quaeritur, quo modo intellegendum sit illud Lucae 3, 2: ἐπὶ ἀρχιερέως Ἄννα καὶ Καϊάφα ἐγένετο ῥῆμα θεοῦ κτλ. De quorum verborum vi sacrarum litterarum interpretes in contrariis sententiis discedunt.

Atque sunt qui putent corruptissimo illo saeculo, quo etiam pontificatus venalis erat, duos simul ad illam dignitatem admissos esse idque ex avaritia praesidum Romanorum, tamen contra veterum Hebraeorum institutum. Sed cum haec mera sit coniectura, nullo prorsus testimonio confirmata, facile a viris doctis repudiata est.

Nonnulli existimant pontificatum eo tempore annuum, non perpetuum fuisse. Eo igitur anno, de quo Lucas scripsit, Annas munere pontificali se abdicasse, Kaiaphas id aggressum esse creditur, ut uterque recte appellaretur pontifex. Atque opinio, unde haec explicatio deducta est, non temere ficta esse videtur; nam etiam in Talmude pontificatus annui clara fit mentio. Qua autem aetate ea consuetudo obtinuerit, parum constat. Id tamen certum est aetate Christi eam non viguisse, quandoquidem Kaiaphas per decem annos pontificatum gessisse ex Josepho (AJ 18. 2. 2; 18. 4. 3) notum est, ut opinio illa pontificatum annuum fuisse in eam aetatem non quadrat. Deinde id quoque falsum est Kaiaphas pontifici Annas continuo successisse eodemque anno ad summum sacerdotium adscendisse; nam tres alios pontifices (Ismael, Eleazar, Simon) inter Annas et Kaiaphas intercessisse a Josepho (AJ 18, 2. 2) memoriae traditur.

Alii existimant etiam eos, qui summo pontificatu perfuncti erant, pontifices appellatos esse; qua re nihil esse certius ex Josepho aliisque scriptoribus apparet. Nonnulli contendunt Annas ἀρχιερέα appellatum esse, cum omnes cognati pontificis ἀρχιερεῖς nominarentur. Annas autem socer pontificis Kaiaphas fuisset. Complures dicunt vicarium summi sacerdotis ἀρχιερέα vocatum esse. Annas igitur vicarium pontificis atque in sacris adiutorem Kaiaphas fuisse. Quae tres opiniones speciem veri illae quidem habent, sed propterea probari non possunt, quod ab evangelista Annas pontifici Kaiaphae praeponitur, cum pontifex, qui munere iam perfunctus erat, eiusque cognati et vicarius pontifice ipso inferiores fuisse putandi sint. Praeterea certum est a communi consuetudine abhorrere annos ab aliquo pontifice, qui munere suo perfunctus est, aut pontificis cognato aut eius vicario numerari, immo vero tempora a nominibus eorum, qui ipsi rebus sacris praeerant, denotata sunt.

Haud pauci eensent et Annas et Kaiaphas titulo ἀρχιερέως significari non respectu muneris sacri, sed administrationis rerum forensium in synedrio magno, cuius duo erant capita, quorum unum *Nasi* i. e. princeps, alterum *Ab-beth-din* i. e. pater domus iudicii vocabatur. Atque hunc principe inferiorem fuisse in iudicio, etiamsi summus sacerdos et extra iudicium principe maior fuerit. Duos illos plerumque *principes populi*, nonnumquam *principes sacerdotum* (ἀρχιερεῖς) appellatos esse, et sicut Romani fastos a consulibus significaverint, ita Hebraeos a duobus illis principibus annos numerasse. Alternas quoque fuisse eas dignitates, ita ut summus sacerdos uno anno esset princeps synedrii, altero pater synedrii. Verum haec opinio nullis solidis argumentis confirmari potest.

Plerique interpretes recentioris aetatis existimant, quod Annas ἀρχιερεύς appelletur, propterea eum non eo tempore, de quo Lucas agit, pontificatum gessisse; Annas pontificem fuisse ab anno sexto usque ad quintum decimum p. Ch. n. annum, Kaiaphas ab anno duodevicesimo usque ad tricesimum sextum p. Ch. n. annum; Annas autem primo loco nominari propter auctoritatem, qua inter populares floruerit quaque omnia fere per Kaiaphas ex suo arbitrio administraverit; quanta autem auctoritate Annas fuerit, ex verbis Josephi AJ 20, 9. 1 concludi posse: Τοῦτον δέ φασι τὸν πρεσβύτατον Ἄνανον εὐτυχέστατον γενέσθαι. πέντε γὰρ ἔσχε παῖδας καὶ τούτους πάντας συνέβη ἀρχιερατεῦσαι τῷ θεῷ, αὐτὸς πρότερος τῆς τιμῆς ἐπὶ πλεῖστον ἀπολαύσας, ὅπερ οὐδενὶ συνέβη τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχιερέων. Cui opinioni adstipulandum esse censeo.

3. Sacerdotes vocantur בְּנֵי אַהֲרֹן *filii Aaron* (Lv 1, 5. 8. 11; 2, 2; 3, 2. 13; 21, 1. Nm 3, 3. II Chr 13, 9 s; 26, 18; 29, 21; 31, 19; 35, 14. cf. Neh 10, 39) et בֵּית אַהֲרֹן *domus Aaron* (Ps 115, 10. 12; 118, 3; 135, 19). Aliis locis appellantur כֹּהֲנִים הַלְוִיִּם *sacerdotes Levitae*, Vulg. nonnullis locis falso *sacerdotes et Levitae* (Dt 17, 9. 18; 18, 1; 24, 8; 27, 9. Jos 3, 3; 8, 33. Jes 66, 21. Jer 33, 18. Ez 43, 19; 44, 15. Esr 10, 5. II Chr 5, 5; 23, 18; 30, 27), כֹּהֲנִים בְּנֵי לֵוִי *sacerdotes filii Levi* (Dt 21, 5; 31, 9), הַכֹּהֲנִים מִן־הַלְוִיִּם *sacerdotes ex Levitis* (Jos 21, 4), Vulgata: *sacerdotes stirpis Leviticae* (Jos 3, 3), *sacerdotes Leviticae tribus* (Dt 17, 18), *sacerdotes Levitici generis* (Dt 24, 8; 27, 9). *sacerdotes Levitici* (Dt 17, 9) i. e. tribu Levi oriundi, ut a sacerdotibus non Levitis distinguantur, qui apud altaria privata sacra faciebant, quippe qui certe non essent omnes Levitae (cf. Jdc 6, 26; 13, 19).

a) Sunt qui contendant tempore a Mose usque ad exsilium Babylonium apud Hebraeos sacerdotes et laicos non fuisse distinctos omnibusque sacra facere licuisse, quo iure aetate iudicum Gideon (Jdc 6, 20—28) et Manoah (ib. 13, 19), postea Samuel (I Sm 7, 6—9. 17), Saul (ib. 10, 8; 13. 8 s; 14, 35), David (II Sm 6, 17; 24, 25. I Chr 21, 26), Salomo (I Rg 3, 4. coll. II Chr 1, 3. I Rg 8, 5. 62), Elia (I Rg 18, 29—38), Elisa (ib. 19, 21) usos esse.

Quam tamen opinionem a vero prorsus abhorrere nemo non intellegit, qui duas res ante oculos habet. Atque primum respiciendum est verbo *sacrificare* in sacris litteris duplicem significationem inesse. *Sacrificat* (הִקְרִיב) enim cum ille, qui victimam adducit et mactat, tum ille, qui sanguinem victimae coram Jahve effundit, id quod verbi causâ ex Lv 1, 2. 5 apparet: „Homo, si *offeret* (יַקְרִיב) ex vobis hostiam Jahvae . . . et mactabit vitulum coram Jahve et *offerent* (וְהִקְרִיבוּ) filii Aaron sacerdotes sanguinem spargentque sanguinem circa aram . . .“ Si priorem significationem respicias, quilibet Hebraeus sacrificare poterat, sin posteriorem, sacrificium a solis sacerdotibus offerebatur. Iam non est dubium, quin multi sacrarum litterarum loci priore significatione intellegendi sint, ita tamen ut ministerium sacerdotum minime excludatur. Nam quod „universus populus“ (I Sm 11, 15), „rex Salomo atque universus coetus Israel“ (I Rg 8, 5), „rex et omnis Israel cum eo“ (ib. v. 62) sacra fecisse traduntur, evidens est eos per sacerdotes sacrificasse. Idem de iis locis dicendum est, ubi Saul et David sacra procurasse dicuntur. Saul enim, cum in Gilgal sacris operaretur (I Sm 13, 8 s.), per sacerdotes obtulisse ob id ipsum accipiendum est, quia eo tempore summum sacerdotem Ahija secum habebat (ib. 14, 18 s.). Apud David quoque, cum ante arcam foederis in monte Sion (II Sm 6, 17) et in area Aravna Jebusaei (ib. 24, 25) sacra faceret, sacerdotes adfuisse ex tota narratione apparet. Deinde respiciendum est deum, quamquam Aaron eiusque stirpem ad sacerdotium elegerat, tamen certis occasionibus etiam aliis permittere potuisse, ut legitima sacrificia offerrent. Velut Gideon et Manoah a deo non tantum permissum, sed clare imperatum est, ut sacrificarent. Samuel autem, Elia, Elisa prophetae erant, qui divino impulsu agebantur; quam ob rem ex eorum actionibus colligi non potest omnes Hebraeos potestatem habuisse sacra faciendi. Post exstructum autem templum Hierosolymitanum quin solis sacerdotibus res divinas in eo perpetrare licuerit, nihil dubitationis habet. Patet igitur inde a Mose usque ad exsilium Babylonium sacerdotes a laicis semper fuisse distinctos.

b) Ordinem sacerdotum et Levitarum a Mose originem duxisse rationalistae, qui vocantur, negant. Nam cum manifestum sit Ezechiel ignorare discrimen inter sacerdotes et Levitas, quod „codice sacerdotali“ statuitur, eius aetate id discrimen non fuisse. Prophetam enim de Israelitarum regno et templo post exsilium restituendis negare alios in novo templo deo servire debere nisi posteros Sadok, qui iam ab aetate Davidica Hierosolymis illud munus praestitissent (44, 15 s.); qui autem sacerdotes tribus Levi hic illic in terra ad impium deorum cultum descendissent, eos in posterum humilibus tantum in templo ministeriis fungi oportere, ut culpam suam expiarent (ib. v. 10—14). Ut igitur non modo discrimen inter Judaeos et gentiles, sed etiam illud inter multitudinem et viros ad cultum divinum destinatos non ab initio fuerit, ita Ezechiel demum discrimen inter sacerdotes et Levitas instituisse. Atque quod in maxima parte libri Jdc (cc. 3—16) nullius usquam

mentio fiat, qui cultum divinum publica auctoritate profiteatur, id ad eandem referendum esse causam; nam etsi bis (6, 25—27; 13, 19) sacrum factum esse memoratur, tamen sacerdotem in ea re necessarium non existimari. Sacerdotes vero et Levitas, si a Mose instituti essent, fieri non posse, ut iudicum aetate non apparerent. Quod autem I Sm 6, 15 Levitae memorentur, qui de arca foederis muneribus fungantur, id posteriore tempore additum esse.

Verum est cultum divinum ante templum conditum non ita ad regulam directum fuisse ut postea; quod et continuis bellis, quibus populus excitabatur et commovebatur, et gentilium consuetudinibus, quae ubique vigebant, quibus ne Hebraei quidem liberi erant, haud raro peremptum est. Sed tamen et sacrarium in Silo et Nob situm, id quod ex rebus gestis Eli et Samuel iudicum apparet, apud omnes magno erat honore ibique iam multi cultu divino ordine occupati erant. Namque Saul octoginta quinque sacerdotes sacrarii in Nob siti simul trucidavit (I Sm 22, 18). Quod autem singuli homines privati vel patres familiae alibi sacrificabant, id etsi permittebatur ut mos hereditate acceptus, tamen magis magisque elaboratum est, ut omnes uno loco deum venerarentur idque imprimis, postquam templum aedificari coeptum est; nam fana, quae hic illic in terra inveniebantur, magnam partem sedes superstitionis, libidinum, idololatriae exstiterant.

Quod autem in capitibus libri Jdc, quae supra memoravimus, hominum ad cultum divinum destinatorum mentio non fit, inde colligi non potest eius modi homines aetate iudicum non fuisse. Nam et aliae partes veteris testamenti, quae posteriore tempore scriptae sunt, nihil de viris publica auctoritate cultui divino deditis tradunt, quoniam nulla occasio data erat eorum commemorandorum. Ut neque in primo neque in secundo libro psalmorum ne semel quidem nomen sacerdotis vel Levitae legitur, quamquam critici recentiores totum psalterium post exsilium Babylonium compositum esse docent. Ex quo silentio ut colligi non potest ordinem sacerdotum legibus institutum post exsilium non fuisse, ita etiam ex illis capitibus libri Jdc demonstrari non potest aetate iudicum viros a Mose ad cultum divinum electos non fuisse. Contra ex septimo decimo et duodevicesimo capitibus eiusdem libri manifestum est iam ab aetate Mosaica tribus Levi fuisse res, quae ad cultum divinum pertinerent, exsequi.

Conferas R. Cornely, Hist. et crit. introd. in UT libros II, 1, 150—154; D. Hoffmann, Das Buch Levitikus I, 271—273; J. Kley, Die Pentateuchfrage 211—216.

Praeterea ex loco II Sm 8, 18 complures homines docti (inter quos G. Gesenius, W. Nowack, K. Budde) apparere dicunt sacerdotium Hebraeorum non a Mose esse institutum; ibi enim legi filios David sacerdotes fuisse, quo munere ex Pentateucho certe fungi non debuerint.

At quamquam loco allato filii David כֹּהֲנִים appellantur, tamen id vocabulum ibi sacerdotes significare non potest, quae vis alibi in eo esse solet. Nam v. 16—18 viri enumerantur, qui praecipua in aula munera obtine-

bant: Joab erat dux exercitus, Josaphat cancellarius, Sadok et Ahimelech sacerdotes, Seraja scriba, Benaja praefectus satellitum, filii denique David erant כהנים. Quoniam igitur sacerdotes iam v. 17 memorantur, vocabulo כהנים aliud aliquid significari necesse est. Atque Graeci Alexandrini vertunt: οἱ υἱοὶ Δαβὶδ οὐλάρχαι ἦσαν. Plerumque autem interpretes vocabulum illud *principes* vel *nobiles* intellegunt. Quae cum ita sint, verisimile est filiis regis illo nomine munera aulica, quae nobis ignota sunt, tribui. Quibus filiis regis quod idem nomen atque sacerdotibus datum est, nescio an hoc indicetur eos similiter familiares regis fuisse atque sacerdotes familiares dei sunt in sacrario; nam rex est imago maiestatis divinae. Conferas I Chr 18, 17., ubi filii David הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *proximi a latere regis*, LXX οἱ πρῶτοι διάδοχοι τοῦ βασιλέως vocantur.

G. Gesenius quidem Thes. II, 663 s. longa dissertatione lectores persuadere conatur vocabulo כֹּהֵן omnibus locis vim *sacerdotis* inesse. At paucos de hac re persuasisse videtur; nam recentissimae verborum Hebraicorum editiones non tantum II Sm 8, 18., sed etiam aliis locis vocabulum כֹּהֵן *ministrum* regium significare dicunt. Eadem duplex vocabuli כֹּהֵן vis in aliis indicibus ministrorum aulicorum invenitur, velut II Sm 20, 26., ubi quidam nomine Ira כֹּהֵן לְדָוִד fuisse dicitur, quod paraphrastes Chaldaicus רַב לְדָוִד *princeps David* regis vertit; I Rg 4, 5., quo loco כֹּהֵן explicatur additamento רֵעֶה הַמֶּלֶךְ *amicus regis*. Conferas etiam Ps 99, 6., ubi Moses et Aaron dicuntur כֹּהֲנִים i. e. praefecti populi sive eminentissimi principes. Merito igitur F. C. Movers (Kritische Untersuchungen über die biblische Chronik 303) irridet eos, qui, ut locum II Sm 8, 18 interpretentur, filios David „a sacris regiis“ vel „cultui publico praepositos“ (Hofkapläne, Kultusminister, aumôniers de la cour, ministres de culte) fuisse coniecerunt.

c) Haud pauci viri docti recentioris aetatis dicunt sacerdotes Hebraeorum et Midianitarum-Kenitarum (Minaeorum) Mose auctore inter se cohaerere. Nam quia Moses filiam Jithrô, sacerdotis et principis Midianitarum, uxorem assumpsit (Ex 2, 21. cf. 3, 1; 4, 18), Jithrô non modo in castra Hebraeorum venit et sacrificavit (ib. 18, 1—12), sed etiam Mosi de iure dicundo suasit (ib. v. 13—27), alibi autem Mosis socer Hobab, filius Reuel, nominatur (Nm 10, 29. Jdc 4, 11. — Ex 2, 18 nomen Reuel falso ex Nm 10, 29 tralatum esse videtur), qui Nm 10, 29 in Midianitis, Jdc 4, 11 (cf. v. 17; 5, 24) in Kenitis numeratur — etiam Jdc 1, 16 חֹבַב מֹשֶׁה homo Kenita est — B. Stade (Geschichte des Volkes Israel I, 130 s. ZAW XIV, 1894, 307), quem K. Budde aliique secuti sunt, iudicavit Mosen in sacerdotibus instituendis vetustius sacerdotium idque non Hebraicum, sed Arabo-Keniticum imitatum esse. F. Hommel (Aufsätze und Abhandlungen arabistisch-semitologischen Inhalts 30. Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung 278), A. H. Sayce (Early history of the Hebrews 80), A. Jeremias (Das AT im Lichte des AO ² 433), J. Ben-

zinger (Hebräische Archäologie[2] 56 s.), alii cum nomen sacerdotum (*lᵉwî* = *lawî'* et *lawî'at* i. e. sacerdos mas et sacerdos femina) et multa vocabula, quae ad cultum pertinent (velut *tamîd*, *ʿôlaʰ*, *ḥaṭ'at*, *azkaraʰ*), tum consilium populo sacra ornatissima dandi ex Mosis cum Jithrô vel Hobab (et cum Aegyptiis) necessitudine ducere conati sunt; in qua re alii longius progrediuntur, velut D. Nielsen (Die altarabische Mondreligion und die mosaische Ueberlieferung 130 ss.).

Ad quae haec respondeo: Nobili illi sacerdoti nomadum utrumque fuisse nomen, cum alterum fortasse appellatio esset, probabile est. Ita iam Josephus AJ 2, 12. 1 de ea re iudicat: Ἰεθεγλαῖος, τοῦτο γὰρ ἦν ἐπίκλημα τῷ Ῥαγουήλῳ[1]. Vocabulum Jithrô (יִתְרוֹ = יִתְרוֹן *praestantia*, *eminentia*) autem ut Arabicum *Imâm* idem valere quod *praefectum populi* putes[2]. Sed necessitudines quasdam intercessisse inter Midianito-Keniticum sacerdotium Jithrô et Jahvae sacerdotium a Mose apud Hebraeos institutum demonstrari non potest. Nam vocabulum *lᵉwî* Hebraeos a Minaeis mutuatos esse propterea negandum est, quod in sacris litteris id vocabulum primo nomen tribus cuiusdam est[3] et paulatim tantum ad ministros sacrarii significandos usurpabatur. Neque verisimile est Minaeos id nomen ab Hebraeis mutuatos esse, quod sacrum ministerium ad tribum Levi tum demum delatum est, cum Moses et gens Hebraica cum sacerdotibus Minaeorum commercium habere coeperant[4]. Quod porro complures ritus et nonnulla vocabula, quae ad cultum pertinent, similia sunt, id non ita explicandum est, ut Moses ea mutuatus sit, sed ut Hebraei iam pridem cum tribubus Midianito-Keniticis, quae paeninsulam Sinaiticam incolebant, commercium habuerint. Mosen denique cum Aegyptiorum sacerdotibus, qui imprimis artes liberales colebant atque varia eruditione doctrinaque florebant, magnum habuisse usum verisimillimum est. Nam Ex 2, 1—15 legimus eum a filia regis Aegyptiorum educatum esse et usque ad aetatem firmatam in aula Aegyptia mansisse. Eruditus autem est omni sapientia Aegyptiorum (Act 7, 22). Eidem nomen Aegyptium est; nam quoniam certe falsum est nomen Môše ex מֹשֶׁה (Ex 2, 10) ducendum esse, ex lingua Aegyptia explicandum est (= *meš*, *mesu* i. e. *extractus* sc. ex utero, deinde *filius*, *infans*)[5]. Manetho autem, rerum scriptor Aegyptius, auctor est (apud Jos. C Ap 1, 26. cf. 28) Mosen sacerdotem Heliopoli fuisse (?) et prius nomen Osarsiph (i. e. Osarsupi = „pertinens ad Osarsup“, nomen Osiridis Heliopolitani) cum Môše mutavisse (?). Qua re tamen non impeditur, quin Moses in sacerdotio Hebraeorum instituendo suo tantum consilio usus esse iudicetur.

Ceterum sacerdotium Mosaicum eiusque omnia instituta cum dei electione gentis Hebraicae eiusque foedere cum Jahve inito coaluerunt,

eoque sacerdotio adeo religio gentis Hebraicae refertur, ut sacerdotium nullius alterius gentis ei plane respondeat. Quare iudicandum est Mosen in instituendo sacerdotio suo tantum ingenio usum esse, ita tamen, ut ea, quae ei deus revelaverat, sequeretur.

[1] Nomen Ἰεθεγλαΐος compositio ex duobus vocabulis יתר - רעואל esse potest, unde correptione יתרעואל, substitutione litterae ג pro יתגעואל ר ortum est.

[2] J. Döller (ZkTh XXVIII, 1904, 782) existimat vocabulum יתר in lingua Midianitarum idem valere quod חתן = *socer*. Mirum esse, quod omnibus locis, ubi sacerdos Midianitarum socer Mosis appellatur (Ex 3, 1; 4, 18; 18, 1. 5 s. 9. 12), Jithrô legatur, quasi יתרו idem sit ac יתר (Ex 4, 18) cum suffixo 3. pers., et praeterea etiam חתנו – חתן = *socer*. Verisimile esse חתן initio glossam ad marginem scriptam fuisse, quae postea, cum propria vis vocabuli (ו)יתר in oblivionem adducta esset, nomen proprium existimata et in textum recepta sit.

[3] Nomen *l*ᵉ*wî* initio nomen tribus alicuius fuisse E. König quoque (Geschichte der alttestamentlichen Religion 229) et E. Meyer (Die Israeliten und ihre Nachbarstämme 72 ss.) sibi persuaserunt, nisi quod hic (ib. 88 s. 428) cum D. Nielsen aliisque dicit illud nomen initio tribum quandam Midianitarum, quae in Kadeš Barne'a habitabat, significasse. At Levitas alienigenas inter Hebraeos fuisse in libris divinis non solum nusquam indicatur, sed clare negatur, cum Dt 14, 29 Levitae praeter alienigenas commemorantur. M. Gemoll (Grundsteine zur Geschichte Israels 392) ita demonstrare studet Levitas alienigenas inter Hebraeos fuisse, ut hos locos afferat: Jdc 17, 7 et 19, 9. At ibi nihil aliud legitur nisi Levitam quendam Bethlehemitam in montibus Ephraim ut peregrinum moratum esse. Item *l*ᵉ*wî* quoque, cuius Dt 18, 6 mentio fit, intellegendus est. Dt 29, 10 autem verbis: „peregrinus tuus, qui tecum moratur in castris" Levitam significari sine ulla causa dicitur; immo vero ad peregrinos, qui Hebraeos ex Aegypto profectos comitabantur (Ex 12, 38), referenda sunt.

[4] S. Landesdorfer (Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung 66 s. BZF III, 5—6) iudicandum esse putat similitudinem appellationis sacerdotum Minaeorum et nominis tribus Hebraicae eo pertinuisse, quod ipsi Levitae electi sunt, ut in sacrario servirent. Quod originatione utriusque nominis adiuvari; nam et *l*ᵉ*wî* et *lawî'* (a radice לוה) *coniunctum* cum deo valere (cf. H. Grimme ZDMG LXI, 1907, 83).

[5] Manifestum et filiam Pharaonis, quae a Josepho AJ 2, 9. 5 Θέρμουθις, ab Eusebio Praep. evang. 9, 27. MSG 21, 729 Μέρρις appellatur (ex opinione J. Orr Hatasu – Makere-Hatschepsowet, filia Pharaonis Thutmes I), linguâ Aegyptiâ usam esse et scriptorem biblicum verba eius Hebraice reddidisse. Quare nomen Môše ex lingua Aegyptia explicandum est. Ceterum de originatione nominis Môše videas J. Döller, Zum Namen „Moses" (BZ III, 1905, 151—153); E. König, Geschichte des Reiches Gottes bis auf Jesus Christus 93—96.

4. Omne Levitarum genus pro numero trium filiorum Levi in tres classes divisum erat, ut ex hac tabella apparet:

Levi						
Gerson		Kahath				Merari
Libni	Simei	Amram	Jizhar	Hebron	Uziel	Maheli Musi
		Aaron Moses				

Cf. Ex 6, 16 ss. Nm 3, 17 ss; 26, 57 ss. I Chr 6, 1 ss; 23, 6 ss.

Etiam posteri Mosis ceteris Levitis sine dignitate peculiari adnumerati sunt (I Chr 23, 14). Fortasse sacerdotium illis propterea negatum est, quod ex mulieribus peregrinis suscepti essent, ex Sippora Midianitide (Ex 2, 21 s; 18, 2—4) et Cuschita (Nm 12, 1).

Uxor Mosis, de qua Nm 12, 1 sermo est, non est Sippora, ut complures interpretes contenderunt. Aaron enim et Mirjam certe cum Mose non sunt rixati propter uxorem, quam quadraginta annis ante duxerat. Praeterea Sippora non Cuschita sive Aethiopissa erat, sed Midianitis. Quare credibile est Mosen mortuâ Sipporâ aliam uxorem duxisse eamque Cuschitam, cuius nomen tamen litterae sacrae non tradunt.

a) Critici nostrae aetatis pro certo habent secundum leges Deuteronomii quemlibet Levitam sacerdotio fungi potuisse atque omnibus rebus sacerdotibus aequatum esse.

Quam opinionem primum quidem eo probare student, quod officia, quae Dt 10, 8 tribus Leviticae propria esse dicuntur, sacerdotalia sint. Id quod illis locis Jahvisticis libri Josua (13, 14, 33; 18, 7) confirmari existimant, quibus sacerdotium Jahvae hereditas tribus Leviticae esse dicitur.

Atqui etiamsi omnia ea officia, quae Dt 10, 8 enumerantur, sacerdotalia esse concederemus, tamen inde colligi non posset omnibus Levitis aditum ad sacerdotium patuisse. Nam ut mulieres liberosque praetermittamus, sacerdotio exclusi erant cum ii, qui aliquo corporis vitio laborabant (Lv 21, 18—20), tum ii, qui ad fictorum deorum cultum defecerant (II Rg 23, 8 s. Ez 44, 12). Contra dici quidem potest ius fuisse commune atque solum usum iuris certis quibusdam condicionibus fuisse adnexum. At id ipsum quaeritur, num ius sacerdotii quondam omnium Levitarum commune fuerit vel num auctor Deuteronomii omnes Levitas, si non re ipsa, tamen iure sacerdotes esse dicat. Neque vero quod sacerdotium hereditas tribus Leviticae vocatur, idcirco sacerdotium commune fuit. Nam etsi tribus Levi secundum iura et officia in duos ordines, filios Aaron ceterosque Levitas, divisa erat, tamen dici potest sacerdotium hereditatem Levitarum fuisse, quia secundum legem sacerdotalem sacerdotes et Levitae unum corpus efficiunt atque Levitae sacerdotibus associati sunt (נלוה Nm 18, 2. 4).

Neque tamen concedimus ea officia, quae Dt 10, 8 enumerantur, solorum sacerdotum propria esse; immo demonstrare possumus officia sacerdotum et Levitarum ibi sine discrimine comprehendi.

Dicunt quidem viri illi docti, variis locis librorum Deuteronomii et Josua nixi (Dt 31, 9. Jos 3, 3. 6. 8. 13 s. 17; 4, 9 s. 16. 18; 6, 6. 12; 8, 33), sacerdotum fuisse arcam foederis portare. Sed ex locis allatis nihil aliud concludi posse existimamus nisi sacerdotes temporibus quibusdam sollemnibus, qualia II Sm 15, 24. 29. I Rg 8, 3 s. (cf. II Chr 5, 5). I Chr 15, 11. 14 describuntur, arcam portare solitos esse. Atque chronista quamquam memoriae tradit arcam a sacerdotibns portatam esse (I Chr 15, 11 s. 14), nihilo minus id officium Levitis non denegat (ib. v. 2). Itaque ex Dt 10, 8 certe non sequitur munus portandae arcae solis sacerdotibus iiunctum esse, ceteris Levitis exclusis, sed potius ibi hoc munus totius tribus esse dicitur; et narrantur modo sacerdotes modo Levitae arcam portavisse.

Porro critici affirmant solos sacerdotes dici *stare coram Jahve,* cui ministrent (Dt 17, 12; 18, 5. Ez 44, 15). At Levitae quoque non solum Jahvae ministrare (I Chr 15, 2), sed etiam ministrandi causâ coram Jahve stare dicuntur (II Chr 29, 5—11. cf. 31, 2., ubi officia sacerdotum et Levitarum promiscue enumerantur). Critici quidem locis allatis quidquam probari negant, quippe qui ex libro Chr desumpti sint. At si iidem locum Nm 3, 6 afferunt, ut demonstrent sacerdotes Jahvae, Levitas sacerdotibus ministrare, eodem iure locos afferre licet, quorum auctorem res gestas Hebraeorum secundum leges Elohisticas, ad quas Nm 3, 6 quoque pertinet, enarravisse critici dictitant.

Denique critici contendunt ius Jahvae nomine benedicendi (Dt 10, 8; 21, 5. cf. I Chr 23, 13) solorum sacerdotum proprium fuisse, quod quidem ultro concedimus idque addito testimonio II Chr 30, 27., ubi sacerdotes Levitici populo benedicentes introducuntur. Neque quisquam profecto infitiabitur et aetate chronistae et scriptoris Deuteronomii sacerdotes Leviticos populo benedixisse.

Verum ut de iure benedicendi viris illis eruditis adstipulemur, tamen officia, quae Dt 10, 8 commemorantur, solorum sacerdotum propria fuisse negamus. Nam locis Dt et Chr collatis ostendimus primum non solum sacerdotibus, sed etiam Levitis licuisse arcam foederis portare, deinde non solum illos, sed etiam hos dici ministrandi causâ coram Jahve stare. Solum ius officiumque nomine Jahvae benedicendi proprie sacerdotale erat. Itaque ex Dt 10, 8 evinci non potest cuilibet Levitae sacerdotium patuisse, immo verisimile est officia sacerdotum et Levitarum ad tribum Levi referri idque nullo discrimine facto (cf. II Chr 31, 2).

Exstat alius quoque locus, ex quo critici colligunt quemlibet Levitam munere sacerdotali fungi potuisse, Dt 18, 6 s., ubi Levitis aditus ad sacrarium aperitur, ut ministrent „nomine Jahvae dei sui, quem ad modum omnes fratres eorum Levitae, qui stant eo tempore coram Jahve". At haec opinio vacillat, cum critici demonstrare non possint solorum sacerdotum fuisse nomine Jahvae ministrare. Immo aetate chronistae non solum sacerdotes, sed etiam Levitae nomine Jahvae ministrantes perhibentur, velut I Chr 15, 2; 16, 4 s. 37. Neh 12, 44., imprimis II Chr 31, 2., ubi

legimus: „Constituit autem Hiskia sacerdotum Levitarumque classes ita descriptas, ut cuiusque sacerdotum et Levitarum muneris ratio postulabat ad sacrificia holocausta et pro salute facienda, ad ministrandum, ad Jahven celebrandum et collaudandum in portis castrorum Jahvae". Quem locum si cum Dt 18, 5—7 conferimus, inde non magis sequitur quemlibet Levitam sacerdotio fungi potuisse, sed Levita, sive sacerdos sive minister sacerdotis, habet hoc illudve munus praerogativâ tribus constitutum. Idem de Dt 18, 1 valet. Ibi enim duas classes indicari putamus, alteram sacerdotum Leviticorum (כֹּהֲנִים הַלְוִיִּם), alteram ceterorum tribulium (כָּל־שֵׁבֶט לֵוִי). Quam interpretationem sententiae auctoris nequaquam adversari iis, quae Dt 27, 9. 14 traduntur, confirmatur; ibi enim sacerdotes Levitici, qui cum Mose orationem ad populum habent, et gens Levitarum, quae cum tribubus Simeon, Juda, Issachar, Joseph, Beniamin montem Garizim occupat, clare discernuntur.

At vero critici illi obiciunt loco Dt 18, 1 unam appositionem corroborari explicarique alterâ; nam cum ad כֹּהֲנִים addita sit appositio לְוִיִּם i. e. sacerdotes iique a Levi oriundi, quasi haec non sufficiat, ut cuilibet Levitae ius sacerdotii adiudicetur, scriptor alteram appositionem כָּל־שֵׁבֶט לֵוִי ad illam adiungit.

Contra quae haec dicimus: Si sacer scriptor loco allato satis habuisset illis appositionibus sacerdotium universae tribui Levi assignare, propositum assecutus non esset, quod, si Neh 11, 20 contuleris, apparet. Ibi enim legimus: „Reliqui Israelitae, sacerdotes, Levitae in omnibus oppidis Judaeae sua quique in hereditate manserunt". Hîc etiamsi nullae particulae coniunctivae exstant, tamen ex scriptoris usu perspicuum est tertium subiecti triplicis membrum non ad alterum praecedens spectare, quamquam leges grammaticae hanc constructionem admittunt. Dt 18, 1 autem, ut usus scriptoris aliunde cognitus postulat, vocabulum לְוִיִּם appositionis in modum cum כֹּהֲנִים coniunctum est, sed demonstrari non potest verba כָּל־שֵׁבֶט לֵוִי et הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם unum idemque significare. Praeterea si accipias Deuteronomium aetate posterius esse quam legislationem sacerdotalem et illius auctorem sibi proposuisse, ut sacerdotii quasi ianuam toti tribui Levi patefaceret, saltem confitendum est rationem scribendi proposito non esse consentaneam et perspicuitate, qua medii Pentateuchi libri praestant, omnino destitutam esse, nam Judaica legis scriptae interpretatio numquam his legislatoris verbis immutata est, quasi cuilibet viro Levitico sine stemmatis discrimine ius sacerdotii adiudicaret.

Loco Dt 18, 1—7 duae classes comprehenduntur, de quibus promiscue sermo est, una sacerdotum Leviticorum, altera Levitarum (v. 1). Cui distinctioni convenienter primum dicitur, quae res ad vectigalia sacerdotibus debita pertineant (v. 3—5), deinde quemlibet Levitam, sive ab Aaron oriundus sit sive non, ad locum, quem Jahve elegerit, venire posse ibique Jahvae nomine ministrare ut ceteros fratres Levitas, sive sacerdotes sint sive sacerdotum ministri (v. 6 s.). Ministrare autem nomine Jahvae non solum sacerdotum est, sed etiam Levitarum (I Chr 15, 2. cf. II Chr 31, 2., ubi auctor munus ministrandi Jahvae sacerdotibus et Levitis pro sua cuique parte attribuit). Propterea ex allato Deuteronomii loco effici non potest quemlibet Levitam sacerdotio fungi potuisse.

Praeterea illi critici contendunt iura praecipua, quibus Moses Dt 33, 8—10 tribum Leviticam ornat, sacerdotalia esse; unde elucere quemlibet Levitam ad dignitatem sacerdotalem adspirare potuisse.

At respiciendum est legislatorem moriturum loco allato tribus Leviticae non eo consilio mentionem facere, ut sacerdotium generale Leviticum creet, sed ut sicut ceteris tribubus ita tribui Leviticae benedicat. Si Moses sacerdotes Aaroniticos cogitatione comprehendit — id quod certum exploratumque est — illis verbis uti potuit, quibus ex sententia virorum illorum doctorum sacerdotium universae tribui impertitur. Consentaneum enim est sacerdotem summum a Mose pro summo tribus Leviticae decore haberi; nam ad hunc ipsum Dt 33, 8 aeque spectare ac Gn 49, 10 ad stirpem Davidicam tamquam summum tribus Juda fastigium. Moses enim oraculum אוּרִים וְתֻמִּים non magis universae tribui Levi assignat quam Jacob universae tribui Juda regiam potestatem. Accedit, quod etiamsi officia, quae Dt 33, 10 enumerantur, sacerdotum propria esse concedimus, tamen non sequitur quemlibet Levitam natalibus suis inter sacerdotes referri; nam Aaronitici quoque sacerdotes eundem auctorem quem reliqui Levitae habent.

Denique ex eo, quod in libro Lv sacerdotes „filii Aaron", in Dt et in aliis libris posterioris aetatis „filii Levi" vel „sacerdotes Levitae" vocantur, complures eorum, qui scholae criticae addicti sunt, concludunt Levitas postea munia sacerdotalia obisse.

Quam opinionem omnino reiciendam esse censemus. Illud quidem concedamus oportet sacerdotes in Dt numquam „filios Aaron", sed modo „filios Levi" modo „sacerdotes Levitas" appellari. At tantum abest, ut his appellationibus differentia inter Levitas et sacerdotes negetur, ut ii ipsi sacri scriptores, qui ei differentiae semper instant, tamen iis uti non dubitent (Esr 10, 5. II Chr 5, 5; 23, 18; 30, 27). Id unum in disceptatione versatur, quo modo nomen „sacerdotum Levitarum" explicandum sit. Atque sunt qui nonnullos ex Levitis aetate Mosaica ad sacerdotium admissos ideoque eo nomine appellatos esse neque tamen ab Aaron originem traxisse censeant. Quibus tamen documentis id confirmari possit, non apparet. Quantum equidem iudicare possum, dicendum est post mortem Aaron, cum munus sacerdotale iam in varias familias, quae omnes ab Aaron ortum ducebant, transisset, potius sacerdotum originem Leviticam quam Aaroniticam consideratam esse vel, ut aliis verbis utar, nomen „sacerdotum Levitarum" idem significare quod sacerdotes a Levi oriundi, quo nomine (ut supra diximus) ii a sacerdotibus non Levitis distinguebantur, qui apud altaria privata sacra faciebant et certe non omnes erant Levitae, ut ex Jdc 6, 26; 13, 19., aliis compluribus locis apparet.

Quae cum ita sint, demonstrari non potest in Dt doceri quemlibet Levitam sacerdotio fungi posse. Itaque sacerdotium Aaroniticum, de quo in mediis Pentateuchi libris sermo est, et sacerdotium Leviticum, de quo Dt agit, inter se non adversantur. Ceterum negari nequit in Dt non solum pontificatum Aaron, sed etiam eius continuationem divinitus sanctam diserte agnosci; nam Dt 10, 6^b Eleazar in patris defuncti locum successisse narratur. Eius successionis mentione non est dubium, quin indicetur illud munus muneri reliquorum sacerdotum Leviticorum praestare.

Conferas S. J. Curtiss, De Aaronitici sacerdotii atque thorae Elohisticae origine 6—13.

b) Sunt qui existiment ne prophetarum quidem verba cum sanctione sacerdotii Aaronitici Mosaica conciliari posse idque propterea, quod prophetae sacerdotium non Aaroniticum, sed Leviticum nominent (Jes 66, 21. Jer 33, 18. Ez 43, 19; 44, 15. Mal 3, 3. cf. 2, 1. 7).

At respiciendum est nomen tribus Levi etiam gentem Aaroniticam ideoque sacerdotes cum ceteris Levitis complecti. Velut etiam in Chr libris nomen Levitarum ad sacerdotes quoque refertur (II Chr 11, 14; 29, 4 s.) ibique sacerdotes Aaronitici identidem nomine sacerdotum Leviticorum significantur (II Chr 23, 18; 30, 27), quibus cum locis Hebr 7, 11 conferri potest, ubi inculcatur sacerdotium Aaroniticum esse Leviticum i. e. ad condicionem originis Leviticae adstrictum. Unde cognoscitur non solum scriptores posteriorum temporum nullum inter sacerdotes Aaroniticos et Leviticos discrimen facere, sed etiam nobis mirum videri non posse, si apud prophetas quoque sacerdotes Levitici ab Aaroniticis non discernantur. Exstant autem apud prophetas, qui ante exsilium Babylonium fuerunt, etiam aliquot plus minusve perspicua indicia, quae ostendunt sacerdotium Aaroniticum iis notum fuisse. Velut distributio urbium sacerdotalium (Jos 21, 13—19), quam recentiores illi critici chartae quidem mandatam, sed numquam ad effectum adductam esse censent, Jeremia prophetae haud incognita erat; nam urbem sacerdotalem Anathoth propheta diserte commemorat (1, 1 cf. Jos 21, 18). Idem Seraja summi sacerdotis mentionem facit (52, 24) idque plane eodem modo, quo scriptores, qui post exsilium fuerunt, data occasione de summis sacerdotibus loquuntur (II Chr 24, 11; 26, 20; 31, 10. Esr 7, 5). Unde apparet munus summi sacerdotis et aetate Jeremia prophetae et post exsilium continuo sibi constitisse.

Sectio secunda

De consecratione ministrorum sacrorum

Omnes, qui e tribu Levi orti et ad opera cultus divini rite obeunda idonei erant, iussu dei per Mosen publicis caerimoniis consecrabantur.

I. Levitae paulo antequam Hebraei a monte Sinai proficiscerentur, consecrati sunt. Cum qua significatione temporis non discrepat locus Dt 10, 8., quia verba בָּעֵת הַהִוא *illo tempore* non ad tempus post Hebraeorum adventum in Jotbata (v. 7), quo tempore Aaron, qui Levitis consecrandis interfuit, iam vitâ decesserat (v. 6), sed ad tempus post Mosis descensum de monte Sinai (v. 5) referenda sunt.

Atque Levitae aqua lustrationis[1] aspergebantur, omnes pilos carnis, quibus plurima immunditia adhaeret, radebant et vestimenta sua

lavabant — *ritus purgationis* — (טהר Nm 8, 6 s. 15, 21) [2]; dein sacra (iuvencum cum ferto et libamine in holocaustum et alium iuvencum pro peccato) faciebant et postquam „filii Israel“ (בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, quibus verbis principes tribuum significari videntur) nomine totius populi manus eis imposuerant [3], ab Aaron ritu agitationis (הֲנִיפָה) in ministerium sacrum recipiebantur — *ritus oblationis* (תְּנוּפָה לַיהוָה Nm 8, 13) [4].

Hanc Levitarum consecrationem, quae Nm 8, 6—22 (cf. Jos. A J 3, 11. 1) describitur, posteriore quoque tempore peractam esse ex nonnullorum opinione et rei natura docet et locus II Chr 29, 34 diserte affirmat. Alii tamen existimant illam consecrationem a Mose factam etiam ad omne tempus futurum pertinuisse, quod ministerium domus Jahvae tribui Levi hereditarium delatum sit. Sed Levitas ut sacerdotes, cum immunditiam legalem contraxissent, ante ministerium sacrum se purgare debuisse et ita locum quoque II Chr 29, 34 intellegendum esse.

[1] Hebr. מֵי חַטָּאת *aqua peccatorum* i. e. purgationis a peccatis (quem ad modum verbum חָטָא *peccavit* in Pi'el et Hithpa'el est *purgavit*). Verisimiliter aqua ex labro aeneo hausta intellegenda est. Ex opinione Josephi AJ 3, 11. 1 Moses πηγαίοις ὕδασι καὶ ἀενναίοις Levitas aspersit.

[2] Ritus purgationis, qui eo nititur, quod quicumque Jahvae purissimo et sanctissimo appropinquabat, et corpore et animo purus sanctusque esse debebat, indicat Levitas rem divinam facientes impuritatem animi exuere et puritatem sanctitatemque induere oportere. Aqua enim, qua corpus purgatur, erat signum purgationis internae sive moralis (Ez 36, 25. Sach 13, 1).

[3] Quod Levitis manus imponuntur, ea re non indicatur populum Levitas ut vicarios suos ad ministerium in sacrario faciendum pro primogenitis, quorum initio illud munus erat, dicare: neque enim populus habebat potestatem Levitas ad munus divinum destinandi, quoniam Jahve ipse, ut antea sibi primogenitos sacraverat (Ex 13, 2. Nm 3, 13; 8, 17. al.), ita Levitas quoque ex filiis Israel segregaverat atque sacerdotibus tradiderat (Nm 3, 6. 9. 12. 41. 45; 8, 16. 18; 16, 9 s; 18, 6. Dt 10, 8). Immo vero quod principes tribuum Levitis manus imponunt, idem valet atque quod hostiis manus imponuntur; nihil enim aliud ea re exprimitur nisi quod populi peccata in Levitas transferuntur, qui ea ferant atque expient, ita ut Levitae fuerint sacrum Jahvae symbolice factum, quo populus expiaretur. Id non solum ritu agitationis, qui de iis fiebat, significatur, sed etiam eorum apud tabernaculum sacrum ministerium, quo filios Israel expient (Nm 8, 19) i. e. eorum peccata demant ac ferant, eodem spectat.

[4] Quod ad ritum agitationis attinet, haud dubie de illa caerimonia agitur, quo sacerdos partem eorum, quae pro sacrificio offerebantur, in symbolum oblationis deo factae manibus elevabat et simul huc illuc movebat. Quae caerimonia, quo modo hac occasione peracta sit, litterae sacrae non produnt. Certe cum dignitate peracta est. Atque nonnulli existimant eo ritu Levitas ad ostium tabernaculi deductos indeque ad altare holocaustorum reductos esse; deductione illa significari, Levitas Jahvae

ut proprium ad ministerium tradi; reductione, a Jahve eos sacerdotibus ministrorum loco mitti.

II. Sollemnior erat consecratio sive *sanctificatio* (קדש Ex 29, 1; 40, 13) sacerdotum, quibus propior accessus ad dei in sanctissimo thronum concedebatur. Describitur Ex 29, 1—37; 40, 12 s. Lv. 8, 1—36 (cf. Jos. A J 3, 8. 6).

Atque sacerdotes corpore lauto vestimentis sacris induebantur et oleo sacro ungebantur, cum in pontificis consecratione oleum super caput effunderetur (Lv 8, 12; 21, 10. Ps. 133, 2)[1]. Peractâ unctione omnia genera sacrificiorum offerebantur; nam ad sacrificia offerenda imprimis ordinabantur et consecrabantur sacerdotes. Primo sacrificabatur vitulus *pro peccato* (non pro certo quodam peccato, sed pro peccatis universis); nam qui ad altaris officia accedebat, eum ante omnia mundari et sanctificari oportebat. Super caput victimae, qui ordinabantur, manus ponebant (ut significaretur victimam in ipsorum locum substitui); sanguis spargebatur super cornua altaris holocaustorum, quo facto reliquus ad basin altaris effundebatur; adeps super altare adolebatur, caro extra castra (id videtur idem esse locus, quo alia quaedam comburebantur) cremabatur, quia sacerdotes ulla parte illius victimae, quae pro ipsorum peccatis sacrificabatur, vesci non oportebat. Deinde qui ordinabantur, arietem in *holocaustum* offerebant, ut significaretur, se totos divino ministerio mancipari; denique alterum arietem ut *sacrificium pacificum*, cuius sanguine extrema pars auriculae dexterae, pollices manus et pedis dexteri eorum, qui consecrabantur, linebantur (ut significaretur operationem et omnes actiones sacerdotum deo esse dicatas, ut dei doctrinam [aure] reciperent, populo [manu] traderent, se ipsi sanctos redderent atque in praeceptis divinis [pede] ambularent)[2]; reliquus sanguis circa altare fundebatur; dein ipsi et vestimenta sacra sanguine et oleo aspergebantur (ut renovaretur memoria sanguinis agni, per quem Hebraei e servitute Aegyptia liberati erant); adipes, armus dexter, torta panis, crustula oleo conspersa, laganum azymum manibus sacerdotum imponebantur (ut significaretur sacerdotes potestatem eius modi res deo sacrificandi accepisse)[3] et agitabantur, dein super altare incendebantur; pectusculum sacerdoti consecratori (Mosi) servabatur; reliqua caro cum panibus a recentibus sacerdotibus in loco sancto comedebatur; quae supererant, altero die igni tradebantur. Qui ritus per septem dies repetebantur, quo sacerdotes moniti esse videntur se numini divino consecrari, quod septem diebus omnia creavit.

Die octavo sacerdotes, postquam sacra fecerant, populo benedicebant ac munus suum obire incipiebant (Lv 9, 1—23). Primum holo-

caustum ab Aaron factum ignis a Jahve miraculo excitatus devoravit (ib. v. 24), „ut deus ordinem sacerdotalem legis veteris a se institutum et suas de sacrificiis leges hoc miraculo confirmaret et quasi obsignaret“ (Cornel. a Lap. ad Lv 9, 24)[4].

[1] Haec erat peculiaris consecratio summi pontificis atque id, quo a ceterorum sacerdotum consecratione differebat.

Neque solum Aaron, ut nonnulli putant, sed etiam filios eius unctos esse loci Ex 28, 41; 30, 30; 40, 13. Lv 7, 35; 10, 7. Nm 3, 3 probant. Cf. Euseb. Demonstr. evang. 4, 15. MSG 22, 297: Δίχα χρίσεως ἀδύνατον ἦν παρ' Ἑβραίοις ἱερᾶσθαι τῷ θεῷ.

Modus unctionis sacerdotum in sacris litteris non describitur. Ex 40, 13 dicitur sacerdotes vulgares unctos esse *sicut* pontificem. Sed illud *sicut* explicandum est de aequalitate universa, non de propria, ut utraque unctio omnibus rebus eadem ac par fuerit.

Rabbini quidam docent sacerdotes inungi, cum in eorum fronte forma litterae ב (= מָשִׁיחַ) signetur; alii dicunt litteram X vel K effingi consuevisse (cf. J. Buxtorf, Lex. Chald. 1268).

Nonnulli ex loco Ex 28, 41., ubi *manus* Aaron eiusque filiorum *ungi et impleri* iubentur, minorum sacerdotum solas manus consecratas esse colligunt. Ita Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 8: „Minorum sacerdotum solae manus consecrabantur, quae erant applicandae ad sacrificia“. At eo textu specialis manuum ungendarum ritus minime probatur. Nam primum si ita statuas, dici necesse est etiam pontificis manus esse unctas, quod litterae sacrae nusquam tradunt; deinde verba *unctio manuum* non necessario intellegenda sunt de aliqua ipsarum manuum unctione, sicut verba, quibus de *implendis manibus* agitur, non tam propriam manuum impletionem quam collationem potestatis sacerdotalis significant. Quare dici potest manus propterea ungi, quod manibus illae actiones exercentur, quarum potestatem sacerdos iurisdictionis translatione et unctionis ritu accipit.

Alii statuunt filios Aaron aspersos tantum esse oleo sanguine mixto (Ex 29, 21. Lv 8, 30), non inunctos oleo sancto hocque summi sacerdotis proprium fuisse, qui inde מָשִׁיחַ *unctus* κατ' ἐξοχήν (Lv 4, 3. 5. 16; 6, 15. cf. Nm 35, 25) dicatur; nam cum neque in praescribenda (Ex 29, 1—37) neque in describenda (Lv 8, 1—36) consecratione sacerdotali ulla unctionis fit mentio, praecepta divina, quae locis Ex 28, 41; 30, 30; 40, 13 leguntur, de aspersione olei sanguine mixti intellegenda sunt.

Alii denique dicunt posterioribus demum temporibus Hebraeos omnium sacerdotum unctionem introduxisse, quae libris divinis certissime non prohibebatur, sicut ecclesia Christiana complures sanxit unctiones praeter eas, quas ipse Christus instituit.

[2] Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 8: „De sanguine animalis immolaticii tingebatur extremum auriculae dexterae ipsorum et pollices pedis et manus dexterae, ut scilicet essent oboedientes legi dei in oblatione sacrificiorum, quod significatur in intinctione auris dexterae, et

quod essent solliciti et prompti in exsecutione sacrificiorum, quod significatur in intinctione pedis et manus dexterae". — Cf. etiam Phil. De vita Mosis l. 3. opp. II, 157 s. Theodoret. Qu. 8. in Lv. MSG 80, 312.

[3] Id quod dicitur מִלֻּאִים *impletio*, LXX τελείωσις i. e. inauguratio ad munus sacerdotale (quare aries ipse אֵיל מִלֻּאִים *aries impletionis* Ex 29, 22. 26 s. Lv 8, 22. 29 et dies septem, quibus ritus ille repetebatur, יְמֵי מִלֻּאִים *dies impletionis* Lv 8, 33 vocantur) et מִלֵּא יָד *implevit manum* alicuius i. e. sacerdotium in eius manum tradidit (Ex 28, 41; 29, 9. Lv 21, 10. Nm 3, 3. Jdc 17, 5). Conferas verba Assyria *ana ḳâtû* (= *ana ḳât) mullû* = alicuius manum aliqua re implere i. e. alicui aliquid deferre. Quae loquendi formula fortasse ab aliquo ritu antiquo orientis petita est, quo insignia muneris in manus eorum, quibus illud conferebatur, tradebantur, unde postea factum est, ut *implere manum* significet *muneris exercendi potestatem conferre*. Quam interpretationem confirmat S. Jarchi (ad Ex 28, 41): „Omnis impletio manuum significat initiationem, quando aliquis aggreditur rem quampiam, ut in illa ipse confirmetur ab illo die ac deinceps".

[4] Etiam postea aliquotiens ignis caelitus missus est, ut victimas consumeret, quo Jahve probavit eas sibi acceptas esse (sacrificium regis David I Chr 21, 26., regis Salomo II Chr 7, 1., prophetae Elia I Rg 18, 24. 38., cf. sacrificium iudicis Gideon Jdc 6, 21).

Num hic ordinationis ritus in omnibus sacerdotibus sequentibus observatus sit, non constat. Certe quivis pontifex oleo sacro ungi vestimentisque pontificalibus indui debebat, antequam decessoris sui munere fungi posset, ut ex locis Ex 29, 29. Lv 21, 10. Nm 20, 26—28. I Chr 29, 22 concludere licet. Cum autem oleum unctionis in destructione templi Salomonis periret et inter quinque res, quae templo posteriori deerant, numeraretur [1] nec post primam compositionem denuo confici fas esset (Ex 30, 33), pontifices, qui post exsilium Babylonium exstiterunt, sola vestitus sacri indutione et sacrificio, non unctione initiabantur. Velut de pontifice Jonathan, filio Mattathiae, I Mcc 10, 21 memoriae proditur: Καὶ ἐνεδύσατο Ἰωνάθαν τὴν ἁγίαν στολὴν (ornatum pontificalem) τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ ἔτους ἑξηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἐν ἑορτῇ σκηνοπηγίας. Cf. Jos. AJ 13, 2. 3. Idem 19, 6. 4 de Jonathan, filio Anani, tradit eum summum pontificatum ab Herode Agrippa II iterum sibi delatum reiecisse verbis: ἅπαξ ἐνδὺς στολισμὸν ἱερὸν ἀρκοῦμαι [2]. Sacerdotes minores eorundem temporum non amplius consecrati esse videntur (cf. Ex 40, 13) [3], sed tantummodo vestimentis sacris induebantur et sacra praescripta faciebant [4].

Ceterum consecratio sacerdotum inter sacramenta veteris legis numeratur et typus est sacramenti consecrationis (ordinationis) novae legis.

[1] Hieros. Makkoth (c. 2.) 32[a] et Horajoth (c. 3.) 47[a]: „Quinque hae res defuere in templo secundo, quas primum habuit: ignis (caelestis), arca,

Urim et Tummim, oleum unctionis (Babyl. Joma c. 1: nubes), spiritus sanctus".

[2] M. Megilla 1, 9: *Non est differentia inter sacerdotem unctum oleo unctionis et praeditum vestimentis,* „qui erat sacerdos templi secundi, quando non habebant oleum unctionis, sed summus sacerdos indutus erat vestimentis pontificatus" (Maimonides).

Contra ex opinione nonnullorum patrum unctio summorum pontificum tum demum desiit, cum Christus, verus pontifex, in terra apparuit. Cf. Tertullian. Adv. Jud. c. 8. MSL 2, 616. Chrysost. Orat. 5. adv. Jud. § 9. MSG 48, 898.

[3] Abarbanel in Ex 30, 23: „Vulgares sacerdotes semel inuncti sunt, semel in deserto ad conferendam ipsis sanctitatem, verum eorum filii minime inuncti sunt post eos". — Levi ben Gerson ad I Rg c. 1: „In unctione Aaronis et filiorum eius ungebantur eorum posteri universi in sacerdotes; unde evenit, ut postmodum nemo eorum necessario esset ungendus praeter sacerdotem summum".

[4] Cf. M. Middoth 5, 3: „Sacerdos, in quo inveniretur vitium, induebat sibi atra (vestimenta) ac atris involvebat se itaque egressus exibat; cui vero non inerat vitium, induebat sibi vestimenta alba ac se albis involvebat et ingressus ministrabat cum sacerdotibus, fratribus suis".

Sectio tertia

De officiis Levitarum, sacerdotum, pontificis

Caput primum

De officiis Levitarum

I. Levitarum munus (quod in sacris litteris exprimitur verbis: צָבָא Nm 4, 23. 35. 39. 43; 8, 24 s. שָׁרַת ib. 3, 6; 18, 2. עָבַד ib. 8, 15. עֲבֹדָה ib. 4, 23. 35. 47. I Chr 9, 13. 19) erat multiplex, cum quaecumque ad sacerdotum sacris operantium adiumentum requirebantur iis facienda essent (Nm 1, 50; 3, 6—10; 8, 15. 19; 18, 2. 6. Dt 10, 8. I Chr 6, 48; 23, 32).

1) Atque eorum erat arcam Jahvae, diversas partes tabernaculi, utensilia sacra velamentis obvoluta portare. Quas res unaquaeque familia Levitarum in itinere per desertum transvehere debuit, eas Nm c. 4 explanat. *Kahathitis,* ut dignitate inter Levitas primis [1], quae-

cumque maxime divina et sacra habebantur, commissa erant: arca foederis[2], duo altaria, candelabrum aureum, mensa sacra, lavacrum; arca et mensa trina habebant involucra, quo certius a profanorum oculis prohiberentur, ceterae res sacrae bina (v. 4—20). *Gersonitis* custodia omnium operimentorum et velorum tabernaculi mandata erat (v. 24—28). *Meraritae* maiores tabernaculi partes, tabulas, columnas, vectes transportabant (v. 29—33). Gersonitis et Meraritis ad eorum laborem sublevandum aliquot plaustra (duo plaustra et quattuor boves illis, quattuor plaustra et octo boves his) attributa erant (Nm 7, 7 s.).

[1] Cuius rei ratio procul dubio haec fuit, quod Moses et Aaron ex Kahathitarum familia fuerunt.

[2] Interdum autem, praesertim cum sacerdotum numerus increvisset, et ipsi arcam Jahvae portaverunt (Dt 31, 9. Jos 3, 3. 6. 8. 14. 17; 4, 9 s. 16. 18; 6, 6. 12. I Rg 8, 3 s. 6. II Chr 5, 7. Jos. AJ 3, 6. 5). Quae igitur Levitis attribuuntur officia, non ita eorum erant propria, ut non a sacerdotibus quoque praestari possent; sed qui Levitae non erant, ii excludebantur.

Ex quo intellegimus, cur deus Uza interfecerit (II Sm 6, 6 s.), quod calcitrantibus bobus et arcam inclinantibus manus ad eam extendisset. Uza enim cum non sacerdos, sed Levita esset, eam nequaquam tangere debebat. Hanc veram mortis Uza causam fuisse ex I Chr 13, 10 apparet: „Et incanduit furor Jahvae in Uza et interfecit eum, quod misisset manum suam in arcam". Idem Josephus AJ 7, 4. 2 dicit: Τελευτᾷ Ὀζᾶς κατ' ὀργὴν τοῦ θεοῦ· τῶν βοῶν γὰρ ἐπινευσάντων τὴν κιβωτὸν ἐκτείναντα τὴν χεῖρα καὶ κατασχεῖν ἐθελήσαντα, ὅτι μὴ ὢν ἱερεὺς ἥψατο ταύτης, ἀποθανεῖν ἐποίησε. Quam tamen interpretationem alii impugnant, quod Levitis arcam tangere fas fuerit, quotienscumque eam portare iubebantur. Hinc aliam mortis Uza causam afferunt, quod inhoneste et sine verecundia arcam tetigerit. Sed haec respicienda sunt: Cum Levitis id unum liceret arcam velo involutam vectibus portare, eam autem tangere omnino vetiti essent, Uza dupliciter peccavit, et quod arcam tetigit et quod nudam arcam tetigit; nam ex contextu apparet tunc arcam involutam non fuisse. — F. de Hummelauer (Comm. in ll. Sam. 85. 311) censet nulla ratione probari posse Uza fuisse Levitam, immo vero propius esse eum fuisse Cananaeum, quippe cum ex Kirjath-Jearim oriundus sit. Quo concesso poena, qua Uza affectus est, facilius intellegitur.

Porro Levitarum munus erat vigilias tabernaculi et postea templi obire (Nm 3, 6. I Chr 9, 22 ss; 26, 12 ss. II Chr 8, 14), res ad sacrificia necessarias praeparare (victimas excoriare II Chr 29, 34; 35, 11. sanguinem victimarum sacerdotibus praebere ib. 30, 16. interdum agnos paschales mactare ib. 30, 17; 35, 6. cf. Esr 6, 20), panes propositionis conficere (I Chr 9, 32; 23, 29), annonam et thesauros sacros administrare ac primitias aliasque res a populo oblatas conservare (I Chr 9, 26; 26, 20—28. II Chr 31, 12. 14. Neh 13, 12 s.), inde ab aetate

David etiam iudicium exercere (I Chr 23, 4; 26, 29. II Chr 19, 8), in templo cantare et instrumentis musicis accinere (I Chr 15, 16 ss; 25, 1 ss. II Chr 5, 12; 20, 19; 29, 25. Esr 3, 10. Neh 12, 27. Sir 50, 16). Praeterea in instauratione templi sub rege Josia Levitae operantibus praeesse iussi sunt (II Chr 34, 12). Eodem modo post exsilium Babylonium Levitae inde ab aetate viginti annorum ad urgendum „opus Jahvae" adhibebantur (Esr 3, 8). Nonnumquam etiam dimittebantur ad pecunias pro reparatione templi colligendas (II Chr 24, 5 s.). Denique eorum erat studio divinae legis diligenter se dedere et populum ad dei fidem, pietatem, religionem informare (I Chr 26, 29. II Chr 17, 8 s; 30, 22; 35, 3. Neh 8, 7 ss.).

Ex iis, quae modo diximus, apparet Levitas in Chr multo altiorem dignitatis gradum obtinere quam in mediis Pentateuchi libris. Atque ex lege Mosaica cuilibet victimam allatam mactare eique pellem detrahere licebat (Lv 1, 5 s.); chronista autem eas res inter officia Levitarum enumerat (II Chr 29, 34; 30, 17; 35, 6. 11. Esr 6, 20)[1]. Praeterea nusquam in lege Mosaica Levitis munus docendi attribuitur; immo soli sacerdotes constituti esse dicuntur, ut in rebus controversis doceant, quaenam voluntas dei sit (Lv 10, 11); in Chr autem saepius narratur Levitas docendo populo operam dedisse (I Chr 26, 29. II Chr 17, 8 s; 30, 22; 35, 3. Neh 8, 7 ss.). Aetate regis Josaphat Levitae etiam summi tribunalis Hierosolymitani assessores constituti sunt (II Chr 19, 8. 11). Ex lege Mosaica Levitae sacerdotibus נְתֻנִים *dati* sunt, ut eos in levioribus negotiis adiuvarent (Nm 3, 9; 18, 6), in Chr autem Levitis ipsis ministri (נְתִינִים) parent (I Chr 9, 2. Esr 2, 43. 58. 70; 8, 20. Neh 10, 29. al.). Id quoque silentio praetereundum non est instituta de officiis Levitarum, quae I Chr 23, 28—32 enumerantur, ab iis, quae in lege Mosaica praecipiuntur, omnino differre atque Levitis munera ampliora largiri[2]. Progrediente igitur tempore Levitae maiorem dignitatem adepti sunt tamquam inter sacerdotes et populum intercedentes.

[1] II Chr 29, 34 sacer scriptor diserte ait ante aetatem Hiskia regis solos sacerdotes pelles holocaustorum detrahere solitos esse. — Ezechiel 44, 11 iis sacerdotibus, qui, cum se scelere idololatriae antea maculassent, a dignitate sacerdotali exclusi et in ordinem Levitarum redacti erant, officium holocausta et victimas populi mactandi, non pellis detrahendae attribuit.

[2] Hieronymus hunc locum non recte intellexit; nam contra textum Hebraicum officia v. 29 enumerata sacerdotibus assignavit.

2) Ut ministeria Levitica in atrio sacrarii quam maxime concinna essent, David (adhibito Gad et Nathan prophetarum consilio II Chr 29, 25) alterum Levitarum ordinem instituit, priore illo quodam modo

abrogato, atque *duodequadraginta milia* Levitarum, qui eius aetate exstiterant, in quattuor classes (מַחְלְקוֹת, ἐφημερίαι, κλῆροι) divisit (I Chr 23, 3—5. Jos. AJ 7, 14, 7. cf. 11, 5. 1). Atque *viginti quattuor milia* Levitarum erant עַל־מְלֶאכֶת בֵּית־יְהוָה *super opus externum domus Jahvae* (cf. Neh 11, 16) i. e. ministri sacerdotum in domo dei [1]. Opera iis mandata I Chr 9, 28—32 describuntur: creditam habebant supellectilem sacrarii; praeerant similae, vino, oleo, turi, odoribus, nec non iis, quae in sartaginibus parabantur; curam habebant panum propositionis. *Sex milia* Levitarum erant *scribae* et *iudices* (שֹׁטְרִים וְשֹׁפְטִים, γραμματεῖς καὶ κριταί cf. Jos. l. c.), qui non modo de rebus ad sacrarium pertinentibus pronuntiabant, sed etiam extra locum sacrum secundum normam in lege Mosaica praescriptam ius dicebant atque ad id omnem conferebant curam, ut leges et instituta in honorem dei conservationemque religionis cederent [2]. *Sex milia* Levitarum erant *ianitores* sive aedis sacrae custodes (שֹׁעֲרִים I Chr 9, 17 ss; 23, 5. Neh 7, 45. 73; 11, 19. שֹׁמְרֵי הַסַּף II Rg 22, 4; 25, 18. II Chr 34, 9. Jer 52, 24. שֹׁעֲרֵי הַסִּפִּים II Chr 23, 4. οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες Jos. BJ 6, 5. 3. πυλωροί AJ 7, 14. 7. θυρωροί ib. 11, 5. 1), qui unâ cum sacerdotibus die noctuque excubias in templo alternis agebant (II Rg 12, 10. II Chr 23, 4). Etiam sacram pecuniam colligere debebant (II Rg 22. 4) [3]. *Quattuor milia* Levitarum erant *cantores* et *musici* (מְשֹׁרְרִים) I Chr 9, 33; 15, 16. Neh 12, 28 ss; 13, 5. ψαλτῳδοί Sir 47, 9; 50, 18. ἱεροψάλται Jos. AJ 11, 5. 1; 12, 3. 3. ὑμνῳδοί ib. 20, 9. 6. κιθαρισταὶ καὶ ὑμνῳδοί BJ 2, 15. 4), qui sub David a tribus rectoribus (Heman, Asaph, Ethan) regebantur (I Chr 15, 17: 25, 1) [4].

Quae classes exceptâ classe secundâ in viginti quattuor ordines, quorum quisque per hebdomadem integram munere suo fungebatur, divisae erant (Jos. AJ 7, 14. 7. cf. I Chr 9, 25; 25, 9—31; 26, 1—19). Omnes ordines et classes *praefectis* suis (qui נְגִידִים II Chr 31, 12. פְּקִידִים ib. 31, 13. Neh 11, 22. שָׂרִים I Chr 15, 5—12. II Chr 35, 9. רָאשִׁים I Chr 9, 33 s; 15, 12; 23, 24; 24, 6. 31. Neh 12, 22 s. vocantur) parebant.

[1] Qui *Levitae* κατ' ἐξοχήν dicti esse videntur (cf. Esr 7, 24. Neh 7, 1. 73; 12, 46; 13, 10). III Esr 1, 3 ἱερόδουλοι vocantur.

[2] Quam ob causam non Hierosolymis tantum, sed etiam per urbes Levitae praecipui erant senatus assessores. De qua re infra dicemus.

[3] Ianitorum praefectus erat sacerdos insignis, plerumque ex familia pontificis, qui *praefectus templi* vocabatur (אִישׁ הַר הַבַּיִת *vir montis templi* M. Middoth 1, 2. προστάτης τοῦ ἱεροῦ II Mcc 3, 4. στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ Act 4, 1; 5, 24. simpliciter στρατηγός ib. 5, 26. Jos. AJ 20, 6. 2; 20, 9. 3.

B J 6, 5. 3). Quem sacerdotem eundem esse verisimile est, qui סָגָן sive סְגָן, Aram. סְגַן nominatur, dignitate pontifici proximus.

[4] Cf. J. Köberle, Die Tempelsänger im alten Testament. Ein Versuch zur israelitischen und jüdischen Kultusgeschichte. Erlangen 1899.

Adnotatio. — Ex exsilio Babylonio cum Serubbabel in patriam redierunt 74 Levitae, 128 cantores, 138 ianitores (Esr 2, 40—42., secundum Neh 7, 45 s. autem 148 cantores, 138 ianitores), numerus sat exiguus, si consideres eo tempore 4289 sacerdotes redisse (Esr 2, 36—39). Postea cum Esra unâ cum aliis iter in Judaeam instituens comites numeraret, ne unus quidem Levita inter eos inventus est (Esr 8, 15) et nuntio misso adhortationeque facta solum 38 Levitae ad reditum se accinxerunt (ib. v. 18 s.).

3) Levitae ab anno tricesimo (Nm 4, 3. 23. 30. 35. 39. 43. 47)[1], aetate David regis ab anno vicesimo (I Chr 23, 3 [ubi עֶשְׂרִים legendum est]. 24), item ab anno vicesimo temporibus Hiskia (II Chr 31, 17) et post exsilium (Esr 3, 8. cf. Jos. A J 11, 4. 2) ad ministerium sacrum admissi sunt. Expleto anno quinquagesimo Levitae a gravioribus laboribus exempti ad opera magis honorifica adhibebantur (Nm 8, 25 s.)[2].

[1] Secundum locum Nm 8, 24 Levitae ab anno vicesimo quinto ad ministerium sacrum admissi sunt. Graeci quidem Alexandrini, ne Moses a se dissentire videretur, etiam Nm 4, 3 ss. posuerunt ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν. Sed cum codex Samaritanus et omnes interpretes antiqui cum codice masorethico consentiant, dubium vix est, quin Graeci Alexandrini ad arbitrium annorum numerum mutarent. Quare nonnulli existimant Levitas viginti quinque annos natos ad faciliora quidem ministeria admissos, sed non ante tricesimum annum ad portandum adhibitos esse, quod sarcinarum deportatio aetatis firmae ac robustae esset. Quae explicatio eo commendatur, quod rex David I Chr 23, 24—26 Levitas iam a viginti annis obligavit, ut opera ministerii domus Jahvae facerent, cum diceret neque iis iam grave ministerium tabernaculi foederis cum omnibus vasis eius portandi praestandum esse et magnificentiorem cultum divinum maioris numeri Levitarum indigere. Aliis autem vero propius videtur Levitas a vicesimo quinto aetatis anno per quinquennium didicisse, quae Levitarum essent ministeria, atque post id ad ipsa ministeria admissos esse.

[2] Etiam Josephus A J 7, 14. 7 memoriae prodit David Levitas ἕως πεντήκοντα numerasse. Cf. adnotationem R. Bartenorae ad M. Chullin 1, 6 et Babyl. Chullin 24[a].

II. Levitis ad varia ministeria in tabernaculo foederis et postea in templo servi quidam additi sunt, non solum ii, qui aliquo suo aut parentum aut dominorum voto tali servitio addicebantur, sed etiam incolae urbium Gibeon, Kefira, Beeroth, Kirjath-Jearim, qui ad humiliora sacrarii ministeria, velut ad aquas et ligna ad sacrificia comportanda[1].

a Josua in perpetuum mancipati sunt (Jos 9, 21. 23. 27)[2]. Quorum multis a Saul occisis (II Sm 21, 1 s.) David alios e devotis gentibus electos in eorum locum suffecit (Esr 8, 20)[3]. Partim Hierosolymis (et quidem in ea urbis parte, quae Ophel appellabatur, Neh 3, 26; 11, 21), partim in urbibus sacerdotum et Levitarum (Esr 2, 70. Neh 7, 73) habitasse dicuntur. A Josepho AJ 11, 5. 1 ἱερόδουλοι vocantur.

In litteris Hebraicis posteriorum temporum חונים *servi* commemorantur, qui humiliora ministeria in templo conficerent. Philo (De sacerd. honor. opp. II, 236) purgationem templi νεωκόρων i. e. aedituorum esse dicit. Ad complura negotia etiam adulescentes filii sacerdotum (פרחי כהנה) adhibebantur.

[1] Lignatores et aquatores humillimos populi fuisse ex verbis, quibus Moses Dt 29, 9 s. usus est, ubi a summis ad infimos ordine decurrens hos facit lignatores et aquatores, apparet.

[2] Memoratu dignum est post templum exstructum Gibeonitarum nullam amplius fieri mentionem, haud dubie ideo, quod permixta servorum sacrarii turba eam appellationem non amplius admittebat.

Nonnulli interpretes inde, quod Josua 9, 27 Gibeonitas lignatores et aquatores *dedisse* (וַיִּתְּנֵם) i. e. constituisse dicitur, colligunt, qui Esr 2, 43. 58. 70; 7, 7; 8, 17. 20. Neh 3, 26. 31; 7, 46. 60. 73; 10, 29; 11, 3. 21. I Chr 9, 2 נְתִינִים = *donati*, *traditi*, LXX Ναθιναῖοι, Vulg. *Nathinaei* vocantur, progeniem Gibeonitarum fuisse.

Quod autem Josua loco allato Gibeonitas servos לָעֵדָה *coetui* constituisse dicitur, non ita intellegendum est eos Hebraeis in domibus vel in aliis rebus privatis servisse, sed in totius populi commodum humilioribus in sacrario ministeriis functos esse. Nam cum quae ad sacrificia ceterasque sacrarii res spectabant, ad universum populum pertinerent, qui servorum loco eius modi negotia exsequebantur, eos iure universo populo servire dici potest.

[3] Bello captos ad eius modi servitia deo traditos esse etiam Ps 68, 19 significari videtur.

III. Ex locis Ex 38, 8. I Sm 2, 22. Lc 2, 37 apparet apud sacrarium Hebraeorum etiam feminas quasdam (virgines et viduas) habitasse atque ad servitium sacrum adhibitas esse.

Quarum feminarum fuisse צָבְאוּ פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *ministrare ad ostium tabernaculi conventus* Ex 38, 8 et I Sm 2, 22 dicitur. Verbum צבא non simpliciter *agminatim convenire* valet, sed per vices advenire ad ministeria obeunda, quod ex locis Nm 4, 23. 35. 39. 43; 8, 24 apparet, ubi de Levitis in tabernaculo sacro ministeria obeuntibus usurpatur, qui aeque ac milites certum ordinem et tempus observare debebant. Neque vero eo verbo significatur certas operas ad curam illarum feminarum pertinuisse; neque quidquam tale de iis vel in lege Mosaica vel in historia memoriae

proditur. Veteres Hebraei ministerium illarum feminarum divinas quasdam res intellexerunt, quas in sacrario facere debebant. Id Onkelos demonstrat, qui Ex 38, 8 pro ministerio *orare* reddit: נְשָׁיָא דְּאָתָין לְצַלָּאָה *mulieres, quae veniebant, ut orarent.* Expressit igitur sensum, qui hîc ei subesse videbatur, et צבא hoc significatu sumpsit: turmatim, instar צבא *exercitus,* cultus divini causâ. Eius praecipua pars est oratio; hinc eius mentionem facere voluit. Idem apparet ex interpretatione Graecorum Alexandrinorum, qui Ex 38, 26 (8) pro oratione *ieiunium* substituerunt, alteram cultus divini speciem: τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν, *ieiunantium, quae ieiunabant.* Legerunt igitur הַצָּמוֹת pro הַצָּבָאת. Summi autem momenti ad ministerium illarum feminarum recte intellegendum est locus Lc 2, 37., ubi de Anna prophetissa dicitur: οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. Qui locus quod ad Ex 38, 8 spectat, eo magis est mirum, si interpretationem Onkelos et Graecorum Alexandrinorum cum eo comparamus. Quod si respicimus, etiam locum I Tim 5, 5 ad feminas in sacrario servientes pertinere reperimus, ubi legimus: Ἡ δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας, quibus verbis ponitur illas feminas ministerio suo non manibus, sed animis functas esse.

E. A. C. Riehm (Handwörterbuch des biblischen Altertums[2] 462[b]) verisimile esse putat feminas, quarum Ex 38, 8 et I Sm 2, 22 mentio fit, uxores et filias Levitarum in sacrario fungentium fuisse et dies festos cantibus, choreis, tympanorum sonitu celebrasse (cf. Ex 15, 20. Jdc 11, 34. I Sm 18, 6. Jer 31, 4. Ps 68, 26), cum verbum Hebraicum צבא significet eas certis temporibus agmine composito ad tabernaculum sacrum venisse, et cum eo tantum tempore commemorentur, quo Levitae nondum ad ministerium cantorum et musicorum adhibebantur. At opinio etiam feminas tribus Levi in ministerio tabernaculi foederis fuisse propterea improbanda est, quod in sacris litteris earum nulla fit mentio.

Th. Engert (Ehe- und Familienrecht der Hebräer 11) contendit in pristino cultu Hebraeorum etiam mulieres sacerdotes fuisse et auctores eius sententiae F. Hommel (Aufsätze und Abhandlungen I, 30 s.), D. Nielsen (Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 192), A. Jeremias (Das AT im Lichte des AO[2] 279) attulit. A. Eberharter (Th Q XCIV, 1912, 183—190) id diligentissime exquisivit et demonstravit documenta a Th. Engert prolata minime sufficere, imprimis autem eos locos veteris testamenti, quibus illa sententia confirmari videtur (Ex 38, 8. I Sm 2, 22) nullam vim probationis habere. Nam verbum צבא, quo Ex 38, 8 ministeria mulierum apud sacrarium habitantium significantur, nullo sacrarum litterarum loco ad munera sacerdotalia significanda adhiberi; mulieres autem, quae I Sm 2, 22 memorantur, eadem ministeria exsequi atque eae, de quibus Ex 38, 8 agitur.

Quod institutum feminarum apud sacrarium commorantium nonnulli (ut E. W. Hengstenberg, Die Bücher Mose's und Aegypten 194—199) nihil aliud fuisse putarunt nisi imitationem moris Aegyptiorum, apud quos in omni fere urbe omnique templo multae erant feminae,

quae diis serviebant, imprimis cantrices (A. Erman, Die ägyptische Religion 74 s.), atque virgines quaedam nobiles, imprimis stirpis regiae, deorum cultui sacrari solebant, a quo nomen „sponsarum divinarum“ acceperunt (J. Rosellini, I monumenti dell' Egitto e della Nubia I, 1, 234). Cuius rei auctorem afferunt Herodotum, qui Hist. 2, 54. 56 de duabus mulieribus mentionem facit, quas a Phoenicibus ex Thebis raptas et quarum unam in Libyam, alteram in Graeciam venisse sacerdotes Jovis tradunt. Praeterea idem rerum scriptor 1, 181 s. memoriae prodit Babylone in templo Bêl neminem pernoctare nisi mulierem, quam ex omnibus mulieribus deus ipse eligat, atque etiam Thebis in templo Jovis mulierem dormire, neutri vero licere cum ullo viro consuescere. Item 1, 182 tradit Pataris, urbe Lyciae, antistam cum deo in templo tempore nocturno inclusam esse. A Diodoro Siculo, Bibl. hist. 1, 47 αἱ παλλακίδες τοῦ Διός i. e. Hammonis commemorantur. Strabo, Rer. geogr. 17, 1 tradit Aegyptios Hammoni, quem maxime colant, virginem praeter ceteras pulchram et nobilem consecrare; eam quibuscunque viris velit, iis uti, dum menstrua habere coeperit; quo facto in matrimonium collocari, ante autem nuptias de ea palam lugeri. Denique pulcherrimas nobilissimasque virgines Hammoni dicatas esse monumenta quoque in Aegypto inventa testantur (J. Rosellini, op. all. I, 1, 217).

Memoratu dignum est etiam Sabaeos, id quod eorum inscriptionibus in Harîm inventis demonstratur, servam deo ut hierodulam sacrare consuesse. Velut Abî-šapaḳa a sacerdote deo (deae?) Motâb-natijân, quem (quam) Midianitae colebant, dicatur (F. Hommel, Grundriß der Geographie und Geschichte des alten Orients 143). Atque J. H. Mordtmann (Die himjarischen Inschriften von Kharibet-Seʿoûd. ZDMG LII, 1898, 397) inscriptiones Sabaeorum affert, ubi serva (servus quoque) deae D̲ât Ḥimaj dicatur.

At ille gentilium (imprimis Aegyptiorum et Babyloniorum) mos cum feminis in sacrario Hebraeorum servientibus minime cohaeret. Nam primum apud Aegyptios et Babylonios semper una virgo deo dicata erat, quae se non sua sponte deo sacraverat, sed a deo ipso electa (τὴν ἂν ὁ θεὸς ἕληται ἐκ παστέων Herod. 1, 181) et in templo inclusa erat. Deinde etsi concedas, quae Herodotus (1, 182) tradit, duas illas feminas (Babylone et Thebis) cum nullo viro consuevisse, vera esse, Strabonem autem, quod (loco allato) illam virginem Hammoni dicatam quibuscumque viris voluerit, iis usam esse dicit, verba Diodori Siculi (loco allato): αἱ παλλακίδες τοῦ Διός non recte intellexisse, tamen illae (Aegyptiorum et Babyloniorum) feminae imprimis noctu in templo commorabantur. Herodotus enim (1, 181 s.) tradit in templo Bêl singulis noctibus unam virginem versari et Thebis Aegyptiis eundem esse usum; nam ibi quo-

que in templo dei unam feminam dormire (κοιμᾶται). Eadem consuetudo Pataris observabatur, ubi femina electa singulis noctibus (τὰς νύκτας) in templo cum deo inclusa erat. Denique illae feminae in templis dormientes ad oracula pertinebant. Pataris quidem virgo negotia dei oracula edentis procurabat; qua de causa πρόμαντις τοῦ θεοῦ appellabatur (Herod. 1, 182) et in templo tunc inclusa erat, cum oracula dabantur. Item virgines Thebis a Phoenicibus raptae et in Graeciam Libyamque deportatae in Graecia et Libya oracula edidisse videntur (Herod. 2, 54. 56).

Conferas P. Scholz, Die heiligen Altertümer des Volkes Israel I, 37 s.

Caput secundum

De officiis sacerdotum

Sacerdotibus propior accessus ad Jahvae in sanctissimo thronum concedebatur (Ex 19, 22: „sacerdotes, qui accedunt ad Jahven"). Quare Lev 10, 3 sacerdotes a Jahve appellantur קְרֹבַי *propinqui mei* i. e. qui ministrandi causâ propius ad me accedunt, et Ez 42, 13 vocantur אֲשֶׁר־קְרֹבִים לַיהוָה *qui sunt propinqui Jahvae.* Conferas etiam Nm 16, 5. Ez 44, 13. Idem nomen כֹּהֵן indicat, a radice כָּהֵן = כּוּן *stetit* coram deo (cf. formulam loquendi עָמַד לִפְנֵי יְהוָה Dt 10, 8; 18, 7 et ἑστηκώς Hebr 10, 11), Pi'el כִּהֵן *sacerdotem egit, sacerdotio functus est* Ex 31, 10. Dt 10, 6. plerumque addito לַיהוָה Ex 28, 41; 40, 13. Hos 4, 6.

Ex nonnullorum opinione כֹּהֵן idem est quod Arabicum *kâhin* i. e. vates. J. Köberle (RE³ XVI, 32) originationem nominis כֹּהֵן omnino incertam esse contendit.

Vocabuli *bârû* (a *barû* = vidit), quod Babylonii ad significandum sacerdotem fatidicum usurpabant, in sacris litteris nullum exstat vestigium. P. Haupt tamen (JBL 1900, 57) locis Jes 44, 25 et Jer 50, 36 בָּדִים pro בַּדִּים legendum esse censet.

I. Munus sacerdotum (quod in libris divinis עֲבֹדָה Nm 18, 7. I Chr 9, 13; 24, 3. שֹׁמֶרֶת אֶת־יְהוָה Dt 17, 12 vocatur) erat triplex:

Atque primum quidem *in atrio* sacerdotes sacrificium perpetuum cum mincha offerre debebant (Ex 29, 38—43. Nm 28, 3—8); ignem sacrum, qui primum sacrificium ab Aaron oblatum consumpserat (Lv 9. 24), servare (ib. 6, 5 s.): victimarum sanguinem spargere (ib. 1, 5. 11. 15; 3, 2. 8. 13; 4, 5 s. 16 s. 25. 30. 34; 5, 9; 7, 2. 14; 9, 9. 12. 18; 17, 6. II Chr 29, 22. 24; 30, 16); partes certas sacrificiorum cruen-

torum coram Jahve agitare (Lv 7, 30. 34; 9, 21; 10, 14 s; 14, 12. 24; 23, 20. Nm 6, 20), item nonnulla ferta (Lv 23, 11 s. 17. 20. Nm 5, 25); carnem atque omnes sacrificiorum partes altari imponere et incendere (Lv 1, 7—9. 12 s. 15—17; 2, 2. 8 s. 16; 3, 3—5. 9—11. 16; 4, 10. 19. 26. 31. 35; 5, 10. 12; 6, 9; 7, 5. 31; 14, 20; 17, 6); interdum victimas totius populi nomine oblata immolare (II Chr 29, 22. 24); post sacrificium perpetuum (mane) populo benedicere (Lv 9, 22. Nm 6, 23—26. I Chr 23, 13. Sir 45, 15).

Benedictionis formula Aaron eiusque filiis i. e. sacerdotibus demandata est haec (Nm 6, 24—26): „*Benedicat* (i. e. benefaciat) *tibi Jahve et custodiat te* (i. e. malum a te arceat). *Faciat lucere Jahve faciem suam super te* (i. e. hilari vultu te adspiciat, tibi propitius sit) *et misereatur tui. Attollat Jahve faciem suam ad te* (i. e. convertat ad te faciem, faveat tibi, benevolum et benignum se tibi praestet) *et det tibi pacem*". Qua formula ex nonnullorum patrum antiquiorum opinione mysterium sanctissimae trinitatis ac futurae redemptionis significatur, quod populo cottidie meditandum exhibetur. Ter nomen Jahvae invocatur: v. 24 a deo tamquam fonte et origine omnis benedictionis et salutis imploratur benedictio et auxilium; v. 25 a deo hominibus sese revelante, qui „illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum" (Jo 1, 9), lux et miseratio; v. 26 a deo sese ita manifestante, ut intercedente gratiâ suâ hominibus salutem tribuat pacemque aeternam concedat, pax et gratia. Cui benedictioni, quam sacerdos vel ante altare vel ante portam sanctuarii recitabat, deus benedictionem suam se adiuncturum promisit (Nm 6, 27).

Deinde *in sanctuario* sacerdotes panes propositionis singulis sabbatis (auctore Josepho A J 3, 10. 7: τῷ σαββάτῳ πρωΐ) amotis veteribus mensae aureae imponere debebant. veteres autem in loco sancto comedere (Lv 24, 5—9); bis cottidie, mane et vespere, in altari thymiamata cremare (Ex 30, 7 s. I Chr 6, 49. II Chr 26, 18); infuso selectissimo olivae oleo lucernas candelabri aurei concinnare (Ex 27. 21; 30, 7 s. Lv 24, 2—4. Nm 8, 2 s.).

Denique *extra sacrarium* sacerdotes leprosos inspicere et diiudicare debebant (Lv 13, 2 ss. cf. Mt 8, 4. Lc 5, 14); puerperas (Lv 12, 6 s.), leprosos (ib. 14, 2 ss.), seminifluos et menstruatas (ib. 15, 14 s. 29 s.) expiare sive mundare; vota naziraeatus discernere (Nm 6, 9 ss.); de causis divortii et aemulationis iudicare (ib. 5, 12 ss.); tubas sacras inflare (ib. 10, 2—10; 31, 6. Esr 3, 10. Neh 12, 34. 40. I Chr 15, 24; 16, 6. II Chr 5, 12; 7, 6; 13, 12. 14; 29, 27. Sir 50, 16. I Mcc 16, 8)[1]; de iure sacro respondere (II Chr 19, 8—10. cf. Nm 27, 2 ss; 31, 12 ss; 32, 2. Dt 17, 9; 19, 17; 21, 5. Jos 17, 4. Ez 44, 24); unâ cum Levitis excubias templi agere (II Rg 12, 10. II Chr 23, 4. M. Tamid 1, 1. Middoth 1, 1); postremo, quaecumque cum cultu divino quodam modo coniuncta erant, ea peragere iisve adesse (cf. Nm 18, 7)[2].

Cum igitur tot officia sacerdotibus incumberent iique soli propius ad Jahven accederent, auctoritate plurimum valebant. Quod ex eo ipso apparet, quod semper unâ cum prophetis et principibus populi commemorantur (II Rg 23, 2. Jes 28, 7. Jer 2, 8. 26; 4, 9. al. Mich 3, 11. Zeph 3, 4).

[1] Nm 10, 2 de duabus tubis sacris agitur, quia tum duo sacerdotes simplices erant. Postea crescente numero sacerdotum numerus quoque tubarum augebatur. Praeterea etiam tubae non sacrae erant, quibus sonus tubis sacris editus exceptus esse videtur, quippe cum duae tubae ad tot homines evocandos non sufficerent. Unum autem tubis sacris efficiebatur, quod tubis profanis non efficiebatur, ut Israelitae Jahvae in memoriam revocarentur.

[2] Eo loco, quo in vetere testamento de sacerdotibus instituendis agitur, non commemoratur et illud eorum muneris esse multitudinem erudire. At iam Lv 10, 9—11 Jahve Aaron eiusque filios a vino et omnibus potibus, quibus ebrii fieri possent, quotienscumque in tabernaculo munere suo fungerentur, abstinere iussit, ut inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum discernere et filios Israel omnia sua praecepta, quae eis ore Mosis nuntiavisset, docere possent. Quare dubium non est, quin sacerdotum veteris testamenti fuerit munere magistrorum fungi. Pro qua re et alii loci librorum Mosis afferri possunt, si respicimus in republica Hebraeorum etiam civiles leges religionem prae se habuisse; velut Lv cc. 13—14; 15, 31. Dt 20, 2—4; 24, 8; 27, 9 s; 31, 9—13. Item historia Hebraeorum testatur sacerdotes semper magistros populi existimatos esse et ob id magna auctoritate floruisse. Falsa est opinio, cum prophetae exsistebant, sacerdotum munus docendi abolitum fuisse. Ex nullo loco veteris testamenti effici potest prophetas sacerdotum munus docendi vel non agnovisse vel impugnasse. Nihilo magis demonstrari potest sacerdotes munus docendi sibi arrogasse. — Qua de re videas A. Eberharter, Der Kanon des alten Testaments zur Zeit des Ben Sira (Atl Abh III, 3) 57—77.

II. Ne servitium sacrum interrumperetur, sacerdotes secundum familias (בֵּית אָבוֹת) suas in viginti quattuor classes (מַחְלְקוֹת, מִשְׁמָרוֹת, ἐφημερίαι, κλῆροι, φυλακαί LXX et Lc 1, 5. 8. πατριαί, ἐφημερίδες Jos. A J 7, 14. 7. Vit. § 1) [1], avitis familiarum nominibus insignitas (sedecim e familia Eleazar, octo e familia Ithamar) divisi erant (I Chr 24, 3—19) [2]. Singulae classes per hebdomadem officiis sacris in templo fungebantur (II Rg 11, 9. II Chr 23, 4 ss. Jos. A J 7, 14. 7. cf. Lc 1, 23: ἡμέραι λειτουργίας). Sors ordinem classis (I Chr 24, 7 ss.) et officia ab unoquoque sacerdote peragenda designabat. Atque prima sorte is designabatur, qui altare holocaustorum purgaret; secunda tredecim sacerdotes, quorum erat holocaustum cottidianum facere atque candelabrum aureum et altare suffitus purgare; tertia is, qui suffitum adoleret [3]; quarta is, qui victimam holocausti ad altare duceret [4]. In maioribus autem festis plures classes simul praesto fuisse videntur.

[1] Josephus CAp 2, 8 „quattuor tribus sacerdotum“ commemorat. Procul dubio pro „quattuor“ legendum est „viginti quattuor“.

[2] Quidam putant octo classes sacerdotales a Mose institutas esse, quaternae in familia Eleazar et Ithamar. Velut Hieros. Taanith 67[d]: „Octo classes sacerdotales constituit Moses, quattuor ex Eleazaridis atque ex Ithamaridis totidem. Id quod obtinuit usque dum David et Salomo adicerent eis octo alias“. Maimonides, De vas. unct. c. 4: „Moses noster ille magister sacerdotes in octo distribuit curias“. Quod omnino falsum censendum est.

[3] Quo spectant verba Lucae 1, 9: κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τὸ θυμιᾶσαι.

[4] Cf. M. Joma 2, 2—4. Tamid 1, 2; 3, 1. 5 s. 9; 5, 2 ss; 6, 1 ss.

Suus cuique classi praeerat princeps. Atque *praefecti ordinum sacerdotalium* appellantur שָׂרֵי־קֹדֶשׁ (Jes 43, 28. I Chr 24, 5), שָׂרֵי־הַכֹּהֲנִים (Esr 8, 24. 29; 10, 5. II Chr 36, 14). שָׂרֵי־הָאֱלֹהִים (I Chr 24, 5) nec non etiam רָאשִׁים לְבֵית־אָבוֹת (I Chr 24, 4), רָאשֵׁי הָאָבוֹת (Neh 12, 12. I Chr 24, 6. cf. Neh 11, 13; 12, 7). Illos שרים autem unum idemque esse quod ראשי אבות imprimis ex I Chr 15, 4—12 cognoscitur, ubi de praefectis classium Levitarum utrumque vocabulum eodem sensu usurpatur. A Graecis Alexandrinis vocantur ἄρχοντες τῶν ἱερέων (Neh 12, 7), ἄρχοντες τῶν πατριῶν (ib. v. 12. 22), ἄρχοντες τῶν ἁγίων et ἄρχοντες κυρίου (I Chr 24, 5), ἄρχοντες τῶν πατριῶν τῶν ἱερέων (ib. v. 6), sed numquam ἀρχιερεῖς, quod nomen LXX interpretes soli pontifici tribuunt.

Viginti quinque viros, qui ab Ezechiel 8, 16 memorantur, nonnulli capita viginti quattuor classium sacerdotalium unā cum pontifice esse existimant.

Divisio sacerdotum in viginti quattuor classes a David condita (I Chr 24, 3—19), a Salomo inducta (ib. 28, 13. II Chr 8, 14) ab Hiskia et Josia instaurata est (II Chr 31, 2; 35, 2—5). Cum e captivitate Babylonia non plus quattuor familiae sacerdotales (Jedaja, Harim, Paschhur, Immer) in patriam revertissent (Esr 2, 36—39 = Neh 7, 39—42), eaedem rursus in viginti quattuor classes distributae et priscis nominibus insignitae sunt (Hieros. Taanith 68[a]. Babyl. Arachin 12[b]. cf. J. Lightfoot, Hor. Hebr. ad Lc 1, 5. Neh 13, 30). Ceterum non omnes classes sacerdotales pari erant auctoritate. Neque enim dubium est, quin eae, ex quibus summi sacerdotes vel alii viri dignitate praediti proficiscebantur, auctoritate quoque praestabant. Quare credibile est, quod Josephus (Vit. § 1) affirmat magnum aliquid esse ex prima de viginti quattuor classibus originem ducere, i. e. ex classe Jojarib, unde pontifices et principes Hasmonaei profecti erant.

Josephus AJ 7, 14. 7 divisione viginti quattuor classium sacerdotalium, quam David fecerat, memoratâ, διέμεινεν, inquit, οὗτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας. Quare etiam I Mcc 2, 1 ; 14, 29 classis Ἰωαρίβ (Ἰαρίβ) et Lc 1, 5 ἐφημερία Ἀβιά memorantur, quin tamen ex Babylonia redisse legantur,

III. Dignitate pontifici סְגָן proximus erat. Quem pontificis vice functum esse sine dubio falso putatur. Verisimile est eum nihil aliud fuisse nisi στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ sive *summum ducem custodiae templi*, cuius et in novo testamento (Act 4, 1; 5, 24. 26) et a Josepho (AJ 20, 6. 2; 20, 9. 3. BJ 6, 5. 3) mentio fit. Etiam סְגָנִים vel στρατηγοί saepius commemorantur (Jer 51, 23. 28. 57. Ez 23, 6. 12. 23. Lc 22, 4. 52), qui et ipsi *duces custodiae templi* intellegendi sunt, sed ita ut summo στρατηγῷ inferiores sint.

A talmudistis praeter principes classium sacerdotalium memorantur

1) tres גזברין (M. Schekalim 5, 2) *thesaurarii* sive thesaurorum sacrorum custodes (γαζοφύλακες Jos. AJ 15, 11. 4; 18, 4. 3; 20, 8. 11. BJ 6, 8. 3), quorum erat non modo nummos, sed omnes possessiones templi administrare. Talis thesauro templi praefectus etiam Jer 35, 4 commemorari videtur.

2) septem אמרכלין (M. Schekalim 5, 2). Quod vocabulum est originis Persicae et *rationarium* (Rechnungsbeamter) significat. Conferas etiam vocabulum Armenicum *hamarakar* = custos pecuniarum. אמרכלין cum plerumque unâ cum גזברין nominentur, et ipsos custodes thesauri templi fuisse existimare possumus. Etiam in Targum Jonathanis (velut II Rg 12, 10; 22, 4) vocabulum אמרכלין positum est pro שֹׁמְרֵי הַסַּף *custodes liminis*, qui sacerdotes thesauro praefecti intellegendi sunt.

3) duo קתוליקין = καθολικοί (Hieros. Schekalim 49a), qui quo munere functi sint, reperiri non potest. In Mischna nulla eorum fit mentio.

4) quindecim ממונין *magistratus* (M. Schekalim 5, 1), qui non semper e sacerdotibus, sed nonnumquam etiam e Levitis eligebantur et certa quaedam officia exsequebantur.

Enumerantur: 1) ממונה על זמנים *praefectus temporum*, cuius monitu unusquisque in templo se ad opus suum accingebat. — 2) מ׳ על שערים *praefectus ianuarum*, cuius mandato ianitores portas templi mane reserabant, vespere claudebant. Idem sacerdotibus praecipiebat, ut, cum portae aperiebantur, bucinis canerent. — 3) מ׳ על השומרים *praefectus vigilum*, quorum erat in templo vigilias agere. — 4) מ׳ על המשוררים *praefectus cantorum*, qui cantores eligebat, qui hoc illove die munere suo fungerentur. — 5) מ׳ על הצלצל *praefectus cymbali* et ceterorum instrumentorum musi-

corum, qui cantores a praefecto, quem modo memoravimus, electos super suggestu cantorum suo ordine collocabat et instrumenta musica recte disponebat. — 6) מ' על הפייסות *praefectus sortium*, qui quater in die sortes inter sacerdotes proiciebat ad officia sacerdotalia inter eos distribuenda. — 7) מ' על הקינים *praefectus avium*, qui turtures et pullos columbarum vendebat. Quod munus aetate Christi ad foedissimum quaestum descendit, ut ex Mt 21, 12. Mc 11, 15 apparet. — 8) מ' על החותמות *praefectus tesserarum*, qui pro vino, oleo, eius modi rebus ab iis, qui vel libamina vel sacrificia offerre debebant, pecuniam accipiebat eaque accepta tesseram dabat, quae ad praefectum libaminum deferretur. — 9) מ' על הנסכים *praefectus libaminum*, qui tesseras a praefecto tesserarum erogatas accipiebat et pro iis vinum, similam, oleum dabat. — 10) מ' על חולי מעיים *praefectus aegrotorum*, imprimis eorum, qui doloribus viscerum torquebantur, quod nudis pedibus incedebant, carne vescebantur, aquam bibebant. — 11) מ' על המים *praefectus aquarum*, qui cisternas faciendas atque aquas per canales in urbem ducendas curabat, ut iis, qui ad festa maiora Hierosolyma confluebant, satis aquae suppeteret. — 12) מ' על מעשה לחם הפנים *praefectus pistorum panum propositionis*. Qui panes ab ephemeria, quae tum maxime ministrabat, conficiebantur, cum confectio duorum panum pentecostalium ad omnes ephemerias spectaret. — 13) מ' על מעשה הקטרת *praefectus artificum operis suffitus*. — 14) מ' על הפרכת *praefectus veli* templi i. e. praefectus artificiorum nendi, fila duplicandi, colore tingendi et texendi, vela acu pingendi. — 15) מ' על מעשה בגדי כהונה *praefectus operis vestimentorum sacerdotalium*, cuius praecepto varia sacerdotum vestimenta texebantur et conficiebantur.

Caput tertium

De officiis pontificis

Pontificis officia praeter ea, quae cum aliis sacerdotibus communia habebat, erant haec:

Primum debebat semel quotannis, die sollemnis expiationis, sanctissimum intrare et publicam expiationem sacrarii totiusque populi ab omnibus peccatis et immunditiis toto anno contractis instituere (Lv c. 16. Hebr 9, 7. 25).

Si pontifex cottidie sacris operari, velut suffitum adolere, victimas in altari offerre volebat, id facere poterat. Sed plerumque, imprimis temporibus templi secundi, pontifices tantum diebus festis muneribus illis fungebantur. Josepho teste (BJ 5, 5. 7) summus sacerdos sabbatis, festis novae lunae et anniversariis sacra facere solebat. Etiam principes et reges Hasmonaei re vera sacerdotio fungebantur, velut Joannes Hyrcanus (Jos. AJ 13, 10. 3) et Alexander Jannaeus (ib. 13, 13. 5). Iis sacris, quae summus sacerdos ut vicarius populi eiusque nomine faciebat, id sacrum incruentum, quod per singulos dies facere debebat (Lv 6, 12—16), permutandum non est.

Deinde in rebus dubiis et negotiis maioris momenti Jahven consulere et ab eo responsum accipere. Atque complures summi sacerdotes eo munere functi esse diserte perbibentur. Velut Pinhas, nepos Aaron, ante arcam foederis constitisse dicitur, ut Jahven consuleret (Jdc 20, 27 s.). Propheta quidam pontificem Eli admonuit deum domum patris eius elegisse, ut ephod coram ipso gereret (I Sm 2, 27 s.). Ahija, Jahvae sacerdos in Silo, ephod amictus pro rege Saul Jahven consuluit (ib. 14, 3. 18 s.). Idem Ahimelech pro David fecit (ib. 22, 10. 13). David per ephod, quod Abjathar manibus Saul elapsus secum abstulerat, Jahvae voluntatem exquisivit (ib. 22, 20; 23, 6. 9—12). Eam autem consultationem Jahvae, quae per ephod fiebat, eandem esse, quae aliter per Urim et Tummim fieri dicitur, ex I Sm 28, 6 apparet: „Consuluit (Saul) Jahven et non respondit ei Jahve neque per somnia neque per Urim (בָּאוּרִים) neque per prophetas".

Sunt qui summum sacerdotem etiam doctorem infallibilem fuisse existiment. Quod non apud pontificem, sed apud prophetas invenitur. De qua re videas R. Cornely, Introd. hist. et crit. in UT libr. sacr. II, 2, 271—274.

Denique cultum divinum et custodiam thesauri sacri curare (II Rg 22, 4. Sach 3, 7. II Mcc 3, 9 ss.) atque res sacras decidere (II Chr 19, 11. cf. Dt 17, 8 ss.). Tempore posteriore pontifex summo quoque iudicio sive synedrio magno praesidere solebat. Saltem in iis consessibus, quorum in novo testamento (Mt 26, 3. 57. Act 5, 17. 21; 7, 1; 9, 1; 22, 5; 23, 2; 24, 1) et apud Josephum (A J 14, 9. 3—5; 20, 9. 1) mentio fit, pontificem praefuisse vel potiores partes egisse patet. Etiam unctio regum plerumque a summo sacerdote peracta esse videtur (I Rg 1, 34. 39. 45. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11).

Itaque pontifices magna florebant auctoritate, ita ut ipsae regum filiae iis nubere non dubitarent (II Rg 11, 2. coll. c. II Chr 22, 11), quibusdam temporibus prorsus singulari, maxime autem eo tempore, quo iidem gentis principes erant. Philo (De virtutib. opp. II, 586) ἀρχιερωσύνην tantum praestare τῇ βασιλείᾳ contendit, quantum cura rerum divinarum curae rerum humanarum (cf. De vita Mosis l. 3. ib. 155) praestat.

Respiciendum tamen est imaginem summi sacerdotii, quam chronista praebet, ab ea, quam sacrae litterae antiquioris aetatis ostendunt, multum differre. Pontificem, qui in mediis Pentateuchi libris quasi caput columenque theocratiae apparet, in libris Chr eo honore destitutum et ad umbram pristinae auctoritatis reductum videmus. Postea quoque Esra et Nehemia omnibus locis primas partes agunt neque usquam summos sacerdotes eos aeque atque Aaron Mosen vel Eleazar ducem Josua adiuvantes conspicimus.

Quae auctoritatis imminutio paulatim non sine ipsorum summorum sacerdotum culpa evenit; nam in tertia visione Sacharia prophetae pontifex Josua prisco nimbo, ut ita dicam, nondum caret (3, 1—9; 6, 11—13). Contra in Chr is nimbus adeo expalluit, ut summum sacerdotem primum inter pares esse diceres. Nam qui in Pentateucho הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל nominatur, is in libris Chr, paucis locis exceptis (II Chr 34, 9. Neh 3, 1. 20; 13, 28), tantummodo הָרֹאשׁ (II Chr 24, 6) vel הַכֹּהֵן הָרֹאשׁ (ib. v. 11; 26, 20; 31, 10. Esr 7, 5) appellatur. Neque difficile est dictu, etiamsi ab ipsorum culpa oculos averteris, quae causae ad honorem pontificum deminuendum concurrerint. De quibus causis praecipua sine dubio haec erat, quod priore templo diruto summus sacerdos non amplius per Urim et Tummim Jahven consulere poterat (Esr 2, 63. Neh 7, 65). Imprimis ultimis reipublicae Judaeorum temporibus auctoritas summorum sacerdotum paene nulla erat, quippe cum non modo singulis fere annis contra divinum mandatum novi pontifices crearentur, sed etiam id munus in adulescentes hominesque rudes et imperitos conferretur, qui, ut Josephus BJ 4, 3. 8 memoriae prodit, prae rusticitate (δι' ἀγροικίαν) ne sciebant quidem, quid nomen pontificatus significaret (τί ποτ' ἦν ἀρχιερωσύνη).

Sectio quarta

Quae res ad munera sacerdotalia fungenda requisitae sint

I. Ut quis in numerum sacerdotum reciperetur, imprimis constare necesse erat eum legitime genitum esse, non solum ex conubio honesto et sacerdote digno, sed etiam ex familia sacerdotali, perpetuâ successione per filios aut filias heredes propagatâ. Ad id tabulae genealogicae diligenter et asservabantur et exquirebantur. Atque iam cum exsules primum ex Babylonia reverterunt, nonnullae familiae sacerdotales, cum stemmata ostendere non possent, a sacerdotio exclusae sunt (Esr 2, 61—63 = Neh 7, 63—65. Jos. AJ 11, 3. 10). Contra Josephus (Vit. § 1) affirmat se stemma suum in tabulis publicis scriptum reperisse: τὴν μὲν οὖν τοῦ γένους ἡμῶν διαδοχήν, ὡς ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις ἀναγεγραμμένην εὗρον, οὕτω παρατίθεμαι.

Sacerdotes a familia Aaron originem trahere veteris testamenti adeo est proprium, ut, cum id sacerdotio Christi, qui ex tribu Juda erat, sublatum est, universa lex sublata sit. Hebr 7, 12: Μετατιθεμένης γὰρ ἱερωσύνης ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. Itaque id ipsum aetatis messianae signum est, quod vel ex gentilibus sacerdotes et Levitae (ministri ecclesiae) sumuntur. Jes 66, 21: „Atque etiam ex iis (i. e. ex gentilibus) assumam, qui sacerdotes sint et Levitae, ait Jahve".

Posteri Mosis a sacerdotio excludebantur, quod non vere Hebraei erant. Itaque solum in Levitis numerati sunt (I Chr 23, 14. cf. Jdc

18, 30). Quae res et ipsa documento est falso dici Mosen non esse personam historicorum fide contestatam. Nam si ita esset, non intellegeretur, cur sacerdotium neque ei neque eius posteris attributum esset.

II. Deinde ad munera sacra peragenda necessarium erat sacerdotes nullo notabili corporis vitio (מוּם LXX μῶμος) deformes esse [1]. Atque ex lege Lv 21, 18—20 a ministerio sacro excludebantur: 1) עִוֵּר *caecus*; 2) פִּסֵּחַ *claudus*; 3) חָרֵם qui habebat *nasum depressum*, ut simiae; LXX vertunt κολοβόριν (pro κολοβόῤῥιν, quod vocabulum ex κολοβός et ῥίν sive ῥίς compositum est) *naso mutilum*; Vulg. *naso parvo* qui est; Onkelos et Syrus vocabulum Hebraicum retinent; 4) שָׂרוּעַ qui habebat *membrum aliquod nimis longum*; LXX ὠτότμητος, habens *aurem sectam*; Vulg. *vel grandi vel torto naso* qui est; 5) qui שֹׁבַר רָגֶל *fractum pedem* vel שֹׁבַר יָד *fractam manum* habet; 6) גִּבֵּן *gibbosus*; 7) דַּק qui tantae est gracilitatis, ut deformis sit, vel qui membrum aliquod nimis gracile habet; LXX ἔφηλος, quo vocabulo nonnulli eum vocari contendunt, cui vitium est faciei asperae ex inflammatione aut ardore solis proveniens. Alii autem nomine דַּק eum, qui oculorum vitio laborat, significari existimant, ut Onkelos: דּוּקָא *panniculus* sive *pellicula tenuis oculo adnata*; Vulg. *lippus*; 8) תִּבֹּלֶל בְּעֵינוֹ, Vulg. *albuginem habens in oculo*; Onkelos: חִילוֹ בְּעֵינֵיהּ *in cuius oculo* est *macula alba*; Graecus in Hexaplis: λεύκωμα. Cf. Tob 2, 9; 3, 17; 6, 8., ubi interpres Hebraicus Graecum λεύκωμα vocabulo תִּבֹּלֶל reddit. LXX πτίλλος τοὺς ὀφθαλμούς, *depalpebratus oculis*; item Syrus; 9) גָּרָב habens *scabiem*; 10) יַלֶּפֶת habens *impetiginem*; LXX λειχήν, *leprae* genus in Aegypto frequens; 11) מָרוֹחַ אָשֶׁךְ *contritus testiculis*; consentit Onkelos: מְרִיס פַּחֲרִין . Quam interpretationem plerique recentiorum secuti sunt. Alii *dilatatum testiculis* i. e. herniosum intellegunt, velut Vulgata, Saʿadja. Graeci Alexandrini, quos interpres Syrus sequitur: μόνορχις, *unum habens testiculum*. Graecus Venetus: τεθλασμένος τὸν ὄρχιν. Sed etiam sacerdotes, qui tali vitio corporis laborabant, ad communionem ciborum sacrorum et viliora ministeria admittebantur (Lv 21, 21—23) [2].

[1] Huius legis causas affert Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10: „Intentio legis erat inducere ad reverentiam divini cultus, et hoc dupliciter: uno modo *excludendo* a culto divino omne id, quod poterat esse contemptibile, alio modo *apponendo* ad cultum divinum omne illud, quod videbatur ad *honorificentiam* pertinere. Et si hoc quidem observabatur in tabernaculo et vasis eius et animalibus immolandis, multo magis hoc observandum erat in ipsis ministris. Et ideo ad removendum contemptum ministrorum praeceptum est, *ut non haberent maculam vel defectum corporalem,* quia huius modi homines solent apud alios in contemptu haberi... Ad hoc autem, quod in reverentia haberentur, adhibebatur eis specialis *ornatus vestium* et specialis *consecratio*".

Nonnulli existimant virum e familia Aaron vitio corporis affectum etiam ideo ad sacerdotium admissum non esse, ne vulgus, si sperneret sacerdotem, divinum quoque cultum a tali sacerdote administratum sperneret.

[2] A rabbinis centum quadraginta duo vitia corporis enumerantur, quibus sacerdotes a ministerio sacro excludebantur (cf. J. Selden, De successione in pontificatum Ebraeorum l. 2. c. 5). De Levitis aliquâ corporis maculâ affectis cf. adnotationem R. Bartenorae ad M. Chullin 1, 6.

Sacerdotes, qui vitium corporis habebant, ab eo appellari soliti sunt. Velut inter maiores Josephi Σίμων ὁ ψελλός et Ματθίας ὁ κυρτός inveniuntur (Jos. Vit. § 1). Inter summos sacerdotes יוסף בן אילם commemoratur (cf. Jos. AJ 17, 6. 4).

III. Praeterea requirebatur, ut ministri sacri puriores essent in conubiis. Neque igitur sacerdotes repudiatam vel meretricem vel ullam feminam suspectae pudicitiae ducere poterant (Lv 21, 7). Quibus Judaeorum magistri repudiatam a leviro (M. Sota 4, 1; 8, 3. Makkoth 3, 1) et Josephus (AJ 3, 12. 2. CAp 1, 7. cf. AJ 13, 10. 5) eam, quae serva fuerat aut bello capta vel cauponariam exercuerat, adiungunt. Viduas ducere sacerdotibus ex lege Levitica licebat (cf. etiam Jos. AJ 3, 12. 2. Phil. De sacerdot. opp. II, 229), sed secundum Ez 44, 22 iis viduae sacerdotum tantummodo concedebantur, quod eae, quae ministris sacris nuptae fuerant, ceteris sanctimoniae et puritatis observantiores credebantur [1]. Quodsi quis sacerdos uxorem sibi interdictam duxerat, a ministerio sacro arcebatur, dum eam libello repudii dato dimisisset (cf. Neh 13, 28). Pontifex insuper neque viduam neque alienigenam, sed tantum virginem Hebraicam ducere poterat (Lv 21, 13—15. cf. Jos. l. c. Phil. l. c. 228 s.), ut opinio illa deum cum una ecclesia immaculata artissimo vinculo esse coniunctum per adspectabilem dei in terra vicarium acrius exprimeretur [2].

[1] Ceterum secundae nuptiae tunc feminae honori non esse iudicabantur (cf. Lc 2, 36 s, I Cor 7, 8).

[2] Quare pontifex etiam lege de ducenda fratris uxore, quae fratri sine liberis demortuo superstes erat (Dt 25, 5—10), non tenebatur (M. Sanhedrin 2, 1).

Utrum pontifex uxorem ducere debuerit *de genere suo* sive sacerdotali, id quod Philo (De sacerdot. opp. II, 229) affirmat, pendet ex sententia, quae verbis Lv 21, 13 subiecta est; nam eum locum aliter legunt Graeci Alexandrini (οὗτος γυναῖκα παρθένον ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ λήψεται), aliter textus masorethicus (וְהוּא אִשָּׁה בִּבְתוּלֶיהָ יִקָּח) et versiones orientales cum vulgata editione Latina.

Quod quidam existimant pontifici non licuisse uxorem *extra tribum Leviticam* ducere, id probabile non videtur. Certe aliis omnibus permissum erat, ut extra tribum suam matrimonia inirent, si ea excipias, quibus

hereditas ad aliam tribum transferretur (Nm 36, 6—8); pontifices autem hoc iure communi caruisse nusquam legitur.

Josephus AJ 3, 12. 2 negat pontificem facultatem uxoris repudiandae habuisse et talmudistae contendunt ei non licuisse alteram uxorem ducere. Sed haec ex lege Mosaica non constant.

IV. Dum sacerdotes munere sacro fungebantur, iis cum ab uxoribus (quia concubitus, etiam legitimus, utramque partem usque ad vesperam immundam reddebat Lv 15, 16—58. Jos. CAp 2, 24), tum a vino omnique potu, qui temulentum faceret (Lv 10, 9. Ez 44, 21), abstinendum erat. Cuius praecepti quattuor rationes affert Philo (De sacerdot. opp. II, 227): τεττάρων ἕνεκα τῶν ἀναγκαιοτάτων, ὄκνου καὶ λήθης καὶ ὕπνου καὶ ἀφροσύνης.

Etiam in Aegypto sacerdotes Heliopolitani prorsus a vino abstinebant, alii autem sacerdotes, cum sacris officiis maioris momenti fungerentur (Plut. De Is. et Os. § 6. Porphyr. De abstin. 3, 6). Quae abstinentia apud omnes gentes eo spectabat, ut sacerdotes propter sanctitatem muneris artamque cum deo necessitudinem se a vinolentia et crapula contineant.

V. Praeterea ministros sacros ut cultui dei vivi mancipatos a contaminatione mortuorum singularem in modum se removere decebat. Atque sacerdotes quidem patris et matris, filii et filiae, fratris et sororis (i. e. virginis, quae in domo paterna vivebat)[1] funera curare poterant (Lv 21, 1—4. Ez 44, 25)[2]. Interdictum autem erat, ne quis e sacerdotali ordine in suorum funeribus more gentilium[3] immoderati luctus signa (caput et barbam radere, carnem incidere) ederet (Lv 21, 5. Ez 44, 20), id quod etiam laici vetiti erant (Lv 19, 28. Dt 14, 1). Pontifici autem, qui, quoniam totus deo dicatus et sacer erat, ab omnibus carnis et sanguinis desideriis alienissimus esse debebat, in luctu non modo ea omnia, quae Lv 21, 1—5 minores sacerdotes vetiti erant, facere non licebat, sed praeterea alia quaedam, quae ib. v. 10—12 enumerantur: caput non solum non radere, sed ne detegere quidem, ut caesariem pulvere aspergeret, quod plerumque in luctu fieri solebat; non solum carnem non incidere, sed ne vestimenta quidem scindere ei licebat; ad nullum cadaver, ne parentum quidem, accedere nullique funeri, quamvis officium pietatis maximum videretur, pontifex interesse poterat.

[1] Funeri sororis, quae in domo paterna commorabatur, sacerdoti interesse licebat, quod ex nonnullorum opinione illius funus curare debuit.

Quod sacerdoti nullo modo permissum erat, ut funeri sororis viro nuptae interesset, eius rei ratio est, quod soror iure nuptiali in familiam viri cooptata erat neque domus paternae esse existimabatur.

[2] Omissa *uxor* interpretibus scrupulum affert. At in sacris litteris de solis consanguineis agitur. Ex Ez 24, 16—18 colligere licet insuetum fuisse uxoris mortem non lugere.

[3] Cf. Herod. Hist. 2, 36; 4, 71. Vergil. Aeneid. 4, 673; 12, 871. Cicer. De legibus 2, 23. Petron. Arbit. Satiric. c. 111. Appian. Punic. c. 46.

Adnotatio. — Sacerdotes imprimis funeribus pollui etiam aliarum gentium antiquarum (velut Aegyptiorum, Syrorum) opinio erat. Quo factum est, ut sacerdotes, qui se cadaveribus polluerant, per aliquot dies a templis arcerentur. Item apud gentiles quoque maxime cautum erat, ne pontifex mortuorum tactu aut funere se pollueret. Velut de flamine Diali A. Gellius Noct. Attic. 10, 15: „Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur, mortuum numquam attingit".

VI. Sacerdotes, qui avitâ religione reiectâ commenticiorum deorum cultum secuti erant, a ministerio templi arcebantur; sed ut cibis sacris vescerentur, eis permittebatur (II Rg 23, 9. M. Menachoth 13, 10). Ut iam supra diximus, secundum Ez 44, 10—14 sacerdotes, qui ad cultum peregrinum declinaverant, in ordinem Levitarum redigendi erant, ut essent aeditui, ianitores, ministri templi, ad victimas immolandas atque ad eos adiuvandos, qui sacra offerebant, parati.

Qua aetate pontificatus suscipi possit, lege non statuitur. Levitis quidem annus tricesimus usque ad quinquagesimum (Nm 4, 3. I Chr 23, 3) vel etiam annus vicesimus quintus (Nm 8, 24) statuitur, ut ministerio sacro fungantur. Quare nonnulli de pontifice eandem aetatem requisitam esse opinantur, cum alii anno, quo quis pubescit, i. e. anno tertio decimo maturrime pontificatum iniri potuisse dicant. Herodes pontificatum Aristobulo τῷ παιδί tradidit isque annos septemdecim natus vestitu pontificio indutus festo tabernaculorum sacras caerimonias peregit (Jos. AJ 15, 3. 1. 3). At id eo tempore erat, quo iam moris fuisse videtur, ut contra legem alius pontifex priore superstite constitueretur.

Verisimile est in sacerdotibus quoque certam aetatem requisitam fuisse, ante quam ministerio sacro fungi non poterant; sed quaenam ea fuerit, nusquam in litteris sacris commemoratur. Judaei tradunt sacerdotes ab anno aetatis vicesimo, neque prius quam de eorum habilitate inquisitum esset, ad sacra peragenda admissos esse (Babyl. Chullin 24[b]. Siphra in Bl. Ugolini Thes. XIV, 1419: „Et locutus est dominus ad Mosen dicens: Vir de semine suo in generationibus suis, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem dei tui. Dicit R. Elieser bar R. Jose: Ecce puer est illegitimus, quamvis sit perfectus. Quando eius ministerium erit legitimum? Quando eduxerit duos pilos. At fratres eius sacerdotes non admovebant ad ministerium, priusquam filius esset viginti annorum").

Sectio quinta

De vestimentis ministrorum sacrorum

Caput primum

De vestimentis Levitarum

Levitis lex Mosaica peculiare quoddam vestimentum non decrevit. *Ephod linteum* (אֵפוֹד בַּד), quo Samuel induebatur (I Sm 2, 18), non erat vestis Levitarum propria; nam etiam David ante arcam saltans tali ephod indutus erat (II Sm 6, 14. I Chr 15, 27) atque temporibus regis Saul omnes sacerdotes ephod gestasse videntur (I Sm 22, 18); immo ita vestimentum sacerdotum proprium erat, ut vel sacerdotes, qui cultum superstitiosum exercitabant, id gestarent (Jdc 8, 27; 17, 5; 18, 14. 17 s. 20). Loco I Chr 15, 27 Levitae, qui arcam foederis portabant, et cantores *amiculo byssino* (מְעִיל בּוּץ LXX στολὴ βυσσίνη) induti fuisse dicuntur atque II Chr 5, 12 Levitae *bysso induti* (מְלֻבָּשִׁים בּוּץ LXX ἐνδεδυμένοι στολὰς βυσσίνας) comparent. Conferas etiam Jos. AJ 8, 3. 8., ubi Salomo στολῶν τοῖς ὑμνφδοῖς τῶν Λευϊτῶν ἐκ βύσσου μυριάδας εἴκοσι dedisse dicitur. Loco III Esr 7, 9 sacerdotes et Levitae ἐστολισμένοι, *stolis amicti* appellantur. Regnante in Judaea Herode Agrippa II Levitae petitâ impetratâque a principe facultate *tunicam linteam* (λινῆν στολήν), sacerdotali non omnino dissimilem, assumpserunt (Jos. AJ 20, 9. 6).

Ephod illud linteum in lege Mosaica, cum non accuratius describatur, notum ponitur. Ex variis vocabulis, quae de eo induendo usurpantur (I Sm 2, 18. II Sm 6, 14: Samuel et David ephod accincti erant; Lv 8, 8: ephod cingulo adstringitur; LXX loco Ex 28, 31 vertunt ποδήρης) colligi potest ephod vestimentum fuisse longius, corpus tegens, de coxis descendens. Verisimile igitur est ephod nihil aliud fuisse nisi *lumbare*, vestem hominum primorum, quae pudori nascenti attribuitur (Gn 3, 7. cf. Jer 13, 1 ss.), eandemque antiquissimam vestem Aegyptiorum et Arabum, apud quos lumbare etiam posterioribus temporibus vestitus sacer erat, quo indutus sacerdos deo appropinquabat. Nam vestitus obsoletus haud raro apud varias gentes loco sacri vestitus conservatus est i. e. loco vestitus, qui religionis causâ induitur. Cogites de *'iḥrâm* sive vestitu sacro, qui a Mohammedanis in urbe Mekka gestatur.

Imagines variorum generum lumbaris, quae in monumentis Aegyptiis inveniuntur, videas apud H. Weiss, Kostümkunde. I. Die Völker des Ostens (1860) 38. Fig. 26 a-e. Ceterum cf. E. Sellin, Das israelitische Ephod (Or St 699—717). J. Döller, Davids Tanz vor Jahve (Zk Th XXIX, 1905, 576—579).

Caput secundum

De vestimentis sacerdotum

Descriptio vestitus sacerdotalis Ex 28, 40. 42 paucis verbis absolvitur. Ex 39, 25—28 perpauca adduntur. Plura ex more vestiendi illorum temporum pro notis ponuntur. Quae Josephus AJ 3, 7. 1—3 dicit, fortasse ex parte recentiora sunt. Ceterum cf. J. Braun, De vestibus sacerdotum Hebraeorum libri duo. Amstelodami 1701.

I. Vestimenta sacerdotalia numerantur quattuor:

1) *Femoralia* (מִכְנָסַיִם LXX περισκελῆ, Vulg. *feminalia*) lintea, a renibus usque ad femora descendentia, „ut honestas decorque servetur, ne scilicet adscendentes altaris gradus et in ministerio discurrentes revelent turpitudinem“ (Hieronymus, Comm. in Ez c. 44. MSL 25, 437). Quare a Philone (De sacerdot. opp. II, 225) περίζωμα εἰς αἰδοίων σκέπην et a Josepho (AJ 3, 7. 1) διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα appellantur.

2) *Tunica* (כְּתֹנֶת LXX χιτών) lintea, corpori proxime adhaerens, manicata, a collo usque ad talos pertingens. Erat opus textoris (מַעֲשֵׂה אֹרֵג), de quo usurpatur verbum שָׁבַץ (Ex 28, 39. cf. v. 4: כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ = μασσαβαζάνης, al. lect. μασσαβάνης Jos. AJ 3, 7. 2., i. e. vestis, quae intextas habet figuras quadratas instar tesellarum pavimentorum, sed ita ut figurae illae planae et aequales sint, cum filis in textura neque partes depressae neque eminentes formentur).

3) *Balteus* (אַבְנֵט XXX ζώνη), signum dignitatis et potestatis sacerdotalis, e bysso varii coloris confectus (מַעֲשֵׂה רֹקֵם), saepius corpus ambiebat et in pectore ita nodabatur, ut extremae partes usque ad talos dependerent, quas sacerdotes functionibus sacris occupati, ne impedirentur, super umerum sinistrum retorquebant.

4) Tiara sive mitra (מִגְבָּעָה, etiam פְּאֵר Ez 24, 17., in plur. פְּאֵרֵי הַמִּגְבָּעֹת Ex 39, 28 et פְּאֵרֵי פִשְׁתִּים Ez 44, 18. LXX κίδαρις) i. e. fascia byssina, saepius in orbem replicata et consuta, non cacuminata, sed rotunda (πῖλος ἄκωνος Jos. AJ 3, 7, 3), ut ea capitis tegimenta, quae Turcae et Persae etiam nunc gestare solent (Turban, Tülbend). Differt a מִצְנֶפֶת, mitra summi sacerdotis. At non liquet, quo modo duo haec capitis tegimenta diversa fuerint. Josephus AJ 3, 7. 6 מגבעה a מצנפת ad formam quod attinet non distinguit, sed tantum hyacinthino involucro, quo tiara pontificis ornata erat. Quare etiam eius nomen μασναεφθῆς (al. lect. μασναεμφθῆς) tiarae vulgarium sacerdotum tribuit (3, 7. 3).

Formam tegimenti capitis metae similem etiam apud sacerdotes aliarum gentium invenimus. Velut apud Romanos pontifices et flamines „ad ostendendam sacerdotii eminentiam“ (Serv. ad Vergil. Aeneid. 8, 664) tutulum i. e. „pileum lanatum metae figura, in altitudinem forma metali exstructum“ (id. ad Aeneid. 2, 683. Varro, Ling. lat. 7, 44) et Salii πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδές (Dionys. Hal. Arch. Rom. 2, 70) gestabant.

Hoc *vestitu sacro* (בִּגְדֵי־קֹדֶשׁ) sacerdotes et pontifex extra locum sacrum uti non debebant, etiamsi rebus ad ipsum sacrarium pertinentibus occupati erant (cf. Ex 28, 4. 43. Jos. BJ 3, 5. 7: τὴν γὰρ ἱερὰν ἐσθῆτα ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος)[1]. Atque Ez 42, 14; 44, 19 diserte praecipitur, ut sacerdotes ministerio peracto ad populum exituri vestimenta sacra in sacrario deponant et profanis utantur[2]. Itaque mirum non est Paulum apostolum in synedrio pontificem non cognovisse (Act 23, 5) neque Kaiaphas vestimenta lacerans (Mt 26, 65. Mc 14, 63) ornatum pontificalem scindisse censendus est[3].

[1] Cf. M. Tamid 1, 1: „Unusquisque invenum sacerdotum (qui excubias agebant) habebat tegimentum suum in terra, non dormiebant in vestibus sanctis, sed illas exeuntes duplicatas supponebant capitibus suis et tegimentis propriis se tegebant“.

[2] Femoralia, licet a deo praescripta sint, non erant vestimentum sacrum. Moses Aaron eiusque filios femoralibus non induit (cf. Lv 8, 7. 13) neque sacerdotes iis etiam in vita privata uti vetiti erant.

[3] De numero vestimentorum sacerdotalium, quae in conclavibus templo adnexis asservabantur (II Rg 22, 14 cf. N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige 322), dicit Josephus AJ 8, 3. 8; 15, 11. 2. — Vestimentis tritis et laceris ad conficienda ellychnia lychnorum (cum in sanctuario tum in atriis templi) utebantur (Babyl. Schabbath 21[a]. 79[b]).

Sacerdotes Hebraeorum *nudis pedibus* sacra fecisse inde colligi potest, quod in vestimentorum sacrorum descriptione nulla calceorum occurrit mentio[1]. Atque *nudis pedibus esse* symbolum erat reverentiae locis cultui divino dicatis debitae (cf. Ex 3, 5. Jos 5, 15. Act 7, 33)[2].

[1] Theodoretus, Qu. 7. in Ex. MSG 80, 232: Γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι ποσὶ ἐν τῇ σκηνῇ τὰς λειτουργίας ἐπετέλουν καὶ τὰς θυσίας. Cf. M. Berachoth 9, 5.

[2] Quod sacerdotes Hebraici nudis pedibus munere fungebantur, nonnulli ad morem apud multas gentes antiquas usitatum corporis, cum sacra fiant, nudandi revocandum esse putant. De qua re conferas J. Döller in BZ V, 1907, 352—358.

Ceterum apud alias quoque gentes antiquas moris erat, ut omnes nudis pedibus templa ingrederentur et sacris adessent. Velut Pythagoras discipulis praecepit: Θύειν χρὴ ἀνυπόδητον καὶ πρὸς ἱερὰ προσιέναι. Et

iterum: Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει (Jamblichus, De vit. Pythag. 89. 105). Templum Dianae Cretensis nemo ingrediebatur nisi pedibus intectis (Solinus, Polyhist. 11). Virgines Vestales Romae nudis pedibus sacra faciebant (Florus, Epitom. rer. Rom. 1, 13). Germanorum quoque sacerdotes γυμνόποδας fuisse tradit Strabo, Rer. geogr. 7, 1. Huc etiam sacra nudipedalia spectant, festum apud Graecos, Romanos, alias gentes receptum, quo ad deorum opem obtinendam nudis pedibus incedere oportebat (Tertullian. Apologet. c. 40. De ieiuniis c. 16. MSL 1, 487; 2, 976. Ad rem cf. Petron. Arbit. Satiric. c. 44. Sil. Ital. Punic. 3, 28). Atque etiam nunc apud orientis populos nudi pedes ad religionem pertinent et reverentiam erga numen divinum significant.

II. Totus cultus externus ordinatur eo consilio, ut homines ad dei reverentiam inducantur, et quia ea minus reverentur, quae communia neque a ceteris distincta sunt, pro divino cultu propria vestimenta provideri oportuit [1].

Alicuius momenti iam id ipsum est, quod vestis sacerdotum ex *quattuor* (vestis summi sacerdotis ex bis quaternis) partibus constabat. Numerus enim quaternarius ut numerus caeli regionum et quattuor finium terrae dicitur numerus mundi, procreationis dei, et cum is mundus optime compositus sit, ordinem, pulchritudinem, perfectionem significat.

Sacerdotibus officia sacra tractantibus vestimenta *lintea* praescripta erant. Nam quod laneum erat, minus purum existimabatur quam quod linteum atque ab animali, unde vellus, ex quo tegimenta lanea texuntur, detonsum est, aliquid immundi habere videbatur. Ex nonnullorum opinione Moses fortasse etiam ideo lintea vestimenta praescripsit, quod facillime purgarentur a sanguine, quo in sacris faciendis haud raro maculabantur.

Color *albus*, qui in vestimentis sacris praevalebat, non solum gloriam et honorem dignitatis sacerdotalis, sed etiam puritatem morumque integritatem ministrorum sacrorum significat. Angeli quoque, qui sacerdotum instar munere internuntii inter deum et homines funguntur, vestimentis linteis sive candidis induti apparent (Ez 9, 2. 11; 10, 2. 6 s. Dn 10, 5; 12, 6 s. II Mcc 11, 8. Mt 28, 3. Mc 16, 5. Jo 20, 12. Act 1, 10; 10, 30. Apc 15, 6) et sponsae agni datum est, ἵνα περιβάληται βύσσινον λαμπρὸν καθαρόν. τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων ἐστί (Apc 19, 8) i. e. fides et bona opera ex fide confecta, quibus dei gratiâ iustificati sunt sancti (cf. Apc 3, 4 s; 7, 14 s.). Atque in transfiguratione Christi vestimenta eius describuntur splendida (Mt 17, 2. Lc 9, 29). Praeterea ecclesia quoque colorem album ut symbolum integritatis moralis indicat; nam per sacerdotem, cum baptizato vestem candidam porrigit, dicit: „Accipe vestem candidam, quam im-

maculatam perferas ante tribunal domini“ et sacerdotem, cum tunicam linteam induit, orare iubet: „Dealba me, domine, et munda cor meum“. Denique teste Koh 9, 7 s. coloribus splendidis laetitia exprimitur; qui tristis est, קֹדֵר i. e. niger, colore obscuro vel sordido appellatur (Ps 35, 14; 38, 7; 42, 10. al.).

Quae cum ita sint, universa vestis sacerdotalis non solum numero vestimentorum, sed etiam eorum materia et colore dignitatem et sanctitatem sacerdotalem significare dicitur [2].

[1] Ex testimonio librorum divinorum vestimenta, quibus induti sacerdotes sacra facere debebant, iis לְכָבוֹד וּלְתִפְאֶרֶת *ornatus et decoris causâ* data sunt (Ex 28, 2. 40). Idem dicit Theodoretus, Qu. 60. in Ex. MSG 80, 285: Τοῖς ἱερεῦσι δὲ παντοδαπὸν περιτέθεικε κόσμον· τὸν μὲν λαὸν καταπλήττοντα τῷ διαφόρῳ τοῦ σχήματος. Item Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10: „Ad hoc autem, quod in reverentia haberentur (sacerdotes), adhibebatur eis specialis ornatus vestium . . . et haec est in communi causa ornatus vestium“.

[2] Quod iam patres et scriptores ecclesiastici cognoverunt, velut Origenes (Hom. 6. in Lv. § 6. MSG 12, 473) et Gregorius Nyssenus (De vita Mosis. ib. 44, 320). Atque auctore Thoma S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10 „per ornamenta (sacerdotalia) designantur virtutes ministrorum dei. Sunt autem quattuor: *castitas*, quae significatur per femoralia; *puritas vitae*, quae significatur per lineam tunicam; *moderatio discretionis*, quae significatur per cingulum; *rectitudo intentionis*, quae significatur per tiaram protegentem caput“.

III. Ut sacerdotes Hebraeorum, ita etiam sacerdotes aliarum gentium antiquarum in sacris sollemnibus non aliis vestimentis nisi linteis vel byssinis utebantur, quod eius modi vestimenta religionis dignitati et puritati maxime consentanea existimabant. Atque imprimis Aegyptiorum sacerdotes linteati sacra procurasse dicuntur.

Velut Herodotus Hist. 2, 37 memoriae prodit Aegyptiorum sacerdotes propter corporis munditiam solis vestimentis linteis indutos fuisse neque eis licuisse aliis uti: Ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱερέες λινέην μούνην . . . ἄλλην δέ σφι ἐσθῆτα οὐκ ἔξεστι λαβέειν. Et Plinius Hist. nat. 19, 2, 3: „Vestes inde (ex gossypio) sacerdotibus Aegypti gratissimae“. Quare a Martiale (Epigr. 12, 29) *linigeri*, a Juvenale (Satir. 6, 533) *grex liniger*, ab Ovidio (Metam. 1, 747) *linigera turba*, a Seneca (De vita beata c. 27) *linteati senes* appellantur. Velut sacerdotes Isidis linteis vestiti sacra procurabant. Suetonius in vita Othonis c. 12 tradit eum „sacra Isidis saepe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse“. Et Silius Italicus Punic. 2, 23 s. Hammonis sacerdotes ita describit:

„Non discolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino“.

Sacerdotes quoque Osiridis veste lintea amicti ritus eius peragebant. Inde Lucanus Pharsal. 9, 158 s. Magnum loquentem inducit:

„Evolvam busto iam numen gentibus Isim,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim".

Quam ob rem sunt qui vestimenta sacerdotum Hebraicorum imitationem vestimentorum, quae sacerdotes Aegyptii induebant, fuisse affirment, cum non solum eorum *materia,* sed etiam *forma* eadem esset atque par. Ita imprimis J. Spencer (De legib. Hebr. ritualib. l. III. c. 5) et E. W. Hengstenberg (Die Bücher Mose's und Aegypten 149—154). Quae opinio etiam compluribus theologis recentioris aetatis, qui magnum habent nomen, non displicet.

1. Et שֵׁשׁ quidem, quod Hebraei ad sacerdotes induendos adhibebant (Ex 28, 5 s. 8. 15. 39; 39, 1 [om. Hebr.]. 2. 5 [om. Vulg.]. 8. 22 [om. Hebr.]. 27—29 [Vulg. 25—28]. Lv 6, 3 [Vulg. 10]. II Chr 5, 11 s.), nonnullos auctores Judaeos (M. Joma 3, 7. Abarbanel et Ibn ʿEsra ad Ex 25, 4) secuti linteum Aegyptium fuisse contendunt. Nam vocabulum שֵׁשׁ veterum Aegyptiorum vocabulo *šes* (Coptice *šens*) respondet. Articulo *pa* proposito formam *pa-šes* accipimus, a qua vocabulum *byssus* repetendum est.

a) At primum vestimenta sacra Hebraeorum propterea ex eius modi linteo conficiebantur, quod id summâ erat praestantiâ ideoque ad dignitatem sacerdotii Aaronitici exprimendam aptissimum, non quod Aegyptiorum sacerdotes in vestimentis ex illa materia confectis sacra procurabant.

b) Dein quod Aegyptiorum sacerdotibus lintea vestimenta praescripta erant, id cum eorum cognitionibus rerum divinarum artissime cohaeret, quae tamen cognitiones cum religione, qua Hebraei divinitus imbuti sunt, minime conveniunt. Licet igitur sacerdotes Aegyptiorum soli praeter Hebraeorum veste ex bysso facta usi sint (quod falsum est), tamen de mutuatione sermo esse non potest, quoniam utraque gens de religione prorsus inter se discrepat. Quod autem scriptoribus quibusdam allatis[1] dictum est Aegyptios propterea linteo ad vestem sacerdotum usos esse, quod et materiam pecudum ut animantium morti obnoxiorum respuissent et pecudes interficere nefas esse putassent[2], id non recte se habet. Nam quae illi scriptores tradunt, non ad veteres Aegyptios, sed posterioris aetatis pertinent. Veteres autem Aegyptii non solum carne variarum avium, sed etiam boum et vitulorum vescebantur (Herod. Hist. 2, 18. 37) et saepius in eorum monumentis conspicimus, quo modo eae pecudes mactentur. Sola sacra animalia inter-

ficere Aegyptii vetiti erant. Immo vero ea erat causa, cur sacerdotes Aegyptii linteam vestem gestarent, quod complures deos, quos colebant, praecipue Isim et Osirim, linteatos esse putabant (Plut. De Is. et Os. §§ 51 s. 78); quare Isis simpliciter „linigera“ (Ovid. Art. amat. 1, 77. Ex Ponto epist. 1, 1, 51) et vestis ex linteo confecta „propria vestis Osiridis“ (Tertullian. De corona c. 8. MSL 2, 88) et Ὀσίριδος ἐπὶ τῷ σώματι περιβολή (Suidas, Lex. I, 2, 873. s. v. Ἡραΐσκος) appellatur. Isis quoque Aegyptiis lini usum demonstrasse credita est.

[1] Plutarchus, De Is. et Os. § 4: φορεῖν δὲ τὰ λινᾶ διὰ τὴν χρόαν, ἣν τὸ λῖνον ἀνθοῦν ἀνίησι τῇ περιεχούσῃ τὸν κόσμον αἰθερίῳ χαροπότητι προσεοικυῖαν. ἡ δ' ἀληθὴς αἰτία μία πάντων ἐστί· καθαροῦ γὰρ (ἧ φησὶν ὁ Πλάτων) οὐ θεμιτὸν ἅπτεσθαι μὴ καθαρῷ . . . τὸ δὲ λῖνον φύεται μὲν ἐξ ἀθανάτου τῆς γῆς, καὶ καρπὸν ἐδώδιμον ἀναδίδωσι, λιτὴν δὲ παρέχει καὶ καθαρὰν ἐσθῆτα, καὶ τῷ σκέποντι μὴ βαρύνουσαν, εὐάρμοστον δὲ πρὸς πᾶσαν ὥραν. ἥκιστα δὲ φθειροποιόν, ὡς λέγουσι. Appuleius, De magia oratio § 69: „Etiamne cuiquam mirum videri potest, cui sit ulla memoria religionis, hominem tot mysteriis deûm conscium, quaedam sacrorum crepundia domi asservare atque ea lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum? Quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, iam inde Orphei et Pythagorae scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui et amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur“. — Quod Neopythagoraei vestem linteam laneae praeferebant, exemplum Pythagorae secuti, qui veste ex materia animalium confecta uti nolebat, id certe ex imitatione moris Aegyptii explicandum est. Cf. Philostrat. Vit. Apoll. Tyan. 1, 8. 32; 8, 5.

[2] Velut C. Ch. W. Bähr (Symbolik II, 90) dicit Aegyptios propterea bysso ad vestimenta sacerdotalia conficienda usos esse, quod ex immortali terra gignatur, cum materiam ab animantibus praebitam propterea respuerint, quod animantium morti obnoxiorum sit et quod animantia necare nefas esse sibi persuaserint.

c) Tum vestitum sacrum Hebraeorum non vestitus sacerdotalis Aegyptiorum imitandi causâ ex linteo factum esse inde quoque appareat, quod non solum sacerdotes, sed omnes Aegyptii tunica lintea eaque manicata utebantur, quam vestem semper lautam esse oportebat (Herod. Hist. 2, 37. Plut. De Is. et Os. § 4. Plin. Hist. nat. 19, 2, 3).

Non solum sacerdotes, sed etiam alios Aegyptios linteis vestimentis usos esse iam ex Gn 41, 42 apparet, ubi Pharao Joseph vestimentis byssinis induisse dicitur. De quo loco videas H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I, 238—242.

d) Praeterea non solum sacerdotes Aegyptiorum, sed etiam aliarum complurium gentium antiquarum in sacris sollemnibus non aliis

vestimentis nisi linteis induti officio suo fungebantur [1], quod eius modi vestimentis clara et pura natura deorum optime significaretur [2]. Tantum cum diis inferis sacra fiebant, sacerdotes atra vestimenta gestabant, id quod item ad atram terram spectabat, ut vestitus candidus ad lumen caeli ut deum cultum.

[1] Velut Lucianus (De Syria dea § 42) memoriae prodit Hierapoli (Bambyke) sacerdotes Syrios vestimentis candidis indutos esse: ἐσθὴς δὲ αὐτέοισι πᾶσι λευκή. Vestis quoque sacerdotis Babylonii, imprimis exorcistae *(âšipu)* lintea *(kitû)* erat; cum tamen in caerimoniis expiationis versatur, rubra veste indutus est (H. Zimmern KAT³ 591).

[2] Certum est vestem candidam non solum apud Aegyptios, sed etiam apud alias gentes antiquas ob candorem deorum propriam et naturae divinae maxime consentaneam esse habitam. Velut Plato, De legibus l. 12 scribit: Χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ· βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν, ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κορμήματα. Cicero De legibus 2, 18: „Color albus praecipue decorus est tum in ceteris tum maxime in textili. Tincta vero absint nisi a bellicis insignibus". Plutarchus Quaest. Rom. § 26: Μόνον χρῶμα λευκὸν εἰλικρινὲς καὶ ἀμιγὲς καὶ ἀμιαντόν ἐστιν. Ovidius Metam. 10, 431—433:

„Festa piae Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatae corpora veste
Primitias frugum dant, spicea serta, suarum".

Et Fast. 3, 363 s:

„Caput niveo velatus amictu
Iam bene dis notas sustulit ille manus"

Lucanus Pharsal. 10, 175:

„Linigerum placidis compellat Achorea dictis".

Appuleius Metam. l. 11: „Tunc influunt turbae sacris divinis initiatae, viri feminaeque omnis dignitatis et omnis aetatis, linteae vestis candore puro luminosi". Servius ad verba Vergilii Eclog. 5, 56: „Candidus insuetum miratur limen Olympi" notat: „Candidus i. e. deus, ut contra mortuos nigros dicimus". Etiam dies felix sive dies a diis benedictus „albus dies" appellabatur. Cum autem sacerdotes cum diis familiari quodam modo vivere putarentur, eos muneribus suis fungentes veste albi coloris deorum proprii uti oportebat, neque enim ullo alio tam clare eorum officium significabatur. Deinde cum ex omnibus pannis linteum, si impurum factum est, facillime purgetur, sacerdotes, qui deo puro servientes imprimis omnem impuritatem vitare debebant, vestimentis ex bysso utebantur. Quod igitur Mosaica quoque religio sacerdotibus vestem albam et linteam praescripsit, ita significabatur eos ut sacerdotes ceterarum gentium antiquitatis propius deum contingere vel puros esse, simul autem eos et ipsos sanctos esse et intercedere, ut ceteri sancti fierent, quoniam eorum erat et Israel Jahvae beneficio sanctificare et efficere, ut Israel Jahven pie sancteque coleret.

e) Denique quod reliquum est, sic velim existimes byssum quoque minime telam Aegyptiorum propriam fuisse. Velut Herodotus Hist. 2, 105 de Colchicis tradit: Αἰγυπτίοισι προσφερέες εἰσί. λίνον μοῦνοι οὗτοί τε καὶ Αἰγύπτιοι ἐργάζονται κατὰ ταὐτά . . . λίνον δὲ τὸ μὲν Κολχικὸν ὑπὸ Ἑλλήνων Σαρδονικὸν κέκληται, τὸ μέντοι ἀπ' Αἰγύπτου ἀπικνεύμενον καλέεται Αἰγύπτιον. Idem 5, 12 auctor est etiam apud Paeonas fabricationem lintei haud incognitam fuisse (κλώθουσαν λίνον).

2. Opinio vestitum sacrum Hebraeorum imitationem vestitus sacerdotalis Aegyptiorum fuisse tum demum probabilis esset, si singulae utriusque vestitus partes aequales fuissent. Sed sacerdotum in Aegyptiorum monumentis imaginibus, quae recentiore aetate inventae sunt, rem non ita esse abunde demonstratur. Atque hîc imprimis imago illa conferenda est, ubi exemplum institutorum cultus Mosaici inveniri putatur, navis cum arca sacra, quam sacerdotes perticis portant, in templo vici Karnak, qui a Thebis in parte ad orientem spectante situs est.

a) Atque sacerdotes *antiqui regni* singulari veste insigniti non erant. Item summi sacerdotes Memphidis et Heliopoleos eodem erant habitu quo ceteri Aegyptii. Nonnulli ex iis munere suo fungentes insigne quoddam gestabant, alii autem etiam in hac actione consuetam vestem servabant. Sed iam in *medio regno* is sacerdos, qui cum Chnemhôtep nomarchus sepeliretur, inferias fecit, subligaculo lumborum indutus fuit. Neque in *novo regno* quisquam sacerdos amiculum vel duplicem vestem gestabat, sed omnes subligaculo lumborum, quod modo angustum et breve, modo latum et longum erat, utebantur. Partes corporis superiores et bracchia nudata videntur. Nonnulli etiam pannulo oblongo superiorem partem corporis ornabant; alii subligaculum lumborum lata veste tegebant, quae ab umeris usque ad talos pertinebat; alii rursus totum corpus amictu sinuoso induebant. Cingula, qualia sacerdotes Hebraeorum ferebant, ignota erant.

b) Ornatus sacerdotum Aegyptiorum proprius erat focale lapidibus pretiosis et margaritis distinctum, inter quae parva deorum simulacra aliaque symbola posita erant, et quod collum, superiorem partem tergi, pectoris, umeros tegebat [1], atque integra leopardi pellis (cum capite et cauda), quae amiculi instar gestabatur et praestantissimum dignitatis sacerdotalis insigne fuisse videtur [2], cum in imaginibus iudicii mortuorum et alibi etiam ante Osirim ut signum dignitatis sacerdotalis eius pellis leopardi suspensa conspiciatur [3].

[1] Summus sacerdos Memphidis ut insigne muneris sui sub domo regia duodevicesima et undevicesima idem focale gestabat, quod iam sub

quarta. Videas imaginem pontificis Seker-cha'-bau apud A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 403.

[2] Cf. J. G. Wilkinson-S. Birch, The manners and customs of the ancient Egyptians I, 279. A. Erman, Die aegyptische Religion 74.

[3] Summi sacerdotes pellem leopardi stellis ornatam gestabant. Velut Amen'anen, qui sub rege Amenḥôtep III summus sacerdos Heliopoleos fuit (A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 402).

c) Hebraeorum sacerdotes pedibus nudis sacra faciebant. Aegyptiorum ὑποδήματα βύβλινα sibi alligabant, οὐκ ἔξεστι λαβέειν ὑποδήματα ἄλλα (Herod. Hist. 2, 37). Quare falsissime nonnulli ab Aegyptiis receptum esse volunt, quod sacerdotes Hebraici pedibus nudis incederent, quoniam certissimum est ipsos sacerdotes Aegyptios non pedibus nudis incessisse.

Solus Silius Italicus Punic. 3, 28 memoriae prodit Aegyptiorum quoque sacerdotes pedibus intectis sacra procuravisse:

„Pes nudus tonsaeque comae castumque cubile".

d) Neque ullum tiarae vestigium, quae apud Hebraeos in usu erat, apud Aegyptios reperiri potest. Apud quos tegimentum capitis, si habebant, humillimum erat et super cervices dependebat, ut ei nulla similitudo cum tiara sacerdotis Hebraici sit. Praeterea sacerdotes Aegyptiorum comam alere vetiti erant. In monumentis calvi apparent (J. Rosellini, I monumenti dell' Egitto e della Nubia I, 2, 486 ss.). Herodotus Hist. 2, 36 memoriae prodit: Οἱ ἱρέες τῶν θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρεῦνται[1]. Atque ne sub divo quidem caput adversus ardores solis tutabantur neque in conviviis galerum habebant, sed cutem capitis ungebant, ut ceteri convivae crines. Capilli autem sacerdotum Hebraeorum si non promissi, saltem non rasi erant (Lv 21, 5. Ez 44, 20[2]). In nonnullis imaginibus sacerdotes Aegyptii fascias quoque circa nuda bracchia gestant (Description de l'Égypte I, pl. 11. II, pl. 9. 83. III, pl. 34. 36), id quod apud sacerdotes Mosaicos numquam reperitur[3].

[1] Cf. Plut. De Is. et Os. § 4. Sil. Ital. Punic. 3, 28. Quare etiam breviter *calvi* (Martial. Epigr. 12, 29) et *grex calvus* (Juvenal. Satir. 6, 533) appellabantur.

[2] Sed posteriore demum tempore sacerdotes Aepyptii comam alere vetiti erant. In antiquo regno sacerdotes et laici capillorum habitu inter se non differebant, sed omnes crines eodem modo ornabant.

[3] Ceterum si totam „Description de l'Égypte" perquiras, nusquam ullum vestimentum reperies, quod cum ornatu sacerdotum Mosaicorum compares, nedum exemplum eius esse iudices.

Caput tertium

De vestimentis pontificis

I. Pontificis praeter vestitum sacerdotalem ordinarium (talmud. בגדי לבן), quo indutus die propitiationis in sanctissimum ingrediebatur (Lv 16, 4. 23 s.), alia vestis eaque magnificentissima (talmud. בגדי זהב) propria erat, quam super vestimenta sacerdotalia induebat. Qui duplex pontificis vestitus eum tamquam summum sacerdotem et internuntium populi theocratici coram Jahve significat.

Ornatus pontificalis, qui Ex 28, 4–39; 39, 1—30. Lv 8, 7—9. Jos. AJ 3. 7. 4—6 describitur, ex quattuor partibus constabat, quae erant:

1) *Tunica* (מְעִיל LXX ποδήρης), ex bysso hyacinthini coloris (כְּלִיל תְּכֵלֶת) contexta (מַעֲשֵׂה אֹרֵג), sine manicis, usque ad genua descendens [1], undique clausa, nulla habens foramina nisi id, per quod caput protenderetur, et ea, per quae bracchia exsererentur. In ora inferiore tunica ornata erat malis Punicis ex triplici colore (coccineo, purpureo, hyacinthino: verisimiliter albo quoque, cf. LXX Ex 28, 29) acu pictis (non ex auro confectis, ut Philo, De vita Mosis l. 3. opp. II, 151. De sacerdot. ib. 226 dicit: χρυσοῖς ῥοΐσκοις) et alternis parvis tintinnabulis aureis. Philo (locis allatis) adiungit flores (ἄνθινα) inter tintinnabula et mala Punica vicissim insertos, quorum tamen in litteris sacris nulla fit mentio. Numerum tintinnabulorum Moses silentio praeterit [2]. Ut Siracides 45, 9 indicat, eorum usus hic erat, ut populus prope atrium vel in illo congregatus de pontificis introitu in sacrarium admoneretur suasque preces cum precibus pontificis coniungeret: Ἐκύκλωσεν αὐτὸν (Aaron) . . . κώδωσι πλείστοις κυκλόθεν, ἠχῆσαι φωνὴν ἐν βήμασιν αὐτοῦ, ἀκουστὸν ποιῆσαι ἦχον ἐν ναῷ, εἰς μνημόσυνον υἱοῖς λαοῦ αὐτοῦ [3].

[1] Innixi auctoritate Josephi (AJ 3, 7. 4) et Philonis (De vita Mosis l. 3. opp. II, 153) alii tunicam usque ad talos defluxisse opinantur.

[2] Siracides 45, 9 πλείστους κώδωνας fuisse dicit. Rabbini septuaginta duo tintinnabula numerant. Consentiunt Hieronymus (Ep. 64. ad Fabiolam § 14. MSL 22, 615) et Isidorus Hispal. (Etymolog. 19, 21, 4. ib. 82, 684). Alii duodecim (Justinus, Dialog. c. Tryph. § 42. MSG 6, 565. Epiphanius, Haer. 1, 34, 17. ib. 41, 616. Protoevang. Jac. min. c. 8), alii quinquaginta (Prosper, Lib. de promiss. et praedict. dei II, 3. MSL 51, 771), alii trecenta sexaginta (Clemens Alex. Strom. 5, 6. MSG 9, 64) fuisse existimant. Cf. E. Nestle in ZAW XXV, 1905, 205 s.

Notatu dignum est complures reges orientis antiquis temporibus vestimenta cum tintinnabulis gestare solitos esse, ut eorum tinnitu significarent

se in propinquo esse populumque recedere debere. Velut Targum schen i ad Esth 6, 10 tradit reges Persarum eius modi vestimenta cum tintinnabulis habuisse.

[3] Aliter Theodoretus, Qu. 60. in Ex. MSG 80, 285: Ἀπήρτησε τούτου (tunicae hyacinthinae) καὶ κώδωνας χρυσοῦς καὶ ῥοΐσκους. ἵνα εἰς τὸ ἄδυτον καὶ ἀνάκτορον τῆς σκηνῆς εἰσιών, καὶ τὴν ἐκ τούτων ἀποτελουμένην ἠχὴν εἰσδεχόμενος, μετὰ δέους τὴν λειτουργίαν ἐπιτελῇ, εἰς μνήμην λαμβάνων τὸν ταῦτα προστεταχότα, καὶ τὴν προσφερομένην ἱερουργίαν δεχόμενον. Idem sentit Cornelius a Lapide, Comm. in Ex 28, 35: „Volo et iubeo sonitum pontificis, puta pulsum tintinnabulorum eius audiri in ingressu et egressu tabernaculi ad excitandum in eo et in populo reverentiam mihi debitam, videlicet ne domum meam intret nisi praevio pulsu, non quem ego audire cupiam, sed quem *ipse uti et populus audiens admoneatur maiestatis meae,* cuius templum ingreditur, *simul et reverentiae officiique sui*". Ex opinione Hieronymi (Ep. 64. § 14. MSL 22, 615) „idcirco tintinnabula vesti apposita sunt, ut cum ingreditur pontifex in sancta sanctorum, *totus vocalis incedat*".

2) *Superhumerale* (אֵפוֹד LXX, Jos. Phil. ἐπωμίς, Symm. ἐπένδυμα, Aquil. ἐπίῤῥαμα et ἐπένδυμα), ex bysso. sed quattuor coloribus variante, filis aureis artificiose contextum (מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב), ex duabus constans plagulis, quarum prior pectus et ventrem, posterior tergum tegebat. Hae plagulae in utroque umero fibulis aureis nexae erant, quae rursus duabus pretiosis magnisque gemmis (אַבְנֵי־שֹׁהַם i. e. *lapidibus onychinis*, LXX λίθοις σμαράγδου) ornabantur. In his gemmis nomina duodecim tribuum, in utraque sena, insculpta erant. Infra axillas duo lora attexta erant, in utroque latere unum, quibus corpori tamquam cingulo (חֵשֶׁב הָאֵפוֹד) plagulae adstringerentur. Auctore Josepho A.J 3, 7. 5 superhumerale *manicis* (χειρῖσι) quoque instructum erat.

Cum pontifex divina petens responsa hoc amiculo indutus esset, id haud raro metonymice sumitur pro instrumento Jahven consulendi (cf. I Sm 2, 28; 14, 3; 23, 6. 9; 30, 7). Quod igitur Hosea 3, 4 Israelitas ephod privandos ait, non tantum sacerdotium inter eos tollendum significat (ut Graeci Alexandrini sentiunt: οὐδὲ ἱερατείας), verum etiam omnem rationem deum consulendi et responsa caelestia consequendi illis defuturam praenuntiat. Cum autem superstitiosus quoque ephod usus reperiatur (Jdc 8, 27; 17, 5), sunt qui etiam Hos 3, 4 ephod instrumentum superstitionis, quod Israelitis postero tempore adimendum sit, indicari existiment. Sed versu praecedente mulier illa, quae imaginem populi Israelitici exhibet, ab omni virorum consuetudine et *non legitima* et *legitima* abstinere debebat (לֹא תִזְנִי וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ *nec scortaberis nec eris viri* alterius i. e. nec nubes alii). Itaque hoc loco, qui allegoriae illius expositionem continet, Israelitis *legitimum* et *non legitimum* cultum (מַצֵּבָה et וְכֹחַ), *legitimam* et *non legitimam* dei consulendi rationem (אֵפוֹד et תְּרָפִים) ablatum iri propheta praedicit.

Conferas Th. C. Foote, The ephod, its form and use. An investigation in biblical archaeology. Baltimore 1902 (JBL XXI, 1902. 1—47); A. Maecklenburg, Ueber den Ephod in Israel (Zw Th IL, 433—460); V. Zapletal, Alttestamentliches 55—77; H. J. Elhorst, De Ephod (Tth T II, 1904, 158—177). Das Ephod (ZAW XXX, 1910, 259—276); E. Sellin, Das israelitische Ephod (Or St 699—717, imprimis 700—703).

3) *Ornamentum pectorale* (חשׁן, plene המשׁפט ח, Targ. חושׁנא, LXX λόγιον sive λογεῖον [= ad oraculum pertinens], λογεῖον τῶν κρίσεων [cf. Sir 45, 10 משפט חשן, λογεῖον κρίσεως], semel περιστήθιον Ex 28, 4. Philo λόγιον, Symm. Lv 8, 8 δόχιον = *receptaculum*, Vulg. *rationale*, *rationale iudicii*) [1] eiusdem cum superhumerali texturae, opus plumarii (מעשׂה חשׁב), quadratum unius spithamae et ita duplicatum, ut quasi sacculum efformaret, extrinsecus quattuor ordinibus duodecim gemmarum ornatum, quarum cuique nomen unius tribus insculptum erat [2]. In quattuor eius angulis totidem erant anuli, quorum superioribus insertae erant catenulae aureae, fibulis aureis in superhumerali iunctae, inferioribus autem funiculi hyacinthini, quibus pectorale cum superhumerali coniungebatur [3].

[1] Vocatur pectorale *iudicii*, quia summus sacerdos in diiudicandis gravioribus causis eo indutus esse solebat.

[2] Ordo gemmarum cum nominibus duodecim tribuum insculptis ex opinione Josephi, Maimonidis, S. Jarchi erat hic:

3	2	1
ברקת *(Levi)*	פטדה *(Simeon)*	אדם *(Ruben)*
6	5	4
יהלם *(Naphtali)*	ספיר *(Dan)*	נפך *(Juda)*
9	8	7
אחלמה *(Issachar)*	שבו *(Ascher)*	לשם *(Gad)*
12	11	10
ישפה *(Beniamin)*	שהם *(Joseph)*	תרשיש *(Sebulon)*

Cf. Ex 28, 17—20; 39, 10—13. Ez 28, 13 (ubi Vulgata novem tantum lapides numerat). Apc 21, 19 s. Jos. AJ 3, 7. 5. BJ 5, 5. 7.

[3] Cf. *G. Karch,* Der Brustschild Aarons mit den zwölf Edelsteinen. Würzburg 1880.

Adnotatio. — Ornamentum pectorale summi sacerdotis Hebraeorum ex Aegypto receptum esse credi non potest, quod tale decus apud Aegyptios non pars vestitus sacerdotalis, sed ornatûs mortuorum erat: nusquam enim

nisi in corporibus medicatis inventum est. Notissimum autem id est, quod *A. E. Mariette* in pectore corporis reginae ʿAḥḥotep, matris regis Aʿḥmose (Amasis), invenit et quod nunc in museo urbis Gîze servatur. Id ornamentum est formâ aediculae; rex Aʿḥmose in ea stat; duo dii (Hammon et Rêʾ) eum aqua purgante aspergunt; duo nisi iis impendent quasi imagines solis cuncta illustrantis; spatia, quae inter figuras sunt, lapidibus varii coloris complentur. Quod ornamentum ornamento pectorali pontificis Hebraeorum nonnullis rebus simile esse sane negari non potest. — F. Hommel (Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung 281—283) cum ornamento pectorali pontificis veteris testamenti illud focale comparat, quod summus sacerdos Memphidis sub domo regia duodevicesima et undevicesima (i. e. paulo ante aetatem Mosis) gestabat. Cuius imaginem videas apud A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 403.

4) Ornamento pectorali *oraculum sacrum* impositum erat, per quod Jahve, si res magni momenti instabant, a pontifice consultus, voluntatem suam ostendebat. Vocatur אוּרִים וְתֻמִּים, quae vocabula, si re vera Hebraica sint, vertenda sunt *luces et perfectiones* sive, cum in lingua Hebraica plurali vis vocabulorum nonnumquam tantummodo firmetur, *lux et perfectio* i. e. plenitudo lucis et perfectionis; semel inverso ordine תמים ואורים Dt 33, 8.; simpliciter האורים Nm 27, 21. I Sm 28, 6.: LXX δήλωσις καὶ ἀλήθεια (item III Esr 5, 40), δῆλοι καὶ ἀλήθεια; reliqui interpretes Graeci in Hexaplis φωτισμοὶ καὶ τελειότητες; Sir 45, 10 δῆλοι ἀληθείας; Vulg. *doctrina et veritas*.

a) Multae et variae sunt virorum eruditorum de Urim et Tummim sententiae, id quod in re tanta antiquitate obscurata neque a Mose satis descripta mirum non est. Quarum notatu dignissimas breviter recensemus.

α) Ex locis Ex 28, 30 et Lv 8, 8 patet Urim et Tummim *intra* ornamentum pectorale (עַל־הַחֹשֶׁן, LXX male: ἐπὶ τὸ λογεῖον) collocata esse, quod, ut supra diximus, formam perae habebat. Ergo Urim et Tummim non sunt duodecim lapides pretiosi exteriori parti ornamenti pectoralis affixi, quorum splendore variante Jahve pontifici voluntatem suam ostendebat, ut praeter nonnullos rabbinos (apud Abarbanel, Comm. in Ex 28, 15) Josephus (AJ 3, 8. 9) opinatur, quam sententiam etiam complures patres et scriptores ecclesiastici (velut Chrysostomus, Orat. 6. adv. Judaeos § 4. MSG 48, 909. Theodoretus, Qu. 60. in Ex. ib. 80, 285. 288) amplexi sunt [1]. Ceterum conferas etiam Sir 45, 10 s., ubi oraculum sacrum a gemmis ornamenti pectoralis clare distinguitur.

[1] Cui sententiae ii sacrarum litterarum loci maxime favere videntur, ubi Moses nomine אורים ותמים et lapidum pretiosorum sine discrimine uti

videtur. Velut Ex 39, 8—19., ubi descriptio ornamenti pectoralis repetitur, sed nulla de Urim et Tummim mentio fit; Lv 8, 8., ubi Moses de Urim et Tummim dicit, sed de lapidibus silet. Ex opinione eorum, qui hanc sententiam tenent, verba אורים ותמים vertenda sunt *splendor perfectissimus*.

β) Urim et Tummim idem fuisse ac teraphim i. e. *duas imagunculas* diversas (sive idola) inter duplicem ornamenti pectoralis pannum insertas, quarum una doctrinam divinitus patefactam sive revelationem (Urim), altera veritatem (Tummim) symbolice repraesentaret [1], quidam ex Hos 3, 4 coniecerunt, ubi ephod et teraphim, quod pro Urim et Tummim scribi censent, simul iuncta reperiuntur. Verum talia simulacra neque religioni Mosaicae et imprimis praecepto, quod legislator Ex 20, 4 dedit, convenire videntur neque sententia illa loco allato confirmari potest, ubi vates id solum affirmat eam fore populi Israelitici condicionem, ut nullum omnino cultum divinum, neque lege praescriptum neque apud alias gentes exercitatum haberet.

[1] Philo, De vita Mosis l. 3. opp. II, 152: Τὸ δὲ λογεῖον τετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο ὥσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν.

γ) Alii, praesertim rabbini et kabbalistae, arbitrantur Urim et Tummim fuisse *scripturam* vel *sculpturam nominis* τετραγραμμάτου (שֵׁם הַמְפֹרָשׁ), cui certae quaedam explicationes adiunctae fuissent, quae et ipsae fuissent nomina divina; Mosen autem eas vel a deo ipso scriptas vel lapidibus insculptas accepisse vel ipsum ex divina revelatione scripsisse duplicationique ornamenti pectoralis inseruisse. Cuius nominis vi litteras duodecim tribuum lapidibus insculptas vel prominuisse vel se coniunxisse contendunt, ita ut pontifex ex illis responsum divinum concinnasse posset. Quae tamen sententia, cum a vero prorsus abhorreat, ab archaeologis Christianis refutatur.

Neque maiore fide digna est eorum opinio, qui ipsa haec *nomina Urim et Tummim* scripta fuisse perhibent, ita quidem ut, quando pontifex primum inspexerat Urim, litterae, e quibus responsum divinum constabat, luxerint; sed quoniam coniunctio illarum litterarum varie fieri poterat, eum postea alterum nomen Tummim inspexisse, quo illae litterae explanarentur et vera ratio eas recte componendi doceretur.

δ) Alii existimant Urim et Tummim fuisse lapillos vel *gemmas ad sortilegium destinatas*, quae sententia varie proposita est. Atque plerique tres sortes ab antiquissimis temporibus apud Hebraeos asservatas intellegunt, quarum una affirmandi, altera negandi, tertia in neutram partem decidendi vim haberet. Eas sortes potissimum in causis foren-

sibus maioris momenti, ut ad sontem detegendum vel ad litem dirimendam adhibitas esse, id quod ex Jos 7, 13—18. I Sm 14, 40—42. Prov 16, 33; 18, 18 colligi possit.

H. A. Poels (Examen critique de l'histoire du sanctuaire de l'arche. Louvain 1897. 317) Urim et Tummim cum talis comparat. Sortes sacras iactas esse; ex convento imaginem quandam affirmasse, aliam negasse; si in utraque sorte nulla imago apparuerit, sortes sacras non respondisse. — Similem sententiam P. Haupt (The Polychrome Bible. Proverbs p. 33) protulit: Urim duci a verbo ארר = *maledicere* (to curse) et significare oraculi responsum inimicum, condemnatorium, Tummim responsum favorabile, absolutionem a crimine, liberationem. — Eodem modo de Urim F. Schwally (ZAW XI, 1891, 172) aliique opinati sunt.

ε) Aliis probabilius videtur Urim et Tummim *nomen monilis* sive gemmae fuisse. diversae a ceteris ornamenti pectoralis gemmis, sed iis appensae, ut indicaretur pontificem eundem esse summum populi Hebraici iudicem, qui in omnibus rebus gravioris momenti nomine Jahvae et ab eo edoctus decerneret.

Ita Epiphanius De duodecim gemmis. MSG 43, 301: Ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων ἐπάνωθεν τῶν μαζῶν (in umeris), ἔνθα δύο ἀσπιδίσκοι ἦσαν συνερράμμένοι, ἀπηώρηντο δύο σμάραγδοι. Εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ δήλωσις, ὃς ἦν ἀδάμας, τὴν χροιὰν ἀερίζων. Item Suidas, Lex. I, 2, 687. s. v. ἐφούδ.

Ad quam opinionem iam Augustinus Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 117. MSL 34, 637 notat: „Fabulantur quidam (demonstrationem et veritatem) lapidem fuisse, cuius color sive ad adversa sive ad prospera mutaretur, quando sacerdos intrabat in sancta". Item Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10: „Judaei fabulantur, quod in rationali erat lapis, qui secundum diversos colores mutabatur secundum diversa, quae debebant accidere filiis Israel, et hoc vocant veritatem et doctrinam".

In tanta rei obscuritate nihil certi definire possumus. Ex sacris litteris id unum efficitur Urim et Tummim non fuisse novam quandam inter Hebraeos rem, quam accurate describere necesse esset (nam Ex 28, 30 Moses non iubetur Urim et Tummim conficere, sed intra ornamentum pectorale reponere), sed sacrum quoddam venerandae antiquitatis, quod vix nominare, multo minus adspicere aut describere liceret.

Quo modo vero summus sacerdos per Urim et Tummim Jahven consuluerit et quanam ratione Jahve responsa dederit, dici nequit. Plerique interpretes existimant Jahven pontifici interroganti voluntatem suam eodem modo revelasse, quo prophetis, ita ut ille non minus quam hi de veritate responsi divini certus esse potuerit. Quod si ponas atque concedas, oraculum sacrum documento tantum erat pontificem illo instructum (illud עַל־לֵב *ad cor* i. e. ante pectus, prope cor gestantem) legitimum esse inter-

nuntium inter deum et populum (cf. Ex 28, 30). Ceterum „non licuit sacrum hoc oraculum consulere de negotio privato vel levi aliqua de causa, sed de rebus publicis, spectantibus ad totius reipublicae et populi salutem" (J. Buxtorf, Historia Urim et Tummim c. 3. in *Bl. Ugolini,* Thes. XII, 402).

Quotiens oracula per Urim et Tummim data sint, incertum est. Sunt quidem qui existiment oracula per Urim et Tummim edita esse, quotienscumque legitur: „Consuluerunt Jahven" vel ad pontificem dicitur: „Applica ephod!" (Jdc 1, 1; 20, 18. 23. 28. I Sm 10, 22; 22, 10; 23, 9; 30, 7. II Sm 2, 1; 5, 23; 21, 1). Quod in dubium vocari potest; nam ex I Sm 28, 6 apparet Jahven consultum triplici modo respondisse: vel per somnium vel per Urim et Tummim vel per prophetas. Jahven autem, cum a pontifice consultus est, per Urim et Tummim respondisse ex Nm 27, 21 colligitur, ubi Eleazar Jahven per Urim pro Josua interrogare iubetur.

Complurium virorum doctorum sententia est oraculum sacrum non nisi usque ad aedificationem templi primi permansisse, quod postea de responsis eo modo impetratis nulla mentio fiat, sed prophetae tamquam extraordinarii voluntatis divinae interpretes surrexerint. Hebraei autem id saltem pro certo habent post captivitatem Babyloniam oracula per Urim et Tummim non amplius reddita esse, quod etiam ex Esr 2, 63. Neh 7, 65. I Mcc 4, 44—46 colligi posse videtur (cf. M. Sota 9, 12. Hieros. Makkoth 32[a]. Horajoth 47[a]) Quod Josephus AJ 3, 8. 9 memoriae prodit id genus revelationum divinarum ducentis demum annis antequam librum suum conficeret, finem cepisse non est dignum, quod credatur. Neque ex Sir 45, 10., ubi de fide responsorum per Urim et Tummim datorum agitur, colligi potest talia responsa tum edita esse.

Adnotatio. — Oraculo sacro Hebraeorum in novo testamento respondent charismata spiritus sancti, per quem ecclesia infallibilis semper dirigitur.

b) Sunt qui oraculum sacrum Hebraeorum ad exemplum Aegyptiorum a Mose institutum esse existiment (J. Spencer, E. W. Hengstenberg, A. Knobel, M. A. Uhlemann, A. Scholz, alii). Apud Aegyptios enim summus sacerdos erat idem praeses iudicum, quod ut significaretur, cum sedebat in tribunali, parvam veritatis imaginem e gemma pretiosa (sappiro) confectam atque e collo aureâ catenâ suspensam gestabat. Aelianus quidem (Var. hist. 14, 34) memoriae prodit summum sacerdotem Aegyptiorum, cum iudiciis praeerat, circum collum simulacrum quoddam ex sappiro (ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου λίθου) gestasse, quod veritas (ἀλήθεια) appellabatur. Cui Diodorus Siculus consentit; nam Bibl. hist. 1, 75 dicit summum iudicem circum collum simulacrum ex lapidibus pretiosis (ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων), quod veritas (ἀλήθεια) appellabatur, gestasse, ex torque aurea pendens. Et ib. 48 parietis picturam Aegyptiam describens in mediis iudicibus summum iudicem circum collum veritatem (τὴν ἀλήθειαν) gestantem, cuius oculi clausi

sunt, monstrat. Atque in monumentis sepulcralibus Aegyptiorum complura simulacra inventa sunt, quae homines, qui olim summo iudicandi munere fungebantur, exprimunt et parvam imaginem deae veritatis et iustitiae *Tme* (*ma*, cum articulo *tma* = veritas) vel *Maʿat* (מאעת, quod nomen secundum leges sonorum ex *Marḫat* idque ex *Maḫrat* ortum est) e collo pendentem gestant (J. Rosellini, I monumenti dell'Egitto e della Nubia II, 3, 500). Nomen autem *Tme* cum Hebraico תמים comparandum esse dicitur. Hinc etiam factum esse, quod LXX interpretes, homines Alexandrini, Ex 28, 30 (26). Lv 8, 8. Dt 33, 8 תמים vocabulo ἀλήθεια verterunt.

At primum respiciendum est antiquiores rerum scriptores (ut Sanchoniathonem, Manethonem, Herodotum) de illo pontificis simulacro sappirino nihil memoriae tradidisse. Ex eorum autem silentio colligendum esse censeo illud sacerdotale ornamentum posterioris fuisse aetatis, cum Aegyptii ruditatem morum et venerationem animorum, quae temporibus Mosis fuerat, multo superassent. Id quoque praetereundum non est etiam testimonia ex scriptis Aeliani et Diodori Siculi allata inter se pugnare, cum hic illud pontificis Aegyptii ornamentum ex compluribus et variis lapidibus (ζῴδιον πολυτελῶν λίθων), ille vero ex unica gemma (ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου λίθου) confectum esse affirmet.

Deinde eius rei rationem haberi oportet, quod oraculum sacrum Hebraeorum et illa veritatis imago Aegyptiorum res plane diversae fuerunt. Illud enim inter duplicem ornamenti pectoralis pannum inserebatur, haec e sacerdotis collo pendebat atque omnium oculis exposita erat; illo pontifex solus ornabatur, haec non modo summi sacerdotis et praesidis iudicum, verum etiam cuiusvis iudicis insigne habebatur, quo cum iudex ad ius reddendum tum homines litigantes ad verum dicendum quasi sacramento quodam adigerentur. Pertinebat igitur Aegyptium illud insigne ad iudicandum ipsum, cum Urim et Tummim signum muneris iudicis, quod latius patebat, essent, quibus pontifici, quotienscumque res difficiles et magnas, imprimis eas, quae totum populum spectabant, diiudicabat, auxilium divinum certe promittebatur. Itaque ἄγαλμα vel ζῴδιον, quod pontifex maximus Aegyptiorum, cuius erat ius dicere, circa collum gestabat, aliud quoque spectat atque Urim et Tummim; neque enim demonstrari potest id in usu Aegyptiorum fuisse, ut eo deus consuleretur.

Tum respiciendum est vocabulum Hebraicum תמים et significatione et numero ab antiquo illo nomine, quo pontificis Aegyptii simulacrum vocabatur, dissidere. Nam Tummim *perfectiones* vel (cum pluralis Hebraicus interdum mere intensivus sit) *perfectionem* significat, ἀλήθεια *veritatem*, quod vocabulum Hebraico אֱמֶת respondet; illud vocabulum numeri pluralis est, hoc singularis. Id quoque observandum est gemmam illam pontificis Aegyptiorum ἀλήθειαν appellatam esse, quia id nomen ei hieroglyphice insculptum erat. Quod ex verbis Aeliani (l. c.) apparet: Ἐγὼ δὲ ἠξίουν, μὴ λίθου πεποιημένην καὶ εἰκασμένην τὴν ἀλήθειαν περιφέρειν τὸν δικαστήν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἔχειν αὐτήν. Tummim autem ita dicta esse, quia id nomen alicui gemmae insculptum erat, quem ad modum laminae aureae..

qua tiara summi sacerdotis Hebraeorum ornabatur, verba קדש ליהוה insculpta erant, probari non potest.

Praeterea ne cogitari quidem potest Hebraeos rem quandam cum Osiridis, iudicis inferorum, cultu arte coniunctam ut sacratissimum religionis instrumentum sibi sumpsisse aut Jahven ipsum illo Osiridis ornamento ad voluntatem suam genti electae declarandam usum esse.

Denique Aegyptium illud insigne iudicis ac Urim et Tummim ad res prorsus diversas spectant. Ut enim Osiris iudex inferorum collare duplicis i. e. praemio et poena afficientis iustitiae gestabat, ut etiam nomen „iudicis duplici iustitiâ" haberet (R. Lepsius, Totenbuch der Aegypter c. 142) eiusque oecus iudicandi oecus „duplicis iustitiae" appellabatur (ib. p. 13), ita summus sacerdos huic in terra iudicio praesidens illud collare gestabat, quo de officio sine ira et studio iudicandi admonebatur (Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 48), et quod, ubi cum iudicum collegio consilium habuerat, ei circumdabat, qui innocens agnitus erat (ib. 1, 75). Quare Plutarchus (De Is. et Os. § 10) de illo iudicio tradit: Ἐν Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες . ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ καταμύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέτευκτον οὖσαν.

Ceterum etiamsi simulacra deae veritatis et iustitiae, de quibus diximus, apud Aegyptios fuerunt, tamen ea neque *Tme* neque *Maʿat*, sed *Maʿsi* nominata esse videtur (quod inde apparet, quod hieroglyphice pennâ struthiocamelinâ scribebatur, quae syllabam *mʿs* exprimit), neque verisimile est ea simulacra ipsum ornamentum fuisse, quod summus sacerdos munere iudicandi fungens gestabat; nam insigne Osiridis, iudicis inferorum, proprium erat simplex tabella quadrata, cui vocabulum *iustitia* (verisimiliter hieroglyphice expressum i. e. penna struthiocamelina) inscriptum erat (cf. R. Lepsius, op. all. tab. 50), cum dea iustitiae, quae mortuos in iudicium introducit, et quadraginta duo assessores iudicii mortuorum signum iustitiae (pennam struthiocamelinam) in capite gestarent.

Cum igitur magna sit differentia inter insigne illud Aegyptiorum et oraculum sacrum Hebraeorum, similitudo vero vel nulla vel exigua cumque nullo historiae testimonio constet insigne illud Aegyptium ante aetatem Mosis in usu fuisse, perperam affirmatur oraculum sacrum Hebraeorum ad exemplum Aegyptiorum a Mose institutum esse.

Adnotatio. — Nonnulli viri docti recentioris aetatis Urim et Tummim ab exemplaribus Babyloniis deducunt. Velut in narratione de creatione Tiâmat „tabulas fati" ponit super pectus Kingu, quas Marduk victor sibi sumit; etiam Urim et Tummim secundum Ex 28, 30 sunt אל־לב *ad cor* i. e. ad pectus pontificis. Neque vero cuiquam dubium esse potest, quin ex hac tam levi similitudine nihil colligi possit. Opinionem Urim ex *urtu* = decisio, mandatum explicandum esse (H. Zimmern, Beiträge zur Kenntnis der babylonischen Religion II, 91) falsam esse constat (cf. P. Haupt, The Polychrome Bible. Proverbs p. 33). A. Jeremias (Das AT im Lichte des AO ² 192 ³. cf. 450) dicit Urim et Tummim illa in mediis duodecim gemmis, quas cum signis zodiaci coniungi oporteat, posita respondere his verbis contrariis: vitae et morti, affirmationi et negationi, lumini et obscuritati. Sed unde hoc probabitur?

De Urim et Tummim videas Bl. Ugolini Thes. XII, 375—784; J. J. Bellermann, Die Urim und Thummim, die ältesten Gemmen. Berlin 1824; G. Klaiber, Das priesterliche Orakel. Stuttgart 1865; E. Kautzsch, Urim und Tummim (RE 3 XX, 328—336); W. Muss-Arnolt, The Urim and Thummim (American Journal of Semitic Languages and Literatures XVI, 1900, 193 ss.); P. Carus, The Oracle of Jahveh; the Urim and Thummim; the Ephod and the Breast-Plate of Judgement (The Monist XVII, 1907, 365—388).

5) *Tiara* (מִצְנֶפֶת Ex 28, 4. 37. 39; 29, 6; 39, 28. 31. Lv 8, 9; 16, 4. צָנִיף Sach 3, 5. LXX κίδαρις vel μίτρα, Onkelos et Ps. Jonathan מִצְנְפְּתָא), sacerdotali paulo altior, laminâ aureâ ad eximium fulgorem expolitâ (ציץ LXX et Philo πέταλον) [1], quae duabus vittis hyatinthinis, quae in occipite inter se vinciebantur, illi adnectebatur, et inscriptione קדש ליהוה *sanctum Jahvae* (non solum nomine יהוה, ut Josephus AJ 3, 7. 6. BJ 5, 5. 7 putat) ornata erat [2]. Quae lamina etiam נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ *diadema sacrum* (Ex 29, 6; 39, 30. Lv 8, 9) et στέφανος χρυσοῦς (עטרת פז Sir 45, 12) vocabatur; nam sicut Urim et Tummim significabant pontificem eundem esse summum iudicem, ita illud diadema eius dignitatem regiam indicabat. Ultimis civitatis Judaicae temporibus haec tiara triplici quoque corona aurea cincta erat (Jos. AJ 3, 7. 6), quam procul dubio sacerdotes Hasmonaei, qui iidem reges erant, addiderunt.

[1] Perperam nonnulli vocabulum ציץ etiam hîc, ut Job 14, 2 aliisque locis *florem* significare contendunt. Dicunt quidem verbis Josephi AJ 3, 7. 6 adducti laminae flores insculptos fuisse. Sed sacrae litterae de iis silent, nec si adfuissent, idcirco illa lamina *flos* appellari potuisset. Quantum equidem iudicare possum, ציץ, quod a radice ציץ *micuit, splenduit* derivatur, proprie splendorem significat. Quo vocabulo antiquissimis temporibus illud diadema vocatum esse videtur, quod tale erat, quale regum orientis diadema esse solebat quodque ex lamina aurea splendida constabat. Hoc diadema tiarae impositum *cum splendore emicabat* tamquam praeclarum eminentis dignitatis insigne.

[2] Cum tribus Levi loco primogenitorum Jahvae consecrata esset, eius princeps sive pontifex pro tribulibus suis etiam sacra facere censebatur. Itaque cum pontifex se קדש ליהוה offerret, totus populus, cuius ad deum legatus erat, sese coram numine divino statuebat et assiduitate in sacris faciendis gratiam eius promerebatur.

Vestimenta pontificis (et sacerdotum) in conclavibus sanctuario adnexis asservabantur (II Rg 22, 14., ubi custodis vestimentorum mentio fit. Cf. adnotatiouem R. Bartenorae ad M. Schekalim 5, 1). Reges et sacerdotes Hasmonaei vestimenta pontificalia, de quorum numero Josephus AJ 8, 3. 8 dicit, in arce Baris, quam aedificaverant quaeque postea Antonia vocabatur, custodiebant. Ibi Herodes quoque (37—4 a. Ch.) eiusque filius Archelaus (4 a. Ch.—6 p. Ch.) ea asser-

vabant. Archelao mortuo usque ad tempora Tiberii Caesaris in potestate Romanorum erant. Quotiens opus erat, velut magno expiationis die aut cum novus pontifex initiabatur, licentiâ a procuratoribus Romanis datâ ex arce Antonia depromebantur. Vitellius, legatus Syriae, anno 36 p. Ch. Judaeis petentibus apud Tiberium effecit, ut ornatus pontificalis Judaeis redderetur, penes quos usque ad mortem regis Herodis Agrippae I anno 44 p. Ch. manebat. Tum Cassius Longinus, qui Syriam administrabat, et Cuspius Fadus, procurator Judaeae, vestimenta pontificis in arce Antonia reponi iusserunt. At Judaei iam anno 45 p. Ch. apud Claudium Caesarem impetrarunt, ut ea templo restituerentur. (Jos. AJ 15, 11. 4; 18, 4. 3; 20, 1. 1—2). Postremo Tito Hierosolyma obsidenti a sacerdote quodam (filio Thebuthi, cui nomen Jesus erat) cum multae aliae res pretiosae tum vestimenta pontificis tradita sunt (Jos. BJ 6, 8. 3).

II. De *significatione vestimentorum pontificalium* variae sunt virorum doctorum sententiae:

1) Significatio Christiano-typica trifaria est:

a) Summus sacerdos omni suo vestitu est *typus* sive *figura Christi*, veri ἀρχιερέως ἡμῶν (Hebr 2, 17; 3, 1; 4, 14—16; 5, 1—10), qui nomina suorum non tam in umeris et pectore quam in manu scripta gestat (Jes 49, 16) et tamquam librum memorialem patri suo affert (Mal 3, 16); ornamentum iudicii omneque iudicium a patre accepit (Jes 11, 4. Ez 21, 27. Jo 5, 12); ipse Urim est, τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, quod ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει et φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον (Jo 1, 4 s. 9. cf. 3, 19) et Tummim, integritas sine labe (Hebr 7, 26), ecclesiam suam mundans, ut non habeat σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος (Eph 5, 27), cuius et introeuntis et exeuntis vox auditur, quippe qui verba dei loquatur (Jo 15, 15), qui solus et unus קדש ליהוה (Mal 2, 11) et sacrosanctus messias sive unctus est (Dn 9, 24), qui mortem pro hominum salute sustinens vel corpus suum tamquam victimam offerens veniae peccatorum a deo adipiscendae spem certissimam fecit (Hebr 9, 12, 28. cf. Rom 5, 9. I Ptr 3, 18).

Quam interpretationem vestimentorum pontificalium de Christo iam apud patres ecclesiae invenimus, velut apud Cyrillum Alex. De adorat. in spir. et verit. l. 11. MSG 68, 729. 732.

b) Ornamenta pontificalia considerantur quoque ut *typus ecclesiae* a Christo fundatae.

Velut Tertullianus (Adv. Marcion. 4, 13. MSL 2, 387) vestitum pontificis vocat „sacram ecclesiae vestem, quam induit Christus, pontifex

patris" et duodecim gemmas splendidas typos apostolorum ecclesiam collustrantium esse contendit. Justinus (Dialog. c. Tryph. § 42. MSG 6, 565) duodecim tintinnabula ad duodecim apostolos eorumque orationes sacras spectare existimat. Hieronymus (Comm. in Ez c. 28. MSL 25, 270 s.) duodecim lapides pretiosos ad apostolos refert, quos Christus, verus pontifex, ad pectus gestat, et duas gemmas in umeris summi sacerdotis sacramenta veteris et novi testamenti significare censet. Augustinus (Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 119. ib. 34, 637): „Veste sacerdotali . . . significatur ecclesia". Et (qu. 129. ib. 641): „Ipsa (vestis sacerdotis) quid aliud quam ecclesiae sacramenta significat? Quod in λογίῳ i. e. rationali, in pectore sacerdotis posito, iudicia constituit, in lamina vero sanctificationem et ablationem peccatorum: tamquam rationale sit in pectore simile arcae, in qua lex erat, et lamina illa in fronte similis propitiatorio, quod supra arcam erat". Similiter alii patres et scriptores ecclesiastici.

c) Vestitus pontificalis est denique *prototypus vestimentorum liturgicorum* (sacerdotalium et episcopalium).

Quam significationem *Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, Amalarius,* imprimis *Durandus* (Ration. divin. offic. 3, 19: De indumentis legalibus sive veteris testamenti), alii exposuerunt.

2) Significatio moralis sive ad morum condicionem pertinens:

a) Mirum est, quod talmudistae compluresque rabbini varia vestimenta summi sacerdotis ad *varia peccata* referunt, quae iis expientur.

Ac *tunicâ* quidem peccata eorum expiari, qui vestimenta ex duplici panno gerant, id quod Dt 22, 11 vetabatur, vel (ut nonnulli contendunt) caedem voluntariam, quod Gn 37, 31 legitur: „Tinxerunt tunicam (Joseph) sanguine"; *feminalibus* peccatum impudicitiae, quod secundum Ex 28, 42 facta erant, „ut tegant carnem verendorum": *tiarâ* peccatum superbiae, quod Ex 29, 9 legitur: „Aptabis illis (Aaron eiusque filiis) tiaras"; *cingulo* peccatum furti vel (ut alii volunt) fraudis dolique; *ornamento pectorali* peccata eorum, qui ius torqueant, quod Ex 28, 15 legitur: „Facies pectorale iudicii"; *ephod* peccatum idololatriae, quod Hos 3, 4 legitur: „Multis diebus sedebunt filii Israel . . . sine ephod et sine teraphim"; *tintinnabulis* tunicae, quorum sonum (קוֹל) in sacrario audiri oportebat (Ex 28, 35), sermones malos, ut קוֹל rursus קוֹל expietur; *laminâ* denique *aureâ*, ubi nomen dei inscriptum est, expiari peccatum maledicti in deum, quod I Sm 17, 49 legitur: „Tulit David lapidem . . . feriitque Philistaeum in fronte eius" et Ex 28, 38: „Et haec (lamina) erit in fronte Aaron", vel (ut alii putant) peccatum procacitatis, quod Jer 3, 3 legitur: „Frons mulieris meretricis facta est tibi".

Quae interpretatio, quoniam lege Mosaica nusquam confirmatur, a viris doctis Christianis probata non est. Refutatur enim ea sola re, quod summus sacerdos ipso die expiationis, quo universum populum expiabat, antequam sanctissimum intraret, ornatum suum exuebat.

b) Nonnulli patres ecclesiae indumenta summi sacerdotis ad *virtutes animi* trahunt, quem, cum sit praestantior hominis pars, ut pontificem ornatum esse oporteat.

Velut ex opinione Hieronymi, qui „vestes Aaronis et totum ordinem Levitarum caelestia sacramenta spirare" affirmat (Ep. 53. § 8. MSL 22, 545), „in sacerdotis pectore rationale est et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere et praeconem dominicae veritatis" (Comm. in Mal 2, 5 ss. ib. 25, 1557) et „ut non solum sciat (pontifex) rectam fidem, sed et quod noverit, possit ore proferre" (Comm. in Hos 3, 4 s. ib. 844). Ephraem Syr. Explan. in Ex c. 37 (opp. I, 231): „Rationale byssinum suo candore signat indumentum iustitiae. Balteus operis plumarii, pontificis renes constringens, significat cingulum veritatis et aequitatis sacerdotis mentem animumque continens, ne ad futiles caducarum rerum curas defluat . . . Rationale stringitur vittâ coccineâ, caritatis quippe symbolum est, perinde ut cidaris beatae spei et fidei in deum". Cf. etiam Augustin. Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 119. MSL 34, 637 s. Gregor. Magn. Regul. pastor. l. 2. cc. 2—4. ib. 77, 27—32. Origen. Hom. 6. in Lv. § 3—4. MSG 12, 469—472. Theodoret. Qu. 60. in Ex. ib. 80, 285.

Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10 vestitu pontificali quattuor virtutes summo sacerdoti necessarias significari existimat: „Pontifices debent quattuor habere (virtutes); primo quidem *iugem dei memoriam in contemplatione,* et hoc significat *lamina aurea* habens nomen dei in fronte; secundo quod *supportent infirmitates populi,* quod significat *superhumerale;* tertio quod *habeant populum in corde et in visceribus per sollicitudinem caritatis,* quod significatur per *rationale;* quarto quod *habeant conversationem caelestem per opera perfectionis,* quod significatur per *tunicam hyacinthinam.* Unde et tunicae hyacinthinae adiunguntur in extremitate *tintinnabula aurea,* per quae significatur *doctrina divinorum,* quae debet coniungi caelesti conversationi pontificis; adiunguntur etiam *mala punica,* per quae significatur *unitas fidei et concordia in bonis moribus,* quia sic coniuncta debet esse eius doctrina, ut per eam fidei et pacis unitas non rumpatur".

Nonnulli recentiores (ut *D. B. Haneberg*) vestimentis pontificalibus tres illas vias significari censent, per quas sacerdos fideles sibi concreditos ducere oportet: *viam purgativam* tunicâ byssinâ, *contemplativam* tunicâ hyacinthinâ, *unitivam* ornamento pectorali et tiarâ.

Interpretatio theologorum protestantium posterioris aetatis, qui ornatu et sacerdotis et summi sacerdotis beneficia a Christo in homines collata describi putabant et sibi persuaserant sacerdotes eo consilio vestimenta accepisse, ut se omni iustitia carere et iustitia sanctitateque Christi velari debere cognoscerent, in oblivionem adduci potest.

3) Significatio cosmica sive ad naturam rerum pertinens:

Philo (De vita Mosis l. 3. opp. II, 151—155. cf. De sacerdot. ib. 225—227) vestimenta summi pontificis describit eaque miris laudibus tollens symbolum mundi esse dicit. Atque *tunica* violacei coloris aërem

significat (χιτὼν ὑακίνθινος ἀέρος ἐκμαγεῖον). In inferiore eius ora sunt aurea mala Punica (χρύσεοι ῥοΐσκοι), tintinnabula (κώδωνες), flores (ἄνθινα). Floribus terra adumbratur (σύμβολον γῆς), e qua enascuntur; malis Punicis aqua (ὕδωρ), ut iam nomen ῥοΐσκοι (παρὰ τὴν ῥύσιν i. e. *a fluxu*) indicat; tintinnabulis concordia, quae inter aquam et terram exsistit atque ad crescendum necessaria est, vel concordia partium mundi (ἁρμονία τοῦ παντός). Ergo tunica unâ cum tribus illis ornamentis tria elementa (τρία στοιχεῖα), e quibus omnia visibilia constant (aërem, terram, aquam), symbolice exprimit. *Superhumerale* caelum proponit (οὐρανοῦ σύμβολον) et duae eius gemmae (δύο λίθοι) duo hemisphaeria ostendunt, quorum alterum supra, alterum infra terram situm est, quaeque inter se pari sunt magnitudine ac duae illae gemmae. Sex nomina (ἓξ ὀνόματα) in unaquaque gemma inscripta significant utroque hemisphaerio orbem signiferum in sex signa (ἓξ ζῴδια) distingui. Item duodecim gemmae (δώδεκα λίθοι) *ornamenti pectoralis* circulum signiferum demonstrant; quattuor autem ordinibus, in quos divisae sunt, quattuor anni tempora adumbrantur, quorum quodque tria signa orbis signiferi habet. Ornamentum pectorale sive τὸ λογεῖον duplicatum est (διπλοῦν), quia λόγος et in universo et in homine dupliciter apparet, et quidem in universo tamquam principium notionum et τοῦ κόσμου νοητοῦ, secundum quem mundus visibilis formatus est, in homine tamquam λόγος ἐνδιάθετος et λόγος προφορικός, quorum ille fons vivus huius est atque in mente regnat, hic linguam, os eaque omnia regit, quae ad verba pronuntianda necessaria sunt. Formâ λογείου quadratâ firmitas, quam λόγος et in universo et in homine habet, indicatur et δύο ἀρεταί i. e. δήλωσις καὶ ἀλήθεια naturam λόγου demonstrant, quatenus in universo est ἀληθὴς καὶ δηλωτικὸς πάντων, in homine λόγος ἐνδιάθετος ἀληθής et λόγος προφορικὸς δηλωτικός. Ornamentum pectorale sive τὸ λογεῖον cum superhumerali (ἐπωμίς) ita coniunctum est, ut loco suo moveri non possit. Qua re λόγος, qui ab operibus seiungi nequit, significatur. Umerus (ὦμος) enim summae industriae operumque symbolum est (ἐνεργείας καὶ πράξεως σύμβολον). *Tiara* (κίδαρις), quae tamquam diadema (ἀντὶ διαδήματος) capiti pontificis imposita est, eum suo munere fungentem omnibus hominibus ipsisque regibus maiorem ostendit et ὄνομα τετραγράμματον in lamina aurea inscriptum nullam rem sine invocatione dei (ἄνευ κατακλήσεως θεοῦ) permanere posse indicat, quia omnium rerum concordia ex divina benignitate et potentia pendet (ἁρμονία πάντων ἐστὶν ἡ ἀγαθότης καὶ ἴλεως δύναμις αὐτοῦ). Atque summus sacerdos illis vestimentis i. e. signo universi indutus est, primum ut id saepe intuens et contemplans ad vitam naturâ dignam admoneretur (τοῦ κόσμου διηνεκῶς ἄξιον εἶναι) et tamquam βραχὺς κόσμος esset, deinde ut universitas rerum (πᾶς ὁ κόσμος) sacris quasi interesset, denique ut pontifex Hebraeorum non solum pro civibus suis (more sacerdotum aliarum gentium), sed etiam pro toto genere humano et pro omnibus naturae partibus (terrâ, aquâ, aëre, igni) oraret et sacra faceret. — Cf. etiam De fuga et invent. opp. I, 562. De somniis l. 1. ib. 653.

Etiam Josephus AJ 3, 7. 7 vestimentis summi sacerdotis totum mundum visibilem oculis subici existimat. *Tunica* ex linteo confecta, quod e terra enascitur, terram significat (χιτὼν λίνεος τὴν γῆν ἀποσημαίνει); *color*

tunicae *hyacinthinus* caelum (τὸν πόλον); *mala Punica* fulmina (τὰς ἀστραπάς); *sonus tintinnabulorum* tonitrua (τὸν ψόφον); *superhumerale* universum (τοῦ παντὸς τὴν φύσιν); *quattuor* superhumeralis *colores* quattuor elementa (terram, mare, aërem, ignem); *fila aurea* superhumerali intexta splendorem, quo omnes res fulgent (τὴν προσούσην ἅπασιν αὐγήν); *ornamentum pectorale* mediae parti superhumeralis alligatum terram, quae medium universi locum (τὸν μεσαίτατον τόπον) occupat; *cingulum* mare (τὸν ὠκεανόν), quod universum complectitur; *duae* in umeris *gemmae* solem et lunam (τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην); *duodecim gemmae* ornamenti pectoralis duodecim menses vel duodecim signa circuli signiferi; *tiara* caerulei coloris, quae nomine Jahvae ornata est, caelum (τὸν οὐρανόν).

Eandem ornatus pontificalis relationem amplexi sunt Clemens Alex. Strom. 5, 6. MSG 9, 64: Τοῦ ἀρχιερέως ὁ ποδήρης κόσμου ἐστὶν αἰσθητοῦ σύμβολον. Origenes, Hom. 13. in Ex. § 3. ib. 12, 391: „Videamus et cetera, hyacinthum et purpuram et coccum duplicatum et byssum tortam. Quattuor ista sunt, ex quibus conficiuntur vel pontificis indumenta vel cetera, quae ad sacrum parantur ornatum . . . Ista ergo, ut et prioribus (velut Josepho, Philoni) visum est, quattuor elementorum, ex quibus et mundus constat et corpus humanum, tenent figuram, id est aëris, ignis, aquae, terrae. *Hyacinthus* ergo ad aërem refertur, hoc enim ipse indicat color, sicut et *coccus* ad ignem. *Purpura* aquae tenet figuram, quasi quae de aquis accipiat fucum. *Byssus* terrae, quia oritur ex terra". Ps. Basilius, Comm. in Jes 3, 23. ib. 30, 328: Βύσσινα καὶ ὑακίνθινα, ὁποῖα ἐκεῖνοι σύμβολα τῶν στοιχείων περιβαλλόμενοι, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνέστηκεν, εἰσήεσαν εἰς τὰ ἅγια δι' ἑαυτῶν, ὑπὲρ τοῦ κόσμου τὸν θεὸν ἱλεούμενοι. Βύσσος μὲν γὰρ ἀντὶ τῆς γῆς· ἡ δὲ ὑάκινθος ἀντὶ τοῦ ἀέρος· καὶ πορφύρα ἀντὶ τοῦ ὕδατος, καὶ τὸ κόκκινον ἀντὶ τοῦ πυρός. Hieronymus in Ep. 64. ad Fabiolam § 19. MSL 22, 619 cosmicam vestitus pontificalis significationem defendit his verbis: „Iustum erat, ut pontifex dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret cuncta indigere misericordia dei, et cum sacrificaret ei, expiaretur universalis condicio, ut non pro liberis ac parentibus et propinquis, sed pro cuncta creatura et voce et habitu precaretur". Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 10: „Horum ornamentorum (pontificalium) quidam rationem litteralem assignant dicentes, quod in istis ornamentis designabatur dispositio orbis terrarum, quasi pontifex protestaretur se esse ministrum creatoris mundi. Unde etiam Sap. 18, 24 dicitur, quod in veste Aaronis erat descriptus *totus orbis terrarum*. Nam *femoralia linea* figurabant terram, ex qua linum nascitur; *baltei* circumvolutio significabat oceanum, qui circumcingit terram; *tunica hyacinthina* suo colore significabat aërem, per cuius *tintinnabula* significabantur tonitrua, per *mala granata* coruscationes; *superhumerale* vero significabat sua veritate caelum sidereum, *duo onychini* duo hemisphaeria vel solem et lunam; *duodecim gemmae* in pectore duodecim signa in zodiaco, quae dicebantur posita in rationali, quia in caelestibus sunt rationes terrenorum secundum illud Job 38, 33: *Numquid nosti ordinem caeli et pones rationem eius in terra? Cidaris* autem vel tiara significabat caelum empyreum, *lamina aurea* deum omnibus praesidentem".

Idem sentiunt *Durandus, Cornelius a Lapide, J. Tirinus, A. Calmet, J. Görres, F. Creuzer, P. de Bohlen,* alii viri docti recentioris aetatis.

Sectio sexta

De reditibus, privilegiis, sedibus ministrorum sacrorum

Ut Paulus apostolus I Cor 9, 13 dicit, qui pro aliis in altari faciunt, iure meritoque etiam de altari vivunt: Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται;

I. Secundum legem Lv 27, 30—33 Levitae decumam frugum terrae fructuumque arborum et decumam animalium sacrificalium (boum, ovium, caprarum) accipiebant, ex qua secundum legem Nm 18, 25—32 (ubi autem decumae animalium nulla mentio fit) rursus decumam sacerdotibus distribuebant. Secundum leges Dt 12, 18; 14. 27. 29; 16, 11; 26, 11 ad epulas decumarum aliasque epulas sacras invitandi erant. Praeterea ex lege Nm 31, 30 praedae participes fiebant.

Quaeri hîc potest, quae sententia verbis apostoli Hebr 7, 5 subiecta sit: Οἱ ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες ἐντολὴν ἔχουσιν ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν κατὰ τὸν νόμον, ex quibus apparere videtur decumas non Levitis, sed sacerdotibus datas esse. Ac dici quidem potest loco allato ad eas decumas respici, quas Levitae sacerdotibus dabant, ita ut populus per Levitas sacerdotibus decumas solveret, ut deus ipse primitias accipere dicitur (Ex 23, 19; 34, 26), quae sacerdotibus dabantur (Nm 18, 11). Sed probabilius videtur hîc de Levitis ipsis agi, ita ut sententia verbis apostoli subiecta haec sit: illi, qui ex filiis Levi sunt, i. e. Levitae, quorum tribui iura sacerdotii concessa sunt, ius habent decumarum. Nam v. 14 apostolus commemorat tribui Levi sacerdotium a Mose tributum esse et v. 9 scribit Levi decumas accipere. Neque ex iis, quae supra dicta sunt, dubium esse potest, quin ii, quibus deus decumas a populo solvendas attribuit, Levitae, non sacerdotes fuerint, etiamsi Judaei tradunt stante templo secundo iussu Esrae decumas non Levitis, sed sacerdotibus datas esse (Babyl. Kethuboth 26[a]). Apostolus enim loco allato non de consuetudine aliqua, sed de mandato divino agit, ex quo Levitae ius decumarum acceperunt.

Reditus, quos sacerdotes ad victum habebant, erant hi: 1) Ex *victimis* accipiebant: a) sacrificia pro peccato tota ad eos redibant, certe plerumque, cum tantum de nonnullis generibus praeceptum erat, ut caro extra castra cremaretur (Lv 5, 13; 6, 19. 22 s. Nm 18, 9 s. Ez 44, 29. Jos. AJ 3, 9. 3); b) sacrificia pro delicto et ipsa tota (Lv 7, 6 s. Nm 19, 9 s. Ez 44, 29. Jos. AJ 3, 9. 3); c) de sacrificiis pacificis pectus et clunis dexter victimae (Lv 7, 30—34; 10, 14 s. Jos. AJ 3, 9. 2); d) de holocaustis pellis victimae (Lv 7, 8. Jos. AJ 3, 9. 1);

e) sacrificiorum incruentorum tantum pars cremabatur; quae reliqua erant, sacerdotes accipiebant (Lv 2, 3. 10; 6, 9—11; 7, 9 s. 14; 10, 12 s. Nm 18, 9 s. Ez 44, 29. Jos. AJ 3, 9. 4); f) panes propositionis (Lv 24, 5—9. Jos. AJ 3, 10. 7. cf. Mt 12, 4. Mc 2, 26. Lc 6, 4). — 2) Ex *terrae frugibus* ad eos redibant a) primitiae omnium frugum terrae (Nm 18, 11—13. Dt 18, 4. Ez 44, 30. Neh 10, 36. 38. Jos. AJ 4, 4. 4); b) decumae i. e. decumae decumarum, quas Levitae a populo accipiebant (Nm 18, 25—32. Neh 10, 39. Jos. AJ 4, 4. 4). In Deuteronomio autem nullae decumae sacerdotum commemorantur. c) pars farinae aquâ in massam transformatae (Nm 15, 17—21. Jos. AJ 4, 4. 4). Etiam fructus arborum anno quarto nati Jahvae sacrandi erant (Lv 19, 24) i. e. sacerdotibus tradebantur. — 3) A *re pecuaria* accipiebant a) carnes primogenitorum masculorum de animalibus mundis (Nm 18, 17 s. Neh 10, 37. Jos. AJ 4, 4. 4) et pretium primogenitorum redemptorum de animalibus immundis (Nm 18, 15. Jos. AJ 4, 4. 4). Ex nonnullorum opinione in Deuteronomio nullus sacerdotum reditus ex primogenitis captus commemoratur. De qua re infra dicemus. b) partem lanae ovium tonsarum (Dt 18, 4. Jos. AJ 4, 4. 4). c) De animalibus sacrificalibus (bobus, ovibus, capris), quae convivandi causâ mactabantur, sacerdotes accipiebant crus anterius, duas maxillas, ventriculum (Dt 18, 3. Jos. AJ 4, 4. 4). — 4) Praeterea sacerdotes accipiebant pretium redemptorum primogenitorum masculorum de hominibus (Nm 18, 15. Jos. AJ 4, 4. 4), omnia voto Jahvae sacrata (Lv 27, 1—25. 28. Nm 18, 14. Ez 44, 29. Jos. AJ 4, 4. 4), quingentesimam partem praedae (Nm 31, 28 s.), bonum ab aliquo iniuriâ partum, si domino iam reddi non poterat (Nm 5, 5—8), varias res, quas iis homines pii vel sua sponte vel ex votis donabant, ita ut florente religionis condicione etiam ministrorum sacrorum reditus augerentur (cf. II Chr 31, 10. Sir 45, 20 s.) idque non sine dei providentia.

Quae a deo sacerdotibus pro victu assignata erant, in oblationes *sanctissimas* (קֹדֶשׁ קָדָשִׁים) et *sanctas* (קָדָשִׁים) distinguebantur. Oblationes *sanctissimae* eae sunt, quae propius ad deum pertinent, ut panes propositionis; sacrificia pro peccato, quorum carnes non extra castra cremabantur; sacrificia pro delicto; mincha, cuius pars tantummodo altari imponebatur; omnia voto Jahvae consecrata. Has oblationes soli Aaronitae manducabant et quidem viri (Lv 6, 11. 22; 7, 6. Nm 18, 10) in loco sancto i. e. in atrio sacrarii (Lv 6, 9. 19; 7, 6; 10, 12 s; 24, 9. Nm 18, 10) easque manducantes vel attingentes sanctificabantur (Lv 6, 11). Oblationes *sanctae* autem sunt sacrificia gratiarum actionis, primogenita animalium mundorum, primitiae, decumae. Aaronitae omnes, viri et feminae, etiam eorum servi (et argento empti et domi nati sive

vernae) earum rerum participes fiebant (Lv 10, 14; 22, 10—13. Nm 18, 11. 19); debebant esse mundi (Nm 18, 11. 13) comedebantque in loco mundo sive nulla immunditie polluto (Lv 10, 14) i. e. domi, non in atrio sacrarii, in quo uxores et filii sacerdotum cibum non capiebant.

Reditus sacerdotum et Levitarum nimis magnus existimatus est atque nimis grave populi onus. Quae opinio probari non potest. Nam primum tribus Levi tertiam decimam partem terrae Canaan, etsi iure sibi vindicare poterat, tamen ceteris tribubus concesserat, quod eae aliquo modo compensare debebant. Deinde vectigalia decumarum, primitiarum, aliarum eius modi rerum Hebraei in terra Canaan, quae erat fertilissima (Dt 11, 10—15. II Rg 18, 32. Neh 9, 25. 35. Jes 36, 17. al.), facile pendere poterant; neque quem sibi ordinem Jahve elegerat et qui summis populi rationibus prospiciebat (Philo, De sacerd. honor. opp. II, 236), eum tenuem habere reditum oportebat. Sed etsi omnia tributa sacerdotibus ordine pensitata essent, tamen eorum reditus aliarum gentium sacerdotum reditum non aequavisset, ut sacerdotum Aegyptiorum, qui tertiam totius terrae partem cum iure hereditatis ita possidebant, ut abalienari non posset, et crebro a regibus dona accipiebant neque quidquam suarum rerum vel comedebant vel consumebant, quoniam iis non solum panis sacer et caro boum anserumque, sed etiam vinum cottidie praebebatur (M. A. Uhlemann, Handbuch der gesammten aegyptischen Altertumskunde II, 183). Praeterea si perpendas, id quod ex ipso Mose et reliquis veteris testamenti libris demonstrari potest, sacerdotes Hebraeorum more Aegyptio ordinem eruditorum constituisse, ita ut iidem essent medici, iudices, mathematici publici, scribae, qui tabulas genealogicas curabant, non iniquum videtur, quod illi tantos reditus habebant, ut commode vivere possent. Denique multa munera, velut decuma, ex religione multitudinis pendebant, quae cum saepe deesset, decuma aliaque munera vel non semper pendebantur vel prorsus omittebantur, ut aetate iudicum Levitae quidam patriâ carentes et panem quaerentes in terra vagarentur (Jdc 17, 8—13), ut pro minimo nummo argenteo et pro pane operam navarent (I Sm 2, 36), ut aetate regis Hiskia populus non prius decumam sacerdotibus et Levitis penderet, quam rex iussisset (II Chr 31, 4). Ad hoc avaritia nonnullorum pontificum sine religione ac fide sacerdotes simplices nonnumquam eo deduxit, ut victus indigerent (Jos. AJ 20, 8. 8; 20, 9, 2). Tum tantummodo, cum populus diligenter munera praescripta conferebat, sacerdotum reditus largus erat; quare Asarja pontifex regi Hiskia: „Ex quo — inquit — coepit (populus) afferre dona in domum Jahvae, comedimus et saturati sumus et reliquimus (nos sacerdotes) multum, quoniam Jahve benedixit populo suo et multitudini huic residuae“ (II Chr 31, 10).

II. Omnes ministri sacri ex vectigalibus, tributo, onere militari exempti erant (Esr 7, 24. Jos. AJ 3, 12. 4; 4, 4. 3; 12, 3. 3). Extra servitium sacrum alia etiam negotia, exceptis levitice impuris, suscipere eis licebat.

Sacerdotes et Levitae quamquam munere militari liberati erant, nisi forte quando pro ipsis sacris dimicandum erat (cf. I Sm 4, 11), tamen

exercitum comitabantur variis ministeriis et officiis perfungentes (Nm 10, 9; 31, 6. Dt 20, 2—4. II Chr 13, 12. 14; 20, 21). Haud raro sacerdotes arcam secum ferebant, fiduciae incitamentum, praesentiae dei symbolum protectionisque eius documentum, quae consuetudo usque ad templum exstructum viguit. At sacerdotem castrensem (משוח מלחמה *ad bellum unctum* M. Sota 7, 2; 8, 1. Makkoth 2, 6), de quo in litteris sacris nulla fit mentio, Judaeis ut auctoribus relinquimus (cf. *Th. R. Tatii* Diss. de sacerdote castrensi Hebraeorum; *Bl. Ugolini* Diss. de sacerdote castrensi. Videas Bl. Ugolini Thes. XII, 1029—1050 et 1051—1102).

III. Cum Jahve ipse esset ministrorum suorum חֵלֶק וְנַחֲלָה *pars et hereditas* (Nm 18, 20. Dt 10, 9; 12, 12; 14, 27. 29; 18, 2. Jos 13, 33; 14, 3. Ez 44, 28. μερὶς καὶ κληρονομία Sir 45, 22), non tantum decumas et certas sacrificiorum partes eis largitus est (Nm 18, 24. Dt 18, 1), sed etiam quadraginta octo urbes habitandas assignavit (Nm 35, 7), quae urbes Leviticae vocabantur. Atque *sacerdotibus* tredecim urbes (Hebron, Libna, Jathir, Esthemoa, Holon, Debir, Ain, Jutta, Bethsemes, Gibeon, Geba, Anathoth, Almon) in finibus tribuum Juda, Simeon, Beniamin (Jos 21, 4) tamquam regionibus sacrario maxime vicinis destinatae sunt. *Levitae* autem triginta quinque urbes habitabant, et quidem *Kahathitae* decem in finibus Ephraimitarum, Danitarum, Menassaeorum cisjordanicorum (ib. v. 5), *Gersonitae* tredecim in finibus tribuum Issachar, Ascher, Naphtali Menassaeorum transjordanicorum (ib. v. 6), *Meraritae* duodecim in finibus tribuum Ruben, Gad, Sebulon (ib. v. 7) [1]. Quamquam urbes illae non ideo Leviticae dicebantur, quod nemo praeter Levitas et sacerdotes eas incoleret, sed quod tribus Levi ita propriae erant, ut alii omnes, qui in iis commorari volebant, a Levitis fundum ad domum aedificandam necessarium vel accipere vel emere deberent. Velut in urbe sacerdotali Gibea Beniamin (quam eandem esse urbem censemus quam Geba Beniamin) „filii Iemini“ i. e. Beniaminitae haud exiguam incolarum partem efficiebant (Jdc 19, 16). Neque Levitae alias urbes habitare vetabantur, si eorum res id postulabant (cf. Jdc 17, 7) [2].

Itaque sacerdotes et Levitae, quamquam in urbibus assignatis sedem stabilem habebant, tamen hospites finium alterius tribus manebant.

Singulis urbibus pascua ad alenda pecora destinata (מִגְרָשִׁים) addita erant, quorum ambitus Nm 35, 4 s. accurate definitur. Haud parum vero hic locus interpretes exercuit; nam v. 4 pascuis illis magnitudo mille cubitorum, v. 5 autem duorum milium cubitorum tribuitur. Simplicissima duos illos versus conciliandi ratio haec esse videtur, ut statuamus spatio mille cubitorum significari intervallum pascuorum et

murorum urbis, spatio duorum milium cubitorum longitudinem unius ex quattuor lateribus suburbiorum, ut haec ostendit figura:



Ex qua apparet unumquodque suburbiorum latus duplo longius esse quam lineam directam ex muro urbis ad quodlibet latus productam, quae est mille cubitorum. Itaque necesse non est cum Graecis Alexandrinis in versu quarto pro אֶלֶף legamus אַלְפַּיִם, ut in versu quinto; nam quod interpretes illi v. 4 δισχιλίους πήχεις posuerunt, dubium esse vix potest, quin id fecerint difficultatis tollendae causâ, quam in diverso cubitorum numero utriusque versus deprehenderunt. Ceterum omnes interpretes antiqui et textus Samaritanus cum nostro textu Hebraico conspirant. Ei quidem Josephus adversari videtur, qui A J 4, 4. 3 de urbibus Levitarum haec dicit: Ἐκέλευε (deus) κατανεῖμαι τοῖς Λευίταις ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα πόλεις ἀγαθὰς καὶ καλὰς, τῆς τε πρὸ αὐτῶν γῆς περιγράψαντας εἰς δισχιλίους πήχεις ἀπὸ τῶν τειχῶν αὐτοῖς ἀνεῖναι. Similiter Philo, De sacerd. honor. opp. II, 236 ait Levitas quadraginta octo urbes accepisse et καθ' ἑκάστην προάστεια εἰς δισχιλίους πήχεις ἐν κύκλῳ πρὸς νομὰς θρεμμάτων καὶ τὰς ἄλλας ὧν δεῖ πόλεσιν ἀναγκαίας ὑπηρεσίας. Sed Philonem omnibus locis versionem Graecam Alexandrinam sequi constat et Josephus hoc loco ut in compluribus aliis eosdem interpretes duces secutus est [3].

[1] Erant ergo hae urbes per omnes tribus dispersae (cf. patriarchae Jacob prophetiam de posteris Levi Gn 49, 7), ut tali modo Levitae et custodes religionis exsisterent et tamquam iuris divini periti facile ab omnibus consuli possent.

[2] Neh 11, 10—19 numerus sacerdotum Hierosolymis habitantium 1192 (I Chr. 9, 10—13 autem 1760), numerus Levitarum et cantorum

284, numerus ianitorum 172 memoratur. Numerus autem universus sacerdotum illius aetatis 6000 fere erat (Esr 2, 36—39); numerum universum Levitarum, cantorum, ianitorum multo maiorem fuisse manifestum est. Tum multos sacerdotes et Levitas in urbibus et vicis Judaeae habitavisse multis testimoniis confirmatum est (Esr 2, 70. Neh 7, 73; 11, 3. 20. 36; 12, 27—29. II Chr 31, 15. 19).

[3] Nonnullis dubitationem aliquam illud movere videtur, utrum Levitae urbes suas et praedia possederint an utenda tantummodo acceperint. Sed nihil dubitationis relinquit lex, quae Lv 25, 33 s. exstat.

Adnotatio. — Nm 35, 2—8 Levitis urbes in terra Canaan attribuuntur, quae postea Josua (21, 2—40) sorte illis assignavit. At auctor libri Deuteronomii de urbibus nihil dicit, sed Levitas propriis sedibus carentes et velut peregrinos in medio populo commorantes describit (Dt 10, 9; 12, 12. 18; 14, 27. 29; 16, 11. 14; 18, 1 s. 6; 26, 12). Ex quo critici recentioris aetatis, qui Deuteronomium a Mose conscriptum esse negant variisque argumentis recentiorem eius aetatem confirmare volunt, miserum illum Levitarum statum rege Salomo mortuo exortum esse colligunt, postquam sub Jerobeam I, rege Israelitarum, omnes sacerdotes et Levitae in regnum Judaicum se recipere coacti sunt (II Chr 11, 13 s.) et oppidis Leviticis tribuum Juda et Beniamin multitudini non sufficientibus, ubicumque poterant, consederunt.

Quae tamen opinio falsae illae coniecturae universam legislationem in Deuteronomio contineri falsaeque interpretationi locorum ex Deuteronomio allatorum innititur. Verbis enim „Levitae, qui in urbibus vestris commorantur", „qui intra portas tuas sunt" non dicitur Levitas peregrinos fuisse, sed eos non eodem modo quo reliquas tribus sedem et domicilium constituisse. Id quoque respiciendum est Levitas in urbibus, quae eis attributae erant, non solos habitasse (cf. Lv 25, 32 s. Jos. 21, 11 s. I Sm 6, 13. 15) atque iam statim ab initio, cum complures urbes iis assignatae diu in potestate Cananaeorum remanerent, coactos esse videri in aliarum tribuum oppidis perfugium quaerere (cf. Jos 16, 10; 17, 11 s. Jdc 1, 27 ss. I Rg. 9, 16 ss.).

Nm 35, 9—34 Jahve praecipit, ut post Hebraeorum immigrationem in terram Canaan inter urbes Levitarum sex urbes refugii vel asyli (עָרֵי הַמִּקְלָט LXX πόλεις φυγαδευτηρίων, φυγαδεῖα, πόλεις καταφυγῆς; Vulg. *oppida in fugitivorum auxilia separata*, *praesidia fugitivorum*, *urbes ad fugitivorum subsidia*), ternae cis et trans Jordanem, significentur, in quas homicidae innocentes confugiant. Quae lex innititur lege talionis (Gn 9, 5 s. Ex 21, 23—25 [26 s.]), quae exigit, ut homicidium morte homicidae puniatur, et lege ultionis (Gn 4, 14), quae cognatis ius tribuit iuris cognati vindicandi et ulciscendi. Praeterea evolvit legem Ex 21, 12—23, qua statuitur homicidam sontem esse interimendum, nullo refugio ei concesso, homicidae insonti refugium promittitur, quae promissio lege illa de urbibus refugii significandis efficitur.

De urbibus refugii *trans Jordanem* sitis Dt 4, 41—43 agitur, ubi memoriae proditur Mosen in regione trans Jordanem sita iam ante flumen traiectum tres urbes refugii (*Bezer* in Ruben, *Ramoth* in Gilead, *Golan* in Menasse) designasse, cum Nm 35, 10. 14 Jahve mandavisset, ut omnes urbes refugii, etiam eae trans Jordanem sitae, non a Mose, sed a Josua instituerentur. Qui loci quo modo componendi sint, F. de Hummelauer, Comm. in Dt 223 s. exponit.

De urbibus refugii *cis Jordanem* sitis, quas Josua instituit: *Kedesch* in Naphtali, *Sichem* in Ephraim, *Hebron* (cuius nomen antiquitus erat *Kirjath-Arba*) in Juda (Jos 20, 1—9), Dt 19, 1—13 agitur, quo loco, prologo oratorio praemisso (v. 1—3), lex illa Nm 35, 9—34 accuratius explicatur (v. 4—6 et 11—13 exemplis definitur, qui homicida innocens, qui nocens habendus sit) et admonetur, postquam fines Hebraeorum dilatati sint, ut numerus urbium refugii duplicetur, si id necessarium videatur (v. 7—10). Ceterum nullo loco comprobari potest in regione cis Jordanem sita postea tres alias urbes refugii institutas esse.

Omnes urbes asyli sitae erant in montibus, ut eminus videri possent, exceptâ Bezer, quae erat in planitie, loco tamen patenti et conspicuo. Atque ut liberior ad urbes aditus pateret, viae parandae erant commodissimae (Dt 19, 3). Sed columnarum inscriptarum, quae viam monstrarent (quas nonnulli ex rabbinorum scriptis sumpserunt), in sacris litteris nullum exstat vestigium.

Appendix

De ministris synagogarum

Cuivis synagogae praeerat *archisynagogus* (ἀρχισυνάγωγος Mc 5, 35 s. 38. Lc 8, 49; 13, 14. Act 18, 8. 17. ἄρχων τῆς συναγωγῆς Lc 8, 41. interdum simpliciter ἄρχων Mt 9, 18. 23. רֹאשׁ הַכְּנֶסֶת *caput conventus* M. Joma 7, 1. Sota 7, 7), cuius erat quiquid ad res in synagoga peragendas pertinebat moderari [1]. Qua in re ei operam suam commodabant aliquot viri aetate venerabiles et virtute praestantes, qui *séniores* (זְקֵנִים, πρεσβύτεροι Lc 7, 3), nonnumqam ἀρχισυνάγωγοι (Mc 5, 22. Act 13, 15) atque etiam *pastores* (פַּרְנָסִין, ποιμένες) et *antistites* (מְמוּנִים, προεστῶτες) vocabantur. Hic senatus non modo de institutionibus synagogae, sed etiam de iis, qui legem violaverant, agebat poenamque flagellationis decernebat (Mt 10, 17; 23, 34. Mc 13, 9. Act 22, 19; 26, 11) aut etiam sontes communione excludebat (Jo 9, 22. 34 s; 12, 42; 16, 2). Praeterea commemorantur *apostolus* sive *legatus synagogae* (שְׁלִיחַ הַצִּבּוּר, ὁ ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας) [2], qui nomine universi coetus preces liturgicas recitabat (M. Rosch haschana 4, 9), lectionibus invigilabat, exteris nuntios ferebat; *lector* vel *interpres* (תַּרְגְּמָן), qui ea, quae recitata erant, ex sermone Hebraico in Syrochaldaicum vel Graecum transferebat, inter-

pretabatur, ad eos, qui aderant, accommodabat[3]; *collectores eleemosynarum* (גַּבַּאֵי צְדָקָה sive גַּבָּאִים), qui pecunias in usum pauperum collectas administrabant et distribuebant; denique *minister* (חַזָּן, ὑπηρέτης Lc 4, 20), cui viliorum rerum cura mandata erat[4].

[1] S. Jarchi ad M. Sota 7, 7: „Synagogae princeps est, ex cuius sententia res synagogae decernuntur: quis prophetas sit lecturus, quis expositurus super Schma, quis descensurus coram arca".

[2] Certe שליח idem est quod ἄγγελος, imprimis autem hoc nomine ii significabantur, qui ad puellas nubiles matrimoniorum causâ mittebantur. Ut Moses quoque in Midrasch schir haschirim 5, 2 vocatur שליח, quod eo intercedente Jahve gentem Hebraicam tamquam uxorem duxerit.

[3] Qui tempore antiquo aliquis sacerdos vel senior erat (τὶς τῶν ἱερέων ἢ τῶν γερόντων Phil. Fragm. opp. II, 630. cf. Mal 2, 7. Neh 8, 8 ss; 9, 1 ss.), aetate autem posteriore quivis eruditus (τὶς τῶν ἐμπειροτάτων Phil. De septen. ib. 282), qui ad interpretandum vel invitabatur vel se ipse offerebat. Stans in cathedra verba sacra legebat, dein sedens ea interpretabatur (Lc 4, 16. 20). Tamen nonnumquam ad maiorem attentionem excitandam stans coetum alloquebatur (Act 13, 16).

[4] S. Jarchi ad M. Sota 7, 7: „חזן הכנסת est ὁ ὑπηρέτης synagogae, cui incumbit onus omnia synagogae negotia curandi, nimirum librum legis in arcam inferendi et ex ea producendi, arcam nudandi et omnia in synagoga recte disponendi".

Adnotatio. — Synagogarum moderatoribus minus recte adnumerantur עֲשָׂרָה בַּטְלָנִין *decem otiosi* (Babyl. Sanhedrin 17[b]. Megilla 5[a]. Baba kamma 82[a]), qui non pro desidibus habendi sunt, sed quia nullis rebus vanis occupati erant, omni conventui interesse debebant, ut semper numerus iustus ad sacrum coetum constituendum adesset. Cf. Bl. Ugolini Thes. XXI, 1—202. 297—494.

III

De temporibus sacris

Praesidia doctrinae. — Bl. Ugolini Thes. I, 389—718. — J. F. L. George, Die älteren jüdischen Feste mit einer Kritik der Gesetzgebung des Pentateuchs. Berlin 1835. — C. Ch. W. Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus II, 525—698. — H. Ewald, De feriarum Hebraearum origine ac ratione. Gottingae 1841. — H. Hupfeld, De primitiva et vera festorum apud Hebraeos ratione ex legum Mosaicarum varietate eruenda. P. I. De Exodi legibus et vera praesertim ritus paschalis ratione. Halis Saxonum 1851. P. II. De festorum orbe in ceteris pentateuchi libris

obvio. ib. 1852. P. III. De anni sabbatici et iobelei ratione. ib. 1858. Appendix: Commentatio, qua festorum memoriae apud rerum Hebraicarum scriptores cum legibus Mosaicis collatae examinantur. ib. 1865. B. Zuckermann, Sabbatjahrcyclus und Jubelperiode. Breslau 1857. — J. Bachmann, Die Festgesetze des Pentateuchs, aufs neue kritisch untersucht. Berlin 1858. — W. H. Green, The Hebrew feasts in their relation to recent critical hypotheses concerning the Pentateuch. New-York 1885. Versionem Germanicam edidit O. Becher, Die Feste der Hebräer in ihrer Beziehung auf die modernen kritischen Hypothesen über den Pentateuch. Gütersloh 1894. — Th. Schärf, Das gottesdienstliche Jahr der Juden. Leipzig 1902. — J. Wellhausen, Prolegomena zur Geschichte Israels [6] (80—114) Berlin 1905. — B. D. Eerdmanns, The Hebrew feasts in Leviticus XXIII (Exp 8. S. IV, 43—56).

De temporibus sacris universis

I. In historia patriarcharum de statis quibusdam temporibus sacris nihil reperimus; patriarchae enim cultui divino vacasse videntur, quotienscumque peculiaribus causis permovebantur. *Septimum* vero hebdomadis *diem* praeter ceteros a patriarchis ut sacrum observatum esse nulla quidem diserta fit mentio, sed probabile est genus humanum iam ab initio illo die ita usum esse; nam mundi creatione sex diebus perfectâ „deus requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixit diei septimo et sanctificavit illum“ i. e. sacrum et festum eum habuit suaeque quietis exemplo hominibus quasi praecepit, ut hoc die et ipsi requiescerent eoque ut sacro uterentur (Gn 2, 2 s. cf. Ex 20, 11: 31, 17. II Mcc 15, 4). Quare Philo (De opificio mundi. opp. I, 21) sabbatum *festum publicum orbis terrarum* appellat: Ἑορτὴ γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἐστὶν ἀλλὰ τοῦ παντός, ἣν κύριος ἄξιον καὶ μόνην πάνδημον ὀνομάζειν καὶ τοῦ κόσμου γενέθλιον.

Sunt qui existiment, quae Gn 2, 2 s. traduntur, per anticipationem dicta esse neque ad primum illud mundi nascentis sabbatum aut ad primos homines referenda, sed ad statum et tempus legis Mosaicae, quo tempore Moses Pentateuchum populo Hebraico scripsit. Ita A. Tostatus aliique.

Verum vestigia septimanae cuiusdam iam Gn 7, 4. 10; 8, 10. 12; 29, 27 inveniuntur. Quare ante legislationem Mosaicam ille septimus dies minime ignotus, sed a reliquis diebus distinctus fuisse videtur, quamquam non ita celebrabatur, sicut lege lata ab Hebraeis celebrari debebat.

Conferas L. Reinke, Der Sabbat der Hebräer vor der Gesetzgebung am Sinai (Beiträge zur Erklärung des alten Testaments VIII, 1—44).

II. Jahve pro gente electa varios instituerat *dies festos* (מוֹעֲדִים, plene מוֹעֲדֵי יְהוָה *festa Jahvae* Lv 23, 2. 4. 37. 44. II Chr 2, 3. LXX

et Philo ἑορταὶ κυρίου)[1] et *sollemnitates* (חַגִּים Ex 23, 14 ss; 34, 18 ss. Lv 23, 34. 39. 41. Dt 16, 10. 13. 16. II Chr 5, 3; 8, 13)[2], idque ut et memoria praecipuorum beneficiorum, quae illi impertire dignatus erat, permaneret et ut gens ope caerimoniarum maiestateque cultus externi religioni divinitus imbutae magis magisque addiceretur; et ut ei quies et relaxatio laborum procuraretur; et ut occasio eius docendi suppeditaretur, cum in contionibus sacris lex Mosaica praelegeretur et explicaretur; et ut variae familiae conveniendo mutuam renovarent caritatem atque in societatem vitae convocarentur — ad summam ex causis *agrariis*, *historicis*, *religiosis*.

[1] Vocabulum מוֹעֵד, a יָעַד *definivit, constituit,* cum tempus naturâ vel lege constitutum et definitum tum conventum ipsum tempore suo et loco definitum significat.

[2] Vocabulum חָג ducitur a חָגַג *saltavit, tripudiavit,* et quia iis diebus inter alia hilaritatis publicae indicia etiam saltationes erant = *festum celebravit.*

Hebraeorum festa in *tres classes* dividi possunt, quarum *prima* continet festa sabbatica, quae praecipue pertinent ad quietem (sabbata, neomeniae, annus sabbaticus, annus iubilaeus), *altera* festa annuaria, quae et cum historia et cum cultura agrorum cohaerent (sollemnitas paschatis, sollemnitas hebdomadum sive pentecostes, sollemnitas tabernaculorum frondeorum), *tertia* festa, quae ad nullam rem spectant nisi ad sanctificationem (dies expiationis). Quibus accedunt festa post exsilium Babylonium instituta.

Omnium festorum id proprium est, quod *numero septenario* reguntur. Nam cyclus sabbaticus exordium sumit a sabbato, septimo die hebdomadis, et gradatim adscendit ad mensem sabbaticum i. e. mensem septimum, ad annum sabbaticum i. e. septimum quemque annum quieti consecratum, ad annum iubilaeum denique i. e. quinquagesimum quemque annum, qui post septenas hebdomadas annorum sive post septies septenos annos ab ultimo iubilaeo celebrandus erat. Praeterea sollemnitas pentecostes sive festum hebdomadum post septem hebdomadas a paschate numeratas agebatur; sollemnitas paschatis et tabernaculorum per septem dies celebrabantur; dies propitiationis et sollemnitas tabernaculorum in mensem septimum incidebant. Denique praeter sabbatum septem alii dies festi cessatione ab omni opere et sacro coetu agitabantur: dies primus et septimus paschatis, dies pentecostes, neomenia mensis septimi, dies expiationis, dies primus sollemnitatis tabernaculorum, dies vicesimus secundus mensis septimi, qui clausula omnium totius anni festorum erat.

Ut religio Mosaica, ita *ceterae religiones orientis antiqui* certa tempora festa habebant, quae in dies festos lunae et sollemnia anniversaria ad solem

spectantia dividere possumus. Quos dies festos etsi suo quaeque gens modo celebrabat, tamen quaedam similitudines dierum festorum legis Mosaicae et aliarum religionum orientis antiqui negari non possunt. At illae similitudines tantum extraneae sunt, opiniones autem cum diebus festis coniunctae prorsus diversae. Quare etsi necesse non est colligi dies festos Hebraeorum ex aliis religionibus assumptos esse, tamen concedere possumus nonnullos ritus diebus festis usitatos ex religione prima omnium hominum communi manasse, qui postea demum a diversis gentibus suis opinionibus impleti sunt.

III. Quod ad tempora sacra Hebraeorum attinet, critici recentioris aetatis codicem sacerdotalem, qui post exsilium demum Babylonium exstitisse dicitur, contra priorem legislationem et historiam repugnare contendunt. Atque antiquitus Hebraei tria sollemnia anniversaria eo consilio egisse dicuntur, ut tempore verno primitias frugum offerrent *(sollemnitas paschatis)*, ineunte aestate messe frugum peractâ *(sollemnitas pentecostes)*, autumno totâ operâ messoriâ ad finem perductâ (*sollemnitas tabernaculorum)* laetarentur. In Deuteronomio autem, qui liber aetate regis Josia exortus esse dicitur, pascha et sollemnitas tabernaculorum iam cum exitu populi e servitute Aegyptia coniunguntur atque in codice sacerdotali illi dies festi adeo ad id factum referuntur, ut memoria prioris festorum significationis prorsus obliterata videatur. Praeterea in caerimoniis praescriptis complures inveniuntur discrepantiae inter Deuteronomium et codicem sacerdotalem, qui etiam duo nova festa addit, *primum diem septimi mensis* et *diem expiationis,* quorum in tota historia nullum vestigium inveniri potest. Atque ipsum pascha inde a iudicum temporibus usque ad aetatem regis Josia non celebratum esse II Rg 23, 22 s. (II Chr 35, 18) diserte dicitur. Ante Josia autem sollemnitatem tabernaculorum, cum sola commemoretur, *solum* aut *saltem praecipuum* antiquorum Hebraeorum *festum* fuisse videtur.

Contra quae dicimus haec: In festorum significatione pluribus verbis commorari necesse non est; nam etsi alibi alia significatio alicuius rei praedicatur, tamen significationes ipsae inter se non pugnant. Idem festum autem et liberationem ex Aegypto in memoriam revocare et gratiarum pro altero quodam beneficio agendarum causâ celebrari posse nemo negabit. Unus locus, ex quo critici recentiores demonstrare conantur iam ante Mosen festa illa tamquam *festa naturalia* ab Hebraeis acta esse, est Ex 10, 9., ubi Moses a Pharaone exitum Hebraeorum petit, ut in deserto חג־יהוה *sollemnitatem Jahvae* celebrent. At quo modo ex hoc loco colligi possit Mosen unam ex tribus sollemnitatibus anniversariis postea institutis in mente habuisse, non apparet. Nam sacra sollemnia, de quibus eo tempore, quo plagae in Aegyptum immissae erant, Jahve per Mosen locutus est (Ex 10, 3), loco allato tantum חג־יהוה appellantur; tria autem sollemnia anniversaria constitutos dies habebant, qui iam dudum praeterierant, cum Pharao post ultimam plagam Hebraeis permisit, ut abirent.

In caerimoniis praescriptis discrepantias inter Deuteronomium et codicem sacerdotalem non adesse historia sacra temporum post exsilium Babylonium aperte ostendit. Num forte Esra vel quisquis ex opinione criticorum ultimus legislationis pentateuchicae redactor est, in codice legum ritualium, quae quotannis observandae erant, discrepantias reliquisset? Quod autem nostris temporibus, postquam usus, qui optimus legum interpres est, sacrorum et festorum illorum diu cessavit, eae leges non amplius accurate intelleguntur, haud mirum videtur.

Celebrationem festorum in libris historicis raro commemorari illud quidem verum est, sed falsum temporibus ante Josia solius sollemnitatis tabernaculorum mentionem fieri. Nam ubi primum terram Canaan ingressi sunt, Hebraei „fecerunt (celebrarunt) pascha quarto decimo die mensis (primi sive Nisan) vesperi in campestribus Jericho" (Jos 5, 10) et rex Hiskia, qui centum annis ante regem Josia fuit, „misit ad universum Israel et Juda et scripsit epistulas ad Ephraim et Menasse, ut venirent Hierosolyma in aedem Jahvae et facerent (celebrarent) pascha Jahvae, deo Israel" (II Chr 30, 1). Atque de Jerobeam I, rege Israelitarum, memoriae proditur eum „sollemnitatem celebrasse mense octavo, die quinto decimo mensis, similem sollemnitatis, quae est in Juda" (I Rg 12, 32). Quod autem ad II Rg 23, 22 attinet, eo loco non dicitur a diebus iudicum usque ad aetatem regis Josia nullum pascha celebratum esse, sed tantum: לֹא נֶעֱשָׂה כַּפֶּסַח הַזֶּה *non factum est sicut pascha hoc* i. e. ut Vulgata bene habet: „non factum est phase *tale*" (cf. II Chr 30, 26. Neh 8, 17), quibus verbis non ipsum festum negatur, sed singularis eius sollemnitas, concursus laetitiaque universi populi enuntiatur. Etiam sollemnitas pentecostes diserte commemoratur temporibus Salomonis (II Chr 8, 13). Quae testimonia illi quidem, qui pracepta et instituta scholae criticae sequuntur, diluere conantur, cum textum libri Josua allatum ad codicem sacerdotalem trahunt atque libris Rg et Chr omnem fidem denegant. Mirum autem est, quod soli tres illi versus Jos 5, 10—12 ad codicem sacerdotalem pertinent, reliqua omnia, quae praecedunt (1, 1—5, 9. excepto solo 4, 19) et quae sequuntur (5, 13—9, 16), alios auctores habent. At diei expiationis ante exsilium nulla fit mentio. Ex quo silentio si quid iure deducitur, concludendum est expiationis diem post Christum demum institutum esse; nam certum eius testimonium non habemus nisi Hebr 9, 7., quae epistula ex criticorum illorum opinione exeunte saeculo secundo scripta est. Num enim ἡ νηστεία, de qua Act 27, 9 sermo est, ieiunium diei expiationis sit, certum non est. Nos vero haud mirum esse censemus, quod de festis, quae ordine et usitato more quotannis peragebantur, libri historici nihil continent neque eorum ritus describunt.

Cf. R. Cornely, Hist. et crit. introd. in UT libr. sacr. II, 1, 148—150. J. Kley, die Pentateuchfrage 207—210.

IV. Cum Hebraei essent gens servitio unius veri dei dicata (Ex 19, 6. Dt 7, 6; 14, 2; 26, 18), etiam singulos dies quodam modo sacros habere debebant. Quare *cottidie* et mane (sub ortum solis. ante alia sacrificia) et vesperi (accuratius בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas vesperas*[1], post

alia sacrificia) agnus anniculus, sine ulla macula, unâ cum mincha et libamine nomine totius populi (Jos. AJ 3, 10. 1: ἐκ τοῦ δημοσίου ἀναλώματος) in holocaustum offerendus erat (Ex 29, 38—42. Lv 6, 1—11. Nm 28, 3—8. I Chr 16, 40)[2]. Sacrificium vespertinum per totam noctem, matutinum per totum diem lento igne cremabatur, לְרֵיחַ נִיחֹחַ אִשֶּׁה לַיהוָה *ut esset odor suavis et sacrificium igne confectum Jahvae* (Ex 29, 41. Nm 28, 6. 8). Quare vocabatur *sacrificium perpetuum* (עֹלַת תָּמִיד Nm 28, 3. עֹלַת תָּמִיד Ex 29, 42. Nm 28, 6. Esr 3, 5. עֹלַת הַתָּמִיד Nm 28, 10. 15. 23 s. et simpliciter הַתָּמִיד Dn 8, 11—13; 11, 31: 12, 11. LXX ὁλοκαύτωμα ἐνδελεχισμοῦ, Jos. BJ 6, 2. 1: ὁ ἐνδελεχισμός).

Duplici hoc holocausto peccata populi diem noctemque commissa expiabantur simulque et deum dominari in populum et hominis esse deo omni tempore venerationem et adorationem exhibere significabatur. Praeterea sacrificium perpetuum est *typus* agni illus immaculati, qui pro omnium hominum salute in cruce immolatus est, qui mane in altari offertur et ut eucharistia semper ibi sese offert.

Conferas tract. Tamid (M V, 10); E. Schürer, GJV II[4], 336—357.

[1] De hac loquendi formula iam veteres inter se dissentiebant. Nonnulli (ut *S. Jarchi*) eam totum fere tempus pomeridianum intellegunt, cum prima parte noctis sol occasu suo quasi duas vesperas dividat. Alii (velut *Ibn'Esra*) opinantur duas vesperas ab occasu solis incipere et in crepusculum desinere i. e. hanc temporis significationem nihil aliud esse nisi vesperam nostram. Quae sententia verbis Mosis magis convenire videtur; nam Dt 16, 6 legislator agnum paschalem, qui „inter duas vesperas" mactandus erat (Ex 12, 6. Lv 23, 5. Nm 9, 3), בְּעֶרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *vesperi circa occasum solis* immolare iubet.

[2] Loco II Rg 16, 15 non dicitur aetate regis Ahas cottidie mane holocaustum, vesperi sacrificium incruentum oblatum esse; nam verba אֶת־מִנְחָתוֹ ibi delenda sunt (cf. LXX Luc., in quo textu vocabulum πρωϊνήν perperam in εἰρηνικῶν mutatum est).

Sacrificium perpetuum, cui ex Judaeorum opinione mane tantum, non vesperi benedictio sacerdotalis addebatur, mincha cottidiana (מִנְחָה תָּמִיד) a pontifice pro se universisque sacerdotibus et mane et vesperi offerenda (Lv 6, 12—19) excipiebat. In sanctuario autem loco sacrificii perpetui offerebatur thymiama (Ex 30, 7 s.), septem lucernae candelabri aurei per noctem et nonnullae (saltem una) per diem ardebant (Ex 27, 20. Jos. AJ 3, 8. 3), panes propositionis continuo coram facie sive throno Jahvae parati erant (Ex 25, 30. Lv 24, 8).

Ex Hebr 7, 27 non efficitur sacrificium illud a pontifice offerendum holocaustum cottidianum antecessisse; nam quod illo loco pontifex cottidie

πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ sacra fecisse dicitur, sacrificium pro populo non est holocaustum cottidianum, sed id sacrificium pontificis, quod primum (πρότερον) ad peccata summi pontificis, deinde (ἔπειτα) ad peccata populi expianda spectabat, pro quo summus pontifex precari debebat. Quare Philo (De special. legib. opp. II, 321) affirmat summum pontificem ut consanguineum totius nationis preces et sacrificia in dies offerre (εὐχὰς καὶ θυσίας τελῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν) optimumque pro omnibus expetere, ut omnia populi membra inter se conectantur atque cohaerescant.

Adnotatio. — Memorantur a Judaeis אַנְשֵׁי הַמַּעֲמָד *viri stationis,* ex universa gente electi, ut sacrificiis omnium nomine offerendis unâ cum sacerdotibus et Levitis praesentes essent atque adeo sacro quodam munere fungerentur. Erant viginti quattuor eorum classes. Unaquaeque classis parebat suo praefecto, qui רֹאשׁ הַמַּעֲמָד *caput stationis* vocabatur (M. Taanith 4, 2 s. cf. J. Buxtorf, Lex. Chald. 1622 s. J. Lightfoot, Hor. Hebr. ad Lc 1, 5 et Jo 1, 29). Sed huius instituti neque in sacris litteris neque apud Josephum ullum reperitur vestigium neque in ipsa Mosaica institutione quidquam erat, quod id induceret; immo summus sacerdos in rebus sacris quasi totius populi vicem obtinebat.

V. Subicimus *conspectum sacrificiorum* diebus festis nomine totius populi immolandorum (Nm c. 28 et 29):

	A	*V*	*Ar*	*A'*	*H**
Dies negotiosi	2	—	—	—	—
Sabbata	2	—	—	2	—
Novilunia	2	2	1	7	1
Phase 14. Nisan *(Agni paschales a singulis familiis immolandi)*					
Festum azymorum (15.—21. Nisan) . . .	2	2	1	7	1
Pentecoste	2	2	1	7	1
Novilunium septimi mensis	2	2	1	7	1
Dies expiationis	2	1	1	7	1+1
Festum tabernaculorum 15. Tišri	2	13	2	14	1
Octavae dies II. 16. „	2	12	2	14	1
„ „ III. 17. „	2	11	2	14	1
„ „ IV. 18. „	2	10	2	14	1
„ „ V. 19. „	2	9	2	14	1
„ „ VI. 20. „	2	8	2	14	1
„ „ VII. 21. „	2	7	2	14	1
Clausula festi 22. „	2	1	1	7	1

* *A* = agni (sacrificium cottidianum); *V* = vituli; *Ar* = arietes; *A'* = agni (sacrificium festivum), *H* = hirci.

Sectio prima

De cyclo sabbatico

Caput primum

De sabbato

Conferas tract. Schabbath (M II, 1); G. Lotz, Quaestionum de historia sabbati libri duo. Lipsiae 1883 (RE[3] XVII, 283—291): W. Riedel, Alttestamentliche Untersuchungen I, 74—89; F. Bohn, Der Sabbat im alten Testament und im altjüdischen religiösen Aberglauben. Gütersloh 1903; H. Zimmern KAT[3] 592—594. ZDMG LVIII, 1904, 199—202. 458—460; Th. G. Pinches, Šapattu, the Babylonian Sabbath (Proceedings of the society of biblical archaeology XXVI, 1904, 51—56); Frd. Delitzsch, Babel und Bibel I[5], 31 s. 62—65; J. Meinhold, Sabbat und Woche im alten Testament. Göttingen 1905. Die Entstehung des Sabbats (ZAW XXIX, 1909, 81—112); S. Müller, שבת שבתון. Die Sabbatvorschriften nach der Bibel und deren Kommentaren. Paks 1906; J. Hehn, Siebenzahl und Sabbath bei den Babyloniern und im alten Testament (Leipziger Semitistische Studien II, 5) Leipzig 1907. Der israelitische Sabbath (BZF II, 12) Münster 1909.

I. Temporum sacrorum praecipuum erat שַׁבָּת sabbatum, a vespera diei Veneris usque ad vesperam Saturni (Lv 23, 32)[1]. Vocabulum שבת (Graece τὸ σάββατον et τὰ σάββατα)[2] *cessationem* declarat et unâ *quietem;* nam radix Hebraica שָׁבַת significat per se ipsa *cessare* sive *desistere* ab aliquo opere, ad quam vim *quiescendi* quoque significatio accessit. Quare שבת est *dies cessationi ab operibus destinatus.* Josephus (AJ 1, 1. 1. CAp 2, 2) sabbatum ex Judaeorum dialecto interpretatur ἀνάπαυσιν = *quietem, cessationem* ab omni opere. Item Philo (De Abraham. opp. II, 5) sabbatum vertit ἀνάπαυσιν, quam tamen non de cessatione ab opere explicat, sed ex eo, quod numerus septenarius pacatissimus et ab omni seditione, bello, contentione alienissimus habeatur[3]. Etiam ex sententia Aristobuli Peripatetici (apud Euseb. Praep. evang. 13, 12. MSG 21, 1101) σάββατον διερμηνεύεται ἀνάπαυσις. Ex vocabulo Aegyptio σαββάτωσις (sabbato), quod morbum aliquem obscenum (τὸ βουβῶνος ἄλγος) significat, sabbatum dictum esse malitiose putavit Apion (Jos. CAp 2, 2). Nonnulli recentiores (velut G. Hoffmann, ZAW III, 1883, 121) vocabulum שבת ab Arabico *sabbat* ducunt, ut „partem temporis" significet[4].

Vocabulum שַׁבָּתוֹן vim auctam habere videtur (= *sabbatum magnum* sive *sollemne*), ut die septimo plane nihil operis faciendum esse indicetur.

Ex aliorum opinione שַׁבָּתוֹן est simplex abstractum (= *celebratio sabbati, sollemnia sabbatica,* σαββατισμός). שבת nomen proprium. Ceterum id vocabulum, quod etiam de die expiationis (Lv 16, 31; 23, 32) et de anno sabbatico (Lv 25, 4) usurpatur, plerumque cum שבת coniunctum legitur idque tribus diversis modis: שַׁבַּת־קֹדֶשׁ שַׁבָּתוֹן Ex 16, 23. שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן קֹדֶשׁ Ex 31, 15. Lv 23, 3. קֹדֶשׁ שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן Ex 35, 2. Philo, Origenes, Hilarius, Theodoretus, alii loquendi formulam שבת שבתון superlativum esse existimant, velut *sancta sanctorum, canticum canticorum*, propterea quod LXX interpretes Lv 23, 32 eam verbis σάββατα σαββάτων reddiderunt. Quod tamen omnino falsum est.

[1] Hebraei diem naturalem sive spatium viginti quattuor horarum ab uno occasu solis ad alterum computabant. Inde loquendi formulă עֶרֶב בֹּקֶר (Dn 8, 14) = νυχθήμερον (II Cor 11, 25). Atque tempus nocturnum diurnum praecedere volebant (cf. Ps 55, 18), quod illud prius exstitisse credebatur (cf. Gn 1, 2 s., quo loco Judaeos iam coram Alexandro Magno ad hanc rem probandam usos esse in Babyl. Tamid 66[a] legitur).

Diversitate regionum effectum est, ut Judaei non omnibus locis eodem tempore sabbatum inciperent et finirent. Sabbatum ab hora nona diei praecedentis incepisse ex edicto Caesaris Augusti apud Jos. AJ 16, 6. 2 colligi potest. Hierosolymis sacerdos quidam initium et finem sabbati clangore tubae indicabat idque ἐξ ἔθους fiebat, ut significaretur, quando cessare et quando labores suscipere oporteret (BJ 4, 9. 12). Quod in ceteris quoque oppidis factum esse fama Judaeorum traditur (Babyl. Schabbath 35[b]).

[2] Nonnumquam etiam ἡ ἑβδομάς pro die sabbati accipitur, ut II Mcc 6, 11: ἄγειν τὴν ἑβδομάδα = *sabbati diem celebrare;* ib. 12, 38: τῆς ἑβδομάδος ἐπιβαλλούσης = *cum sabbati dies superveniret.*

[3] A numero septenario sabbatum nuncupatum esse existimant etiam Theophilus Antioch. (Ad Autolyc. 2, 12. MSG 6, 1069: ὅτι παρ' Ἑβραίοις ὁ καλεῖται σάββατον Ἕλλησι ἑρμηνεύεται ἑβδομάς) et Lactantius (Div. inst. 7, 14. MSL 6, 782: „Dies sabbati a numero nomen accepit, unde septenarius numerus legitimus ac plenus est"). Quam tamen opinionem nostris temporibus iam nemo probat.

[4] Nulla confutatione digna est explicatio Plutarchi (Sympos. 4, 6, 2), qui nomen sabbati cum nomine Bacchi (Σαββάσιος) cohaerere docet, quod eo die Judaei inter se cohortentur, ut bibant: Αὐτοὶ (Judaei) τῷ λόγῳ μαρτυροῦσιν, ὅτι τὸν Σαββάσιον τιμῶσι, μάλιστα μὲν πίνειν καὶ οἰνοῦσθαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους.

In sacris litteris vocabulum „sabbatum" ad quattuor res appellandas usurpatur; atque primum quidem *septimum hebdomadis diem* significat (Ex 20, 10), quia mundi creatione sex dierum spatio perfectâ deus die septimo requievit i. e. a creandis novis rerum speciebus cessavit (ib. v. 11); tum *omnia festa a deo instituta* (Lv 16, 31; 23, 11.

24. 32; 26, 2. Ez 20, 12 s. 16. 20; 22, 8. 26. Thrn 1, 7); deinde *septimum quemque annum* (Lv 25, 8), quo agri non colebantur et quasi sabbatum agebant; denique *totam hebdomadem* (Lv 23. 15. Mt 28, 1. Mc 16, 9. Lc 18, 12; 24, 1. Jo 20, 1. Act 20, 7. I Cor 16, 2).

Quid σάββατον δευτερόπρωτον (Lc 6, 1) intellegendum sit, ingenia interpretum, id quod ex diversis eorum sententiis apparet, non parum exercuit. Plerique censent esse id sabbatum, quod secundum diem paschatis proxime sequitur. Nam cum Judaei dies a paschate usque ad pentecosten numerarent (Lv 23, 15 s. Dt 16, 9), id sabbatum, quod primum a secundo die post pascha sequebatur, nomen δευτερόπρωτον (= πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα) suo iure accepisse videtur (secundum sabbatum post secundum diem paschatis = δευτεροδεύτερον, tertium sabbatum = δευτερότριτον etc.). Sunt et aliae virorum doctorum de hac re sententiae (cf. J. Knabenbauer, Comm. in Lucam 220—222), quarum tamen nulla ab omni parte probari potest.

Judaei posterioris aetatis diem primum festi azymorum, qui aeque atque ultimus sanctissimus habebatur (cf. Ex 12, 16. Lv 23, 7 s.), שַׁבָּת הַגָּדוֹל *sabbatum magnum* vocabant. Verbis autem Jo 19, 31: ἦν μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου ipse dies festus paschalis significatur, ut ex loco 18, 28 apparet.

II. Die sabbati omnes, etiam servi et animalia, omnibus operibus (מְלָאכָה), non solum iis, quae ad victum comparandum et lucrum faciendum pertinent (מְלֶאכֶת עֲבֹדָה), abstinere debebant (Ex 20, 10; 31, 13—17; 34, 21; 35, 2. Lv 23, 3. Dt 5, 14. Jer 17, 21 s. 24. Jos. CAp 1, 22. Phil. De vita Mosis l. 1. opp. II, 113: οὐδὲν ἐφεῖται δρᾶν ἐν αὐτῇ, πάντων δὲ μικρῶν καὶ μεγάλων ἔργων ἀνέχειν διείρηται). Quae opera cum Hebraeis ex traditione satis nota essent, in sacris litteris non diserte commemorantur, nisi mannam et ligna colligere (Ex 16, 26 ss. Nm 15, 32 ss.), ignem accendere (Ex 35, 3)[1], arare et metere (Ex 34, 21), onera portare et vehere (Neh 13, 15. Jer 17, 21), torcularia calcare (Neh 13, 15), emere et vendere (Neh 10, 31; 13, 16 s. Am 8, 5)[2].

[1] Cum Hebraei die sabbati ignem accendere vetiti erant, die Veneris (qui Jdth 8, 6 et Mc 15, 42 προσάββατον, apud Philonem προεόρτιον, Hebraice עֶרֶב שַׁבָּת, Aramaice עֲרֻבְתָּא דְשַׁבְּתָא vocatur) circa vesperam quidquid ad cenam necessarium erat, praeparare debebant (Ex 16, 23. Jos. BJ 2, 8. 9. M. Schabbath 4, 1 s.). Unde nomen eius diei ἡ παρασκευή = *apparatio, praeparatio* (Mt 27, 62. Mc 15, 42. Lc 23, 54. Jo 19, 42. Jos. AJ 16, 6. 2) ducendum est. Quod nomen olim apud Christianos quoque pro feria sexta usitatum erat (Tertullian. De ieiuniis c. 14. MSL 2, 1024. Origen. C. Celsum 8, 22. MSG 11, 1549 s.).

[2] Judaei opera praecipua, quae sabbato prohibita esse putabant, in certum ordinem redegerunt (M. Schabbath 7, 2) et nomine אבות מלאכות *patres operum* significaverunt. A Philone (De vita Mosis l. 3. opp. II,

168) ἀρχηγικώτατα ἄτια vocata sunt. Ex his nascuntur vel cum his aliquo modo cohaerent תולדות *proles*. Velut aedificare est *pater operis*, caseum conficere *proles*, quia species quaedam exstructionis est. *Patres* autem *operum* enumerant triginta novem hoc ordine: 1. serere, 2. arare, 3. metere, 4. colligere in manipulos, 5. triturare, 6. ventilare, 7. purificare, 8. molere, 9. cribrare, 10. pinsere, 11. coquere, 12.—15. lanam tondere, dealbare, excutere, tingere, 16. nere, 17. stamen subtegere, 18. inducere in spatium filorum, 19. duo fila texere, 20. duo fila rumpere, 21. ligare, 22. solvere, 23. duas suturas suere, 24. dissecare eo consilio, ut consuas, 25. venari, velut capream, 26.—28. feram mactare, excoriare, salire, 29.—31. pellem parare, radere, discindere, 32. duas litteras scribere, 33. delere et rursus duas litteras scribere, 34. aedificare, 35. destruere, 36.—37. ignem exstinguere vel accendere, 38. malleo percutere, 39. aliquid portare, velut e loco privato in locum publicum.

Certe alia quoque opera erant prohibita. Velut Judaei posterioris aetatis una voce tradunt sabbato iter plus duorum milium cubitorum instituere non licere[1]. Deducunt hunc terminum (qui M. Erubin 5, 5 תְּחוּם הַשַּׁבָּת terminus sabbati, Act 1, 12 σαββάτου ὁδός vocatur) ex distantia tentorii Mosaici ab extremis finibus castrorum (Jos 3, 4)[2], quia die sabbati omnes ad sacrarium in mediis castris positum confluere oportuit. Postea religio sabbati in varias transiit superstitiones atque circa tempora Christi imprimis Pharisaei in ea re nimis severi facti erant (M. Schabbath 7, 1 ss.). Etiam rigidiores in sabbato observando erant Esseni (Jos. BJ 2, 8. 9)[3].

[1] M. Erubin 4, 3. 7; 5, 7. Maimonides, Hilchoth Schabbath c. 27. J. Buxtorf, Lex. Chald. 2582. J. Lightfoot, Hor. Hebr. ad Lc 24, 50. Cf. etiam Mt 24, 20. Targum in Esth 1, 16.

[2] Cf. Ex 16, 29., ubi legimus: „Sedete quisquam sub se (i. e. septimo quoque die in tentorio suo maneat), ne exeat quisquam e loco suo die septimo". Ps. Jonathan addit verba: „ultra bis mille cubitorum", quae ex nonnullorum opinione delenda sunt, quod Moses loco allato tantum de exitu e castris ad mannam colligendam dicat. At quantum equidem iudicare possum, id praeceptum latius accipiendum est, quam ut ad mannae collectionem restringi oporteat; nam non modo ob eam causam, sed etiam ob aliam similem Hebraeos castris egredi prohibitos esse censeo.

[3] Sunt qui existiment sabbatorum observationem post exsilium Babylonium diversam fuisse atque ante exsilium eamque diligentiorem atque severiorem. Quae opinio nullo neque propheticorum neque historicorum librorum loco probari potest. Contra inde ab aetate Amos prophetae usque ad Nehemia sabbata apparet habita esse dies, quibus nefas esset negotia agere et temporibus Amos non neglegentius quam aetate Nehemia sabbata negotiorum intermissione celebrata esse videntur (Am 8, 5. Neh 13, 15—21). Postea demum Judaei sabbata tam anxie agere coeperunt, quam aetate Christi egerunt et ad nostra usque tempora agunt. Quae cum ita sint, nihil est cur nonnullorum opinioni adstipulemur post Mosen demum,

non ab ipso constitutum esse, ut sabbatum ita ageretur, ut leges Pentateuchicae praescribunt.

Adnotatio. — Id certum est iam antiquitus, eo tempore, cum nomen diei septimi שבת ortum est, quietem sive laboris intermissionem maxime insignem eius diei proprietatem fuisse. Quodsi quis arbitratur septimum diem principio fuisse *diem sacrificiorum* (J. Wellhausen, Geschichte Israels I, 117), ideo negare non potest ante ea tempora, quibus Hebraeorum res gestae memoriae diligentius traditae sunt, quietem, qua septimo quoque die uti homines sive lex sive mos cogebat, tanti habitam esse, ut ab ea, non a sacrificiis dies nomen acceperit.

Sabbato non prohibita erant 1) opera, quae ad cultum divinum spectabant, ut circumcisio puerorum (cf. Jo 7, 22 s. et sententiam Judaeorum: „Circumcisio pellit sabbatum“) [1], mactatio et concrematio victimarum; 2) opera misericordiae, ut aegrotos sanare (Mt 12, 10. Mc 3, 2. Lc 6, 7 s; 13, 14 ss. Jo 9, 14) [2]; 3) opera necessitatis, velut pecus in foveam delapsum extrahere (Mt 12, 11. Lc 14, 5), famem aliquot spicis avulsis et manibus confricatis mitigare (Mt 12, 2. Mc 2, 24. Lc 6, 2), armorum tempore belli usus. Olim quidem Hebraei die sabbati quietem adeo sollicite observabant, ut vel a defensione sui rerumque suarum abstinerent; quare saepius ab hostibus sabbato capti sunt, praesertim cum Antiochi Epiphanis tyrannide premerentur (Jos. AJ 12, 1. cf. CAp 1, 22. — I Mcc 2, 36—38. Jos. AJ 12, 6. 2. II Mcc 6, 11). Hinc summae erat prudentiae, quod Mattathias certamen die sabbati non illicitum esse pronuntiavit, si defendendi causâ committeretur (I Mcc 2, 41. Jos. AJ 12, 6. 2. cf. I Mcc 9, 43—49. Jos. AJ 13, 1. 3). Nec tamen fas esse putabant sabbato aut hostem aggredi aut munimenta ab eo structa demoliri (II Mcc 8, 26) [3], quod haud mediocre momentum attulit ad expugnationem Hierosolymorum a Romanis obsessorum.

[1] Cf. M. Schabbath 19, 1—4. Justin. Dialog. c. Tryph. § 27. MSG 6, 533. Epiphan. Haer. 30, 32. ib. 41, 468.

[2] Judaei docent: „Conservatio vitae sabbatum pellit idque ex hac ratione. Nam vita nostra est instar maris et lex instar feminae. Iam vero notum est, quod femina mari subdita sit, adeoque lex obligata est, ut faciat, quod vitae Israelitarum conservandae conveniens est“ (Jalkut Rubeni 123^{b}). Et: „Si circumcisio, quae ad unum tantum hominis membrum spectat, sabbatum pellit, quanto magis periculum vitae, quod ad totum hominem spectat, pellere potest sabbatum; ideoque hominem sabbato sanare licet“ (Tanchuma 27^{d}).

[3] Quare mirum non est Judaeos imprimis sabbatis ab hostibus ethnicis petitos esse (II Mcc 15, 1. Jos. AJ 13, 12. 4; 18, 9. 2). Sed contrarium quoque bello Judaico obtigit, ut Judaei sabbato in milites

Romanos impetum facerent eosque trucidarent (Jos. BJ 2, 17. 10; 2, 19. 2). Haud raro etiam in exercitibus gentilium stipendia merentes ac sabbato arma sumere iussi legem sabbaticam proterebant, ut excusarentur (II Mcc 15, 2). Qua de causa a consulibus Romanis vacationem militiae impetrarunt (Jos. AJ 14, 10. 12), et cum ab imperatore Tiberio quattuor milia eorum ad militiam adigerentur, plurimi gravissimas poenas subire quam mandato obtemperare maluerunt (Jos. AJ 18, 3. 5).

III. Praeter perpetuum sacrificium sabbato sacerdotes peculiare holocaustum duorum agnorum cum mincha et libamine (עֹלַת שַׁבָּת) offerebant (Nm 28, 9 s. cf. Neh 10, 33. II Chr 31, 3) et panes propositionis (τῷ σαββάτῳ πρωΐ Jos. AJ 3, 10. 7) permutabant (Lv 24, 8). Sed de peculiari quodam modo, quo a singulis Hebraeis deus sabbato colendus sit, in lege Mosaica nihil praescribitur. In synagogis autem lectio sacrarum litterarum (et quidem primo librorum Mosis, dein prophetarum) instituta, nonnumquam etiam a doctore quodam oratio ad populum habita est (Lc 4, 16. Act 13, 15. Jos. AJ 16, 2. 4). Ceterum sabbatum erat dies Jahvae sacer[1] et festus (Ex 20, 10; 31, 15; 35, 2. Lv 23, 3. Dt 5, 14. Jes 58, 13. Ez 20, 13. 16. 21. 24; 22, 8), qui congressionibus sacris (מִקְרָא קֹדֶשׁ *convocatio sanctitatis* sive *sacra,* LXX κλητὴ ἁγία Lv 23, 2 s. 7 s. 24. 27. 35—37. Nm 28, 25. ἐπίκλητος ἁγία Nm 28, 26; 29, 1. 7. 12)[2], hilaritate, canticis, laetis conviviis[3], quiete iucunda celebrabatur (cf. Nm 10, 10. Jes 58, 13. I Mcc 1, 39. Lc 14, 1. Phil. De vita contempl. opp. II, 477. August. Ep. 36. c. 3. MSL 33, 138), sicut aliae quoque gentes antiquae festa agebant. Pii Hebraei etiam prophetam quendam vel alium virum pium convenire solebant, a quo edocerentur (II Rg 4, 23).

[1] Magnum hoc est discrimen inter sabbata Babyloniorum (de quibus infra plura dicemus) et Hebraeorum. Illi quoque certe sabbata habebant pro diebus sacris; cum autem deum summum non nossent, sabbata agebant non deum venerantes, sed ob sanctitatem diebus ipsis inhaerentem. Ut ceteros dies, ita sabbata Babyloniorum alia aliis diis iisque non maioribus attributa videmus, ex quo apparet neque sabbatum fuisse diem, quod certi cuiusdam dei esset, neque illi deo attributum esse, quod sabbatum esset.

[2] Conventus sacri nomine מִקְרָא קֹדֶשׁ dicti esse videntur, quod diebus festis populus tubâ ad sacrarium convocabatur (Nm 10, 10). Rectius πανηγύρεις appellarentur, quo vocabulo Philo ad significandos dies festos Hebraeorum saepius utitur. Quid autem in conventibus illis agendum sit, lex non tradit. Instituti esse videntur ad communem dei adorationem (cf. Ps 22, 23. 26; 26, 12; 40, 11; 68, 27) et ad legis lectionem (cf. Act 15, 21. Jos. CAp 2, 17). Ceterum per loquendi formulam „contionem convocare" sive coetum populi ad sacra obeunda convocare sabbata omnis generis significantur, non solum hebdomadalia, sed etiam primus et

ultimus dies festorum maiorum, dies pentecostes, Kalendae mensis septimi eiusdemque dies decimus, qui dies omnes indicebantur (מִקְרָא) i. e. per praeconem renuntiabantur, ne ullum opus vetitum iis diebus fieret (cf. Lv 23, 2. 7 s.).

[3] Sabbato plerumque tria convivia instruebantur (M. Schabbath 16, 2), in quibus prandium horâ sextâ (Jos. Vit. § 54: ἕκτη ὥρα, καθ' ἣν τοῖς σάββασιν ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν). Falso complures scriptores Romanorum putabant Judaeos sabbato, cum eo die opus obire non debebant, cibo se abstinuisse. Velut Octavius Caesar Augustus ad Tiberium scripsit: „Ne Judaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium servat, quam ego hodie servavi" (Sueton. August. 76). Et Justinus (Hist. Philipp. 36, 2, 14) memoriae prodit: „Moses septem dierum ieiunio, per deserta Arabiae, cum populo suo fatigatus, cum tandem (ad montem Sinai) venisset, septimum diem more gentis sabbatum appellatum in omne aevum ieiunio sacravit, quoniam illa dies famem illis erroremque finierat". Cf. etiam Petron. Arbit. Fragm. 37, 6. Martial. Epigr. 4, 4, 7.

IV. Institutio sabbati praecipue id spectabat, ut homines per quietem a laboribus et sanctificationem diei sollemniter confiterentur deum omnia creasse, septimo die a procreandis novis rerum speciebus cessasse ideoque deum solum pietate et morum probitate colendum esse (Gn 2, 2 s. Ex 20, 11; 31, 17. Dt 5, 14. cf. II Mcc 15, 2—4). Quare observatio sabbati haud raro pro toto cultu divino ponitur (Lv 19, 3. Jes 56, 2. Jer 17, 21 s.) eiusque profanationi [1] ut publicae huius confessionis abnegationi ac defectioni a deo rege extremum supplicium decretum erat (Ex 31, 14 s; 35, 2) idque lapidatio (Nm 15, 32—36. M. Sanhedrin 7, 8) [2]. Accedebat, ut homines, imprimis mancipia, eo die quiete vires resumerent ac in deo clementissimo, qui hanc quietem instituisset, gauderent (Ex 23, 12) [3]. Quiete sabbatica etiam memoriam liberationis e servitute Aegyptia repraesentari (quod A. Knobel, C. F. Keil, B. Welte, W. Lotz, alii contendunt) Dt 5, 14 s. nequaquam dicitur, sed id solum eo loco praecipitur, ut Hebraei, qui in Aegypto oppressi molestiam perpetui laboris perpessi erant, eo lubentius mancipiis et iumentis illam quietem tribuant. Denique illa quies efficiebat, ut recordatio status originalis et felicitatis primorum hominum in paradiso permaneret, ac felicitatem aeternam et quietem caelestem (τὸν σαββατισμόν) peccato amissam et per messiam recuperandam typice significabat (Hebr 4, 3—11) [4]. Quam ob rem sabbatum merito appellatur *signum* quoddam *perpetuum*, constitutum, ut foedus inter Jahven et gentem electam initum memoriâ teneretur (Ex 31, 13—17. Ez 20, 12. 20) centrumque reliquorum festorum factum est.

[1] De sabbati violatione usurpantur verba חלל Ex 31, 14. Jes 56, 2. 6. Ez 20, 13. 16. 21. 24; 22, 8; 23, 38. Neh 13, 17 s. βεβηλοῦν

Mt 12, 5. λύειν Jo 5, 18., de eius observatione שָׁבַת *quievit, feriatus est* Ex 16, 30; 34, 21. שָׁבַת שַׁבָּת *sabbatum celebravit* Lv 23, 32. קִדֵּשׁ *sanctum habuit* Ex 20, 8. Dt 5, 12. Jer 17, 22. 24. 27. Ez 20, 20; 44, 24. Neh 13, 22. שָׁמַר *servavit* Ex 31, 13 s. 16. Lv 19, 3. 30; 26, 2. Dt 5, 12. Jes 56, 2. 4. 6. עָשָׂה אֶת־הַשַּׁבָּת *fecit* i. e. celebravit *sabbatum* Ex 31, 16. Dt 5, 15.

[2] Quisquis ex ignorantia vel errore praeceptum sabbati violaverat, is poenâ sacrificii pro peccato tenebatur (M. Sanhedrin 7, 8. cf. Schabbath 7, 1; 11, 6. Kerithoth 3, 10). Sabbatum ut profanaretur, quamquam et tum, cum Hebraei in deserto commorabantur (Nm 15, 32—36. Ez 20, 13. 16. 21. 24) et aliis temporibus (Jer 17, 21—27; 22, 8; 23, 38. Thr 2, 6. Neh 10, 32; 13, 15—21) usu venit, tamen vulgo diligenter celebratum esse videtur idque vel sub impiis regibus et sub externo imperio, quo tempore Judaeis, aetate Antiochi Epiphanis excepta (I Mcc 1, 43. 45. II Mcc 6, 6), omnibus locis sabbatum observare licebat (I Mcc 10, 34. Jos. AJ 14, 10. 12. 20 s. 23—25; 16, 6. 2). Postea demum aetate Vespasiani evenit, ut Judaei Antiochiae et in aliis Syriae urbibus postularent, ut observatio sabbati tolleretur (Jos. BJ 7, 3. 3), cum a Romanis ut desidiosi irriderentur, quod die sabbati negotiis vacarent. Cf. Juvenal. Satir. 14, 105 s. Tacit. Hist. 5, 4. Senec. apud *August.* De civ. dei 6, 11. MSL 41, 192.

[3] Qua lege Jahve cavebat, ne *servi* perpetuo labore nimium premerentur, unde Hebraeos et illud intellegere oportebat Jahvae servos curae esse ideoque bene habendos. Et profecto, nisi legislator servis, qui non erant pauci, consuluisset, nulla requies laborum iis speranda fuisset. Quare cum in aliis civitatibus saepe fieret, ut periculosissimae conspirationes servorum in dominos orirentur, in historia Hebraeorum eius modi res memoriae non produntur. *Jumenta* autem septimo die a laboribus immunia esse debebant, cum quia opus facere non poterant, nisi a servis regebantur, tum ut Hebraei intellegerent etiam animalibus aliquam bonitatem esse tribuendam. Qua re simul fiebat, ut homines a saevitia in homines longius amoverentur.

[4] Thomas, S. th. 1, 2. qu. 100. a. 5. ad 2: „Omnes sollemnitates legis veteris sunt institutae in commemorationem alicuius divini beneficii, vel praeteriti commemorati, vel futuri praefigurati . . . Inter omnia autem beneficia dei commemoranda primum et praecipuum erat beneficium *creationis*, quod commemoratur in sanctificatione sabbati . . . Inter omnia autem futura beneficia, quae erant praefiguranda, praecipuum et finale erat *quies mentis in deo*, vel in praesenti per *gratiam*, vel in futuro per *gloriam*, quae etiam figurabatur per observationem sabbati".

Nonnulli patres et scriptores ecclesiastici quietem sabbaticam *imaginem cessationis a peccato* esse dicunt. Velut Justinus, Dialog. c. Tryph. § 12. MSG 6, 500. Clemens Alex. Strom. 3, 15; 4, 3. ib. 8, 1200. 1220. Origenes, Hom. 23. in Nm. § 4. ib. 12, 749 s. Hieronymus, Comm. in Jer 17, 20. MSL 24, 792. Gregorius M. Moral. l. 18. c. 43. ib. 76, 78.

Alii sabbatum *imaginem quietis spiritualis* a Christo nobis donatae accipiunt. Ita Tertullianus, Adv. Judaeos c. 4. MSL 2, 605. Augustinus, Ep. 55. ad inquisit. Januar. c. 10. ib. 33, 212. Idem sentit Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 10: „Per sabbatum designatur spiritualis requies nobis data per Christum, ut habetur ad Hebr 4".

Requies a Christo nobis data cum in altera demum vita perficiatur, patres et scriptores ecclesiastici sabbatum etiam pro *imagine quietis aeternae* habent. Velut Origenes, Hom. 23. in Nm. § 4. MSG 12, 750 s. Ambrosius, Exposit. in Lc 6, 1. MSL 15, 1644. Augustinus, De Genesi ad litteram l. 4. c. 11. ib. 34, 304. Etiam rabbini sabbatum typum quietis aeternae accipiunt (cf. Sohar Gn. 32. 125. Jalkut Rubeni 95[d]).

V. Plerique interpretes sabbatum legislatione Mosaica institutum esse contendunt. Velut haud pauci rabbini (cf. J. Selden, De iure naturali et gentium 3, 10), nonnulli patres ecclesiae (ut Justinus, Dialog. c. Tryph. §§ 19. 27. 43. MSG 6, 517. 533. 565. Eusebius, Hist. eccl. 1, 4. ib. 20, 77. Tertullianus, Adv. Judaeos cc. 2. 4. MSL 2, 601 s. 606), complures viri docti recentioris aetatis.

Cui opinioni primum obstat, quod sabbatum iam ante legem de eo latam Jahvae sacrum appellatur Ex 16, 23—30. Fuerunt quidem qui statuerent hoc loco sabbati mentionem fieri, ac si Hebraeis antea ignotum fuisset (E. W. Hengstenberg, G. F. Oehler). At diligentius inspicienti nullo verbo id probari videbitur. Nam verba Mosis: „Cras sabbatum est" (v. 23) et quae postridie dixit: „Comedite eam (i. e. mannam diei proximi reservatam) hodie, nam sabbatum Jahvae hodie est; hodie non invenietis eam" (v. 25) certo non sunt ita comparata, ut tum sabbata instituta esse videantur. Quod vero septimo die nonnulli ad mannam colligendam castris egressi sunt, inde colligendum est non eos sabbati fuisse ignaros, sed verbis Mosis esse diffisos. Denique verbis: „Videte, quod Jahve dedit vobis sabbatum; ideo dat vobis sexto die panem bidui" (v. 29) sabbatum ad id tempus ignotum fuisse non probatur, quoniam antecedunt haec: „Quousque non vultis servare leges meas et mandata?" (v. 28); unde apparet sabbatorum observationem iam dudum fuisse imperatam.

Deinde obstat, quod legislatio Sinaitica institutionem sabbati clare ut notam ponat; neque enim in decalogo dicitur: *Sanctifica sabbatum!* sed: זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ *Memor esto diei sabbati, ut eum sacrum habeas* (Ex 20, 8). Et verbum זָכַר et quod non describitur, quid nomine sabbati intellegendum sit, ostendit agi de re omnibus bene nota, nunc autem Hebraeis denuo repetenda et lege sancienda.

Pro זכור Dt 5, 12 usurpatur שָׁמוֹר, quod codex Samaritanus etiam Ex 20, 8 exhibet. Ceterum utrique loco eadem sententia subiecta est.

Praeterea obstat, quod pleraeque gentes, quae certo legem Mosaicam imitatae non sunt, septimum diem quodam modo religiose servabant (cf. Bl. Ugolini Thes. XVII, 585—618).

Denique opinioni, sabbatum iam ante Mosen celebratum esse, nequaquam ii loci repugnant, quibus celebratio sabbati signum foederis inter Jahven et Hebraeos initi esse dicitur (Ex 31, 13. Ez 20, 12. cf. Neh 9, 14); nam iis non affirmatur Hebraeos ante aetatem Mosaicam sabbatum prorsus ignorasse, sed tantum a nulla gente sabbata eadem ratione acta esse qua a populo Jahvae.

In vetere testamento duplicem de origine sabbati memoriam invenimus: unam, cum deus, quod mundo sex diebus creato septimo quievit, hunc diem sanctificasset, septimum quemque diem quiete esse celebrandum (Gn 2, 2 s. Ex 20, 9—11); alteram, deum per Mosen genti Hebraicae sabbatum dedisse (Ez 20, 18—21. Neh 9, 13 s.). Quae sic coniungere licet: ut causa vel exemplar praecepti, ut septimo quoque die quiescatur, est, quod deus mundo sex diebus confecto septimo feriatus est, ita Moses demum eam sabbatorum observationem, quam lex Sinaitica imperat, instituit. Atque cum Moses plurima instituta sacra non primus invenerit, sed tantum nove ordinaverit, ut religioni Jahvae magis accommodata essent, probabile est etiam sabbatum ex aliqua septimi cuiusque diei observatione ante aetatem Mosis usitata ortum esse. At certa argumenta, quibus sabbatum iam ante Mosen diem distinctum fuisse et Mosen id instaurasse tantum eiusque naturam quasi absolvisse atque perfecisse plane demonstretur, in vetere testamento non inveniuntur.

VI. 1) Sunt qui Mosen sabbatum Hebraeorum ab Aegyptiis mutuatum esse contendant (J. Spencer, F. Ch. Baur, J. F. L. George, alii). Quod omnino improbandum est; neque enim ullum vestigium diei septimi apud Aegyptios sollemniter acti reperiri potest. Immo ex inscriptionibus hieroglyphicis et litteris demoticis solum diem primum singularum hebdomadarum, quae decimo quoque die finiebantur, diem festum habitum esse apparet. Neque praeter hebdomadas decem dierum etiam hebdomades septem dierum apud Aegyptios in usu fuisse constat. De eius modi enim hebdomade in monumentis Aegyptiis, quantum ego scio, nulla fit mentio et Herodotus (Hist. 2, 82), quem nonnulli afferunt, nihil aliud dicit nisi singulos anni menses et dies dedicare ab Aegyptiis inventum esse. Ceterum opinio Mosen sabbatum ab Aegyptiis recepisse a nullo iam probatur. Quare eam intento studio refutare supervacaneum est.

2) Neque minus falsa est aliorum opinio sabbatum Hebraeorum et diem Saturni idem esse et par (W. Vatke, P. de Bohlen, F. C. Movers, A. Kuenen, alii). Nam quamquam scriptores Romani aetate posteriores (Tacitus, Hist. 5, 4. Frontinus, Strateg. 2, 1, 17. Dio Cassius, Hist. Rom. 37, 17. Tibullus, Eleg. 1, 3, 17 s.) sabbatum cum die Saturni componebant, haec collatio tamen partim in ignorantia rerum partim in contemptione religionis, qua Hebraei divinitus imbuti sunt, posita est. Cum enim Judaei ipsi aetate scriptorum Romanorum, quos commemoravimus, sabbatum ad cultum Saturni pertinere ignorarent, illi autem scriptores nullis aliis fontibus de antiquitate Hebraica uti possent nisi libris divinis, tantum opiniones occidentalium, qui sabbatum diem Saturni esse putabant, secuti iudicasse videntur. Praeterea sabbato Romani, qui Judaeos „sabbatarios“ vocabant (Martialis, Epigr. 4, 4, 7) et homines desidiosos putabant (Juvenalis, Satir. 14, 105 s.), de Saturni stella commonefacti sunt, cui, cum inter stellas errantes extremum locum occupans cursum tardissime peragat, cognomen „segnis“ impositum erat. Accessit, ut Graeci et Romani Saturno regnante auream aetatem tranquillitatis et aequalitatis fuisse opinarentur et ut Romani Saturnalibus etiam servos oneribus levare solerent. At contra collationem illam repugnat, quod incolae orientis cum Saturni stella tales opiniones coniungebant, quales ingenio incolarum occidentis plane contrariae erant; nam in terris, quae ad occidentem spectant, Saturnus deus felicitatis, libertatis, aequalitatis, in iis, quae ad orientem, sidus perniciosum habebatur [1]. Deinde respiciendum est, quod Saturni dies non septimus sive ultimus, sed primus hebdomadis dies fuit. Dies enim ex stellis errantibus numerabantur (et quidem, ut Dio Cassius op. all. 37, 18 testatur, ex recepto inter veteres Aegyptios more) et dierum numeratio a Saturni stella tamquam in extrema caeli parte cursum peragente incipiebatur (Dio Cassius op. all. 37, 18 s.). Saturni autem diem a primo hebdomadis die ad septimum a Mose translatum esse propterea statui non potest, quod hoc modo regula astrologica, ex qua singuli hebdomadis dies nominabantur, plane deleretur. Denique si Hebraei unum hebdomadis diem ex stellarum errantium ordine nominassent, etiam ceteros dies ex eodem ordine nominari necesse fuisset. Cuius rei in vetere testamento nullum invenitur vestigium [2].

[1] Quare apud Arabes Saturnus Jovi oppositus *alnaḥs ulakbar* (= infortunium magnum) appellabatur, ut Mars infortunium parvum. Chaldaei Saturnum in atro templo colebant eique atra veste induti veterem taurum immolabant, cum supplicarent, ne vi sua noxia in se uteretur. Eius simulacrum ex nigro lapide erat et res male olentes ei incendebantur; splen, cum ad melancholiam pertinere putaretur, ei dicatus erat. Ex septem metallis, quibus stellae errantes significabantur, non ullum nobile ut aurum

vel argentum, sed plumbum grave eius erat (ratione tardi cursus eius habita). Velut in specu Mithrae a Zoroastre facto et procreatio mundi et purificatio animi i. e. eius migratio per diversas regiones lucis efficta erat. Ibi scala septem graduum statuta erat, quibus animorum migratio a stella erranti ad stellam errantem usque ad summum caelum, domicilium Ormuzd, describebatur. Infimo gradu ex plumbo nigro Saturnus, secundo ex plumbo albo Venus, tertio ex aere Juppiter, quarto ex ferro Mercurius, quinto ex metallo mixto Mars, sexto ex argento Luna, septimo ex auro Sol significabatur. Cf. Origen. C. Celsum 6, 22. MSG 11, 1324., ubi Celsus dicit, quid singulis metallis significetur.

Ceterum Romani ipsi Saturnum sidus tristissimum vel stellam iniquissimam vocabant eiusque diem infelicem, „diem atrum" putabant Velut Propertius, Eleg. 4, 1, 84. Horatius, Carm. 2, 17, 22 s. Lucanus, Pharsal. 1, 651 s. Juvenalis, Satir. 6, 569. Appuleius, Florida 2, 10. Macrobius, In somnium Scipionis 1, 19.

[2] Ut demonstretur sabbatum Hebraeorum cum Saturni cultu cohaerere, locus Am 5, 26 allatus est. At propheta ibi non Saturni cultum aetate Mosis apud Hebraeos per desertum migrantes viguisse tradit, sed potius idololatriam aequalium suorum, fortasse Saturni cultum, vituperat iisque dicit, si iudicium v. 27 praedictum fieret, eos a domino suo i. e. Saturno defecturos esse. Praeterea rationibus ex lingua sumptis fieri non posse, ut locus allatus adhibeatur, quo Hebraeos aetate Mosis Saturnum coluisse demonstretur, alio loco demonstravimus (cf. De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo 58—61). Id quidem constat Amos eiusque aequales prorsus ignorare sabbatum cum Saturno cohaerere.

Sabbatum et Saturni diem unum idemque esse eo quoque non comprobatur, quod Judaei posterioris aetatis Saturnum stellam errantem שַׁבְּתַי i. e. (stellam) *sabbaticam* appellabant. Nam manifestum est nomen septimi diei non ita ab eo nomine stellae errantis, quod in vetere testamento non exstat, duci posse, ut Saturnus stella errans propter tardum motum *quiescens* appellatus esse putetur. Sed rabbini Saturnum propterea שבתי appellabant, quod haud ignorabant sabbatum suum apud alias gentes pro Saturni die haberi.

Ceterum opinioni illi sabbatum et cultum Saturni inter se cohaerere, quae testimoniis scriptorum Romanorum, quos commemoravimus, innititur, tamen aliquid veri subest. Accepimus enim [1] nomina dierum hebdomadis ex septem stellis errantibus imposita, quae unâ cum hebdomade septem dierum ex Syria extremis a. Ch. n. saeculis ad Romanos pervenisse verisimile est, apud Babylonios et Assyrios iam antiquis temporibus usitata fuisse. Inscriptiones autem Assyriae testimonio sunt ordinem, quo stellae errantes ad dies hebdomadis appellandos usurpabantur, non constitisse. Nam tres diversi ordines inveniuntur. Praeter eos duos, ubi Saturnus tertium aut quintum locum occupat (*Marduk* = Juppiter, *Ištar* = Venus, Adar = Saturnus, *Nêrgal* = Mars, *Nabû* = Mercurius, *Sin* = Luna, *Šamaš* = Sol — *Sin*, *Šamaš*,

Nabû, Ištar, Adar, *Marduk, Nêrgal),* is quoque ordo deprehenditur, qui postea ad Romanos indeque ad Germanos aliasque gentes transiit et adhuc in usu est: *Šamaš, Sin, Nêrgal, Nabû, Marduk, Ištar,* Adar[2]. Ibi igitur Saturnus re vera septimus hebdomadis dies erat et illi scriptores Romani quodam iure eum cum sabbato composuerunt. Sed cum in vetere testamento nullum vestigium exstet, unde dies hebdomadis ad septem planetas pertinere appareat, immo vero ii dies, uno die sabbati excepto, ab Hebraeis semper numerarentur, iudicandum esse videtur Hebraeos e Babylonia emigrantes tantum institutum hebdomadis septem dierum istinc mutuatos esse et etiam apud Babylonios ipsos consuetudinem dierum hebdomadis ex stellis errantibus nominandorum post Hebraeorum emigrationem tantum exstitisse, certe tum demum nomen Saturni in septimo hebdomadis die inhaerere coepisse. Quae cum ita sint, institutum sabbati tamen ad cultum Saturni non pertinet, sed Hebraeorum proprium est, ex complurium opinione a Mose profectum, immo posteriore aetate ab Hebraeis ad alias quoque gentes (imprimis per proselytos) translatum, id quod nonnulli scriptores antiquitatis diserte testantur[3].

[1] Cf. E. Schrader, Der babylonische Ursprung der siebentägigen Woche (StKr 1874, 343—353).

[2] Apud nos: Sonntag (Sonne), Montag (Mond), Dienstag (Mars, Mardi = Martis dies), Mittwoch (Merkur = Mercurii dies), Donnerstag (Juppiter, Jeudi = Jovis dies), Freitag (Venus, Vendredi = Veneris dies), Samstag (Saturn, Saturday = *Saturni dies*).

[3] Velut Josephus, CAp 2, 39. Theophilus Antioch. Ad Autolycum 2, 12. MSG 6, 1059 s. Tertullianus, Ad nationes 1, 13. MSL 1, 579.

3) Sunt complures viri docti recentioris aetatis, qui sabbatum Hebraeorum ex institutis Babyloniorum repetendum esse existiment, cum apud hos nomen *šabattu (šapattu)* inveniatur, quo dies *septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duodetricesimus* cuiuslibet mensis a ceteris diebus interdictis singularibus distinguantur. Atque interdicitur „pastori nationum magnarum“ (*rê'u niši ra-ba-a-ti* i. e. *šarru,* regi) quibusdam rebus ad commoditatem vitae pertinentibus: ne carnem super ignem assatam edat, vestimenta mutet, vestimenta alba induat. Interdicitur, ne quis sacrum faciat, curru vehatur, regaliter loquatur (*šal-ṭiš ul i-ta-mi* i. e. ius dicere vel cives ad colloquium admittere), ne cui sacerdos, qui oracula edit (?), in adyto respondeat. Magus aegroto manum applicare et exsecrationem facere vetatur. Quibus interdictis etiam *undevicesimus* dies mensis distinctus est.

Quae modo dicta sunt, proprie ad menses Ulûlu II et Marḫešwan pertinent, id quod ex compositione dierum festorum eorum mensium (IV R 32 s. et 33 *) apparet. Idem autem ad ceteros quoque menses pertinuisse inde colligendum est, quod saltem reliquiae compositionum dierum festorum complurium aliorum mensium, quae eadem interdicta continent, exstent.

a) At primum apud Babylonios dies septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duotrecisesimus, imprimis undevicesimus cuiuslibet mensis, apud Hebraeos quilibet dies septimus anni sine respectu initii mensis celebrabatur. Sabbatum igitur Babyloniorum non post septenos dies constanter redit, quia inter quartum decimum et undevicesimum quinque, inter undevicesimum et vicesimum primum duo, inter duodetricesimum prioris et septimum posterioris mensis non septem, sed octo vel novem dies sunt, quoniam mensis lunaris undetriginta vel triginta dierum est.

Deinde nullo argumento confirmari potest diem septimum, quartum decimum, undevicesimum, vicesimum primum, duodetricesimum *šabattu (šapattu)* nominatos esse; immo vero verisimillimum est solum diem quintum decimum cuiuslibet mensis sive diem plenilunii ita vocari. Nam in indice Babylonio nominum dierum a Th. G. Pinches (PSBA XXVI, 1904, 51—56) edito quintus decimus dies mensis *šapattu* appellatur. Cum igitur dies plenae lunae sabbatum sit, Babylonii singulis mensibus unum sabbatum agebant (cf. F. Hommel, OrLz 1907, 482) [1]. Nam quod Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I [5], 65) putat illud *šapattu* idem significare quod ša-patti sive medium diem mensis neque ei quidquam commune esse cum *šabattu* sive sabbato, vix probari potest, cum *šabattu* quoque saepius eo signo scribatur, cuius vis *pat* est [2].

[1] Sabbatum Babylonium, cum medius dies mensis lunaris sit, ad cursum lunae pertinet. Quamquam autem plenilunium saepius tertio decimo vel quarto decimo die exsistit, Babylonios tamen quintum decimum diem diem plenilunii appellasse verisimile est. Quod loco carminis epici de creatione mundi tab. 5. lin. 18 probatur.

[2] J. Meinhold (ZAW XXIX, 1909, 108 [2]) testimoniis confirmatum esse vocabulum *ša-patti* medium diem mensis significare negat.

Tum illi dies Babyloniorum habebantur dies nefasti *(ûmu lemnu)*, quibus ea opera, quae supra memoravimus, omittenda erant, ut res adversae evitarentur; erant dies ieiunii et paenitentiae *(ûmu nûḫ libbi* = dies placationis cordis i. e. deorum iratorum II R 32, 16 [ab]). Imprimis dies undevicesimus dies irae *(ibbû)* deae Gula, dies septimus (aeque ac tertius et sextus decimus) dies fletus ac lamentorum *(nubattu)* dei Marduk eiusque coniugis Sarpanîtu habebatur. Sabbatum vero Hebrae-

orum erat dies laetitiae (cf. imprimis Jes 58, 13: „et sabbatum vocas עֹנֶג *delicias*“), quo se homines eo consilio quieti tradebant, ut deum colerent.

Denique Babylonii verisimiliter quinque dies hebdomadis numerabant [1], Hebraei septem, quae numeratio ex institutis Babyloniorum nullo modo declarari potest [2].

[1] Septimo, quarto decimo, vicesimo primo, duodetricesimo die, cum magni momenti esse dicantur, mensis Babylonius in quattuor partes divisus esse videtur. At eos dies ad tempus dividendum adhibitos esse demonstrari non potest. Omnino in scriptis Babyloniis institutum hebdomadis non reperimus. Hebdomas quinque dierum *(ḫamuštu)*, ut adhuc apud Cappadoces contestata est, ita apud Babylonios demonstrata non est, quamquam in scriptis astrologicis nonnulla vestigia deprehenduntur, undo mensem in sex, annum in septuaginta duas partes quinorum dierum divisum fuisse apparet.

[2] Etsi negari non potest numerum septenarium apud Babylonios, ut apud alias gentes, multum valuisse (velut potissimum id agebant, ut sollemnia aliaeque actiones magni momenti et in vita et in narratione ipsos septem dies durarent), tamen inde Hebraeorum hebdomas profecto non explicatur, quia ex illo studio neque in Babylonia neque alibi hebdomas septem dierum profecta est.

b) Quae cum ita sint, Hebraeorum sabbatum nequaquam ex Babyloniorum more repeti potest. Ita tantum explicandum est Hebraeos ei rei tantam attribuisse vim, quod sabbati quiete ab aliis gentibus, imprimis a Babyloniis differrent. At quamvis concedamus sabbatum Babyloniorum omnino sabbato Hebraeorum respondere, inde nihil aliud colligendum est nisi hoc institutum apud utramque gentem veterrimum esse et e communi fonte revelationis primae manasse. Et orta est ante Mosis aetatem celebratio sabbati, id quod cum ex aliis rebus tum inde apparere videtur, quod lege Mosaica non ut quidquam novum praescripta, sed ut aliquid oblivione obrutum denuo inculcata est (Ex 20, 8). Quare sabbatum Babyloniorum, si re vera sabbatum Hebraeorum ad id referendum est, illa lege in altiorem gradum sublatum, perfectum et absolutum est, sicut eâ variis praeceptis purgationis et ciborum, quae apud alias quoque gentes exsistebant, apud gentem Hebraicam maior auctoritas dignitasque accessit.

Ceterum sabbatum Babyloniorum cum Hebraeorum quodam modo cohaerere ex mea opinione negari non potest; nam vocabulum *šabattu* idem est quod שַׁבָּת. Vocabulum שבת autem a radice שָׁבַת *desinere, quiescere, requiescere* profectum esse pro explorato habendum est. Atque prima vis radicis fuisse videtur *resecare, amputare;* unde significationes

finire, desistere, deinde quiescere profluxerunt. Verbum Assyrium *šabâtu (šapâtu)* idem valet atque *gamâru* (VR 28, 14ef), Hebraice גָּמַר, *conficere, finire, desecare;* velut *šabâtu ša šêim* = frumentum desecare. Cum autem *šabattu* „diem quietis cordis" *(ûmu nûḫ libbi,* יוֹם נוּחַ לֵבָב) valeat, verbum *šabâtu* quoque significationem *quiescendi* habuisse mihi persuasum est.

Nonnulli vocabulum *šabattu* a verbo *šabâṭu* (= percutere) deduxerunt, ita ut *šabaṭṭu* eum diem significaret, quo homines paenitentiae causâ pectus percutiebant (cf. H. Zimmern, KAT^3 594), vel a verbo *šapâṭu* (= iudicare); ergo *šabattu* = dies iudicii (cf. H. Zimmern, ZDMG LVIII, 1904, 202). S. Langdon (The derivation of šabattu and other notes, ZDMG LXII, 1908, 29—32) *šabattu* cum *šapadu* componit et idem valere dicit quod dies lamentationis, „day of lament". Quae tamen originationes nullo solido argumento confirmari possunt.

Adnotatio. — Sabbatum quando ortum sit et quid significet, J. Hehn (op. all.) diligentissime exquisivit et haec repperit: Vis numeri septenarii ab antiquissimis temporibus cum notione universitatis, perfectionis, plenitatis, roboris, mundi non solum arte cohaeret, sed idem valet. Ibi positum est, quod ille numerus pro symbolo usurpatur et in religione atque artibus adhibetur. Periodi, quae in eo numero vertuntur, non ad septem planetas (solem, lunam, Mercurium, Venerem, Martem, Jovem, Saturnum) spectant, sed ad lunae luminum varietates pertinent; nam luna est vetustissima compositio anni caelo inscripta. Quae cum ita sint, cultum numeri septenarii apud omnes gentes antiquas invenimus. Etiam in libris divinis numerus septenarius — numerus praecipue sacer — notam originis (Babyloniae) clare prae se fert et ut in Babylonia numerus universitatis et plenitatis est. Vocabulum Hebraicum *šabbâth* cum Assyrio *šabattu* cohaeret; utrumque plenitatem, perfectionem, imprimis periodum perfectam significat; verba autem ab iis nominibus ducta *(šâbath* et *šabâtu)* perfectum vel absolutum esse, desinere valent; secundo demum loco *šabbâth* et *šâbath* diem quietis et quiescere significant. Quae prima significatio verbi *šâbath* e compluribus locis veteris testamenti (Ex 23, 12; 34, 21. Jes 14, 4b; 33, 8), imprimis ex Gn 2, 2 s. apparet. Et Babyloniorum dies in numero septenario positi (septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duodetricesimus dies mensis) et Hebraeorum sabbatum cum significatione numeri septenarii cohaerent, cum is non modo numerus expiationis et lustrationis, sed etiam perfectionis (periodi perfectae) sit. Assyriorum *šapattu* (quintus decimus dies mensis) ad dies in numero septenario positos pertinere demonstrari non potest; verisimile autem est *šapattu* non diem lunae plenae, sed divisionem, conversionem mensis esse *(Frd. Delitzsch).* Hebraeorum sabbatum illis diebus Babyloniorum, quae supplicationes sunt, ut laetus dies quietis contrarium est; idem tamen iis propinquum est, cum et ipsum dies per se sacer sit ideoque dies quietis celebretur et ut septimus dies plenam periodum (hebdomadem) absolvat. Sine iusta causa dicitur Hebraeorum sabbatum vel ante exsilium diem lunae plenae fuisse *(J. Meinhold)* vel ex die tristi a sacerdotibus post exsilium in diem laetum immu-

tatum esse *(M. Jastrow)* vel quod deus die septimo quieverit, id e Babyloniorum de procreatione mundi carmine epico repetendum esse *(H. Gunkel)*. Sabbatum observare apud Hebraeos mos erat vetustissimus, ut omnino dies septimus ab antiquissimis temporibus sacer habebatur. Inde explicatur sabbatum cum procreatione mundi et Hebraeorum liberatione ex Aegypto coniunctum et loco legis in praecepta in monte Sinai data adscitum esse. Quae omnia a quo et quando facta sint, propterea explorari non potest, quod non omnes loci Pentateuchi, qui ad sabbatum spectant, ad tempora, quae ante exsilium Babylonium fuerunt, referri possunt.

Quae igitur J. Hehn de sabbato docet, prorsus probanda esse videntur, nisi quod magis praedicare debuit, quae in vetere testamento de origine et celebratione sabbati memoriae traduntur, iis divinum praeceptum (revelationem) indicari neque ea naturali progressione rerum intellegi posse.

4) Sunt qui negaverint Hebraeos aetate Mosis, cum nomadum vitâ uterentur, diem quietis constanter redeuntem habuisse: Canaan autem expugnatâ incolas eius terrae imitatos sabbata celebrare coepisse.

At cum apud nullam aliam gentem diem quietis constanter redeuntem reppererimus, primum demonstrandum est Cananaeos utique eius modi institutum habuisse. Quod ne temptatum quidem est, quia nullum vestigium exstat, unde Cananaeos sabbatum egisse appareat. Nam quamquam Cananaeos Palaestinenses ex litteris sacris, Phoenices ex scriptoribus Graecorum et Romanorum novimus, tamen nihil usquam de sabbato agendo traditur atque ex loco Neh 13, 15–21 elucet Tyrios Cananaeos sabbatum ignorare. Quae cum ita sint, Hebraei sabbatum a Cananaeis mutuati esse non possunt. Ceterum falso dicitur omnes Hebraeos aetate Mosis nomades fuisse; nam multi ex iis vel opifices vel agricolae erant, id quod hodie apud Beduinos quoque usitatum est.

VII. J. Meinhold (op. all.) affirmat Hebraeorum ante exsilium Babylonium sabbata, cum Babyloniorum sabbata imitarentur, *dies lunae plenae* fuisse; neque quietem laborum ad ea celebranda pertinuisse, sed ob id unum observata esse, quod ut diebus novae lunae, ita sabbatis quoque sacra familiaria fierent. Quare sabbata antiquorum Hebraeorum non a Cananaeis recepta, sed ut sollemnia lunae a maioribus nomadibus hereditate accepta esse. Ea autem sabbata, quae *septimo quoque die* ut dies ad quietem dati observarentur, ab Ezechiel demum instituta esse.

Contra quae dicimus haec: Sunt complures veteris testamenti loci, quibus dierum novae lunae unâ cum sabbatis mentio fit: II Rg 4, 23; Am 8, 5. Jes 66, 23. Ez 46, 1. 3. Aliis locis dies novae lunae et sabbata et sollemnia unâ commemorantur: Hos 2, 13. Jes 1, 13. Ez 45, 17. Neh 10, 34. II Chr 2, 3. . Quae cum ita sint, verisimile esse videtur

antiquiore tempore sabbata quoque dies lunae sacros fuisse. Potissimum sabbatum cum die novae lunae componi posset, si dies plenae lunae fuisset. Id ut probetur, afferri potest, quod apud Babylonios quintus decimus dies mensis *šabattu* nominabatur. At nullo loco veteris testamenti, ubi sabbati mentio fit, significatur ei cum luna plena quidquam commune fuisse et Jes 66, 23. Ez 46, 3. II Chr 2, 3 sabbata et dies novae lunae coniunguntur, quamquam minime fieri potest, ut scriptores sabbatum diem lunae existimaverint. Opinioni igitur illi sabbatum antiquorum Hebraeorum diem plenae lunae fuisse non modo nulla fides additur, sed praecepta sabbati, quae sunt in decalogo (Ex 20, 8—11. Dt 5, 12—15), in libro foederis (Ex 23, 12), in lege foederis renovati (Ex 34, 21), prorsus repugnant. Si autem quis decalogum temporibus Ezechiel sequentibus attribuit ceterasque sabbati leges post exsilium additas esse dicit, sine ulla ratione ad arbitrium iudicat. Praeterea institutum sabbati post Mosen prorsus immutatum esse propterea credi non potest, quod non intellegitur, cur id factum aut quo modo peractum sit. Denique respiciendum est apud Ezechiel de quiete sabbato observanda nihil dici, sed eam ad sabbatum pertinere poni. Ezechiel demum id sabbatum, quod nos novimus, instituisse demonstrari non potest. Id unum verum est eum sabbato longe aliam dignitatem attribuere atque prophetae, qui ante exsilium fuerunt. Qui cum saepius ita loquantur, ut gentis celebrationem sabbati contemnant, Ezechiel 20, 12 sabbatum signum inter Jahven et eius gentem esse agnoscit: „Et sabbata mea dedi iis, ut sint signum inter me et inter eos, ut scirent, quod ego Jahve, qui sanctifico eos". Et 22, 7 s. celebrationem sabbati gravissimis de moribus praeceptis aequiperat: „Patrem et matrem vilipenderunt in te (Hierosolymis), cum peregrino egerunt per oppressionem in medio tui, pupillum et viduam afflixerunt in te. Sacra mea sprevisti et sabbata mea profanasti". Et 23, 38 sabbati profanationem inter maxima scelera gentis enumerat: „Contaminaverunt sanctuarium meum die illo et sabbata mea profanaverunt". Apud prophetas, qui ante exsilium fuerunt, eas querimonias non reperimus. Nam cum gens vehementer inclinata esset, ut solo cultu externo observando contenta esset, eorum erat eam semper admonere talem cultum, nisi praeceptis de moribus obtemperaret, Jahvae nullius esse pretii. Sed gens, cum Hierosolymis temploque dirutis per omnes terras dispersa esset, uno sabbato extrinsecus a gentilibus separabatur. Tum profecto signum erat inter Jahven et eius gentem, ita ut quicumque sabbatum sanctificabat, se gentis Jahvae esse testaretur.

Ceterum opinioni Ezechiel demum praecepto sabbati observandi maiorem attribuisse gravitatem locus Jer 17, 19—27 quidem contrarius est, ubi propheta Hebraeis minatur, fore ut profanatione sabbati exitium Hierosolymorum efficiant, cum eius sanctificatione consequantur, ut domus regia David Hierosolymis celebretur ac splendeat et urbs semper habitetur. At Jeremia, cum aliis locis acerrime vituperet, quod externo tantum cultui Jahvae nimis confidatur, haec scripisse non videtur et attribuunt critici recentioris aetatis (velut A. Geiger, Urschrift und Uebersetzungen der Bibel 95; A. Kuenen, Historisch-kritische Einleitung in die Bücher des alten Testaments. Deutsche Ausgabe von *Th. Weber* 198. n. 22) illum locum tempori, quod exsilium Babylonium secutum est (cf. Neh 13, 15—22). Videas J. Hehn, Der israelitische Sabbath 28 s. Aliter J. Knabenbauer, Comm. in Jeremiam 239.

Caput secundum

De neomeniis

I. Sicut singuli dies sacrificiis Jahvae oblatis sanctificabantur, sabbatis autem sacrificia augebantur, ita singuli quoque menses Jahvae, gubernatori et conservatori universitatis rerum, dicandi erant. Quare lege praeceptum est, ut in neomeniis (ראשי חדשים *capita mensium;* LXX νεομηνίαι, νουμηνίαι; Vulgata *neomeniae, calendae, menses*) praeter sacrificium cottidianum peculiaria quaedam sacrificia deo offerrentur, et quidem duo iuvenci, aries, septem oves anniculae cum fertis et libaminibus in holocaustum (עלת חדש) atque hircus pro peccato (Nm 28, 11—15. Jos. AJ 3, 10. 1)[1]. Tempore sacrificiorum a sacerdotibus tubis (חצוצרות) argenteis clangendum erat (Nm 10, 10)[2]. Neomenias, etsi proprie non erant dies festi (neque enim labores interdicti erant), tamen Hebraei claudendis tabernis (Am 8, 5)[3], hilaritate (Hos 2, 13), laetis epulis (I Sm 20, 5. 24), sacris coetibus (Jes 1, 13; 66, 23. Ez 46, 1. 3. saepius apud prophetas II Rg 4, 23) celebrabant[4].

Judaei posterioris aetatis Hierosolymis neomenias per unum diem agebant, in locis remotis autem per duos dies idque ob incertam mensis consecrationem; neque enim satis mature per nuntios rescisci poterat, quo die Hierosolymis neomenia indicta esset[5]. Qui dies secundus יום שני של גליות appellatur (Babyl. Pesachim 52. Beza 4[b]). Sunt qui putent iam antiquis temporibus neomenias per duos dies actas esse idque ob I Sm 20, 27. 34.

[1] De his sacrificiis in vetere testamento saepe fit mentio, velut Esr 3, 5. Neh 10, 34. I Chr 23, 31. II Chr 2, 3; 8, 13; 31, 3. Sacrificia autem, quae Ez 46, 6 s. pro neomeniis enumerantur, non sunt sacrificia illis diebus nomine totius populi oblata, sed sacrificia principis (cf. 45, 17).

[2] Omnes gentes antiquae, cum nova luna apparebat, laetabantur eamque salutabant. Hebraeos nonnulli viri docti morem adventûs novae lunae clangore tubarum celebrandi ab Arabibus mutuatos esse docent, qui primum splendorem novae lunae eiusque salutationem vocabulo *hilâl* significabant; unde nonnulli exclamationem laetantium *hallelû-jah* profectam esse putant *(P. de Lagarde, J. Benzinger, S. Landersdorfer).* Sed cultum antiquorum Arabum ad cultus tempora Hebraeorum pertinuisse adhuc nondum argumentis comprobatum est. D. Nielsen quidem (Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 155—164) foedus a Jahve cum Hebraeis in monte Sinai initum cum die festo dei Lunae ab Arabibus in eodem monte celebrato componit; quae opinio neque libris sacris neque inscriptionibus ullo modo confirmatur.

[3] Ceterum locus Am 8, 5 fortasse ad solam septimi mensis sive mensis sabbatici novam lunam spectat, quem diem etiam lex Mosaica quiete sabbatica distingui iubet.

[4] Ex opinione Thomae (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 10) „festum neomeniae celebrabatur ad commemorandum opus divinae gubernationis; nam haec inferiora praecipue variantur secundum motum lunae: et ideo celebrabatur hoc festum in novitate lunae, non autem in eius plenitudine ad evitandum idololatrarum cultum, qui in tali tempore lunae sacrificabant".

[5] Neomenias non astronomice definitas, quod Judaei Rabbanitae contendunt, sed eas, quibus nova luna conspiciatur, quod Karaei docent, intellegendas esse ex eo patet, quod Moses omnem chronologiam non ex astronomia, sed ex iis, quae in terra conspiciuntur, ordinavit. Accedit, quod et ipsi doctores Judaici (M. Rosch haschana 1, 3—3,1) de testibus visionis novae lunae loquuntur neque vel Josephus vel Philo de neomeniis dupliciter praefinitis, et astronomice et secundum visionem lunae, quidquam novit. Sed auctorem librorum Regum in Babylonia rationem astronomicam inisse negari vix posse videtur; nam II Rg 25, 27 eum diem vicesimum septimum mensis duodecimi dicit, quem Jeremia 52, 31 diem vicesimum quintum dicit.

Adnotatio. — G. Margoliouth (Hebrew-Babylonian affinities. London 1899) et F. Hommel (Der Gestirndienst der alten Araber und die altisraelitische Überlieferung. München 1901) cultum lunae primam religionis formam veterum Hebraeorum fuisse existimant. At quibus argumentis id probare conantur, ea certa aut firma non sunt. Nam etsi fieri potest, ut dies festi novae lunae reliquiae antiqui cultus lunae sint, tamen id ea celebratione sola non demonstratur, quod necesse non est ponere iis diebus primo lunam cultam esse, sed iure id quoque credi potest eos dies festos ad deum, cum faciat, ut nova lux lunae exsistat, pertinuisse.

II. Omnium neomeniarum sacerrima erat septima sive mensis Tišri [1], quae clangore cornuum (שׁוֹפָרוֹת) annuntiabatur; quare et *dies clangoris* (יוֹם תְּרוּעָה LXX ἡμέρα σημασίας, Philo σαλπίγγων ἑορτή) vel *memoriale clangoris* (זִכְרוֹן תְּרוּעָה LXX μνημόσυνον σαλπίγγων) vocabatur. Erat *initium anni* oeconomici et civilis (רֹאשׁ הַשָּׁנָה) [2], dies festus, quiete sabbatica celeber. Praeter holocaustum cottidianum et uniuscuiusque neomeniae sacrificia offerri debebant iuvencus, aries, septem oves anniculae cum fertis et libaminibus in holocaustum et hircus pro peccato (Lv 23, 24 s. Nm 29, 1—6). Judaei posteriores festum anni incipientis duobus diebus agebant, quos שני ימים טובים של ראש השנה vocabant (M. Schabbath 19, 5. Babyl. Pesachim 47a) [3].

[1] Nam septimo mense plures erant dies festi quam ullo alio mense (die primo festum neomeniae, die decimo festum expiationis, a die quinto decimo festum tabernaculorum) ac totus fere mensis festus erat. Quippe cum mense septimo omnes fruges terrae, non solum frumenta, collecta essent, tempus ad festa agenda maxime idoneum erat. Praeterea ab eo mense numeratio anni sabbatici et iubilaei incohabatur. Cf. Origen. Hom. 23. in Nm. § 9. MSG 12, 753.

[2] Quando tempus septimae lunae novae dies festus novi anni factum sit, constitui non potest. Utique id sero admodum in usum recipi coeptum est, cum in vetere testamento nusquam dies festus novi anni civilis commemoretur et non solum in libris, qui ante exsilium confecti sunt, sed etiam in libro secundo Maccabaeorum, ubi ex aera Macedonum et Syrorum, quae ab aequinoctio autumnali initium capit (11, 21. 33. 38), menses non anni civilis, sed ecclesiastici numerentur (velut Sach 1, 7; 7, 1. Esth 2, 16; 3, 7. 13; 8, 9; 9, 1. I Mcc 4, 52; 10, 21; 16, 14). — Conferas tract. *Rosch haschana* (M II, 8).

[3] Ex traditione rabbinica hic dies festus institutus erat in memoriam creationis mundi mense septimo factae; idemque proximum expiationis diem quodam modo praeparabat. — Clangor cornus arietini id spectabat, ut populus ad hunc mensem praeter alios observandum excitaretur idque propter festa, quae eo celebrari solebant. Ex aliorum opinione bucinabatur, ut Hebraei deo in memoriam revocarentur, ut se eis propitium praestet. Ut plerique Judaeorum doctores contendunt, septimi mensis neomenia cornuum clangore annuntiabatur, ut Isaac ab immolatione liberati atque arietis cornubus dumeto haerentis pro eo substituti admoneretur (cf. J. Buxtorf, Synagoga Judaica c. 24). Quibus adstipulatur Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 10: „Festum tubarum in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham invenit arietem haerentem cornubus, quem repraesentabant per cornua, quibus bucinabant". Sed haec opinio nullis nititur solidis fundamentis.

Caput tertium

De anno sabbatico

I. Ut periodus septem dierum et mensium, ita etiam periodus septem annorum festo concludenda erat, anno sabbatico (שְׁנַת שַׁבָּתוֹן, Talmudice שְׁבִיעִית, Jos. AJ 14, 10. 6 σαββατικὸς ἐνιαυτός: 14, 16. 2 ἑβδοματικὸς ἐνιαυτός; BJ 1, 2. 4 ἀργὸν ἔτος; cf. AJ 13, 8. 1 ἔτος, καθ' ὃ συμβαίνει τοὺς Ἰουδαίους ἀργεῖν). Qui annus a primo die septimi mensis incipiebat, quo tempore post collectas fruges agri ad conserendum parari solebant. Ut populus memoriâ teneret, Jahven esse dominum terrae, ex lege Mosaica omnes agri, omnes vineae, omnia oliveta (fortasse etiam horti) per universam Palaestinam vacabant sive inculta relinquebantur (שַׁבַּת הָאָרֶץ *sabbatum terrae* Lv 25, 6. cf. σάββατον γῆ γῇ I Mcc 6, 49). Nulla erat aratio, nullus vinearum cultus, nulla messis aut vindemia. Quidquid sua sponte crescebat [1], nullius proprium, sed omnium commune erat ac praecipue egentibus, peregrinis, feris relinqui oportebat. Quare si quis ex agris in suum suorumque alimentum aedibus aliquid intulit, non de suo, sed de publico et communi id sumpsisse videbatur. Atque ne Hebraei solliciti essent, unde anno sabbatico res ad vivendum necessarias sumere possent, Jahve promisit se

anno sexto suppeditatum esse non solum proventum duplicem, unde anno sexto et septimo ali possent, sed qui etiam usque ad octavum annum sufficeret (Lv 25, 20—22) [2]. Debita (מַשַּׁה יָד *quod manibus alicuius creditum est* Dt 15, 2) autem, quamquam anno sabbatico a debitoribus Hebraicis repeti non debebant, quia eo anno, quo nullum ex agris proventum percipiebant, non erant solvendo (quare hic annus etiam שְׁנַת הַשְּׁמִטָּה *annus remissionis,* LXX ἔτος τῆς ἀφέσεως dicebatur Dt 15, 9; 31, 10), tamen creditores debitoribus nequaquam prorsus remittebant [3]: nam Dt 15, 9 dumtaxat Hebraei monentur, ne ob anni sabbatici propinquitatem pauperibus mutuum denegent. Denique in sollemnitate tabernaculorum huius anni pentalogus Mosis sive thora, quae proprie dicitur (i. e. Dt 6, 1—7, 11), populo ante sacrarium congregato sollemniter praelegebatur, ut memoria cum praesentiarum et miraculorum Jahvae tum legum divinarum renovaretur. — Ex 23, 10 s. Lv 25, 2—7. Dt 15, 1—11; 31, 10—13. Jos. AJ 3, 12. 3; 4, 8. 12; 11, 5. 5. Cf. etiam tract. *Schebiith* (M I, 5).

[1] Fruges illae sponte nascentes סְפִיחַ קְצִיר *effusum messis* (a verbo סָפַח i. q. שָׁפַח *fudit, effudit*) nominantur i. e. id, quod provenit ex granis, quae, cum messis anni proximi fieret, *effusa sunt* sive exciderunt. Uvae autem huius anni עִנְּבֵי נְזִירִים *uvae naziraeorum* appellantur idque translatione a naziraeo ducta, quod sicut eius caesaries non tondebatur, ita palmites, qui sunt comae vitis (Vergil. Culex v. 73 s. Propert. Eleg. 2, 15, 11 s.), septimo anno non putarentur. Quae interpretatio cum artificiosior atque ex re nimis propria petita esse videatur, ego vocabulum illud potius explicaverim: נְזִיר (a radice נָזַר) id quod separatur a vulgari vita usuque atque inde sanctum fit; quare vites anno sabbatico non putatae נזירים appellantur, quoniam a vulgari usu separatae deoque sacratae sunt. Quae LXX quoque interpretum sententia esse videtur, qui τὴν σταφυλὴν τοῦ ἁγιάσματος vertunt (Lv 25, 5).

[2] Quod quo modo intellegendum sit, dubium non est. Miraculo autem sexto quoque anno repetito opus non erat, cum multo simplicius ex omnium sex annorum antecedentium abundantia septimi anni penuria tolli posset. Nonnulli quidem v. 21 pro בַּשָּׁנָה הַשִּׁשִּׁית legere malunt בַּשֵּׁשׁ הַשָּׁנִים. Quae coniectura, cum nulla codicum vel versionum auctoritate probetur, reicienda est. Neque eâ egemus; nam sententia loco allato subiecta non alia est nisi haec: Ubi annus septimus advenerit, iam ex annis antecedentibus tantam habebitis copiam, ut usque ad nonum annum abunde sufficiat. Itaque nihil aliud dicitur nisi eam esse fundi rationem, ut ad legem illam sabbaticam tolerandam satis idonea sit.

[3] Quod Philo (De septen. opp. II, 277: τὰ δάνεια ἑβδόμῳ ἔτει τοῖς ὁμοφύλοις χαρίζεσθαι) et rabbini (M. Schebiith 10, 1. Maimonides, Schemitta et Jobel 10, 10) censent.

Adnotatio. — Nonnulli (velut iam Theodoretus Qu. 35. in Ex. MSG 80, 344) anno sabbatico etiam privilegium addicunt, ut eo manu-

missio servorum Hebraicorum fieret. Sed Moses ubicumque de hac re dicit, manumissionis annum non *sabbaticum* vocat, sed semper *septimum* (Ex 21, 2. Dt 15, 12. 18. cf. etiam Jer 34, 14), et ubi de anno sabbatico agit, nihil dicit de manumissione servorum. Quare complures iurisperiti Hebraeorum septimum annum post servitutis initium intellexerunt. Ita Josephus AJ 16, 1. 1. Philo De septen. opp. II, 291. M. Kidduschin 1, 2. Ibn'Esra in Ex 21, 2. Maimonides De servis 2, 2 s. Siphra 270a: „Anno sabbatico non dimittuntur servi".

II. Quaestionem illam, quo tempore primus annus sabbaticus celebratus sit, solvere non possumus, quoniam nulla eius rei superest historiae memoria. Quam autem sententiam nonnulli rabbini (velut Maimonides) proferunt, Hebraeos a quarto decimo anno post adventum in Canaan annorum sabbaticorum computationem instituisse, cum septem annos in terra subigenda, septem in distribuenda peregissent, id nihil est nisi coniectura eaque contraria iis, quae de illius terrae occupatione sacris litteris memoriae prodita sunt.

Ceterum „quies terrae" temporibus regum usque ad exsilium diu neglecta esse videtur (cf. II Chr 36, 21), ut iam Moses Lv 26, 34 s. 43 id praedixit; post exsilium vero diligentius observabatur, velut sub Nehemia (Neh 10, 32), temporibus Alexandri Magni (qui septimo quoque anno propter frumenti penuriam Judaeis vectigalia remisisse dicitur Jos. AJ 11, 8. 5), Maccabaeorum (I Mcc 6, 49. 53. Jos. AJ 13, 8. 1; 14, 10. 6. BJ 1, 2. 4), Herodiorum (Jos. AJ 14, 16. 2; 15, 1. 2), quamvis Judaei hanc ob rem fame rerumque necessariarum penuria haud raro laborarent (I Mcc 6, 49—54. Jos. AJ 14, 6. 2). Quare Judaeis saepius permissum est, ut septimo quoque anno tributorum immunes essent (Jos. AJ 11, 8. 5 s; 14, 10. 6). Atque ne post diruta quidem a Romanis Hierosolyma Judaei Palaestinenses observationem anni sabbatici prorsus neglexisse videntur, id quod ex Taciti Hist. 5. 6 apparet: „Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum".

Cf. B. Caspari, Die geschichtlichen Sabbatjahre (St Kr 1877, 181—190). E. Schürer, GJV I4, 35—37. 214. 258 s.

III. Si quaeritur, quid annus sabbaticus spectaverit aut quae fuerit eius vis, respiciendum est, quid sabbatum spectaverit. Id autem, quod sabbati erat vis, anno sabbatico propterea amplius declaratur, quod quies non solum ad homines et animalia, sed etiam ad solum pertinet. Quae quies solo non eo consilio tributa est, quo maior esset eius fertilitas; ea enim opinio eo ipso refutatur, quod Jahve promisit fruges eius anni, qui annum sabbaticum antecederet, se triplicaturum (Lv 25.

20—22). Neque praeceptum anni sabbatici eo spectabat, ut otium ageretur; quod iam inde apparet, quod praeter agriculturam ceteri labores permissi erant. Immo annus sabbaticus idem valet, quod dies festus. Omnibus diebus festis id propositum est, ut homo non solum ex labore vitae conquiescat, sed etiam ex recordatione dei rerumque divinarum renascatur atque ad labores vitae denuo firmetur. Labor autem huius vitae praecipue in cultura agrorum versatur. „Cum sudore vultus tui (i. e. cum multa molestia, magno labore) victum tibi comparabis“ innuit deus Adam, cum ei labores vitae humanae annuntiaret (Gn 3, 19). Quodsi a cultura agrorum requiescit homo, requiescit a laboribus huius vitae. Requiescit autem non solum cum laborem omittit, sed etiam cum impetum sumit ad deum. Quare studium legis ad vim anni sabbatici vehementer pertinet. Quam vim breviter ita complectaris: Ut ager cessatione colendi quasi renovatur novasque vires colligit, ita hominem Hebraeum requiete agricultionis vel laboris huius vitae et lectione meditationeque legis divinae animo iuvenescere oportebat.

Ceterum deus lege de anno sabbatico voluit Hebraeis etiam promissam aeternam quietem caelestemque beatitudinem in memoriam revocare, caritatem et benignitatem erga alterum augere (quare Philo De virtutib. opp. II, 391 leges de anno sabbatico νόμια χρηστὰ καὶ φιλάνθρωπα vocat), indicare denique se terrae possessorem ac dominum esse (Lv 25, 23), terram quoque hominum quietis participem facere.

Caput quartum

De anno iubilaeo

Conferas G. Wolde, De anno Hebraeorum iubilaeo commentatio. Gottin ae 1837; J. Th. K. Kranold, De anno Hebraeorum iubilaeo. ib. 1838; H Hupfeld, De anni sabbatici et iobelei ratione. Halis 1858; A. Klostermann, Ueber die kalendarische Bedeutung des Jubeljahres (St Kr 1880, 720—748); P. Schmalzl, Das Jubel-Jahr bei den alten Hebräern. Ein kritisch-exegetischer Commentar zu Lv 25, 8—55. Eichstätt 1889.

1. Septenos annos sabbaticos sequebatur annus iubilaeus (שְׁנַת הַיֹּבֵל Lv 25, 13. 28. 40; 27, 17 s. 23, et simpliciter הַיֹּבֵל Lv 25, 10—12. 15. 28. 30 s. 33; 27, 18. 21. Nm 36, 4) i. e. *annus quinquagesimus,* non quadragesimus nonus, ut Rabbi Jehuda, Geonaei (i. e. doctores academiarum Babyloniarum, qui a saeculo septimo usque ad undecimum floruerunt), alii viri docti posterioris aetatis existimarunt, hac una causa ducti, quod agrorum cessatio ultimi anni sabbatici sive quadragesimi noni et sequentis anni iubilaei sive quinquagesimi penu-

riam annonae et famem attulisset. At longinquior haec agrorum cessatio, iam diu ante cognita, Hebraeos monebat, ut frumentum reponerent, ac fructus arborum sua sponte nati permultis alimenta praebebant, praesertim cum quidam fructus, ut ficus et sycomori, dimidium fere annum servari et ad reliquos menses reponi possent. Atque annum iubilaeum fuisse annum quinquagesimum ex loco Lv 25, 8—11 apparet, cuius simplicissima interpretatio haec esse videtur: Primum numerantur ex septem annis sabbaticis septem annorum hebdomades, quarum summa undequinquaginta annos efficit (v. 8); tum annus iubilaeus incipiendus est (v. 9); atque ne quis putet eum ultimo anno ex illis undequinquaginta celebrandum esse, statim additur annum quinquagesimum i. e. eum, qui illos undequinquaginta praeteritos sequatur, iubilaeum esse (v. 10 s.) Praeterea Nm 36, 4 diserte dicitur annum iubilaeum esse annum quinquagesimum [1]. Idem affirmant Josephus (A J 3, 12. 3) et Philo (De decalogo, opp. II, 207. De septen. ib. 290. De virtutib. ib. 392), qui τὸν πεντηκοστὸν ἐνιαυτόν sive τὸ πεντηκοστὸν ἔτος annum iubilaeum vocant [2], Judaei et Rabbanitae et Karaei, plerique interpretes recentiores. Neque probanda esse videtur sententia, quam nonnulli protulerunt, annum iubilaeum fuisse undequinquagesimum annum solarem, sed quinquagesimum dici ex computatione annorum lunarium. Nam primum non intellegitur, quo modo factum sit, ut, cum auctor Lv 25, 2—9 semper de annis solaribus dixisset, v. 10 subito lunarium numeratio induceretur. Deinde non constat Hebraeos umquam duplicem annum, et solarem et lunarem, habuisse; nam annus duodecim mensium lunarium cum cursu solis ita conciliari solebat, ut, ubi opus erat, mensis intercalaris intericeretur. Denique nescio, quo modo undequinquaginta anni solares efficiant quinquaginta lunares, cum annus solaris undecim fere diebus maior sit lunari.

[1] Nonnulli opinantur etiam loco Lv 27, 16—18 aliquod indicium ad numerum anni iubilaei constituendum inesse. Nam si quis agrum certi cuiusdam ambitus Jahvae sacratum redimere cupit, pretium quinquaginta siclorum constituitur (v. 16). Quod pretium integrum pro agro solvendum est, si inde ab anno iubilaeo sacratus fuit (v. 17), minuitur autem ex numero annorum, qui post annum iubilaeum iam praeterierunt (v. 18). Quo quinquaginta siclorum pretio indicari videtur legislatorem de quinquaginta annorum periodo cogitasse, ita ut unicuique anno unus siclus tribuatur.

[2] Obici quidem potest: Si Josephi atque Philonis aetate annus iubilaeus non amplius celebratus sit, nihil valere eorum auctoritatem, sed utrumque ex Pentateucho hausisse eaque sola de causa annum quinquagesimum pro iubilaeo habuisse. Quamquam vero ita eorum auctoritas paululum infringitur, tamen constat eos etiam ex aliis fontibus ac Pentateucho

hausisse; nam quae Josephus de ea re tradit, quo modo inter agri emptorem et venditorem sumptus in agrum impensi subducantur, cum in litteris sacris non legantur, aliunde petita esse oportet. Quam eandem rem Philo quoque indicare videtur. Unde concludere licet Josepho atque Philoni accuratiorem rei notitiam et praeter litteras sacras alios fontes non defuisse.

II. De vi vocabulo יוֹבֵל, יֹבֶל subiecta variae sunt virorum doctorum discrepantesque sententiae[1]. Exstat in lingua Hebraica verbum יָבַל *fluxit, in longum dimanavit,* de quo nihil in codice sacro legitur nisi formae Hiphʿil הוֹבִיל *deduxit, produxit* et Hophʿal הוּבַל *productus est.* Ad quam radicem plerique philologi nomen יובל quoque referunt, diversa tamen ratione. Nonnulli שְׁנַת הַיּוֹבֵל *annum reductionis* (τὸ ἔτος τῆς ἀναγωγῆς) interpretantur; reducebat enim omnes ad vetustas sedes suosque agros, ad antiqua hereditatum iura et primas vivendi condiciones; quare a Philone (De decalogo, opp. II, 207) ἀποκατάστασις *restitutio* dicitur, quod hoc anno et res et personae in loca pristina restituebantur. Eadem Syri interpretis sententia fuit, qui *punaja* = reductio, redditio (a *penâ* = reduxit) vertit, item LXX interpretum, qui ἄφεσιν remissionem et ἔτος τῆς ἀφέσεως annum remissionis transtulerunt, et Josephi, qui AJ 3, 12. 3 vocabulum יובל ἐλευθερίαν significare contendit. Alii autem יובל *sonitum* et *clangorem tubae longe productum* declarare volunt; unde שנת היובל = *annus clangoris* i. e. annus gaudio et hilaritate insignis, Vulg. *annus iubilaeus* vel *iubilaei*, Jos. l. c. ἐνιαυτὸς ἰώβηλος, Luther *Halljahr;* tubarum enim sive cornuum clangor nihil erat nisi publicae laetitiae interpres. Denique alii (imprimis Judaeorum magistri) יובל vocabulum Arabicum esse existimant, quod *arietem* valet, per synecdochen autem *cornu arietinum,* quo inflato hic annus promulgabatur[2]. Quae significatio, etsi lexicis Arabicis non adiuvatur, cum יבל apud Phoenices secundum inscriptionem, quae anno 1845 Massiliae inventa est, *arietem* exprimat (l. 7), profecto reliquis est probabilior. קֶרֶן הַיּוֹבֵל est *cornu arietis,* quo canebatur, et hinc ipse annus nomen יובל nactus est[3].

[1] Nm 36, 4 vocabulum יובל genere masculino usurpatur, ceteris locis genere feminino, quod eo loco a שָׁנָה, cuius notio cogitando huic vocabulo tribuitur, ad יובל transiit. Iis autem locis, quibus שְׁנַת הַיּוֹבֵל legimus, יבל non adiectivum vel participium, sed substantivum esse apparet.

[2] Velut Rabbi Akiba memoriae prodit, cum iter in Arabiam faceret, דכרא *arietem* se appellari audivisse יובלא. Atque interpres Chaldaicus Jonathan id, quod Jos 6, 5 קרן היובל *cornu iubilaei* appellatur, קרן דכרא *cornu arietinum* reddit et שופרות יובלים *bucinas iubilaei* vocat שופריא בקרן דכריא *bucinas e cornu arietino.*

[3] Alias de origine vocabuli יובל ex lingua Hebraica repetenda opiniones, cum ineptiores sint, verbo attigisse sufficit. Damnant enim semet ipsae.

Licet in lingua Hebraica praeter nomina propria nulla fere exstent vocabulorum ex duobus in unum compositorum exempla, fuerunt tamen qui יובל ex nominibus dei יְהוָה et אֵל conflatum esse opinarentur. Alii autem יובל quinquagesimum numerum significare crediderunt, quod, qui morem Hebraicum numeros scribendi novit, absurdum esse intelleget. Rursus alii יובל a הוֹבִיל derivari dicunt, quod idem sit atque Graecum ἐπάγειν, a quo nomen *epactae* deducatur. Hinc annum iubilaeum *intercalarem* fuisse concludunt. Nec reiciunt huius opinionis auctores notionem *reducendi*, de qua supra diximus, quia anno iubilaeo anni in suum ordinem reducuntur. Ita autem verbis vis infertur, non eorum vis effertur.

III. Annus iubilaeus die sollemnis expiationis i. e. die decimo mensis septimi a sacerdotibus clangore cornuum per totam terram promulgabatur. Eo anno praeter ea, quae anno sabbatico in usu erant, etiam omnes agri et domus pagorum (urbium quoque Levitarum et sacerdotum) [1], prioribus annis venditae, exceptis iis, quae Jahvae sacratae neque ante annum iubilaeum redemptae erant, ad pristinos suos possessores sine ullo pretio aut compensatione redibant [2]; domus vero in oppido moenibus cincto, ut a possessore, qui eam vendiderat, intra duodecim menses redimi poterat, ita anno elapso nullus redemptioni locus erat nec spes domino pristino supererat anno iubilaeo se possessionem suam recepturum. Praeterea omnia mancipia originis Hebraicae libertatem nanciscebantur; quare etiam *annus libertatis* (שְׁנַת הַדְּרוֹר LXX ἔτος τῆς ἀφέσεως Ez 46, 17) vocabatur. Denique cum debitores agrum creditori plerumque vel hypothecae nomine obligarent vel utendum traderent, ut ita ager creditori quasi veniret, anno autem iubilaeo debitori redderetur, etiam haec debita remittebantur nec non debita eorum, qui, cum non pares essent solvendo, in servitutem venditi in libertatem restituebantur [3]. — Cf. Lv 25, 8—18. 23—55; 27, 16—25. Nm 36, 4. Jos. AJ 3, 12. 3.

[1] Nam cum Levitae nullam terrae promissae partem haberent, nulla iis erat firma possessio nisi domus in suis urbibus, quibus si in perpetuum privati essent, sede et domicilio prorsus caruissent. Quare Levitarum urbibus idem ius concessum est quod ceterorum agris.

[2] Neque vero damni quidquam inde accipiebatur, quia in contractibus semper ratio anni iubilaei habebatur. Nam vel agrum vel vineam cum quis vendebat, eo maiore pretio vendebat, quo longius annus iubilaeus distabat, eo minore, quo magis appropinquabat.

[3] Alia debita non remittebantur. Si Josephus AJ 3, 12. 3 de anno iubilaeo dicit: ἐν ᾧ οἵ τε χρεώσται τῶν δανείων ἀπολύονται, id dumtaxat de sua aetate testatur. — Ex Neh 5, 1—12 id unum colligitur Nehemia ad sublevandos pauperes novas tabulas extra ordinem effecisse.

Haec de anno iubilaeo praecepta num ante exsilium Babylonium observata sint, sacrae litterae non tradunt. Maximi sane momenti est, quod in Deuteronomio, quo ceterae leges, quae ad tempora, quibus ille liber scriptus est, idoneae erant, omnes fere repetuntur, anni iubilaei mentio non fit. Quod vero Nm 36, 4 annus iubilaeus tamquam res omnibus nota memoratur, argumento non est eum esse celebratum: nam si illa verba eorum sunt, quorum esse dicuntur, ex ipso Mosis instituto festi illius notitiam iis fuisse apparet; sin scriptoris recentioris sunt, eum ex vitae usu annum iubilaeum novisse nondum efficitur, quod ex legum Mosaicarum libris eius notitiam haurire potuit. Si ille annus vere observatus esset, Jesaia 5, 8 in quosdam legis violatores, qui agrum ad agrum et domum ad domum emebant, non tam acerbe inveheretur. Apud Ez 46, 17 sane de anno iubilaeo sermo est; sed inde nondum sequitur eum observatum esse. Propheta enim, sicut multas legis Mosaicae partes aedificatione novi templi instante repetit, ita ad suae aetatis necessitates eas paulum mutatas accommodat. Etiam legem de anno iubilaeo ad principis condicionem aptat, quoniam in Levitico principis mentio nondum facta erat [1]. Rabbini existimant post reditum ex exsilio annos iubilaeos nullos fuisse, sed tamen numeratos esse, ut cyclus septem annorum sabbaticorum etiam tum quinquaginta annos efficeret. Circa novi testamenti tempora lex de anno iubilaeo nullam vim habuisse videtur, id quod ex eo colligimus, quod Josephus, civis Arimathiae, in agro Hierosolymitano sepulcrum habebat (Lc 23, 50—53), ut ager, quem venire lex iubilaea vetabat, alieni domini esset. neque ullus evangeliorum scriptor mentionem eius legis violatae fecit. A vero igitur absonum non est, eam legem servatam non esse [2].

[1] Nonnulli praecepta de anno iubilaeo observata non esse ex Jer 34, 8—22 colligi posse existimarunt. At quae ibi leguntur, ad legem Ex 21, 2 et Dt 15, 12 de servis anno septimo manu mittendis spectant. Neque Jes 37, 30 de anno iubilaeo cogitari potest, nam hostibus urbem et universam terram vastantibus ad celebrandum eum annum nemo se accinxit.

[2] Quae apud Josephum et Philonem de anno iubilaeo leguntur, ita scripta sunt, ut Mosis consilium tantum laudari appareat; sed neuter tradit ipsum eius modi annum observatum vidisse.

Adnotatio. — Est virorum quorundam doctorum sententia Hebraeos ex annis iubilaeis temporum descriptionem instituisse. Sed nulla eius rei supersunt indicia. Primum iudicum et regum nominibus Hebraei tempus describebant; postea aerâ Seleucidarum, quae ab autumno anni 312 a. Ch. n. initium cepit, utebantur; alios temporis numerandi modos infra memoramus. Ex annis vero iubilaeis numquam tempus describitur. Cuius rei causa fuisse videtur, et quod annus iubilaeus minus iusto ordine celebrabatur et quod eius modi universa temporum ratio antiquis populis non

conveniebat, quippe qui ex certis nominibus tempus constituere mallent. Itaque videmus eos annos vel regum vel magistratuum numerasse; Graecis autem computatio olympiadum ex nominibus victorum memoriae traditis orta esse videtur.

IV. Praeceptis de anno iubilaeo bene provisum erat, ne familiae in perpetuam paupertatem redigerentur et divites latifundia accumularent, quod ad tranquillitatem reipublicae tuendam atque conservandam maximi erat momenti. Simul et libertas gentis electae manifesta fiebat et opinio Jahvae, summi terrae domini, ac fiducia in eius providentiam augebatur. Merito igitur ea praecepta a Philone (De decalogo, opp. II, 207) πρᾶγμα φιλανθρωπίας καὶ δικαιοσύνης μεστόν vocantur.

Annus iubilaeus consideratur tamquam *typus* illius anni tubâ dei indicendi (Mt 24, 31. I Cor 15, 52. I Thess 4, 15. cf. Apc cc. 8—10), quo auctore Petro apostolo (Act 3, 19—21) peccata delerentur, servitus solveretur, omnia in integrum restituerentur eundemque omnino recuperarent perfectionis statum, quem ab initio habuerant, cum deus sexto creationis die, postquam universa, quae creaverat, primis hominibus tradidit, cuncta „valde bona“ esse declaravit (Gn 1, 31), ergo typus τῶν χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, temporum restitutionis omnium, quae post secundum Christi adventum erunt.

Complures opinantur annum iubilaeum etiam quodam modo spectare ad novum foedus, ad tempora gratiae clangore tubae evangelicae promulganda, quibus deus summa benignitate thesaurum suae benevolentiae hominibus aperit (Jes 61, 1 ss.), cum vetus foedus fuerit tempus indignationis et sterilitatis (ib. 54, 1. 7. 11).

V. Cum Hebraei diu in Aegypto versarentur, ex complurium hominum eruditorum opinione multas res ab Aegyptiis acceperunt. Quare quaesitum est, num etiam annum iubilaeum inde mutuati sint. Sed eo ipso verisimile non est prorsus eandem rem apud Aegyptios fuisse, quod eorum forma reipublicae ab Hebraeorum nimis diversa erat. Nam ab antiquissimis temporibus regia utebantur potestate; neque pari dignitate inter se omnes terrae incolae erant, sed maior sacerdotum militumque honor; neque in sola agrorum cultura omnis vita posita, sed artibus opificiisque multorum studia dicata erant. Itaque anni iubilaei institutum apud Aegyptios non invenimus, nonnullas tamen legum agrariarum Hebraeorum similitudines cognoscimus. Velut loco Gn 47, 20—26 docemur Aegyptios quoque summam agrorum potestatem non habuisse, sed eos ita obtinuisse, ut ipsa terra (exceptis sacerdotum agris) regis esset, populus autem eam quintâ fructuum parte regi datâ coleret. Idem Moses instituit, praeterquam quod non rex, sed Jahve apud Hebraeos dominus agrorum est. Eius modi vero agros non ex cuiuslibet arbitrio

venire potuisse facile intellegitur. Atque maior similitudo inter res Aegyptias et Hebraicas intercedit, si Herodotum conferimus, qui Hist 2, 109 Sesostrim aequam agrorum partem unicuique Aegyptiorum pro vectigali quotannis pendendo assignasse narrat. Ceterum quod ad descriptionem temporum attinet, respiciendum est Aegyptiis fuisse periodum viginti quinque annorum, quae Apica dicebatur, quia taurus ille nomine Apis post viginti quinque annos occidi solebat (cf. R. Lepsius ZDMG VII, 1853, 417—436), cum periodus iubilaea duas Apicas comprehendat.

Sectio secunda

De festis annuariis

Caput primum

De festis annuariis universis

I. Praeter dies annosque festos (מוֹעֲדִים), qui in omnibus religionibus inveniuntur, Hebraei quotannis tres magnas sollemnitates (חַגִּים) celebrabant, quae historia gentis electae innituntur. Earum natura magis specialis Hebraeis in memoriam revocabat maiora beneficia a deo in se ipsos collata esse i. e. liberationem e servitute Aegyptia et conservationem primogenitorum *(pascha* et dies azymorum), legislationem Sinaiticam sive constitutionem reipublicae Hebraeorum (*pentecoste*), miraculosam gentis conservationem in deserto per quadraginta annos (*sollemnitas tabernaculorum*) [1]. Pentecoste et sollemnitas tabernaculorum praeterea id spectabant, ut populus pro messe et frugum collectione gratias ageret [2].

[1] De his *tribus sollemnitatibus* agitur Ex 23, 14—18; 34, 23. Lv 23, 4—22. 34—44. Nm 28, 16—31; 29, 12—39. Dt 16, 16. De sollemnitate *paschatis* conferas etiam Ex 12, 1—27. 43—49; 13, 3—10. Dt 16, 1—8. de sollemnitate *pentecostes* Dt 16, 9—12. de sollemnitate *tabernaculorum* Dt 16, 13—15; 31, 10—13.

[2] Cum tot aliae gentes antiquae ex messe festa agerent, verisimile est Hebraeos quoque iam ante Mosen eius modi festa observasse, ritu sine dubio a maioribus tradito.

II. Hae tres sollemnitates in Talmud *festa peregrinationis* (רְגָלִים) vocantur, quia in iis omnes Hebraei adulti (exceptis tamen aegrotis vel aliam ob causam ad iter non idoneis) [1] cum muneribus ad tentorium

Mosaicum et postea ad templum Hierosolymitanum (לִפְנֵי יְהוָה) ex legis praescripto (Ex 23, 14—17; 34, 23. Dt 16, 16) conveniebant (רָאָה), sacra faciebant (חָגַג cf. II Chr 8, 13), cum canticis, musica, choreis sacris Jahve, rege clementissimo, laetabantur (שָׂמַח)[2]. Quibus conventibus unitas religiosa et nationalis singularum gentis tribuum conservabatur et confirmabatur. Nam quicumque sacra communia habent eaque communiter eodem loco celebrant, ii minus in plures respublicas divelli possunt. Ad quod etiam Josephus AJ 4, 8. 7 respicit.

[1] Pueros a duodecimo aetatis anno illam legem servare consuevisse et Lc 2, 42 indicatur et opinione quoque rabbinorum posteriorum confirmatur, qui puerum ab ea aetate ad ieiunium et ad observationem legis maturum esse censebant (cf. J. Lightfoot, Hor. Hebr. ad Lc 2, 42). At teste M. Chagiga 1, 1 ea obligatio iam ante aetatem duodecim annorum adesse censebatur.

[2] Quanta fuerit multitudo eorum, qui ad tres sollemnitates anniversarias Hierosolyma adscendebant, ex Josepho cognoscitur, qui memoriae prodit ad sollemne paschale 300.000 hominum adfuisse (BJ 2, 14. 3) et 256.500 agnos paschales mactatos esse (ib. 6, 9. 3). Cf. Jo 12, 12. Act 2, 5 ss. Echa rabbathi 59^{ab}: „Agrippa rex cupiens scire, quanta turba fuerit Hierosolymis in paschate, dixit sacerdotibus: Reponite mihi renum unum de unoquoque agno. Seposuerunt sexcenties mille paria renum". Cf. p. 263.

Cum omnes viri Hierosolyma confluerent, etsi terra iis diebus custodiâ suâ privabatur, populum tamen metuere non oportebat, quoniam Jahve promiserat se ipsum terram custoditurum, ut hostes in eam incursionem facere non auderent. Ex 34, 24: „Neque concupiscet quisquam terram tuam, cum adscendes, ut compareas coram Jahve, deo tuo, ter in anno". Neque in sacris litteris usquam memoriae proditur sollemnia Hierosolymis celebrata populo damno fuisse. Josephus autem tradit posterioribus temporibus promissum illud divinum haud semper praestitum esse (velut BJ 2, 19. 1). Verum respiciendum est, ut alia promissa divina, ita et illud certa condicione datum esse, si Hebraei mandata Jahvae fideliter observarent.

Ibn ʿEsra putat deum verbis illis promisisse, se tantum terrorem gentibus finitimis iniecturum, ut etiamsi summa belli gerendi cupiditas eos incessisset, tamen terram Hebraeorum non peterent. Similiter auctor commentarii, qui חזקוני inscribitur, existimat fore, ut gentes finitimae Hebraeos in festis suis celebrandis occupatos adoriri ea prohibeantur cogitatione, cum Hebraeorum deus priores terrae Canaan incolas, qui fortissimi fuerant, expulisset, multo minus sese id consecuturos, ut Hebraeos expellant eorumque terram subigant, dum deo suo iustum ac debitum cultum praestent. Alii (ut J. D. Michaelis) locum allatum non ita intellegendum esse censent, quasi hostes Hebraeorum miraculo impediti sint, quo minus eorum terram tum invaderent, cum omnes Hebraei adulti Hierosolyma convenire debebant; sed gentium Hebraeis finitimarum morem fuisse videri, ut eo tempore indutias conservarent, quem ad modum antiquis Arabibus certi quidam

menses *vetiti* sive *sacri* erant, quibus expeditionibus abstinerent. Quae opinio probari non potest.

III. Critici recentioris aetatis tria sollemnia anniversaria Hebraeorum (מַצּוֹת, קָצִיר, אָסִיף) ex Cananaeorum diebus festis, qui ad agriculturam pertinent, ducenda esse contendunt, nisi quod Cananaei ea sollemnia deo Baal, Hebraei Jahvae celebrarent. Praeter ea tria sollemnia agricolae sollemne quoque pecuarii (פֶּסַח) celebratum esse, cum primogenita gregum immolarentur, ut deo pro emolumentis rei pecuariae gratia referretur; id ceteris tribus sollemnibus antiquius esse et ab Hebraeis iam prius celebratum esse, quam a Canaanaeis agros colere discerent. Quae sollemnia ut sollemnia agricolae et pecuarii Hebraeos in suo quemque domicilio (מצות vere, cum messis hordei inciperetur; קציר septem hebdomadibus post, cum tritici messe finis fieret messi frugum; אסיף autumno, cum omnis perceptio fructuum confecta esset) usque ad tempora regum celebrasse. Octingentis fere annis post Mosen demum ea sollemnia, cum paulatim desiissent gratulationes pro donis agriculturae et rei pecuariae esse et celebrationem memoriae rerum gestarum prae se ferre coepissent, certo mensis die celebrata esse, quo pro universo populo certa sacra fierent et unusquisque Hebraeus adultus ad sacrarium venire deberet.

Quam opinionem de origine trium sollemnium anniversariorum Hebraeorum falsam esse iam supra demonstratum est. Atque id ipsum perperam dicitur ea a Cananaeorum diebus festis ad agriculturam pertinentibus profecta esse, id quod unum hîc inquiritur. Nam quamvis constet Cananeos apud Hebraeos, cum hi in eorum terra consedissent, in variis rebus multum valuisse, quod etiam libri veteris testamenti ipsi tradunt, tamen Hebraei in iisdem libris, quotiens deos et cultum Cananaeorum utcumque amplexi sunt, semper acerbe vituperantur, quod ab uno vero deo defecerint. Id quoque respiciendum est, quod de diebus festis Cananaeorum ad agriculturam pertinentibus prorsus nihil accepimus. Neque enim apud Cananaeos Palaestinenses neque apud Phoenicios quidquam de eius modi sollemnibus memoriae traditum est. Festum quidem autumnale Cananaeorum vetere testamento contestatum esse dicitur: nam Jdc 9, 27 de incolis Cananaeis oppidi Sichem memoriae prodi: „Exierunt in agrum et vindemiarunt vineas suas et calcarunt (in torculari uvas) et fecerunt הִלּוּלִים *laudes* (i. e. laetos cantus, qui peractâ vindemiâ cum conviviis et choreis coniuncti erant) et ingressi sunt templum dei sui (Baʿal-berît) et comederunt et biberunt“. Quibus verbis gentilium festum vindemiae describi. At sollemne Hebraeorum חַג הָאָסִיף (Ex 23, 16; 34, 22) vel חַג הַסֻּכּוֹת (Lv 23, 34. Dt 16, 13. 16; 31, 10. al.) appellatur, cum sollemne, de quo loco allato agitur, nomen הִלּוּלִים habeat atque Lv 19, 23 s. a festo autumnali (ib. 23, 34) clare discernatur; nam ibi legimus: „Cum veneritis in terram (Canaan) et plantaveritis arbores fructiferas omnis generis, praeputium habebitis praeputium eius (i. e. fructus arborum, ac si praeputium haberent, censebitis). Tres anni erunt vobis praeputiati (i. e. fructus per

tres annos) neque edentur. Quarto anno omnis fructus earum sanctitas הִלּוּלִים *laudum* erit Jahvae (i. e. erit sacer, absumendus in conviviis, quae Jahvae celebrari solent)". Unde apparet הִלּוּלִים id festum esse, quod post vindemiam novae vineae quarto anno agitur, non esse sollemne vindemiae anniversariae. Quare etsi simile festum apud Cananaeos traditum est, id tamen non est festum autumnale Hebraeorum. Multo minoris auctoritatis est id festum, cuius Jdc 21, 19—21 mentio fit. Ibi accepimus incolas oppidi Silo quotannis in vineis festum celebrasse, quo puellae choreas ducerent. Quod festum diserte חַג־יְהוָה *sollemnitas Jahvae* appellatur atque similes in vineis ludos etiam paulo ante excidium Hierosolymorum fuisse ex M. Taanith 4, 8 apparet, ubi legimus: „Dixit Rabban Simeon, filius Gamalielis: Non fuere Israelitis tam festivi dies quam quintus decimus mensis Ab et dies expiationum, quia illis diebus virgines Hierosolymitanae egrediebantur, indutae vestibus albis . . . Virgines (inquam) Hierosolymitanae exibant inque vineis saltabant". Nullum igitur ex tribus sollemnibus anniversariis Hebraei a Cananaeis mutuati esse possunt, siquidem nullum ex iis Cananaeis notum erat.

Ceterum id quoque respiciendum est Hebraeos non in Canaan demum agros colere didicisse. Iam in historia patriarcharum, qui ex parte etiam in domibus habitabant (Gn 27, 15) et vinum bibebant (ib. v. 25) eorumque verum negotium Gn 46, 31 ss. cogitate silentio tegitur, bis (Gn 26, 12; 37, 7) agriculturam memoratam reperimus. Etiam in terra Gosen Hebraei certa domicilia habebant ibique non solum oves et capras ut Beduini, sed etiam pecus bubulum possidebant (Gn 45, 10. Ex 10, 9. 24). Quodsi post immigrationem demum in Canaan sollemnia messoria agere coeperunt, certe in religione aliis non tam obnoxii erant, ut ea a Cananaeis mutuari necesse esset. Neque enim probari potest Hebraeorum intellectum dei tum, cum ex Aegypto liberati sunt, adeo fuisse angustum, ut Jahvae, qui eorum gratiâ iam tot miracula fecerat, messes non attribuerent.

Cf. W. Riedel, Alttestamentliche Untersuchungen I, 52—70.

Caput secundum

De sollemnitate paschatis

Conferas tract. Pesachim (M II, 3); Bl. Ugolini Thes. XVII, 1127—1188; F. Hitzig, Ostern und Pfingsten. Heidelberg 1837—38; G. M. Redslob, Die biblischen Angaben über Stiftung und Grund der Paschafeier vom allegoristisch-kabbalistischen Standpunkte aus betrachtet. Hamburg 1856; G. Bickell, Messe und Pascha. Mainz 1872; J. Müller, Kritischer Versuch über den Ursprung und die geschichtliche Entwickelung des Pesach- und Mazzothfestes. Nach den pentateuchischen Quellen. Bonn 1883; D. Chwolson, Das letzte Passamahl Christi und der Tag seines Todes nach den in Uebereinstimmung gebrachten Berichten der Synoptiker und des Evangelium Johannis. St. Petersburg 1892; R. Schäfer, Das Passah-Mazzothfest nach seinem Ursprunge, seiner Bedeutung und seiner

innerpentateuchischen Entwicklung im Zusammenhange mit der israelitischen Kulturgeschichte untersucht. Gütersloh 1900; C. v. Orelli, Israelitisch-jüdisches Passah (RE³ XIV, 750—757); A. Büchler, Das Brandopfer neben dem Passah in II Chr 30, 15 und 35, 12. 14. 16 (ZAW XXV, 1905, 1—46); B. D. Eerdmans, Das Mazzoth-Fest (Or St 671—679); G. Beer, Pascha oder das jüdische Osterfest. Tübingen 1911; D. Völter, Passah und Mazzoth und ihr aegyptisches Urbild. Leiden 1912.

I. Inter festa annuaria eminebat חג הַפֶּסַח sollemnitas paschatis (Ex 34, 25). Nomen פֶּסַח (LXX [exceptis libris Chr, ubi φασέκ] et novum testamentum πάσχα. quod formae פִּסְחָא apud targumistas et talmudistas usitatae respondet; Josephus etiam Φάσκα et φάσχα; Vulgata *phase*, *transitus*), a radice פָּסַח *transiit*, proprie significat *transitum* (neque illum Hebraeorum per mare rubrum, id quod Augustinus, Tract. 55. in evang. Jo. § 1. MSL 35, 1785 censet, sed) angeli exterminatoris super Hebraeorum domos sanguine agni respersas (Ex 12, 13. 23. 27); unde apud Aquilam Ex 12, 11 ὑπέρβασις = *transgressio*, apud Symm. ib. ὑπερμάχησις, apud Josephum (AJ 2, 14. 6) ὑπερβάσια, al. lect. ὑπερβασία (διότι κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ὁ θεὸς αὐτῶν ὑπερβάς), apud Philonem (De vita Mosis l. 3. opp. II, 169) et Origenem (C. Celsum 8, 22. MSG 11, 1552) ἡ ἑορτὴ τῶν διαβατηρίων vel τὰ διαβατήρια, quo vocabulo Graeci sacrificium pro felici transitu sive successu expeditionis alicuius significant.

Nonnulli Hebraeorum verbum פָּסַח *misereri*, *parcere* interpretantur et agnum paschalem propterea פֶּסַח vocatum esse dicunt, quod Jahve ob eius sanguinem primogenitorum Hebraicorum miseritus est iisque pepercit. Velut Onkelos, qui pro פֶּסַח ponit חֶנָם *misericordia*.

Contra originationem vocabuli פֶּסַח a verbo Graeco πάσχειν, cui Tertullianus (Adv. Jud. c. 10. MSL 2, 630), Lactantius (Div. inst. 4, 26. ib. 6, 531), Irenaeus (Varior. not. in l. 4. contra haer. MSG 7, 1705), Chrysostomus (Hom. 5. in I Tim. § 3. ib. 62, 530), alii suffragantur, ut similitudinem inter pascha et passionem Christi demonstrent, merito dixerunt Augustinus (Enarr. in Ps 68. serm. 1. § 2. in Ps 120. § 6. in Ps 138. § 8. De civ. dei 16, 43, 1. MSL 36, 841 s; 37, 1609. 1789; 41, 522), Hieronymus (Comm. in Jes 31, 5. ib. 24, 356), Ambrosius (De sacram. 1, 4. ib. 16, 421), Leo Magnus (Ep. 3, 2. ib. 54, 608).

F. Hommel (Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung 293) vocabulum פֶּסַח ex Aegyptio *pe-saḫa'* (· „das Sich-erinnern") derivandum esse censet. W. Riedel (ZAW XX, 1900, 319—329. Alttestamentliche Untersuchungen I, 69 s.) id vocabulum ex Aegyptio *pôseḫ* i. e. *messis* deducit et Ex 12, 27 verbis וְכִחַּ־פֶּסַח *sacrificium messis*, quod Hebraei iam in Aegypto celebrarint, significari contendit. Quam opinionem B. Stade (ZAW ib. 333—337) impugnat.

H. Zimmern (KAT^3 610^3) vocabulum פסח a verbo Assyrio *pašâḫu* (= se linire), Pi'el *puššuḫu* (= alicuius animum mitigare) derivat. Quam originationem probari non posse infra p. 267 dicemus.

Improprie פסח valet 1) *agnum paschalem* mactatum et comesum, quo spectant loquendi formulae שָׁחַט הפסח vel זָבַח פסח *mactare agnum paschalem* Ex 12, 21. Dt 16, 2. II Chr 30, 15. 17; 35, 1. 6. 11. θύειν vel θύεσθαι τὸ πάσχα Mc 14, 12. Lc 22, 7. I Cor 5, 7. אָכַל אֶת־הפסח *comedere agnum paschalem* II Chr 30, 18. φαγεῖν τὸ πάσχα Mt 26, 17. Mc 14, 12. 14. Lc 22, 11. 15. Jo 18, 28. עָשָׂה הפסח *parare agnum paschalem* i. e. pascha celebrare et per synecdochen epulum paschale instruere Ex 12, 48. Nm 9, 2. 4—6. 10. 12—14. Dt 16, 1. Jos 5, 10. II Rg 23, 21—23. Esr 6, 19. II Chr 30, 1—3. 5; 35, 1. ποιεῖν τὸ πάσχα Mt 26, 18. Hebr 11, 28. — 2) diem agno paschali comedendo lege constitutum sive *festum paschale*, et quidem a) sensu proprio diem quartum decimum mensis Nisan Ex 34, 25. Lv 23, 5. Mc 14, 1. b) sensu latiore festum paschale universum i. e. inclusis diebus azymorum Nm 33, 3. Jos 5, 11. Lc 22, 1. Etiam Josephus vocabulum πάσχα saepius usurpat de tota sollemnitate azymorum, ut AJ 14, 2. 1; 17, 9. 3; 18, 4. 3. BJ 2, 1. 3.

Sunt qui loquendi formulam φαγεῖν τὸ πάσχα in evangeliis usurpatam non de edendo agno paschali, sed de epulis sacrificalibus interpretantur, quae diebus azymorum instrui solebant. Quae explicatio prorsus falsa est eiusque patroni perperam nituntur locis Dt 16, 2 et II Chr 35, 7. Nam priore loco non solum de agno paschali agitur, sed etiam de reliquis victimis, quae sequentibus feriis paschalibus ex lege Nm 28, 19—22 offerendae erant; posteriore autem loco diserte dicitur Josia regem populo dedisse pecus et capras לַפְּסָחִים et praeterea tria milia boum ideoque in ipso textu ea animalia, quae פסחים constituunt, ab aliis omnino separantur. Eodem modo v. 13 פסח ab aliis hostiis clare separatur. — Cf. E. Schürer, Ueber φαγεῖν τὸ πάσχα. Akademische Festschrift. Gießen 1883.

Adnotatio. — In sacris litteris *pascha* est dies primus azymorum. Contra complures critici recentioris aetatis contenderunt pascha initio cum a ceteris diebus festis tum a diebus azymorum diversum fuisse, illos fuisse sollemnia agricolarum, hos sollemne pastorum. Cuius sententiae duas afferunt causas: a) unam, quod in convivio paschali agnus mactetur; — at quoniam omnibus diebus festis victimae mactantur, omnes dies festos initio sollemnia pastorum fuisse necesse esset; b) alteram, quod lex paschatis loco Dt 15, 19 ss. cum lege de offerendis primogenitis coniuncta sit; — at cum eadem lege loco Ex 34, 18 ss. lex de diebus azymorum coniuncta est, ut eodem iure dicas dies azymorum initio dies festos primogenitorum pecoris fuisse. Quod si falsum est, idem de pascha falsum est.

II. Sollemnitas paschatis instituta, ut memoria insignis liberationis Hebraeorum e dura servitute Aegyptia et conservationis eorum primo-

genitorum per transitum angeli Aegyptiorum primogenitos interimentis conservaretur [1], eadem festum veris vel initii messis erat. Quare magna cum laetitia agebatur (Esr 6, 22. II Chr 30, 21. Jos. AJ 17, 9. 3) et in novo testamento simpliciter ἡ ἑορτή vocatur (Mt 26, 5; 27, 15. Lc 2, 42; 23, 17. Jo 4, 45; 5, 1 [?]. cf. etiam חָג κατ' ἐξοχήν Jes 30, 29).

Agebatur per dies octo, a die quarto decimo usque ad diem vicesimum primum mensis Nisan [2], sed soli dies primus et ultimus festi erant, quibus etiam ab omni opere servili abstinendum erat, nisi quod labores ad cibos parandos necessarii permissi erant (Ex 12, 16. Lv 23, 7 s. Nm 28, 18. 25. Dt 16, 8); dies intermedii, qui a Judaeis *dies profani* (חֹל מוֹעֵד) vocabantur, conviviis, canticis, hilaritate, non quiete peragebantur.

Die quarto decimo *agnus* sive *haedus* (utrumque enim vocabulum שֶׂה Ex 12, 3 ut Chaldaicum שִׂיאָא significat) *paschalis*, qui iam decimo die e grege electus erat [3], a patre familias (tempore posteriore a Levitis Esr 6, 20. II Chr 30, 17; 35, 6) inter duas vesperas (Ex 12, 6. Lv 23, 5. Nm 9, 3. 5. 11) in atrio sacrarii mactabatur eiusque sanguis a sacerdote ad pedem altaris holocaustorum spargebatur (Lv 17, 3—6ª. II Chr 30, 16; 35, 11) [4], adeps autem in altari concremabatur (Lv 17, 6ᵇ. II Chr 35, 14). Deinde agnus duobus baculis ligneis, uno per totum corpus, altero per priores pedes, perfossus et sic quasi crucifixus, ut ossa eius non frangerentur (Ex 12, 46. Nm 9, 12), igni assabatur [5] atque cum pane azymo et herbis amaris (מְרֹרִים) [6] a legitime mundis i. e. munditie Levitica praeditis (Nm 9, 6. Jos. BJ 6, 9. 3) manducabatur [7]. Omnis caro relicta ut res sacra in ignem proicienda erat (Ex 12, 10; 23, 18; 34, 25. Nm 9, 12) [8]. Qui manducare recusabant, e populo exterminabantur (Nm 9, 13) [9].

[1] De liberatione ex Aegypto ut admonerentur, vetus erat Judaeorum consuetudo, quam procuratores quoque Romani prudenter retinebant, hoc festo etiam captivum aliquem populo dimittere (Mt 27, 15. Lc 23, 17. Jo 18, 39).

[2] Ut semper memoriâ tenerent, dei gratiâ se et ex Aegypto eductos et electam gentem suam factam esse, Hebraei ab hoc mense, qui τῷ μηνὶ Ξανθικῷ apud Jos. AJ 3, 10. 5 respondet, annum sacrum inceperunt (Ex 12, 2. Philo, De septen. opp. II, 293).

[3] Illum agnum sive haedum תָּמִים *integrum* sive *perfectum* i. e. omnis vitii et labis expertem (בלא מום, ut S. Jarchi et Ibn ʿEsra interpretantur) esse necesse erat; זָכָר *masculum*, quia mas praestat feminae, deo autem praestantiora sunt immolanda; בֶּן־שָׁנָה *filium anni* i. e. anniculum, quem Hebraei intellegunt agnum, qui annum non compleverit.

Nonnulli interpretes (velut *Paulus Burgensis*) agnum tantum pro victima paschali admittunt, haedum vero illicitum fuisse contendunt. At

rationes, quas pro hac opinione afferunt, non tanti sunt momenti, ut iis adstipulari possimus.

Sunt qui dixerint locum Dt 16, 2 legibus libri Levitici repugnare praecepto illo, ut loco sacrificii paschalis „oves et *boves*“ immolentur. At ex Lv 23, 8 apparet praeter agnum paschalem etiam alia sacrificia paschalia fuisse: ad holocausta et sacrificia pro peccato oves et boves adhibebantur. Itaque vocabulum פסח loco allato non sacrificium paschale ipsum, sed eas victimas significat, quae feriis paschalibus offerendae erant.

Utrum praeceptum agnum paschalem iam quattuor diebus ante mactationem eligendi primum dumtaxat pascha in Aegypto celebratum an etiam tempora futura spectaverit, *Abarbanel* dubium esse existimat. *Ps. Jonathan* autem contendit id praeceptum ad primum tantum pascha pertinuisse. Cui etiam *S. Jarchi* adstipulatur. Cf. M. Pesachim 9, 5. Neque haec opinio improbabilis esse videtur, cum causa, quare agnus in Aegypto immolandus quatriduo ante immolationem eligendus esset, postea cessavit. Nam cum Hebraeis profecturis quarto decimo die omnia colligenda multaque alia curanda essent, facile fieri potuit, ut propter angustias temporis nonnullae familiae pecudes suo tempore parare neglegerent neque postea reperire possent.

[4] Cum autem primum pascha in Aegypto celebraretur, sanguis ab ipsis patribus familias limini ianuae illitus est (Ex 12, 7. 13. 22 s.), quo significaretur totam domum altaris instar dedicatam esse.

[5] Agnum paschalem non coqui, sed igni assari imperatur. Haec enim simplicissima et optima carnis parandae ratio habenda est neque alia ratione eam integram parari posse videtur.

[6] Nomine מרורים non quaslibet herbas amaras, sed certas earum species esculentas significari res ipsa docet; sed quales, hodie nemo definiet. Ps. Jonathan ponit על תמכה ועולשין *cum raphano et intibis* (J. Buxtorf) vel *cum parthenio et intibo sativo* (S. Bochart). Graeci Alexandrini vertunt πικρίδες, quo vocabulo ex nonnullorum opinione lactucae quaedam species, quae ceteris est amarior, exprimitur. Vulg. *lactucae agrestes*. In tractatu mischnico Pesachim 2, 6 complures eius modi herbae commemorantur, et quidem: חזרת *lactuca*, עולשין *intibi genera*, תמכא *parthenium* vel *raphanum*, חרחבינין *urtica*, מרור *lactuca silvestris*.

[7] Exceptio II Chr 30, 18—20 memoriae proditur. — Qui itinere aut immunditia legitima impediti erant, quo minus convivium paschale instruerent, id mense secundo (Ijjar) eodem ritu et die agere tenebantur (Nm 9, 10—12. cf. II Chr 30, 2 s. 15. M. Pesachim 9, 1). Quod pascha פסח קטן *pascha parvum* vocabatur (M. Rosch haschana 1, 3). — Ceterum inter ipsos doctores Judaicos disceptatur, utrum viri soli an mulieres quoque ad manducandum agnum admissi sint.

[8] Quod Ex 23, 18 חֵלֶב חָגִּי *adeps festi* pro carne hostiae dicitur, id fortasse ex antiquiore sacrorum ritu repetendum est, quo adeps non divino numini sacrandus erat, sed unâ cum carne comedebatur. Adeps autem loco allato caro vocatur, quia optima pars carnis est.

[9] Formulam a Mose saepius usurpatam, qua quis e populo exscindendus dicitur, ut aliis locis, ita allato loco non de poena mortis, sed de excommunicatione sive iuris civitatis Hebraicae privatione intellegendam esse perquam verisimile videtur.

Postridie sabbati (מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת)[1] i. e. die sexto decimo mensis Nisan agnus anniculus cum mincha et libamine (et quidem $^2/_{10}$ ephae similae oleo conspersae et $^1/_4$ hin vini) in holocaustum et primus spicarum (hordei) manipulus (עֹמֶר רֵאשִׁית, Philo τὸ ἱερὸν δράγμα) Jahvae, fertilitatis auctori, offerebantur (Lv 23, 10—13), quo ritu messis initiabatur[2]. Qui dies inde יום הנף *dies agitationis* sc. manipuli vocabatur (M. Sukka 3, 12).

Praeterea singulis diebus (a quarto decimo usque ad vicesimum primum i. e. a vespera illius diei usque ad huius vesperam) non alii nisi panes azymi comedebantur (Ex 12, 15—20; 13, 6 s; 23, 15; 34, 18. Lv 23, 6. Nm 28, 17. Dt 16, 3 s. Ez 45, 21) Quare iis diebus nomen *festi azymorum* (חג המצות Ex 23, 15; 34, 18. Esr 6, 22. II Chr 8, 13; 30, 13. 21. ἑορτὴ τῶν ἀζύμων Lc 22, 1. Jos. AJ 3, 10. 5. BJ 2, 1. 3. ἡμέραι τῶν ἀζύμων Act 12, 3; 20, 6. brevius המצות Ex 12, 17) impositum est[3]. Quod Dt 16, 8 praecipitur *sex* tantum diebus panes non fermentatos esse comedendos, primus dies ut festum singulare non numeratur. Josephus AJ 2, 15. 1 *octo* dies commemorat, quia iam die quarto decimo ante vesperam omne fermentum e domibus semovebatur, *septem* ib. 3, 10. 5; 9, 13. 3. Si quis illis diebus panem fermentatum comederat, e populo exscindendus erat (Ex. 12, 19).

Denique singulis feriis paschalibus praeter eas victimas, quae in neomeniis immolabantur (Nm 28, 19—24), complura alia sacrificia offerri solebant (Ex 23, 15. Dt 16, 2. Chr 30, 22; 35, 9—19. Tract. Chagiga, M II, 12)[4].

[1] Non intellegendum est sabbatum, quod septimo quoque die agebatur, sed primus dies festi azymorum i. e. dies quintus decimus mensis Nisan, qui tamquam sabbatum celebrabatur (cf. Ex 12, 16. Lv 23, 7). Idem significant verba מִמָּחֳרַת הַפֶּסַח *postridie paschatis* (Jos 5, 11) i. e. dies quintus decimus mensis Nisan, qui erat postridie eius diei, quo agnus paschalis mactabatur. Rabbanitae quoque (Pharisaei) verba מחרת השבת tempus crastinum post primum diem festum intellegebant dissentientes a Boethosaeis (Sadducaeis), qui ea diem post sabbatum usitatum, quod in festum septem dierum azymorum incidebat, significare dicebant, quam interpretationem Samaritani et Karaei usque ad nostram aetatem comprobant. Ex ea sententia festum quoque pentecostes semper in diem solis incidere necesse erat, quod apud Samaritanos et Karaeos adhuc fit. Etiam nonnulli interpretes sacrarum litterarum recentioris aetatis sabbatum usitatum intellegunt, cum dicant vocabulum שבת semper sabbatum septimo quoque die rediens vel hebdomadem in sabbatum desinentem significare et septimum, quartum

decimum, vicesimum primum diem mensis Nisan semper sabbatum fuisse, ut annus ecclesiasticus semper a nova hebdomade initium ceperit. At vocabulum שבת non solum de septimo hebdomadis die usurpari ex locis Lv 16, 31; 23, 32 apparet, ubi dies sollemnis expiationis i. e. dies decimus mensis septimi שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן appellatur. Annum ecclesiasticum semper a die solis initium cepisse non solum demonstrari non potest, sed id ne fieri quidem potuit, quod ita annum modo praeteritum plerumque media hebdomade finiri necesse erat, ut divisio hebdomadis in sabbato posita violaretur.

[2] Ante oblationem primi spicarum hordei manipuli falx in segetem immitti non debuit (Lv 23, 14). Sed incolae urbis Jericho iam ante oblatum manipulum messem fecisse dicuntur (M. Pesachim 4, 8).

Josephus AJ 3, 10. 5 non manipulum spicarum, sed γομόρ granorum tostorum et in particulas grossiores contusorum ad altare allatum esse affirmat.

[3] Ibn ʿEsra ad Ex 12, 15 recte monet praeceptum per septem dies non alios nisi panes infermentatos comedendi non pertinere ad primum convivium paschale in Aegypto celebratum, in quo Hebraei eos tantum panes infermentatos comedissent, quos unà cum agno paschali paraverant (ib. v. 8), sed postea demum Hebraeos iussos esse per septem dies panibus infermentatis vesci, ut semper memoriâ tenerent, quid accidisset, cum ex Aegypto egrederentur; tum enim prae festinatione exitus iis non licuisse exspectare, donec farina fermentaretur (ib. v. 39). Illa igitur lex, quamquam in sacris litteris *ante exitum* ex Aegypto commemoratur, tamen *post eum* demum lata est.

[4] Dies ultimus Dt 16, 8 vocatur עֲצֶרֶת *clausula* festi (a verbo עָצַר *clausit*), quia de exitu sive conclusione sollemnitatum agitur (cf. ἐξόδιον i. e. ultimus dies feriarum LXX Lv 23, 36. Nm 29, 35. Phil. De septen. opp. II, 298. Theodoret. Qu. 32. in Lv. MSG 80, 341). Alii id vocabulum proprie *coetum,* populum collectum et congregatum (a *cogendo* in unum locum, a *congregando*, cuius verbi vis significationi *cohibendi*, quam verbum עצר obtinet, similis est), deinde *festum*, *quo populus congregatur*, valere dicunt. Veteres interpretes omnes fere hanc significationem exprimunt. Velut Graeci Alexandrini Jer 9, 2 σύνοδον, Am 5, 21 πανήγυριν vertunt; Vulgata: dies *coetus et collectae,* „in quo colligebantur a populo ea, quae erant necessaria ad expensas cultus divini" (Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 10). Praeter ultimum diem paschatis in sacris litteris etiam octavus sollemnitatis tabernaculorum dies eodem nomine notatur (Lv 23, 36. Nm 29, 35). Talmudistae et Josephus id vocabulum de pentecoste quoque usurpant (עצרתא M. Rosch haschana 1, 2. Chagiga 2, 4. Arachin 2, 3. Midrasch schir haschirim 36[a]. Ἀσαρθά Jos. AJ 3, 10. 6).

III. Tempore posteriore in cena paschali omnes primo manus lavabant, dein pater familias benedicebat calici vino, plerumque rubro, pleno. Postquam convivae stantes de eo biberant, cibis benedicebat et cum ceteris de herbis amaris, quae prius in aceto intingebantur, comedebat. Tum historiam exitus populi ex Aegypto narrabat (cf. Ex 12,

26 ss.), cum saepius calicem iterum vino impletum elevaret et recitatâ prima parte (Ps 113 et 114. Vulg. 112—113, 8) hymni magni (הַלֵּל הַגָּדוֹל, sic dicti a primo verbo Ps 113 הַלְלוּיָהּ) omnes de eo bibebant. Postea manibus pedibusque lotis mensae accumbebant et absolutâ benedictione primum panes azymos cum herbis amaris et pulmento quodam, quod ex variis frugibus et aceto confectum erat (חֲרוֹסֶת), deinde agnum paschalem comedebant et tertium calicem, qui potissimum *calix benedictionis* (כּוֹס שֶׁל בְּרָכָה, cf. ποτήριον τῆς εὐλογίας I Cor 10, 16) vocabatur, exhauriebant. Impleto quarto calice reliquos psalmos hymni magni (115—118. Vulg. 113, 9—117) recitabant, quo facto ex hoc calice bibebant. Quintus quoque calix addi poterat cum decantatione psalmorum 120—137.

De quibus caerimoniis cf. M. Pesachim 10, 1—7. J. M. Japhet, Haggadah für Pesach. Mit Übersetzung, deutschem Kommentar und musikalischen Beilagen. Frankfurt a. M. 1903.

Ut Judaei memoriae produnt, ad epulas paschales non pauciores quam decem homines admittebantur (cf. Ps. Jonathan ad Ex 12, 4). Cum satis esset singulos particulam carnis magnitudine olivae vel dimidii ovi edere, existimare possumus centum atque plures homines de eodem agno edisse. Quod autem Babyl. Pesachim 64^{b} (ubi de celebratione paschatis aetate Herodis Agrippae agitur) dicitur numerum agnorum paschalium duodecies centena milia fuisse, et apud Jos. BJ 6, 9. 3 (ubi de celebratione paschatis eo ipso tempore, quo Hierosolyma a Tito expugnabantur, sermo est) memoriae proditur ducenta quinquaginta sex milia quingentos agnos mactatos esse, ea verba superlata sunt.

In celebratione primi paschatis in Aegypto Hebraei succincti et calceati ac baculos manibus tenentes i. e. ad iter suscipiendum parati celeriter manducabant, ne dimidio cenae peracto excedere cogerentur (Ex 12, 11). Postea haec omissa sunt. Quod autem Hebraei ossa agni frangere vetiti sunt (Ex 12, 46), id etsi ad acceleratam profectionem ex Aegypto pertinebat, tamen perpetuo observabatur (cf. Jo 19, 36). Utrum Hebraei stantes pascha comedere debuerint an mensae accumbere iis licuerit, in controversia versatur. Quantum equidem iudicare possum, distinguendum est primum illud pascha in Aegypto celebratum ab aliis, quae quotannis recurrebant. In Aegypto Hebraeos agnum paschalem stantes comedisse ex loco Ex 12, 11 colligitur; post id iam praescriptum fuisse non videtur. Nihilo minus talmudistae tradunt Hebraeos usque ad captivitatem Babyloniam stantes pascha comedere consuevisse. Et comederunt Christus et apostoli ad mensam discumbentes agnum paschalem, ut ex Mt 26, 20. Mc 14, 18. Lc. 22, 14 apparet.

Quattuor illos calices convivae bibebant ob quattuor divinas promissiones, quae ad Hebraeos ex Aegypto educendos, servitute Aegyptia liberandos, plagis Aegyptiis exsolvendos, denique praeter ceteras gentes eligendos, ut dei populus essent, spectant (Ex 6, 6 s).

Hic etiam gravissima illa et celeberrima occurit quaestio, quotus calix in cena paschali a Christo consecratus sit. Nonnulli tertium calicem consecratum esse existimant *(P. Schegg, P. Schanz);* ita institutio ss. eucharistiae continuo esum agni paschalis secuta est idque antequam cena ipsa secundum omnes ritus peracta est. Alii, qui existimant Christum omnes illas caerimonias antea perfecisse, ss. eucharistiae institutionem ad quartum calicem referunt, qui ultimus ex praescriptis erat *(G. Bickell),* vel ad quintum *(J. Langen).* Quae significasse sufficiat.

IV. Agni paschalis immolationem *verum sacrificium* fuisse primum apparet ex locis Ex 12, 27; 23, 18; 34, 25., ubi agnus paschalis זֶבַח *sacrificium, hostia, victima* κατ' ἐξοχήν appellatur; ex locis Ex 12, 11. 48. Lv 23, 5. Nm 9, 10. 14; 28, 16. Dt 16, 1 s. II Rg 23, 21. II Chr 30, 1. 5; 35, 1., ubi de פֶּסַח לַיהוָה *paschate Jahvae sacro* sermo est; ex Nm 9, 7. 13., ubi agnus paschalis קָרְבָּן *oblatio, sacrificium* vocatur et de eo utitur verbo הִקְרִיב *obtulit,* quod semper de veris sacrificiis usurpatur. Deinde *ex* ipso *oblationis ritu;* nam sanguis agni a sacerdote spargebatur, ut II Chr 30, 16; 35, 11 clare dicitur, quod ad sacrificium pertinere nemo nescit. Quare etiam Philo (De vita Mosis l. 3. opp. II, 169) et Josephus (AJ 2, 14. 6; 11, 4. 8. BJ 6, 9. 3) agnum paschalem θῦμα et θυσίαν vocant[1]. Denique *ex ratione typi:* Agnus paschalis, in formam crucis extentus, praeclarissimus typus erat Christi, agni paschalis novi testamenti, pro salute totius generis humani in cruce immolati, de quo Paulus apostolus I Cor 5, 7 dicit: „Etenim pascha nostrum immolatus est Christus" vel diligentius ex textu Graeco: „Nam etiam pascha nostrum immolatum est, Christus." Sicut enim institutione et sanguine paschatis Hebraei e servitute Aegyptia eorumque primogeniti a morte corporis liberati sunt, ita sanguine „agni immaculati et incontaminati" (I Ptr 1, 19 cf. Jes c. 53), cui os non frangebatur (Jo 19, 33–36), genus humanum e servitute peccati (diaboli) et morte aeterna ereptum est (Jo 1, 29)[2].

[1] Nonnulli etiam ex eo, quod Graeci loquendi formulis θύειν vel θύεσθαι τὸ πάσχα (Mc 14, 12. Lc 22, 7. I Cor 5, 7. conferas etiam Sap 18, 9) et ποιεῖν τὸ πάσχα (Mt 26, 18. Hebr 11, 28) usi sunt, concluserunt immolationem agni paschalis esse verum sacrificium. At verbum θύειν Graeci etiam de iis usurpant, quae sacrificia nominari non possunt, velut Xenophon Exped. Cyri 1, 2, 10: Ὁ Ἀρκὰς τὰ Λύκαια ἔθυσε καὶ ἀγῶνα ἔθηκε. Et quamvis ut Latinum *facere,* ita ποιεῖν idem sit quod *sacrificare,* tamen etiam de festis legitur, ut Xenoph. Hellenic. 4, 5, 2: ποιεῖν Ἴσθμια. Quare illa verba argumenta esse non possunt agnum paschalem verum esse sacrificium.

[2] Typicam hanc agni paschalis relationem explanant Justinus (Dialog. c. Tryph. §§ 40. 111. MSG 6, 561. 732), Origenes (Select. in Ex.,

Hom. 2. in Lv. § 5. Hom. 23. in Nm. § 6. Hom. 12. in Jer. § 13. Comm. in Jo. tom. 9, 13. ib. 12, 284. 421. 752; 13, 396; 14, 433), Theodoretus (Qu. 24. in Ex. ib. 80, 252). Tertullianus (Adv. Marcion. 4, 40; 5, 7. MSL 2, 460 s. 486), Cyprianus (Ep. ad Magn. § 4. ib. 3, 1141), Hieronymus (Comm. in Ez. c. 45. ib. 25, 455 s.), Augustinus (In Jo. tr. 50. § 2. tr. 120. § 3. De civ. dei 16, 43, 1. C. litt. Petil. 2, 37. ib. 35, 1758 s. 1953; 41, 522; 43, 290), Leo Magnus (Serm. 75. de pentec. I. § 1. ib. 54, 401), Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 2: „Per immolationem agni paschalis significabatur immolatio Christi secundum illud I Cor 5, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus*".

Constat igitur agnum paschalem verum sacrificium fuisse, sed quale fuerit vel cuinam sacrificiorum generi accensendum sit, nequaquam certum exploratumque est. Inter recentiores plerique sacrificium *piaculare* esse statuunt, inter anni velut ex hieme renascentis primordia oblatum idque cum ad expianda peccata ante commissa, tum ad hominis vitam unâ cum natura et anno instaurandam. Quod quamvis placeat, tamen rationi sacrificiorum piacularium minime consentaneum est; ea enim a naturae rerum vel corporum caelestium commutationibus et vicissitudinibus prorsus abhorrentia ad hominum peccata sola pertinent neque in iis, quod maioris est momenti, ullus carnis hostiarum usus offerentibus permittitur. Quam ob rem nonnulli agnum paschalem sacrificiorum *pacificorum* esse existimant, quia in his sacrificiis carnes ab offerentibus unâ cum suis comedebantur. Cui tamen opinioni alii obiciunt, quod neque adeps victimae paschalis comburebatur (in paschate Aegyptio) neque ulla pars carnis in usum sacerdotum cedebat et sanguis tantum ad pedem altaris holocaustorum (in Aegypto ad postes domus) spargebatur. Quae cum ita sint, agnus paschalis sacrificium eius modi considerandum esse videtur, quod et ad sacrificia piacularia et ad sacrificia pacifica pertineat. Quatenus erat sacrificium *piaculare*, sanguine adsperso peccata domus vel familiae expiabat; quatenus sacrificium *pacificum*, in convivio, quod offerentes communitur sumebant, proprium illud insigne omnium sacrificiorum pacificorum habebat, ut ii, qui sacrum offerebant, id cum deo communicarent.

Atque agnus paschalis ut verum erat sacrificium, et sacrificium *piaculare* et sacrificium *pacificum*, ita Christus non solum ut sacrificium *piaculare* nostrâ causâ mortuus est, sed etiam se ipse nobis ut sacrificium *pacificum* in eucharistia edendum tradit.

De quaestione, utrum agnus paschalis sacrificium fuerit an non, *protestantes* in varias sententias discedunt, ex quibus gravissimas breviter enumeramus.

Atque sunt qui agnum paschalem sacrificium appellare simpliciter recusent atque existiment, cum in sacris litteris vocabulum זֶבַח de eo usur-

petur, id mactationem sollemnem, nequaquam vero sacrificium, quod proprie dicitur, intellegendum esse. Quare pascha ad nullum sacrificiorum legitimorum genus referri posse videtur.

Nonnulli agnum paschalem, quippe cum a ceteris sacrificiis multum differat atque inter sacramenta veteris foederis numeretur, verum sacrificium fuisse negant et tantummodo *sacrificium sacramentale* vel *sacramentum sacrificale* sive sacramentum caerimoniis sacrificalibus ornatum existimant; qua re et a ceteris veteris testamenti sacrificiis distinguunt et in ordine sacramentorum collocant.

Alii inter sacrificium, quod *proprie* dicitur, et sacrificium, quod *stricte* dicitur, distinguunt. Illud, quod etiam sacrificium *verum* appellant, sic definiunt, ut sit mactatio sacra et religionis causâ suscepta certis quibusdam ritibus divinitus praescriptis observatis. Hoc, quod etiam sacrificium *merum* vocant, ea sacrificia complecti existimant, quorum adeps et aliqua pars carnis in altari Jahvae ad impetranda bona animi cremabantur, reliqua in usum offerentium cedebant. Atque dicunt agnum paschalem, ut sacrificium, quod *proprie* dicitur, sive sacrificium *verum* fuerit, id quod ex nomine זבח, ex caerimoniis sacrificalibus, ex ratione typi appareat, ita sacrificium, quod *stricte* dicitur, sive sacrificium *merum* non fuisse, quippe cum nihil carnis, nihil adipis (in paschate Aegyptio) altari imponeretur, sed totus agnus assaretur et comederetur.

Quas distinctiones solum opinionibus praeiudicatis inniti, quae in doctrina dogmatica protestantium positae sunt, omnibus est perspicuum. Quare eas intento studio refutare supervacaneum esse censeo.

Convivium paschale, quo foedus cum Jahve initum renovabatur et confirmabatur, naturam habuit sacramentalem et typice portendit convivium eucharisticum novi testamenti (I Cor 10, 17), „quod vetus terminat“ (Thom. in hymno „Lauda Sion“). Quocirca sollemnitas paschatis merito dicitur *cultus sempiternus* (Vulg. Ex 12, 14. cf. v. 24). Panes azymi, symbolum puritatis et sinceritatis (cf. I Cor 5, 8), et herbae amarae, symbolum afflictionis et paenitentiae, non tam festinationem, qua demigratio ex Aegypto peracta est (Ex 12, 31—33), et afflictiones ibi perpessas (ib. 1, 14) [1], quam liberationem ex illis miseriis et vexationibus indicabant. Quare Dt 16, 3 panis azymus לֶחֶם עֹנִי *panis miseriae* [2], LXX ἄρτος κακώσεως vocatur i. e. panis, quo memoria redemptionis ex malis, quae in servitute Aegyptia perpessi sunt, renovatur [3].

[1] Id quod Maimonides, De paschate 8, 4 dicit: „מרור istud comedimus, quia amaritudine affecerunt (שמררו) Aegyptii vitam patrum nostrorum in Aegypto“. Cf. etiam M. Pesachim 10, 5. Theodoret. Qu. 24. in Ex. MSG 80, 252.

[2] Sunt qui verba לחם עני *panem exsilii* interpretentur. Nam vocabulum עני proprie ad significandum statum exsilii Aegyptii usurpatum esse

videtur (cf. appellationem Aegypti אֶרֶץ עֲנִי Gn 41, 52. Ex 3, 7. 17; 4, 31). Unde in proverbium versum ad similes status translatum est (Gn 16, 11; 31, 42).

[3] Alii panem infermentatum *panem miseriae* dictum esse putant, quod insipidus esset et insuavis.

Primitiis messis populus nutrimentum corporis cum confessione panem cottidianum a deo sibi dari eidem grato animo offert additque sacrificia, ut testaretur vitam humanam alimento terrestri confirmatam sanctificatione et incremento bonorum operum deo esse consecrandam. Atque cum primitiae Jahvae essent sacrae, nemini licebat novas terrae fruges in suos usus vertere, antequam primitiae messis, manipulus spicarum, nomine totius populi Jahvae essent consecratae.

V. Complures assyriologi recentissimae aetatis putaverunt pascha initio *diem festum Babyloniorum* fuisse. Nam in inscriptionibus Babyloniis tradi in lustrali quodam sacrificio sanguine agni limen superum et postes portae regiae oblini solita esse, id quod de postibus oblitis, cum Hebraei pascha in Aegypto agerent, admoneret. Ad hoc in linguâ Assyria verbum *pašâḫu* esse, quod *se linire*, Pi'el *puššuḫu*, quod *alicuius animum mitigare* valeret. Unde id quoque effici pascha initio sacrificium lustrale fuisse atque cum apud Babylonios quoque exstaret, ex aetate, quae ante Mosen esset, originem ducere.

At vocabulum Hebraicum פֶּסַח ipsa radice ab Assyrio *pašâḫu* differt. Quae vocabula componi posse si concedimus, duplex factum esse potest: aut ut Hebraei ipsi quondam vocabulum haberent, quod Assyrio *pašâḫu* respondens postea evanuit (id autem פָּשַׁח sonuisse necesse est), aut ut Babylonii diem festum agerent, cuius nomen cum *pašâḫu* cohaerebat, et Hebraei eum diem unâ cum nomine reciperent (ex quo littera ם explicari posset). At de tali die festo nihil accepimus. Quod autem postes sanguine oblinebantur, illud quidem in Aegypto, cum primum pascha celebraretur, factum est, sed in Palaestina numquam reperitur; neque igitur propter eam rem pascha ex Babylonia ducatur necesse est.

Cf. W. Riedel in ZAW XX, 1900, 324 s. Alttestamentliche Untersuchungen I, 68.

Caput tertium

De sollemnitate pentecostes

I. Postquam a die sexto decimo mensis Nisan (Lv 23, 15. Dt 16, 9) septem hebdomades (שָׁבַע שַׁבְּתוֹת) sive undequinquaginta dies transierant (Lv 23, 15. Jos. AJ 3, 10. 6), dies qui sequebatur, i. e. quin-

quagesimus (ἡ πεντεκοστή Act 2, 1. Jos. ἡ πεντεκοστὴ ἡμέρα Phil., apud rabbinos יום חמשים חג) vel sextus mensis Sivan erat dies festus atque abstinentiâ ab omni opere servili celebrabatur (Nm 28, 26); qui ex his septem hebdomadibus חג שָׁבֻעוֹת *sollemnitas hebdomadum* nominabatur (Ex 34, 22. Dt 16, 10. II Chr 8, 13). Alio nomine חג הַקָּצִיר *sollemnitas messis* vocabatur (Ex 23, 16), quia gratiarum pro messe peracta agendarum causâ celebrabatur[1], vel יוֹם הַבִּכּוּרִים *dies primitivorum* (Nm 28, 26. ἑορτὴ πρωτογεννημάτων Phil.), quia eo die duos panes ex $^{2}/_{10}$ ephae farinae triticeae (similae Lv 23, 17) primitiarum novarum frugum instar offerebant, ut gratum animum pro pane cottidiano testarentur (quare Lv 23, 16 illi duo panes מִנְחָה חֲדָשָׁה *fertum novum*, ib. v. 10 רֵאשִׁית הַקָּצִיר *primitiae messis*, v. 20 לֶחֶם הַבִּכּוּרִים *panes primitiarum* appellantur)[2]. Cum (עַל) his panibus triplex sacrificium coniunctum erat, et quidem holocaustum (septem agni anniculi, iuvencus, duo arietes cum mincha et libaminibus), sacrificium pro peccato (hircus), sacrificium pacificum (duo agni anniculi); panes cum duabus hostiis pacificis coram Jahve agitabantur (quare Lv 23, 17 etiam לֶחֶם תְּנוּפָה *panes agitationis* vocantur) et ad sacerdotes redibant (Lv 23, 18—20). Praeter sacrificia lege praescripta (eadem, quae in neomeniis et in sollemnitate paschatis offerebantur, Nm 28, 27—31) etiam voluntariae oblationes (נְדָבוֹת) pro facultatibus (כַּאֲשֶׁר יְבָרֶכְךָ יְהוָה *sicut benedixit tibi Jahve* i. e. pro messe beneficio Jahvae concessa) fiebant ac viri cum familiis eum diem conviis sacris transigebant (Dt 16, 10—12).

Hoc festum, etsi tribus praecipuis sollemnitatibus annuis, quibus viri ad sacrarium se conferre debebant, adnumeratur, tamen per octo dies actum esse nusquam legitur. Secundum traditionem Judaicam per unum diem agebatur (Siphra 189[a]), ut quodam modo publica esset professio populum in unum verum deum credere.

[1] Pentecoste ut festum messis finitae arte cohaeret cum sollemnitate paschatis sive initii messis. Quare apud Judaeos posterioris aetatis עצרת של פסח *clausula paschatis* vocatur (M. Schekalim 3, 1. Rosch haschana 1, 2. Chagiga 2, 4. Arachin 2, 3. Midrasch schir haschirim 36[a]). Initium et finis messis maiorem periodum constituunt, quae festis illis deo consecrabatur.

[2] Quia hi panes specimina erant eius panis, quo Hebraei plerumque vescebantur, *fermentati* erant.

Ex verbis Lv 23, 17: „Ex *habitationibus vestris* afferetis panes agitationis duos" colligi non potest unumquemque patrem familias duos panes offerre debuisse; neque enim aliud significant nisi panes, quos offerri oportebat, tales esse debere, quales domi cottidie edebantur.

II. Vetus sententia est et rabbinorum et patrum ecclesiae sollemnitatem pentecostes institutam esse, ut maneat *memoria legislationis*

Sinaiticae die quinquagesimo post egressum ex Aegypto factae [1]. Cum vero quinquagesimo die a resurrectione Christi lex data sit hominibus οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλὰ ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις (II Cor 3, 3), in pentecoste Hebraeorum imago illorum bonorum spiritualium agnoscenda est, quibus mundus cumulatus est per *originem ecclesiae Christianae* vel *effusionem spiritus sancti* super apostolos, qui tamquam primitiae ecclesiae evangelium gentibus totius orbis terrarum praedicarunt (Act 2, 1 ss.).

Panes pentecostales ut *typus eucharistiae* existimari possunt, „cuius institutionem illo tempore specialiter recolimus, quo spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda huius sacramenti mysteria; nam et eodem tempore coepit hoc sacramentum a fidelibus frequentari“ (Thomas, Opusc. 57). Conferas Act 2, 46., ubi de primis Christianis memoriae traditur: Καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας [2].

[1] Velut Maimonides, More nebochim 3, 41: „Festum septimanarum est dies ille, quo lex data est. Ad huius diei honorem pertinet, quod dies a praecedente sollemni festo (paschate) ad illum usque diem numerantur“. — Sed alii rabbini de hac re aliam habent opinionem, ut Abarbanel, Comm. ad legem fol. 262: „Nam lex divina . . . non opus habet sanctificatione diei, quo eius memoria recolatur. Sed causa festi septimanarum est initium messis tritici . . . Hoc quidem extra controversiam est, quod in festi septimanarum die lex data sit, sed festum in eius memoriam non institutum“. Conferas etiam Hieros. Pesachim (c. 7) 68 b.

Ex multis locis patrum ecclesiae, qui huc spectant, paucos afferamus: Hieronym. Ep. 78. ad Fabiolam, 12. mans. MSL 22, 707: „Inveniemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Aegypto in vertice montis Sinai legem datam; *unde* et pentecostes celebratur sollemnitas et postea evangelii sacramentum spiritus sancti descensione completur“. August. C. Faust. 32, 12. ib. 42, 503: „Pentecosten celebramus... quod futurum etiam per Judaeorum pascha significatum est, cum quinquagesimo die post celebrationem ovis occisae Moses digito dei scriptam legem accepit in monte“. Videas Ad inquisit. Januar. l. 2. sive ep. 55, 16. Enarr. in Ps 90. § 8. Serm. 8. c. 11. ib. 33, 218; 37, 1167; 38, 74. Item Origen. Hom. 2. in Lev. § 2. MSG 12, 414. Ps. August. Quaest. vet. et nov. test. 95, 2 (Corp. script. eccl. Lat. 50, 166—170). Etiam auctore Thoma S. th. 1, 2. qu. 102. a. 4. ad 10 festum hoc „ad recolendum beneficium legis datae“ agebatur. Conferendus est etiam Leo M. Serm. 75 de pentec. I. § 1. ib. 54, 400 s: „Sicut Hebraeo quondam populo ab Aegyptiis liberato quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sinai (Ex 19, 17 ss.), ita post passionem Christi, qua verus dei agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectione ipsius die in apostolos plebemque credentium spiritus sanctus illapsus est (Act 2, 3), ut facile diligens Christianus agnoscat, initia veteris testamenti evangelicis ministrasse principiis et ab eodem spiritu conditum foedus secundum, a quo primum fuerat institutum“.

[2] Sunt qui existiment verba allata non de pane eucharistico, sed de cibo communi accipienda esse. Velut Chrysostomus (Hom. 7. in Act. § 2. MSG 60, 64 s.), Oecumenius (Comm. in Act. c. 3. ib. 118, 77. 80), Theophylactus (Expos. in Act. ib. 125, 557. 876), nonnulli interpretes posterioris aetatis. Ac verum quidem est loquendi formulam κλάσαι ἄρτον εἴς τινας etiam de comestione profana et communi usurpari (ut Act 20, 11; 27, 35. neque de eucharistia explicandum esse censeo Lc 24, 30). Sed hoc loco quaedam reperiuntur, quibus explicatio de cibo communi excludi videatur. Nam verba κατ' οἶκον certe opponuntur verbis ἐν τῷ ἱερῷ; sed primos Christianos cibos non in templo, sed domi sumpsisse profecto dignum non erat, quod singillatim memoriae proderetur; at in templo eos orasse, proprium autem cultum privatim vel per domos exercuisse apte commemoratur. Deinde statim de cibo communi mentio fit: Μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας. Quod cur additur, si verbis: κλῶντες αὐτόν idem significatur? Quare locum allatum de celebratione eucharistiae intellegendum esse senseo.

Adnotatio. — H. Grimme (Das israelitische Pfingstfest und der Plejadenkult. Paderborn 1907) pentecosten Hebraeorum cum antiqua quadam Semitarum pentecoste, cui apud Hebraeos alia vis subiecta sit, cohaerere verisimile reddere studet; sed id tantum coniecturâ colligitur. — De opinione pentecosten semper in diem solis incidisse videas p. 261 s.

Caput quartum

De sollemnitate tabernaculorum

Cf. tract. Sukka (M II, 6). — P. Volz, Das Neujahrsfest Jahwes (Laubhüttenfest). Tübingen 1912.

I. Sollemnitatum annuariarum divinitus mandatarum ultima erat sollemnitas tabernaculorum (חג הַסֻּכּוֹת LXX ἡ ἑορτὴ (τῶν) σκηνῶν vel σκηνοπηγίας Lv 23, 34. Dt 16, 13. 16; 31, 10. Sach 14, 16. 18 s. Esr 3, 4. II Chr 8, 13. σκηνοπηγία II Mcc 1, 18. Jo 7, 2. Jos. AJ 11, 5. 5. ἡ τῶν σκηνῶν ἑορτή et σκηναί Phil.), quae exeunte anno (τρεπομένου τὸ λοιπὸν τοῦ καιροῦ πρὸς τὴν χειμερινὴν ὥραν Jos. AJ 3, 10. 4), post finitam omnium frugum collectionem (Ex 23, 16; 34, 22. Dt 16, 13)[1] a die quinto decimo usque ad diem vicesimum primum mensis Tišri (Lv 23, 34. cf. I Rg 8, 2. Ez 45, 25. Jos. AJ 13, 8. 2)[2] agebatur, ita ut dies primus et ultimus tamquam festi quiete sabbatica sacri essent (Lv 23, 39. Nm 29, 12. 35), diebus mediis labores suscipere liceret. Instituta erat cum ut populus sempiternam memoriam eius temporis, quo per quadraginta fere annos in horridis Arabiae desertis commorans sub tentoriis degebat, servaret — qua ex causa his diebus tabernacula, quae ex ramis arborum maxime frondosarum

(cf. Neh 8, 15) vel super domos plano tecto coopertas vel aliis locis construebantur, inhabitabant (Lv 23, 41—43)[3] — tum ut pro frugum collectione de area et torculari gratum animum testaretur (Dt 16, 13. cf. Lv 23, 39), unde etiam חג הָאָסִיף *sollemnitas collectae* sive *collectionis frugum*, LXX ἡ ἑορτὴ συντελείας vel συναγωγῆς vocabatur (Ex 23, 16; 34, 22). Erat festum maximum vel חַג *sollemnitas* κατ' ἐξοχήν (M. Schekalim 3, 1)[4] atque summa cum celebritate et hilaritate agebatur. Quare a Josepho AJ 8, 4. 1 ἑορτὴ σφόδρα παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἁγιωτάτη καὶ μεγίστη, ib. 15, 3. 3 ἑορτὴ εἰς τὰ μάλιστα τηρουμένη, a Philone, De septen. opp. II, 286 ἑορτῶν μεγίστη appellatur[5]. Sacrificia publica plura quam aliis festis praescripta erant. Primo die festi praeter sacrificium perpetuum tredecim iuvenci, duo arietes, quattuordecim agni cum mincha et libaminibus offerebantur in holocaustum et hircus pro peccato; dies sequentes iisdem ac primus dies sacrificiis religiose habebantur, detracto tamen cottidie uno iuvenco, ita ut in universum septuaginta iuvenci mactarentur (Nm 29, 12—34). Praeterea omnibus diebus complures quoque victimae voluntariae immolabantur. Septimo quoque anno per septem dies populo ante sacrarium congregato pentalogus Mosis sive thora, quae proprie dicitur (Dt 6, 1—7, 11), recitari debebat (Dt 31, 10—13).

[1] Sunt qui ex verbis Ex 23, 16: (Servabis etiam) „festum collectionis exeunte anno, cum collegeris (בְּאָסְפְּךָ) opera tua ex agro" colligendum esse existiment Hebraeos sollemnitatem tabernaculorum inter ipsam frugum collectionem celebrasse. Sed id ne admittamus, iam re ipsa prohibemur. Nam qui cogitari potest eos in percipiendis fructibus occupatos iucundam memoriam rei feliciter peractae celebrasse feriisque et oblectamentis indulsisse, quae otium animumque a negotiis et curis vacuum requirunt? Etiam praepositione בְּ in בְּאָסְפְּךָ pro ea opinione nihil efficitur: nam בְּ haud raro pro אַחֲרֵי positum esse compluribus exemplis comprobatur (velut Jes 6, 13: בְּשִׁלֶּכֶת *post caesionem* arboris i. e. caesa arbore; ib. 30, 14: בְּמִכְתָּה *post fractionem;* Lv 11, 31. I Rg 13, 31. Jes 53, 9: בְּמוֹתָו *post mortem*), ita ut verba potius reddenda sint: „post fruges agri coactas".

[2] Notatu dignum est, cum deus sollemnitatem tabernaculorum a die quinto decimo mensis septimi sive Tišri agi iussisset, Jerobeam, regem Israelitarum, ut populum verum dei cultum observare dedoceret, die quinto decimo mensis octavi sive Marḥešvan festum instituisse, quod sollemnitati tabernaculorum respondere existimatur (I Rg 12, 32 s.).

[3] Non tam ut miserias et afflictationes in deserto toleratas (Philo, De septen. opp. II, 297) quam ut Jahvae ex foedere fidem eiusque amorem ac providentiam recordarentur, qui „in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens ac scorpio ac dipsas et nullae omnino aquae" (Dt 8, 15), tentoria ad gentem suam protegendam assignavit. Idem sentit Augustinus, In Jo. tr. 28. § 3. MSL 35, 1623: „Celebrabant

hoc (festum scenopegiae) Judaei velut reminiscentes beneficia Jahvae". Cf. etiam Theodoret. Qu. 54. in Ex. MSG 80, 276.

[4] Qui in sacris litteris quoque sollemnitatem tabernaculorum חג, *festum* κατ' ἐξοχήν nominari contendunt, locis I Rg 8, 2. 65. II Chr 7, 8 s. Neh 8, 14. Jo 7, 10. 37 nituntur. At omnibus iis locis ex verbis ipsis luculenter apparet, de quo festo sermo sit. Neque certo affirmari potest ἑορτὴν τῶν Ἰουδαίων, de qua Jo 5, 1 agitur, esse sollemnitatem tabernaculorum. Hos 12, 10 verba יְמֵי מוֹעֵד sollemnitatem tabernaculorum significant (cf. 9, 5).

[5] Etiam apud scriptores exteros sollemnitas tabernaculorum celebratissimum Hebraeorum festum habebatur. Velut Plutarchus (Sympos. 4, 6, 2), qui eam μεγίστην καὶ τελειοτάτην ἑορτήν Judaeorum esse ait, falso tamen cum Dionysiacis Graecorum comparat. Etiam quod contendit id festum νηστείαν appellari (nisi forte scripserit μετὰ τὴν νηστείαν) et primum eius diem σκηνήν dici, a vero abhorret, quoniam id festum quinto die post νηστείαν incohabatur omnesque dies festi nomine σκηνῶν significabantur. Ex quibus verbis igitur discas, quantâ sacrorum Judaicorum ignorantiâ vel doctissimi gentilium laborent.

Ad septem tabernaculorum dies accessit *octavus* dies i. e. vicesimus secundus mensis Tišri, qui עֲצֶרֶת vocabatur (Lv 23, 36. Nm 29, 35. עצרת של חג *clausula* vel *conclusio festi* Midrasch schir haschirim 36[a])[1]. Erat festum non tam sacrum quam populare, *festum per se ipsum* (Babyl. Sukka 48[a])[2], conclusio sollemnitatum totius anni (Philo. De septen. opp. II, 298. cf. 278). Quo die pauciores victimae mactabantur quam prioribus diebus: iuvencus, aries, septem agni cum mincha et libaminibus in holocaustum atque hircus pro peccato (Lv 23, 36. 39. Nm 29, 35—38). Neque tabernacula Hebraei eo die iam inhabitabant (M. Sukka 2, 9; 4, 8)[3].

[1] Quare sollemnitati tabernaculorum *octo* dies assignantur II Mcc 10, 6 (ἡμέραι ὀκτὼ σκηνωμάτων), Babyl. Erubin 40[b]. Midrasch Koheleth 118[c] (שמונה ימי החג), Jos. AJ 3, 10. 4; 11, 5. 5.

[2] Etiam Neh 8, 18 dies *octavus* a festo tabernaculorum diserte distinguitur.

[3] Aliter Josephus AJ 11, 5, 5: ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ ἐν ταῖς σκηναῖς.

II. Temporibus post exsilium Judaei caerimoniis a deo praescriptis ad augendam festi sollemnitatem complures alias addiderunt, et quidem:

1) *libationem aquae* (נסוך המים). Cottidie mane sacerdos quidam vase aureo aquam (tria log) e fonte Siloah hauriebat eamque magna cum sollemnitate in atrium templi portabat atque vino mistam in altari holocaustorum effundebat, comitantibus symphoniacis et cantoribus (Jes c. 12) idque, ut videtur, ad memoriam magnae aquarum copiae mira-

biliter e petra datae, quam populus siti urente fauces anhelans cum gaudio bibit (Ex 17, 1—7. Nm 20, 11. cf. Dt 8, 15)[1]. Ad hunc ritum respiciens Christus de doctrina sua ut aqua in vitam aeternam saliente locutus est (Jo 7, 37)[2].

[1] Nonnulli rabbini hunc ritum symbolum pluviae (Babyl. Rosch haschana 16[a]), alii effusionis spiritus sancti (Bereschith rabba 70[a]. Gloss. in Sukka 50[b]. Hieros. Sukka 55[a]) fuisse contendunt.

[2] Sunt qui putent hunc ritum iam a David exercitatum esse (II Sm 23, 16). In Midrasch Ruth 48[c] quoque narratur tum festum tabernaculorum actum esse et David aquam in loco excelso libasse. Cf. Hieros. Schebiith 33[b], ubi hic ritus a temporibus priorum prophetarum deducitur.

2) *festivae lucis in templo apparatum.* Vesperi primi diei festi (M. Sukka 5, 2—4., ex rabbinorum posterioris aetatis opinione cottidie) in atrio mulierum (secundum Hieros. Sukka 55[b] in atrio magno) in quattuor lychnuchis aureis, qui quinquaginta cubita alti fuisse dicuntur, magnae lampades accendebantur (quae tantam lucem diffundebant, ut nullum esset atrium Hierosolymis, quod „luce domus haustionis" non esset illuminatum, M. Sukka 5, 3), cum proceres ardentes faces manibus tenentes, spectantibus feminis, saltarent et Levitae in (15) gradibus atrii interioris stantes psalmos decantarent instrumentisque musicis accinerent (M. Sukka 5, 4).

3) Cottidie *altare holocaustorum circuibant*, sinistrâ malum citreum (אֶתְרוֹג), dexterâ fasciculum ramorum (לוּלָב) singulari cura compositum tenentes (cf. II Mcc 10, 7) et laetis vocibus הוֹשִׁיעָה־נָא conclamantes. Quam caerimoniam (symbolum ubertatis terrae) Judaei ex Lv 23, 40 repetunt, ubi iubentur primo sollemnitatis die „fructum arboris decoris (verisimiliter malum citreum), frondes palmarum, ramos arboris densarum frondium (ex complurium opinione frondes myrti)[1]. salices torrentis" sumere et coram Jahve laetari[2]. Die septimo illa circuitio septies repetebatur (ad memoriam expugnatae urbis Jericho, Hieros. Sukka 54[c]): quare ei diei nomen erat ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ἑορτῆς (Jo 7, 37), apud rabbinos הושיענא רבא *Hosanna magnum* (cf. J. Buxtorf, Lex. Chald. 992).

[1] At Neh 8, 15., ubi sollemnitatis tabernaculorum celebratio describitur, „frondes myrti" a „foliis arboris densarum frondium" distinguuntur.

[2] Josephus AJ 3, 10. 4 ritus sollemnitatis tabernaculorum describens memoriae prodit Hebraeos eo festo fasciculum e myrto et salice cum spadice ita paratum, ut ex eo malum Persicum penderet (τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος), in manibus gestasse. Cf. AJ 13, 13. 5., ubi pro malo Persico θύρσους ἐκ κιτρίων scribit.

Tempore posteriore rabbini sollemnitati tabernaculorum diem festum addiderunt, vicesimum tertium diem mensis Tišri, quem חג שמחת התורה *festum laetitiae legis* appellabant, quia eo recitatio legis magno cum gaudio multisque sollemnitatibus finiebatur, unde sabbatum quoque sequens, quo rursum lectionem legis ordiebantur, שבת בראשית vocabant (J. Buxtorf, Synag. Jud. c. 27).

Adnotatio. — Sunt qui dixerint Sakkûth, cuius cultus Am 5, 26 mentio fiat, Saturnum significare, Saturnum autem lunam decrescentem et ex festo Sakkûth Mosen חג הסכות fecisse. At סכות pluralis est vocabuli סכה *tugurium, casa.* Praeterea quae Amos loco allato dicit, ad tempus futurum spectant.

Sectio tertia

De die expiationis

Conferas tract. Joma (M II, 5); *S.* Adler, Der Versöhnungstag in der Bibel, sein Ursprung und seine Bedeutung (ZAW III, 1883, 178—185. 272); J. Benzinger, Das Gesetz über den großen Versöhnungstag Lv 16 (ib. IX, 1889, 65—89); C. v. Orelli, Versöhnungstag (RE[3] XX, 576—582); B. D. Eerdmans, De groote Verzoendag (Th T 1904, 17—41); N. Messel, Die Komposition von Lv 16 (ZAW XXVII, 1907, 1—15); J. Elbogen, Studien zur Geschichte des jüdischen Gottesdienstes 49—190 (Berlin 1907); H. Grimme, Das Alter des israelitischen Versöhnungstages (Archiv für Religionswissenschaft XIV, 130—142).

I. Quintus ante sollemnitatem tabernaculorum dies i. e. decimus mensis Tišri erat יום הַכִּפֻּרִים *dies expiationum* sive expiationis plenariae (LXX ἡμέρα ἐξιλασμοῦ. apud talmudistas et rabbinos posteriores יוֹם סְלִיחָה וּמְחִילָה *dies remissionis et condonationis*, יוֹמָא רַבָּא *dies magnus* et יוֹמָא κατ' ἐζοχήν i. e. praecipuus totius anni dies), quo omnis labor et cibus poenâ mortis propositâ interdictus erat idque a vespera diei noni usque ad vesperam diei decimi (Lv 16, 29. 31; 23, 27—32. Nm 29, 7. Phil. De decalogo, opp. II, 206: ἐν ᾗ σιτίων καὶ ποτῶν ἀποχὴ διείρηται. Jos. AJ 3, 10. 3: κατὰ σελήνην διανηστεύοντες ἕως ἑσπέρας)[1].

Sacro hoc die solus pontifex sacris operabatur; nam totus populus sollemniter erat expiandus. Postquam noctem pervigilaverat[2], mane corpore lauto sacrificium perpetuum offerebat. Vestitu sollemni deposito et corpore iterum lauto, simplicia vestimenta sacerdotalia induebat[3] ac vitulum pro peccato et arietem in holocaustum pro se totoque ordine sacerdotali, duos hircos plane aequales (כְּאֶחָד) pro peccato et arietem in holocaustum pro universo populo ad altare adducebat. Hircorum alterum לַיהוָה, alterum לַעֲזָאזֵל sorte destinabat. Quo facto sua suaeque domus

peccata confitens vitulo manus imponebat eumque immolabat. Dein cum turibulo aureo (מַחְתָּה, χρυσοῦν θυμιατήριον Hebr 9, 4), quod prunis ardentibus de altari holocaustorum sumptis impleverat, sanctissimum (Lv c. 16 קֹדֶשׁ dictum) ingressus incensum adolebat, ita ut fumus quasi nubes propitiatorium obtegeret. In atrium regressus de sanguine vituli sumebat et semel super propitiatorium (contra faciem eius orientalem) et septies versus pavimentum ante arcam digito spargebat. Cum deo reconciliatus, pontifex in atrium regressus hircum Jahvae destinatum mactabat eiusque sanguinem in sanctissimo (quod tum tertium ingrediebatur)[4] eodem modo, quo sanguinem vituli, spargebat, ut illud ab omnibus immunditiis, praevaricationibus, peccatis populi expiaret. In sanctuarium (quod Lv c. 16 אֹהֶל מוֹעֵד vocatur) egressus ex traditione Judaica primo de sanguine vituli, deinde de sanguine hirci versus velum sanctissimi (et quidem semel sursum, septies deorsum) spargebat, denique sanguine vituli et hirci mixto cornua altaris aurei illinebat et septies versus pavimentum ante altare spargebat, ut peccata in sanctuario commissa expiaret[5]. Quibus peractis in atrium egressus idem faciebat in altari holocaustorum et reliquum sanguinem ad eius basin effundebat, quo ritu atrium quoque expiatum erat. Tum pontifex ante altare ambas manus capiti hirci לעזאזל destinati graviter imponens omnia peccata populi confitebatur et in eum quasi transferebat, quo facto eum viro tradebat, ut in loca deserta (אֶל־אֶרֶץ גְּזֵרָה LXX εἰς γῆν ἄβατον) duceret[6], quo significabatur Hebraeos poenâ omnium peccatorum esse liberatos. Carnes vituli et hirci pro Jahve immolati extra castra (vel urbem) concremabantur[7]. Interim pontifex in atrio mulierum nonnullas (octo) orationes et quasdam legis partes ad sollemnia huius diei spectantes recitabat. Deposito vestitu simplici et corpore rursus lauto[8] pretiosa dignitatis suae vestimenta induebat atque duos arietes pro se et populo in holocaustum offerebat et adipes priorum sacrificiorum adolebat. Ante sacrificium vespertinum, quod ex traditione Judaica pontifex offerebat, complura sacrificia festa cum fertis et libaminibus (eadem. quae in neomenia mensis septimi) offerebantur. — Lv c. 16; 23, 27—32. Nm 29, 7—11. Jos. AJ 3, 10. 3.

[1] Erat unus ieiunii dies lege praescriptus. Quare vocatur צוֹמָא רַבָּא *ieiunium magnum* (apud rabbinos), νηστείας ἑορτή (Jos. AJ 14, 16. 4. Phil. De septen. opp. II, 296), ἡ νηστεία (Act 27, 9. Phil. De septen. opp. II, 278. De virtutib. ib. 591. Justin. Dialog. c. Tryph. §§ 40. 111. MSG 6, 564. 732), *ieiunium* (Tertullian. Adv. Marcion. 3, 7. Adv. Jud. c. 14. MSL 2, 331. 640).

[2] Secundum M. Joma 1, 1—7 summus sacerdos septem diebus ante diem expiationis in conclavi Parhedrin (לשכת פלהדרין sive פרהדרין, ut melius

in Gemara scribitur) recedebat atque singulis diebus sanguinem holocausti cottidiani spargebat, suffitum adolebat, lampades candelabri aurei aptabat, ut se cultui sacro assuefaceret. Tertio et septimo die aqua lustrali adspergebatur. Seniores synedrii sacras litteras ei recitabant et ritus diei expiationis interpretabantur. Tradebant quoque pontificem senioribus sacerdotum, qui eum in conclave Abtinas (בית אבטינס) ducebant ibique obtestabantur, ne sacras sollemnis expiationis caerimonias commutaret. Ipsa autem nocte decimi diei pontifex parce cenare debebat et a cibis libidinem irritantibus abstinere, ne in somnum incideret, quem sacerdotes iuniores ab eo arcebant, neve pollueretur. Talmudistae Pirke aboth 5, 5 memoriae produnt: „Decem signa sive miracula facta sunt patribus nostris in domo sanctuarii . . . Non accidit casus nocturnus sacerdoti magno die expiationis". Cf. tamen Jos. AJ 17, 6. 4.

[3] Quia hic dies non erat festum laetitiae, sed dies maeroris, paenitentiae, afflictionis, quo vestimentis splendidis sacra facere alienum fuisset.

[4] Talmudistae memoriae tradunt pontificem quater sanctissimum ingressum esse: ad suffitum adolendum; ad spargendum sanguinem iuvenci; ad spargendum sanguinem hirci; vesperi ad exportandum turibulum, quod ibi reliquerat. Contra quam traditionem verba Hebr 9, 7: ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ et praecepta, quae Ex 30, 10 et Lv 16, 34 legimus, non repugnant; nam iis locis nihil aliud dicitur nisi pontifici quotannis uno die sanctissimum ingredi licuisse (cf. ἅπαξ κατ' ἐνιαυτόν III Mcc 1, 11. ἅπαξ δι' ἔτους Phil. De monarch. l. 2. opp. II, 223. ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ De virtutib. ib. 591. ἅπαξ κατ' ἐνιαυτόν Jos. BJ 5, 5. 7. נכנס בו פעם אחת בשנה Hieros. Joma 43[a]). Falso igitur rex Agrippa in epistula ad imperatorem Caium (apud Phil. opp. II, 591) dicit pontificem semel quotannis sanctissimum ingressum esse, et si eodem die ter quaterve ingressus esset, mortem meruisse. Idem (loco allato) falso contendit pontificem tantum ad odores incendendos et preces fundendas in sanctissimum intrasse, cum expiatio peccatorum et sparsio sanguinis iuvenci et hirci prima causa huius introitus fuerit, odoribus autem incensis gravissima illa actio quasi praeparata et incohata sit.

[5] Dum pontifex in sanctuario et sanctissimo versabatur, nemini in tabernaculo adesse licebat (Lv 16, 17). Philo (De somn. l. 2. opp. I, 683 s.) non dubitat pontifici in sanctissimo commoranti mediam inter deum et homines dignitatem tribuere. Verum male id confirmat verbis Lv 16, 17., ubi scriptum sit: Ὅταν εἰσίῃ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ὁ ἀρχιερεύς, ἄνθρωπος οὐκ ἔσται. Neque enim ita legitur, sed: „Nullus autem homo sit in tabernaculo conventus, cum ille (pontifex) ingredietur". LXX: καὶ πᾶς ἄνθρωπος οὐκ ἔσται ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου εἰσπορευομένου αὐτοῦ (ἀρχιερέως).

[6] Secundum traditionem Judaicam particula coccinea, longa et lata ut lingua (quare Joma 6, 6 etiam לָשׁוֹן *lingua* vocatur) inter cornua hirci in desertum dimittendi et in ianua porticus templi poni solebat; ea si post hircum emissum albescebat, signum erat peccatorum remissorum: id quadraginta annis ante templi desolationem desiise fertur (cf. M. Joma 6, 8. Babyl. Rosch haschana 31[a] et Joma 67[a]). Erant interpretes qui verbis

Jes 1, 18 ad hunc ritum respici existimarent. Sed commentum illum esse, cui ipse locus allatus causam praebuit, haud difficile est probatu.

Tempore posteriore hircus de rupe quadam in deserto prope Hierosolyma praecipitari solebat (M. Joma 6, 4—6).

[7] Qui victimarum carnes comburebant et hircum in desertum abducebant, aliquam immunditiam contraxisse censebantur, quae ante ingressum in castra (urbem) aquâ purganda erat (Lv 16, 26. 28. M. Joma 6, 6 s.).

[8] Non quod immunditiam quandam contraxisset (nam tunc eo die non amplius sacris operari potuisset, cum omnis immunditia usque ad vesperam duraret), sed ut hac caerimonia ostenderet et se et populum iam a sordibus peccatorum purgatos ac liberatos esse.'

II. De significatione vocabuli עזאזל magnus est interpretum dissensus, quorum varias sententias enumerare et diiudicare volumus.

Atque nonnulli (velut Siphra, Ps. Jonathan, Saʿadja, Arabs Erpenianus, S. Jarchi, Ibn ʿEsra) eo nomine significari existimant locum desertum sive montem, a monte Sinai haud multum remotum, in quem hircus, quamdiu Hebraei in solitudine commorabantur, ducendus erat, ut ex eo praecipitaretur. Et cum Hebraei a monte Sinai discessissent, quotannis die expiationis locum quendam haud procul a castris situm determinatum esse dicunt, qui partes et nomen primi illius Asasel susciperet quoque hircus ille emitteretur. Quae est *interpretatio localis*. At respiciendum est vi loci remoti probata Lv 16, 10 alterutrum de duobus vocabulis לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה *pro Asasel* (= pro deserto) *in desertum* supervacaneum esse nihilque nisi tautologiam, cum omnes solitudines loca ab hominum usu et frequentia remota esse solent. Ceterum locus desertus sive mons nomine Asasel et sacrae et profanae geographiae plane ignotus est, quod, si tantae celebritatis fuisset, esse non posset.

Alii עזאזל ipsius hirci in desertum missi nomen esse contendunt, quasi ex עז et עָזַל = אָזַל *abiit* compositum sit. Quae est *interpretatio etymologica*. Cui derivationi suffragantur Vulgata („hircus emissarius"), Symmachus (τράγος ἀπερχόμενος), Aquila (τράγος ἀπολυόμενος), Theodotion (τράγος ἀφιέμενος), M. Joma 4, 2; 6, 1 s. Schekalim 4, 2 (שעיר המשתלח), complures patres ecclesiae, ut Justinus (Dialog. c. Tryph. § 40. MSG 6, 564), Origenes (Hom. 9. in Lv. § 3. ib. 12, 511), Theodoretus (Qu. 22. in Lv. ib. 80, 328), Augustinus (Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 55. MSL 34, 701), nonnulli recentiores. Quae tamen interpretatio priore non est melior. Nam עז non est *caper* aut *hircus*, sed *capra;* neque עז et עזל genere conveniunt, quippe cum illud femininum, hoc masculinum sit. Praeterea interpretationem illam etymologicam cum locis Lv 16, 10. 26 non convenire perspicuum est. Quo modo enim hircus ad Asasel sive hircum emissarium mitti potest?

Multis interpretibus recentioris aetatis vocabulum עזאזל significat daemonem quendam vel ipsum satanam, principem daemonum, auctorem peccati, cui hircus alter, peccatis populi onustus, destinatus erat. Quae est *interpretatio personalis,* quam iam Graeci Alexandrini constituerunt, qui Lv 16, 8 לעזאזל vocabulo τῷ ἀποπομπαίῳ (= τῷ ἀποτροπαίῳ vel τῷ ἀλεξικάκῳ, *averruncо*) interpretati sunt atque v. 10 de κλήρῳ τοῦ ἀποπομπαίου dicunt. Neque negari potest eosdem vocabulum לעזאזל etiam per εἰς ἀποπομπήν (v. 10) et εἰς ἄφεσιν (v. 26) reddidisse; sed nomen ὁ ἀποπομπαῖος ostendit illa verba nihil aliud valere nisi averruncationem sive depulsionem malorum et poenarum divinarum, quae ita fiebat, ut hircus sorte Asasel notatus peccata populi τῷ ἀποπομπαίῳ quasi apportaret. Ex veteribus Pentateuchi interpretibus Onkelos, Ps. Jonathan, Samaritanum Asasel proprium nomen diaboli existimasse inde credibile fit, quod nomen Asasel semper retinent. In antiquissimo in Leviticum commentario, qui חוקוני inscribitur, Asasel idem esse dicitur qui Sammaël (סמאל i. e. deus sive genius excaecator), quo nomine *angelus mortis* vel *diabolus* significatur. In fragmento quodam libri, qui nomine Henoch circumfertur et traditione perantiqua ante Christi tempora editus creditur, a Georgio Syncello in Chronographia servato, Ἀζαλήλ sive Ἀζαήλ inter angelorum lapsorum principes numeratur. In libro Henoch Aethiopico memoratur Ἀζαήλ (8, 1; 9, 6; 10, 4. 8; 13. 1) sive Ἀζαζήλ (54, 5; 55, 4; 69, 2) angelus lapsus, vinctus, in desertum ablegatus. Quocum congruit, quod in commentario quodam Kabbalistarum (ספר זוהר ad Gn c. 2) inter angelos e caelo deiectos עזאל comparet. Etiam antiquos Christianos eo nomine diabolum intellexisse haud obscure colligitur ex Origine C. Cels. 6, 43 (MSG 11, 1364); nam ut ipsa Mosis aetate diabolum innotuisse probet, cum alia tum haec dicit: ἐν τῷ Λευϊτικῷ ἀποπομπαῖος, ὃν ἡ Ἑβραϊκὴ γραφὴ ὠνόμασεν Ἀζαζήλ, οὐδεὶς ἕτερος ἦν nisi diabolus. Atque in antiqui poetae Christiani in Marcum, Valentini discipulum, versibus, quos Epiphanius Haer. 34, 11 (MSG 41. 605) attulit, ille ope Σατανᾶ et Ζαζήλ mendacia sua miracula peregisse dicitur. Conferas etiam Iren. C. haer. 1, 15 (MSG 7, 628. 1474). Accedit, quod ipsa Lv c. 16 verba opinari cogunt Asasel diabolum esse intellegendum. Primum enim sors una ליהוה, altera לעזאזל supra duos hircos poni debuit. Cum autem Jahve persona sit, cui unus ex hircis sorte obtingere oportebat, oppositio postulat, ut Asasel quoque aliquis esset, cui alter hircus sorte tribuendus erat. Quem vel angelum bonum vel hominem quemquam fuisse ne suspicari fas est. Deinde Jahve et Asasel loco allato tamquam partes extremae et maxime inter se oppositae ponuntur. Quare Asasel daemonem significare censendus est. Denique expiationis lege provisum est, ut hircus, in quem cecidit sors לעזאזל (v. 8), לעזאזל הַמִּדְבָּרָה

ad Asasel in desertum dimittatur (v. 10). Quorum verborum sensus implicatus et incommodus est, si Asasel hircum emissum, facilis et expeditus, si daemonem intellegas. Ita enim illis verbis haec sententia subest: Hircus, cui sorte obtigit, ut daemoni traderetur, mittatur ad Asasel in desertum, ubi praecipue versari solet[1]. Hic sensus eo probabilior est, quod loca deserta et ab hominum commercio remota daemoni iucunda eiusque habitacula maxime familiaria olim habebantur (cf. LXX Jes 13, 21; 34, 14. Jer 50, 39 et Bar 4, 35. Tob 8, 3. Mt 12, 43. Lc 11, 24. Apc 18, 2. Maimonid. More nebochim 3, 30)[2].

[1] Respiciendum est temporibus antiquis more receptum fuisse, ut quodvis animal numini cuidam dicatum vel destinatum ad huius fines et sedes amandaretur. Velut Macrobius Saturn. 3, 7 memoriae prodit: „Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset". Cui mori consentaneum erat hircum diabolo destinatum extra coetum Hebraeorum ad fines quasi diaboli i. e. ad loca deserta abigi.

[2] F. de Hummelauer, Comm. in Ex et Lv 462 (et iam antea *Stephanus le Moyne*) personalem hanc interpretationem ita emendat, ut dicat Asasel non daemonis cuiusdam, sed ipsius dei antiquum aliquod brevique penitus obsoletum nomen fuisse (עזאזל vel עזזאל = עז et אל = *deus fortis*), quod secundum quorundam virorum doctorum opinionem eandem habet vim quam nomen אל שדי *deus omnipotens* (Gn 17, 1; 28, 3. Ex 6, 3). Deo soli quidem nomine Jahvae invocato sacrificium offerebatur, ad eundem antiquo nomine Asasel appellatum hircus dimittebatur.

Alii autem (velut *A. Dillmann* ad Lv 16, 10) eam nominis formationem et scriptionem ut non Hebraicum reiciunt. Atque ex mea opinione illi coniecturae iam oppositio duarum sortium obstat, quae duas partes sibi oppositas requirit, ita ut cum unus hircus Jahvae consecraretur, alter non rursus Jahvae, sed alii personae sorte tribuendus esset. Id quoque respiciendum est neque in sacris litteris neque in scriptis Judaeorum Jahven umquam Asasel appellari.

Quod autem ad nominis עזאזל significationem attinet, eam nonnulli עז אזל *fortem abientem* interpretantur. Nam cum angeli boni עזים עומדים *fortes stantes* essent et in statu integro permanerent, daemones עזים אזלים *fortes abeuntes* erant, utpote ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον (Jud v. 6) et statum primum minime retinentes. Atque saepius in sacris litteris diabolus describitur ut spiritus semper locum mutans neque uspiam commorans, praesertim si repulsam patiatur (cf. Job 2, 2. Mt 12, 43. Lc 11, 24. I Ptr 5, 8). Quae sententia etiam eo commendatur, quod Syrus Pentateuchi interpres pro nomine Hebraico *ʿâzezâʾel* sive *ʿâzezâjel* ponit, quod ex *ʿâz* (— fortitudo sive fortis) et *zaʿel* sive *zajel* (participio verbi *zâl*, Arab. *zâla* = defecit) compositum est, ut *angelum, qui defecit* (a deo) significet.

III. Die sollemnis expiationis hircus לעזאזל sorte destinatus peccata a populo commissa e terminis regni theocratici diabolo in deserto commoranti quasi referebat, ut testificaretur cum diabolo, eius vim expiatis non amplius nocere, tum populo, peccatis maculatos in regno theocratico remanere non posse, sed inde exclusos potestati diaboli et exitio tradendos esse. Duo hirci eo die oblati unum sacrificium pro peccato constituebant ideoque plane aequales erant. Per hircum immolatum peccata populi remittebantur, per alterum, qui in desertum agebatur, peccata expiata e regno divino removebantur. Quae cum ita sint, complures rabbini stultissime die expiationis ab Hebraeis diabolo donum datum esse contenderunt, ne noceret, sicut Jacob fratri Esau aliqua munera misit, ne se laederet (Gn 32, 3—5).

Sunt qui duobus hircis diversam abolitionem peccatorum significari existiment, ita ut hircus emissus fugam metumque peccati, hircus mactatus abolitionem peccati paenitentiâ effectam indicet. Quae comparatio, quamvis absurda sit, tamen J. Spencer aliisque interpretibus adeo placuit, ut eam ceteris omnibus, quas infra commemoramus, anteponant.

Ex omnibus huius diei caerimoniis, ieiunio et peccatorum confessione, effusione et adspersione sanguinis victimarum pro peccato, elucet, quid spectaverit; nihil aliud nisi ut Hebraeorum animis penitus inculcaret et deum sanctissimum omnem impuritatem morum abhorrere inviolabilemque esse legum eius auctoritatem et Hebraeos atque universum genus humanum deo esse in culpa poenasque mereri, quae peccatores certissime manent, nisi verâ paenitentiâ veniam impetraverunt et expiati virtutem coluerunt. Actus expiationis erat *symbolum verae expiationis* sanguine Christi efficiendae, qui „infirmitates nostras ipse tulit et dolores nostros portavit“ . . . qui „vulneratus est ob delicta nostra, contritus propter peccata nostra . . . , cuius vibicibus sanatio nobis obtigit“ (Jes 53, 4 s.), qui „neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta (non manu facta, sed caelestia), aeterna redemptione inventa . . . ad multorum exhaurienda peccata“ (Hebr 9, 12. 28). Quare pontifex eiusque actio non minus *typus Christi* exstitit quam crematio carnis victimarum piacularium extra castra (ἔξω τῆς παρεμβολῆς) Christum extra portam (ἔξω τῆς πύλης) passum (Hebr 13, 11 s.) [1] et hircus peccatis totius populi oneratus eundem „peccata nostra in corpore suo super lignum perferentem“ (I Ptr 2, 24. cf. Jes 53, 6. Jo 1, 29) et a Judaeis spretum adumbrat. Tali modo dies expiationis clarus *typus feriae sextae in parasceve* exstitit. Atque *uterque hircus* Christum significasse creditur, sed diversum in modum. Hircus enim immolatus ut erat sacrificium pro peccato, ita Christum deus „pro nobis peccatum fecit“ (II Cor 5, 21) i. e. ut

summum peccatorem, tamquam in eo praeter peccatum nihil esset, tractavit, condemnavit morique passus est. Hircus autem sorte לעזאזל notatus ut peccata populi procul auferebat, ita Christus peccata nostra longe a nobis removit (Ps 103, 12)[2].

[1] Verba ἔξω τῆς παρεμβολῆς idem valent quod verba ἔξω τῆς πόλης; nam etiam castra Hebraeorum portas habebant (cf. Ex 32, 26) et in locum castrorum successit urbs, ut templum in locum tabernaculi.

[2] Ex nonnullorum opinione hircus, qui pro peccato mactabatur, patibilem Christi naturam significabat, ille, qui dimittebatur, divinitatem passionis expertem (cf. Cyrill. Alex. C. Julian. l. 9 MSG 76, 964. Theodoret. Qu. 22 in Lv ib. 80, 329). Alii duobus hircis duos Christi adventus significari putant (Justin. Dialog. c. Tryph. §§ 40. 111. MSG 6, 564. 732. Tertullian. Adv. Marcion. 3, 7. Adv. Jud. c. 14. MSL 2, 331. 640 s.). Ephraem Syrus (Explan. in Lv c. 14. opp. I, 245) dicit hircum immolatum „Christum pro nobis occidendum", hircum emissum „Christum in eo statu repraesentare, quo vivus neque umquam moriturus e sepulcro dimissus est et in semetipso multorum peccata portavit". Origenes (Hom. 9. in Lv. § 5. MSG 12, 513) per duos hircos vel Christum et Barrabam vel duos latrones intellegit. Quae omnia coacta esse nec sibi bene respondere quis non videt? Apte Theodoretus (Qu. 22. in Lv. MSG 80, 329) duos hircos duabus avibus in purificatione alicuius leprosi comparat.

IV. Hebraei, quos Thomas S. th. 1. 2. 120. a. 4. ad 10 sequitur, festum annuariae expiationis sollemnis institutum esse dicunt ad memoriam remissionis idololatriae, qua populus ad montem Sinai commorans vitulum aureum coluerat (Ex 32, 1—6), atque propterea decimo die septimi mensis agi, quod eo ipso die Moses de monte Sinai descenderit alteras legis tabulas ferens et populo remissionem denuntians (ib. 34, 29). At ex Lv 16, 1 ss. coll. cum 10, 1 apparet eam fuisse causam diei expiationis instituendi, quod filii Aaron (Nadab et Abihu), cum alienum ignem obtulerant, peccatum impietatis commiserant. Ad quod praecavendum atque ad reverentiam tabernaculi et sacrorum inculcandam Jahve praecepit, ut in posterum pontifex semel tantummodo quotannis locum sanctissimum ingrederetur neque id nisi summa cum reverentia praemissisque multis caerimoniis et sacrificiis.

Apud modernos rationalistas, quos vocant, opinio inveteravit festum expiationis multo demum post Mosen atque post exsilium Babylonium agi coeptum esse[1]. Sed eorum argumenta sunt omnia negantia et facile refutantur. Et quamquam mirum est diei expiationis neque in historiarum neque in prophetarum libris eius temporis, quod exsilium antecedit, mentionem fieri, tamen idem etiam in libros post exsilium scriptos cadit; nam certum diei sollemnis expiationis testimonium in

litteris sacris, quae post captivitatem Babyloniam ortae sunt, non habemus nisi in epistula ad Hebraeos (9, 7). Festum quoque pentecostes in partibus veteris testamenti non legalibus semel tantum (II Chr 8, 13) commemoratur. Quare illud argumentum ex silentio parum firmum esse apparet [2].

[1] Velut S. Adler (op. all.) dicit initio solam aram ab immundis contrectationibus, quae intra annum accidere potuerint, purgatam esse (Ex 30, 10); postea in libro Levitico, qui ex temporibus exsilii profectus sit, praeceptum esse, ut illo die non solum sacrarium ab immundis contrectationibus (16, 16. 18—20. 33[a]), sed universa gens Hebraica ab omnibus peccatis errore commissis (16, 30. 33[b]) purgaretur.

[2] A. C. Robinson (The day of atonement and the vanished ark. The Churchman XXIII, 590—594) demonstrat diem expiationis ante exsilium institutum esse, quod fieri non potuerit, ut eius ritus tum, cum arca foederis sublata erat, praeciperentur. — Item B. D. Eerdmans (The day of atonement. Exp 8. S. I, 493—504) omnia documenta, ex quibus apparet diem expiationis ante exsilium institutum esse, collegit.

In templo secundo cum arca foederis deesset, in quam sanguis hostiarum hoc die immolatarum spargendus erat, quaesitum est, num sollemnis expiationis dies etiam tunc celebraretur. Diei ieiunii ultimis Herodis Magni temporibus observati mentionem facit Josephus AJ 17, 6. 4. Idem memoriae prodit vestimenta, quibus pontifex tribus sollemnitatibus annuariis et ieiunii die utebatur, sub procuratoribus Romanis in arce Antonia asservata brevi rursus Judaeis in templo asservanda tradita esse (AJ 18, 4. 3; 20, 1. 1 s.). Vestimentis illis pontificem ornatum fuisse dicit, cum in adytum templi secundi intraret (BJ 5, 5. 7). Temporibus Herodis Agrippae sollemnem expiationem peractam esse ex Phil. De virtutib. opp. II, 591 colligere licet. In libris novi testamenti die expiationis ex nonnullorum opinione Act 27, 9 mentio fit. Ad expiationem hoc die factam Paulum apostolum Hebr 9, 7 respexisse sine ulla dubitatione putandum esse supra diximus. Ergo adspersio sanguinis etiam deficiente acra foederis institui potuit.

Adnotatio. — Frustra in religionibus gentilium aliquid simile diei sollemnis expiationis quaesitum est. Ac primus J. Spencer in disputatione „De hirco emissario“ (op. all. 1039—1085) ritus eius diei cum ritibus quibusdam gentilium aequare conatus est idque magna cum doctrina; eius opinio nunc, cum a nullo iam probetur, praeteriri potest. Illud quidem verum est gentiles quoque veteres quosdam dies placationis deorum habuisse, in oriente etiam ieiunia; sed eius modi dies ad res naturales tantum pertinebant, cum dies expiationis Hebraeorum ad id, quo religio Mosaica ab omnibus aliis religionibus antiquitatis differt, ad sanctificationem hominum spectaret. Ut igitur nulla religio gentilium talem deum colebat, cuius natura sanctitate contineretur, ita nulla diem festum sollemnis expiationis agebat; sed una Mosaica talem diem celebrabat, qui erat omnium maximus.

Sectio quarta

De festis post exsilium Babylonium institutis

Praeter festa lege Mosaica praescripta apud Judaeos posterioris aetatis multi alii dies festi celebrabantur, quorum praecipuos recensemus.

Caput primum

De festo Purim

Conferas tract. Megilla (M II, 10); P. de Lagarde, Purim. Ein Beitrag zur Geschichte der Religion (Abh. der kgl. Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen XXXIV, 1887); H. Zimmern, Zur Frage nach dem Ursprunge des Purimfestes (ZAW XI, 1891, 157—169); B. Meißner, Zur Entstehungsgeschichte des Purimfestes (ZDMG L, 1896, 296—301); W. Erbt, Die Purimsage in der Bibel. Berlin 1900; P. Haupt, Purim (Beitr. zur Assyr. und sem. Sprachw. VI, 2. Leipzig 1906); S. Jampel, Studien zum Buche Esther: Die bisherigen Hypothesen über die Entstehung des Purimfestes. Kritik der neueren und neuesten Hypothesen (Monatschr. für Gesch. und Wissensch. des Judentums L, 152—168. 289—315.

I. Festum Purim (יְמֵי הַפּוּרִים Esth 9, 28. 31. הַפֻּרִים ib. v. 26. 29. 32. LXX φρουραί, Jos. AJ 11, 6. 13 φρουραῖοι), a Mardochai, homine Judaeo, institutum est, ut memoria illius beneficii dei retineretur, quo Judaei, qui tum Persis parebant, ab internecione, quam iis Haman, minister regis Ahasver (Xerxis), paraverat, liberati sunt[1]; quare etiam Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα vocabatur (II Mcc 15, 36). Agendum erat diebus quarto decimo et quinto decimo mensis Adâr sive ultimi mensis anni sacri Hebraeorum, ita tamen ut primus dies sollemnius celebraretur quam secundus[2]. In synagogis liber Esther (מְגִלָּה κατ' ἐξοχήν dictus), in quo ea historia narratur, ex integro recitabatur[3], et quod supererat temporis, otio laetisque epulis transigebatur. Amici inter se dona mittebant, discipuli praeceptoribus, domini servis, maiores natu minoribus, imprimis divitiores pauperibus, ut et ipsi pro condicione sua diem festum digne celebrare possent. Neque vero alia erant munera nisi esculenta et potulenta. Vesperi, imprimis secundi diei, viri muliebrem vestem, feminae virilem induebant atque sic personati modo insanientium discurrebant. Festo praecedebat durum ieiunium in memoriam ieiunii ab Esther eiusque popularibus ad periculum internecionis depellendum ob-

servati (Esth 4, 16). Quodsi quartus decimus dies mensis Adâr in sabbatum incidebat, ieiunium in quintum diem hebdomadis retrahebatur.

Quod festum, etsi Judaei Palaestinenses primo contra id reclamabant (Hieros. Megilla 70[d]), tamen postea magni aestimabatur et temporibus Josephi ab omnibus Judaeis agebatur (AJ 11, 6. 13).

[1] Quod Haman sorte in diem Judaeis fatalem inquisierat, hoc festum *Purim* (fortasse idem quod *pûrti* = portio, pars) vel *sortium* (= גּוֹרָל Esth 3, 7; 9, 24) appellatur. H. Winckler (Altorientalische Forschungen II, 334) dicit vocabulum Hebraicum פּוּר Babylonio *pâru* = sors respondere, quam sortem rex Assyriorum omni anno ineunte deiciat, ut eponymum *(limu)* singulorum annorum destinet. Quod ab H. Zimmern (KAT[3] 518) impugnatur.

[2] Anno intercalari, qui geminum habebat mensem Adâr, et hoc festum geminum erat, ita tamen ut prius in mensem Adâr incidens minore, posterius mense Veadâr recurrens maiore sollemnitate ageretur. Quare illud פורים קטון *Purim parvum,* hoc פורים גדול *Purim magnum* nominabatur.

[3] Quotienscumque nomen Haman pronuntiabatur, qui audiebant, magnum faciebant strepitum, malleis et pistillis scamna pulsabant et una voce clamabant: ימח שמו *deleatur nomen eius* vel: שם רשׁעים ירקב *nomen impiorum putrescat* (Prov 10, 7). Finita lectione omnes clamare debebant: ארור המן ברוך מרדכי *maledictus sit Haman, benedictus Mardochai,* ארורה זרש ברוכה אסתר *maledicta sit Zeresch* (uxor Haman), *benedicta Esther.*

II. Complures viri docti (velut J. Fürst, F. Hitzig, A. Kuenen, P. de Lagarde, R. Smend) festum Purim cum historia Mardochai et Esther cohaerere negant atque festum quoddam gentilium (imprimis festum Persarum, quod *farwardîgân* appellatur i. e. festum anni incipientis et omnium animarum) in festum Purim transformatum esse contendunt.

Alii vocabulum Hebraicum פּוּר a Babylonio *puḫru* (= conventus) deductum esse existimant atque festum Purim idem esse contendunt quod festum anni incipientis Babyloniorum (Sumer. *Zag-muk* - Assyr. *rêš šatti* = ראשׁ שׁנה initium anni vel *akîtu*)[1]. Id festum initio deae cuidam *(Bau),* postea autem Marduk, summo deo Babyloniorum, primis diebus mensis Nisan celebrabatur et *ûmê puḫru* = dies conventus (deorum) appellabatur, cum Babylonii putarent deos omni anno ineunte Marduk praesidente convenire, ut regi totique regno res novi anni constituerent[2].

[1] Ita F. Hommel apud N. Weisslovits, Prinz und Derwisch (München 1890) 161[1] et H. Zimmern (op. all.). Conferas tamen KAT[3] 518, ubi H. Zimmern demonstrat, etsi vocabulum Hebraicum פּוּר Babylonio *puḫru* non respondeat, tamen significationem Arabicam festi Purim *fuhr* vel *fuḫr* ad puḫru revocandam esse. Etiam L. B. Paton (A critical and exege-

tical commentary on the book of Esther. Edinburgh 1908) putat quidem festum Purim ex Babylonia receptum esse, sed id festum, quod eius exemplar erat, significare non conatur.

[2] Praeterea festum Purim cum bello deorum Babyloniorum (*Marduk* = Mardochai, *Ištar* = Esther) contra deos Elamitarum (*Ḫuman* sive *Uman* = Haman, *Mašti* = Wašti) coniunctum est, quo bello clade deorum Elamitarum confecto significatur Elamitas a rege Ḫammurapi subactos esse. Cf. P. Jensen WZKM VI, 47 ss. 209 ss. H. Zimmern KAT[3] 516 s.

Contra quas opiniones alii (ut E. C. A. Riehm, S. Oettli, W. Nowack) recte dixerunt festum illud Persarum et festum Purim Judaeorum nomine, cultu, tempore inter se differre neque in monumentis rerum Judaicarum ullum talis transformationis vestigium reperiri; quare illorum virorum coniecturas a verisimilitudine plane abhorrere. Praeterea haud probabile esse videtur Judaeos a gentilibus, quos tantopere aspernabantur, festum quoddam recepisse, postea autem originis gentilis penitus oblitos esse. Atque id multo magis cadit in eorum opinionem, qui historiam libri Esther a fabulis Babyloniis haustam et postea Judaeis accommodatam esse arbitrantur.

Caput secundum

De festo encaeniorum

Cum Antiochus IV Epiphanes, Syriae rex, templum Hierosolymitanum horrendum in modum profanasset (I Mcc 1, 20—54. II Mcc 5, 15—21; 6, 2. Jos. AJ 12, 5. 4), tribus post annis Judaeorum vindex, Judas Maccabaeus, illud purgavit eiusque dedicationem per octo continuos dies, quorum primus erat vicesimus quintus mensis noni sive Kislev anni 164 a. Ch. n., maxima cum sollemnitate celebravit et in festum annuum convertit (I Mcc 4, 52—59. II Mcc 2, 20; 10, 1—8). Ad quae sollemnia agenda Judaei in Palaestina commorantes Judaeos Alexandrinos duabus iis epistulis invitaverunt, quas II Mcc 1, 1—10[a] et 1, 10[b]—2, 18 legimus.

Dicitur hoc festum חֲנֻכָּה (a חָנַךְ *initiavit* templum I Rg 8, 63. II Chr 7, 5), τὰ ἐγκαίνια (Jo 10, 22), Vulg. *encaenia*[1], ὁ καθαρισμὸς τοῦ ἱεροῦ (II Mcc 1, 18), αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου (I Mcc 4, 59). quia tum templum novo altari instructum est. A Judaeis vulgo הדלקת נרות *accensio lucernarum* appellabatur atque etiam a Josepho (AJ 12, 7. 7) nomine *luminum* significabatur (cf. Tertullian. Ad nation. 1, 13. MSL 1, 579: „Judaici ritus lucernarum"), quia Judaei his diebus cum in

synagogis tum in aedibus privatis multa luminaria accendebant, ut felicem rerum conversionem suamque laetitiam testarentur [2].

[1] Augustinus, In Jo. tr. 48. § 2. MSL 35, 1741: „Encaenia festivitas erat dedicationis templi. Graece enim καινόν dicitur novum. Quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, encaenia vocantur".

[2] Cf. J. Buxtorf, Synagog. Jud. c. 28. — ZAW XXII, 1902, 264—284: Die Entstehung des Hanukkafestes.

Adnotatio. — Ceterae templi dedicationes (et quidem *templi Salomonis* I Rg 8, 1—9, 9. II Chr 5, 2—7, 22. *templi Serubbabelis* Esr 6, 16 s. *templi Herodiani* Jos. AJ 15, 11. 6) annuariis sollemnitatibus caruerunt; nam semel factae non amplius repetitae sunt.

Caput tertium

De quibusdam festis minoribus

I. Ultimis reipublicae Judaeorum temporibus ἡ τῶν ξυλοφορίων ἑορτή, festum ligniferii (M. Taanith 4, 5: זמן עצי כהנים והעם *tempus lignorum sacerdotum et populi*) agebatur, cuius Josephus BJ 2, 17. 6 mentionem facit: ἐν ᾗ πᾶσιν ἔθος ἦν ὕλην τῷ βωμῷ προσφέρειν, ὅπως μήποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λείποι, διαμένει γὰρ ἄσβεστον ἀεί. Ut ex Jos 9, 23 apparet, antiquitus Gibeonitae (Chivvaei ib. 11, 19) perpetuo famulatu obligati erant, ut ligna pro domo dei caederent. Post exsilium autem Nehemia oblationem lignorum (קָרְבַּן הָעֵצִים) inter sacerdotes, Levitas, populum sorte ita distribuit, ut ex ordine cognationum statutis temporibus in domum dei inferrentur (Neh 10, 35; 13, 31). Atque eam lignorum oblationem quasi necessario magna cum laetitia factam esse facile intellegitur. Josephus festo ligniferii diem quartum decimum eius mensis, cui Syro-Macedonicum nomen est Λῶος (cf. BJ 2, 17. 6 cum 2, 17. 7), qui mensi quinto Hebraico Ab respondet, assignat; sed in Talmud (M. Taanith 4, 5) novem dies enumerantur, quibus quotannis ligna ad ignem in altari holocaustorum alendum in templum apportentur. Cf. M. Megilla 1, 3.

II. Praeterea alia quaedam festa minora occurrunt (cf. Megillath Taanith), ut planctus filiae Jephta iudicis (Jdc 11, 39 s.); festum Bethuliae et Palaestinae a flagello Holofernis, praefecti regis Assyriorum, operâ Judith liberatae (Jdth 16, 31); festum in memoriam arcis Hierosolymitanae sub Simone Maccabaeo recuperatae institutum, quod die vicesimo tertio mensis secundi sive Ijjar agebatur (I Mcc 13, 50—52);

festum inventionis ignis sacri sub Nehemia (II Mcc 1, 18); festum, quod ob victoriam de Nicanore, duce Demetrii regis Syriae, a Juda Maccabaeo die tertio decimo mensis Adâr reportatam agebatur (I Mcc 7, 48 s. II Mcc 15, 37. Jos. A J 12, 10. 5). His autem immorandum non censemus, quia neque maioris erant momenti neque ab universa gente celebrabantur.

Graeci Alexandrini praeterea nonnullus alios dies festos celebrabant. Velut diem festum, quo memoriam legis Mosaicae ex Hebraeo in Graecum conversae retinerent (Philo, De vita Mosis l. 2. opp. II, 141), quocum epulae coniunctae erant (μετ' οἰκείων καὶ φίλων ἑστιῶνται), et diem festum, quo id tempus, quo, cum Ptolemaeus VII Physkon eos elephantis interficere vellet, mire servati erant, comprehenderent (Jos. CAp 2, 5). Id sollemne institutum esse III Mcc 6, 36 quoque memoratur, sed id in aetatem Ptolemaei IV Philopatoris refertur.

Appendix

Quo modo dies festi in synagogis acti sint

In synagogas populus convenire solebat imprimis *die sabbati* (Mt 12, 8 s. Mc 1, 21; 6, 2. Lc 4, 16. 31; 6, 6; 13, 10. Act 13, 14. 44; 16, 13; 17, 2; 18, 4. Phil. De somn. l. 2. opp. I, 675. Quod omn. prob. lib. opp. II, 458. De vit. contempl. ib. 476. De virtutib. ib. 568. Fragm. ib. 630), procul dubio etiam *diebus festis* (M. Megilla 3, 5 s.) *aliisque diebus,* et quidem posteriore aetate secundo et quinto hebdomadis die (Hieros. Megilla 75[a]. Babyl. Baba kamma 82[a]).

Pro sacris in templo factis *orationes, hymni, psalmi* substituebantur, additis insuper aliis precibus, si consuetis sacris alia quaedam in templo iungebantur. Atque praecipuae orationes cottidianae erant *Schma* (שמע, quod nomen a primo verbo loci Dt 6, 4 mutuatum est) vel *Kriath Schma* (קריאת שמע i. e. lectio sive recitatio orationis Schma, per compendium *Krischma*) lectio trium sectionum Dt 6, 4—9; 11, 13—21. Nm 15, 37—41., quibus Hebraeis inculcatur, ut legem dei perpetuo mente retineant, recolant, meditentur, sibi dictam putent et servent[1], ac *Schmone Esre* (שמונה עשרה) i. e. novemdecim (non ut nomen indicat, octodecim) eulogiae.

[1] Unde rabbini praeceptum exsculpserunt, ut unusquisque Judaeus phylacteriis et vestimento, quod טלית vocant (cf. J. Buxtorf, Lex. Chald.

877 s.), indutus eas legis sectiones sabbato, diebus Lunae et Jovis, mane cum tribus et vesperi cum quattuor doxologiis, in synagoga aut, si eam adire non posset, ubicumque esset, etiam in platea, stans recitaret. — Cf. J. Elbogen, Studien zur Geschichte des jüdischen Gottesdienstes 3—48.

Sabbato orationes excipiebat lectio תּוֹרָה *legis* (in quinquaginta tres, ut masorethae, vel quinquaginta quattuor, ut alii dicunt, paraschas divisae)[1] et נְבִיאִים *prophetarum* (quorum scripta in octoginta quinque haphtaras divisa erant)[2]. Atque recitationem legis recitatione alicuius partis prophetarum receptam esse ex Lc 4, 17 cognoscimus (ubi memoriae traditur Jesum in synagoga oppidi Nazareth partem ex Jesaia recitasse) et Act 13, 15 (ἀνάγνωσις τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν). In Mischna quoque lectionis prophetarum saepius mentio fit. Nonnumquam etiam alii veteris testamenti libri (מְגִלּוֹת) recitabantur. Canticum canticorum in paschate, Ruth in pentecoste, Threni nono die mensis Ab (quo die Judaei ob templum primum a Chaldaeis, alterum a Romanis exustum ieiunium servabant), Koheleth in sollemnitate tabernaculorum, Esther in festo Purim[3]. Qui libri, cum Judaei eos integros statutis diebus in religionis coetibus legant, omni divisione liturgica carent aeque ac reliquae litterae sacrae, quas ad privatam eruditionem morumque institutionem domi legant. Lectioni interdum quaedam *contio* (דְּרוּשׁ) addebatur, quae plerumque sacris litteris recitatis accommodata erat. Atque interpretationes partium ex libris sacris recitatarum omissas non esse inde cognoscimus, quod in novo testamento διδάσκειν ἐν ταῖς συναγωγαῖς saepe commemoratur (Mt 4, 23. Mc 1, 21; 6, 2. Lc 4, 15; 6, 6; 13, 10. Jo 6, 59; 18, 20) et ex locis Lc 4, 20 ss. Act 13, 15 ss; 17, 2 s. Ceterum lectionem ab oratione inceptam esse ex Neh 8, 6 apparet eamque etiam oratione conclusam esse Neh 9, 3 indicatur. Postremo populus cum piis votis (benedictione sacerdotali) dimittebatur.

[1] Paraschae (פרשיות *divisiones, sectiones*) dividuntur in *apertas* (פתוחות), quae a linea initiantur, et *clausas* (סתומות), quae relicto intervallo eandem lineam prosequuntur. Atque initium parascharum *maiorum* tribus litteris maiusculis פפפ vel ססם significatur. Quae paraschae maiores rursus in (sescentas sexaginta novem) *minores* litteris minusculis פ vel ס signatas dividuntur, quas nonnulli ab ipso Mose distinctas esse credunt. At aetate posteriore idque post legis distributionem in paraschas maiores eas discriminatas atque rabbinis adscribendas esse vero propius videtur.

[2] Nomine נביאים hîc et נ׳ ראשונים *prophetae priores* et נ׳ אחרונים *prophetae posteriores* intellegendi sunt. Haphtarae autem (הפטרות *dimissiones*) sectiones propheticae ideo vocantur, quod iis recitatis et expositis populus dimittitur. Quam ob rem lector sectionis propheticae מפטיר *dimittens* appellatur, quia coetum dimittere solet. Quaenam autem haphtarae certis diebus festis recitandae essent, posteriore demum tempore statutum est.

Atque Judaei prophetarum lectionem post tempora Antiochi Epiphanis, cum lectio legis severe prohibita esset, ortam et postea rententam esse existimant.

[3] Judaei Palaestinenses in synagogis linguâ Hebraicâ utebantur, qui extra Palaestinam degebant, versione LXX interpretum. Illi *Hebraei* sive *Judaei,* hi *Hellenistae* (Ἑλληνισταί ab ἑλληνίζω *Graecos imitor*) appellabantur.

Adnotatio. — Inter actus, qui in synagogis peragebantur, erat etiam *flagellatio,* quod ex Mt 10, 17; 23, 34. Mc 13, 9. Act 22, 19; 26, 11 apparet. Sunt qui locis allatis nomine synagogarum cum omnes conventus civiles significari existiment tum synedrium trium virorum, quod in unaquaque synagoga erat. Alii autem synagogas proprie dictas intellegunt, id quod vero propius esse existimo. Etiam *circumcisio* plerumque in synagogis fiebat (J. Buxtorf, Synag. Jud. c. 4). Ibi *collectae* quoque pro pauperibus fiebant.

IV

De cultu sacro

De Hebraeorum sacris ante Mosen usitatis

De Hebraeorum sacris ante Mosen usitatis perpauca accepimus. Cultum autem dei honestissime i. e. sacrificiis exercitatum esse omnino constat. Atque ex compluribus sacrarum litterarum locis apparet sacrificia holocausta, eucharistica, foederum iam antiquissimis temporibus in usu fuisse (cf. Gn 4, 3 s; 8, 20; 15, 9 s; 22, 2. 13; 31, 54; 46, 1). Abraham ritu Chaldaeorum immolasse nonnulli ex Jos 24, 2. 14 colligunt. Temporibus patriarcharum epulas quoque sacrificales habitas esse ex Gn 31, 54 cognoscimus. Preces vero et supplicationes sacrificiis frequenter adiunctas esse ex Gn 12, 7 s; 13, 4; 26, 25 apparet. Deum votis quoque venerari eumque testem iurisiurandi invocare iam antiquitus moris fuisse ex Gn 28, 20—22; 24, 2 s. (cf. 47, 29); 31, 53 liquet. Praeceptum circumcisionis, de quo Gn 17, 10—14 agitur, minime neglectum esse ex Ex 4, 24—26 et Jos 5, 5 constat. Neque dubium est, quin iam ante Mosen etiam certae caerimoniae ad cultum deo debitum praestandum exstiterint, quae tamen ex voluntate et pietate hominum manabant, non aliqua lege divina institutae erant. Quas Pentateuchus silentio praetermittit, ne Hebraei in temptationem eius modi rituum antiquorum, sed inde a Mose abroga-

torum superstitiose repetendorum inciderent. Cf. Thom. S. th. 1, 2, qu. 103. a. 1., ubi s. doctor ad quaestionem respondet, num ante legem Mosaicam praecepta quaedam caerimonialia exstiterint.

Complures viri docti (velut L. Reinke, F. Delitzsch, H. L. Strack) iam verbis Gn 4, 26: „Tunc (aetate Enos) coeptum est (vel coeperunt) vocare in nomine Jahvae" sollemnem vel publicum dei cultum atque initium eius cultus a populo exercitati significari existimant. At eius modi Jahvae cultus neque illo tempore neque omnino patriarcharum aetate demonstrari potest. Praeterea verba „vocare in nomine Jahvae" nisi de Abraham et Isaac (Gn 12, 8; 13, 4; 21, 33; 26, 25) non usurpantur, ut tantummodo de dei cultu intra familias Abraham et Isaac factitato intellegi possint. Contra de Jacob patriarcha illa verba non adhibentur, quamquam et ipse Jahvae et aras erigebat et sacra faciebat. Accedit, quod eadem verba de singulis personis in talibus coniunctionibus inveniuntur, in quibus publicus dei cultus intellegi prorsus nequeat, ut I Rg 18, 24. II Rg 5, 11. Jes 41, 25. Denique illa verba ceteris quoque locis, ubi usurpantur, non publicum dei cultum significant, sed nihil aliud nisi nomen Jahvae laudare vel Jahven unum verum deum celebrare vel in Jahvae dicione esse (Dt 32, 3. Jes 12, 4; 44, 5. Ps. 79, 6; 105, 1 ss. I Chr 16, 8 ss. cf. Bar 3, 6 s.). Quod igitur memoriae proditum est aetate Enos coeptum esse vocare in nomine Jahvae, nulla alia his verbis subiecta est sententia nisi haec: illa aetate homines quosdam coepisse Jahven unum verum deum profiteri et affirmare se in illius dicione esse neque in cuiusquam alterius.

Ex locis Ex 5, 1—3 (ubi Moses et Aaron nomine populi a Pharaone potestatem abeundi et sacrificandi petunt, quod alioqui gravi aliquo supplicio a deo afficerentur) et 8, 22 (ubi iidem postulatum suum confirmant verbis: „Abominationem Aegyptiorum sacrificamus Jahvae, deo nostro" i. e. sacrificium, quod Aegyptiis abominationi est, sive hostias, quas Aegyptii mactare horrent) fortasse colligendum est Hebraeos *in Aegypto* commorantes sacra non fecisse. At ex nonnullorum opinione fieri potuit, ut sacerdotes Hebraici illo tempore ritu Aegyptio sacrificarent, quod per se nefas non erat, dummodo sacrificium tali modo oblatum diis Aegypti non offerretur. Verum etiam his Hebraeos sacra fecisse ex Jos 24, 14. Ez 20, 7 s; 23, 3. 8. 19 s. apparet.

Ex loco Am 5, 25 (cf. Act 7, 42) complures interpretes concluserunt Hebraeos per quadraginta annos *in deserto* sacris operatos non esse, quod tamen claris sacrorum librorum verbis aperte contradicit. Nam Hebraei et eo tempore sacra fecerunt, quo Jahve ad montem Sinai foedus cum iis iniit (Ex 24, 4 s.), et in consecratione tabernaculi Mosaici a principibus tribuum victimae oblatae sunt (Nm 7, 1—88); item in celebratione paschatis, quae altero post exitum e servitute Aegyptia anno facta est (Nm 9, 1—5). Itaque locus allatus affirmative intelle-

gendus est (nam ה interrogativum ante וּבָחִים idem est quod הֲלֹא *nonne*, ut Gn 27, 38: הֲבְרָכָה): „Nonne victimas et fertum obtulistis mihi in deserto annis quadraginta, domus Israel?“ i. e. sane obtulistis mihi in deserto victimas et ferta.

Sectio prima

De sacrificiis lege Mosaica praescriptis

Praesidia doctrinae. — Tract. Sebachim et Menachoth (M V, 1. 2). — Philo, De sacrificiis Abelis et Caini (opp. I, 163—190). De victimis (II, 237—250). De sacrificantibus (II, 251—264). — J. H. Kurtz, Das mosaische Opfer. Mitau 1842. Der alttestamentliche Opferkultus nach seiner gesetzlichen Begründung und Anwendung. ib. 1862. — A. Stöckl, Liturgie und dogmatische Bedeutung der alttestamentlichen Opfer, insbesondere in ihrem Verhältnisse zur neutestamentlichen Opfertheorie. Regensburg 1848. Das Opfer nach seinem Wesen und seiner Geschichte. Mainz 1861. — V. Thalhofer, Die unblutigen Opfer des mosaischen Kultus, ihre Liturgie, ihre symbolisch-typische und dogmatische Bedeutung. Regensburg 1848. Das Opfer des alten und neuen Bundes mit besonderer Rücksicht auf den Hebräerbrief und die katholische Meßopferlehre exegetisch-dogmatisch gewürdiget. ib. 1870. — G. Karch, Die mosaischen Opfer als vorbildliche Grundlage der Bitten im Vaterunser. 2 Bde. Würzburg 1856—57. — E. W. Hengstenberg, Die Opfer der heiligen Schrift[2]. Berlin 1859. — F. A. Bramesfild, Der alttestamentliche Gottesdienst in seiner sinnbildlichen und vorbildlichen Bedeutung. Gütersloh 1864. — G. F. Jatho, Blicke in die Bedeutung des mosaischen Kultus. Hildesheim 1876. — A. Stewart, The Mosaic sacrifices with introduction by A. Beithe. London 1883. — W. M. Rodwell, The Mosaic sacrifices in Lv 1—3. ib. 1890. — Th. Naville, Les sacrifices lévitiques et l'expiation. Lausanne 1891. — A. van Hoonacker, Le lieu du culte dans la législation rituelle des Hébreux. Gand et Leipsic 1894. — C. Schmidt, Die Entwicklung der alttestamentlichen Opferidee. Breslau 1899. — J. Wellhausen, Prolegomena zur Geschichte Israels[6] 53—79. Berlin 1905. — O. Schmitz, Die Opferanschauung des späteren Judentums und die Opferaussagen des neuen Testaments. Tübingen 1910. — A. Fernandez, I sacrifici privati nella legislazione mosaica (Civiltà cattolica 1913, 3. Maggio, 277—291).

Caput primum

De sacrificiis universis

I. Praecipua cultus Mosaici pars consistebat in sacrificiis. Sacrificium (=facere sacrum i. e. opus sacrum vel rem sacram) generatim sumptum significat „omne opus, quod (al. quo) agitur, ut sancta so-

cietate inhaereamus deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus" (August. De civ. dei 10, 6. MSL 41, 283) vel „omne, quod deo datur aut dicatur aut consecratur" (Isid. Hisp. Etymolog. 6, 19, 30. MSL 82, 254) vel „oblationem, quae sacra fit offerendo et sacrat offerentem" (Alexand. Hal. S. th. 3. qu. 55). In hoc sensu nomen sacrificii in sacris litteris saepius legitur, velut Ps 4, 6; 50, 14; 51, 19. Sir 32, 2. At haec significatio lata est neque propria. Vulgo nomine sacrificii intellegitur „oblatio deo facta rei sensibilis per eiusdem realem vel aequivalentem destructionem legitime instituta ad agnoscendum supremum dei dominium simulque pro statu lapso ad profitendam divinam iustitiam hominisque reatum expiandum" (J. B. Franzelin, Tract. de ss. euchar. sacram. et sacrif.[3] 318). Verbis „oblatio rei sensibilis deo facta" genus proximum exprimitur, quae adduntur, differentiam specificam ab aliis oblationibus constituunt. Itaque ad omne sacrificium requiritur primum *actio externa,* qua actus internus exprimitur; nam verum ac proprium sacrificium est actus religionis ad cultum dei externum pertinens; deinde *immutatio* vel *destructio rei oblatae* ad summum dei in omnes res dominatum agnoscendum.

Quare Salmanticences De incarn. disp. 31. dub. 1. n. 1 docent: „Actus, quo res externas ad dei cultum consecramus, dividitur in *oblationem* et *sacrificium;* omnes enim actus, quibus res externas deo offerimus, sub aliquo ex illis duobus membris constituuntur. Et quamvis oblatio large dicta comprehendat sub se sacrificium, istud enim quaedam oblatio est et sub genere oblationis continetur: tamen oblatio specialiter dicta (licet nomen generis retineat) a sacrificio distinguitur. Nam *oblatio* dicitur quando res integra et immutata offertur; *sacrificium* vero vocatur, cum res immutatur in ipsa oblatione .... Res, quae sacrificantur, debent in ipso sacrificio (quod in hoc a simplici oblatione distinguitur) immutari vel mactatione vel combustione vel fractione vel divisione vel alio modo". Idem docet Thomas, S. th. 2, 2. qu. 85. a. 3. ad 3: „Oblatio directe dicitur, cum deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat; sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur".

II. Cuivis sacrificio triplex character impressus est: *latreuticus,* quod sacrificium fit ad deum, summum omnium rerum dominum, colendum, cum testamur illius principatum nostramque servitutem vel subiectionem; *eucharisticus,* quod fit ad gratias pro beneficiis acceptis agendas, *impetratorius,* quod fit ad beneficia accipienda. Post hominis lapsum in peccatum etiam character *propitiatorius* accessit; homo enim peccato a deo avulsus deum sibi reconciliare eumque propitium habere ac mortem, quam peccato meruerat, avertere studebat. *Latriâ* igitur summa dei maiestas honoratur, *eucharistiâ* divina bonitas grato animo

exaltatur; *impetratione* omnipotentia et benignitas divina praedicatur et invocatur; *propitiatione* divina iustitia placatur eique satisfactio praestatur.

Sacrificia veteris legis quamvis veram expiationem ex se non efficerent, tamen conscientiam culpae, necessitatem futurae redemptionis per messiam praestandae et vicariae satisfactionis semper vivam conservabant, nec non desiderium eiusdem excitabant gratumque erga deum animum et oboedientiam manifestabant. Inde complura sacrificiorum genera; inde etiam multitudo illa victimarum et cottidiana sanguinis effusio, ut aperta confessio fiat hominem per se ipsum pro peccatis satisfacere non posse.

Complures patres et scriptores ecclesiastici opinionem post Justinum late diffusam sequuntur Jahven sacrificia eo tantum consilio genti Hebraicae praescripsisse, ut eam a commenticiorum deorum cultu, ad quem omni fere tempore maxime proclivis erat, servaret; nam multae illae res religione indignae et libidines, quae in sacrificiis cruentis usu venerunt, consilio dei haud magis respondere videntur quam caedes ipsa [1]. At id consilium ad sacrificium ipsum non pertinere ex eo ipso elucet, quod sacra multo ante fuerunt, quam dii fingi colique coepti sunt.

[1] Cf. Justin. Dialog. c. Tryph. §§ 19. 22. 92. MSG 6, 517. 521. 696· Origen. Select. in Lv. ib. 12, 397. Select. in Nm. ib. 580. Epiphan. Adv. haer. 66, 71. ib. 42, 141. Cyrill. Alex. C. Julian. l. 4. ib. 76, 693. 696. Theodoret. Qu. 60. in Ex. ib. 80, 280. Tertullian. Adv. Marcion. 2, 18. 22. MSL 2, 306. 310. Hieronym. Comm. in Jes 1, 12. ib. 24, 34. August. In Jo. evang. tr. 10. § 4. ib. 35, 1468.

III. Sacrificia iam primordiis rerum exorta sunt, ut ex documentis Mosaicis liquet (Gn 4, 3—5; 8, 20). Sed de prima sacrificiorum origine viri docti non idem sentiunt, cum alii ea ab hominibus inventa, alii a deo instituta arbitrentur. Qua de re ita statuendum esse videtur: Homines iam ante peccatum vel intellegentiâ vel instinctu naturali movebantur, ut summo numini divino tamquam rerum omnium vitaeque domino aliquas res in altari offerrent, ut animum gratum summamque subiectionem testificarentur, post peccatum vero, ut reconciliationem quoque a deo offenso impetrarent. Ex quo concludendum est sacrificiorum oblationem ad *ius naturae* pertinere [1]. Sed quia omnia sacrificia non solum symbolicam, verum etiam typicam habebant significationem. censendum est, „quod (homines) *ex instinctu divino*, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi deum, qui et conveniens esset interiori cultui et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria, quae figurabantur etiam per alia

eorum gesta secundum illud I Cor 10, 11: *Omnia in figura contingebant illis*" (Thom. S. th. 1, 2. qu. 103. a. 1). Unde lex Mosaica sacrificiorum originem recte ex institutione divina repetit; nam Lv 17, 11 deus dicit: „Quia anima carnis in sanguine est (i. e. quia sanguis est id, per quod animal vivit), et ego dedi eum vobis super altare ad expiandum animas vestras; sanguis enim expiat per animam". Moses solum ritum sacrificiorum, qui Christi, futuri messiae, typo significando serviebat, diligentius definisse censendus est [2].

[1] Usum omnium gentium communem numen divinum per sacrificia adorandi ex uno communi fonte i. e. *ex iure naturae* derivari posse docet Thomas S. th. 2, 2. qu. 85. a. 1: „Naturalis ratio dictat homini, quod alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiore eget adiuvari et dirigi, et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod supra hominem est, subiectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad illa exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit; et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas deo in signum debitae subiectionis et honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad *ius naturale*". — Adstipulatur F. Suarez, De sacram. disp. 73. sect. 8: „*Iure naturae* praeceptum est colere deum *cultu externo*. Probatur primo *ex usu omnium gentium*; nam omnes eo modo, quo deum cognoscunt, illum colunt aliquo externo cultu; ergo signum est, id fieri naturali ratione dictante. Secundo quia, cum homo a deo habeat non solum animam, sed etiam corpus, *non solum animâ, sed etiam corpore tenetur eum colere,* non quidem, quia deus sensibili aliquo signo indigeat, ut mentis nostrae affectum cognoscat, ut haeretici argumentantur, sed *ut nos totos* et non solum animas, sed etiam corpora *subiciamus*. Honor enim est in honorante, et ideo exhiberi debet modo ipsi accommodato. Unde argumentatur tertio divus Thomas, quia naturale est homini, ut mentem suam sensibilibus signis exprimat, ergo hoc etiam modo tenetur colere deum; primum quia *ex interno affectu naturaliter sequitur externa manifestatio;* vix enim potest homo animi sui sensum et mentem interius omnino continere, et ideo si interior cultus dei est de lege naturae, consequenter fit, ut sit etiam exterior. Deinde quia hoc multum iuvat et fere necessarium est ad interiorem cultum; *anima* enim *per actus corporis ad interiores animi motus excitatur*". — Idem docent theologi recentioris aetatis, velut V. Thalhofer, Das Opfer des alten und neuen Bundes 6. — Ceterum etiam *concilium Tridentinum* sess. XXII. c. 1. declarat: „Hominum natura exigit visibile sacrificium".

[2] Cf. Thom. S. th. 2, 2. qu. 85. a. 1. ad 1: „Aliqua in communi sunt de iure naturali, quorum determinationes sunt de iure positivo; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis, sed quod tali poena vel

tali puniantur, est ex institutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali, et ideo in hoc omnes conveniunt; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina, et ideo in hoc differunt".

1. Quam recte origo sacrificiorum a deo repetatur atque contendatur ea iam ante legem Mosaicam, immo iam prima hominum aetate instituta esse ex his rationibus apparet:

Primum Hebr 11, 4 legimus: Πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ. Atqui πίστει θυσίαν προσάγειν nemo potest nisi qui secundum verbum dei revelatum sacrum facit. Ergo Abel vel a deo ipso vel ab Adam patre voluntatem divinam de sacris faciendis rescivit. Quod posterius vero propius esse censeo, eo quod iam primi homines tunicâ τοῦ ἀρνίου τοῦ ἐσφαγμένου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου (Apc 13, 8) indüendi erant, quippe cum peccato infecti iustitiam divinitus datam amisissent.

Ex verbis Gn 4, 3: מִקֵּץ יָמִים (proprie *a fine dierum* i. e. *post dies*) nonnulli interpretes etiam quo tempore Abel deo sacrum fecerit determinare volunt. Nam ex eorum opinione verba allata idem significant quod *ad exitum anni* vel, quod in idem recidit, *initio anni sequentis*. Cui interpretationi etiam Ps. Jonathan adstipulari videtur, qui loquendi formulam מקץ ימים explanat additamento: בארבסר בניסן die *quartodecimo* mensis *Nisan*. Probabile est Kain quoque eodem tempore eodemque anno primitias frugum obtulisse, unde F. de Hummelauer (Comm. in Gn 176) colligendum esse censet sacrificia annua, menstrua, messis, quae compluribus gentibus antiquis cum Hebraeis communia erant, ab ipsis rerum primordiis initium sumpsisse.

Deinde in cultu sacro instituendo non hominis cuiusquam, sed dei solius arbitrio et placito locus esse potest. Accedit, quod homo peccato infectus et mortis aeternae reus nullum habeat ius statuendi, quid deo placeat aut quo modo deus reconciliari possit. Ergo origo eorum sacrificiorum, quae deo placent eumque propitiant, divina sit necesse est.

Nihil verisimilius est, quam ab Adam post lapsum eadem sacra facta esse quae ab Abel. Nam quia Gn 3, 21 deus homines vestimentis pelliceis induisse dicitur, sane animalia prius mactata sunt quam iis pelles detraherentur, quae hominibus vestitui essent. Atqui eadem mactatio sacrificium fuisse videtur. Nam quid solacii fuisset primis hominibus, si corporis nuditas operta, animi nuditati nullum remedium paratum fuisset? Aderat autem eius modi remedium, si deus agno mactato Christum occisum sive τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου (Jo 1, 29) indicabat. Quare deus ipse Adam omnium hominum primum sacerdotem constituisse eumque ritus sacrificales docuisse dicendus est.

Denique institutum sacrificiorum, quoniam apud omnes gentes antiquas invenitur, aetati generis humani aequale fuisse censendum est.

Quod nisi ex institutione divina cum primis hominibus communicata satis probandam rationem habere non videtur, qua mysterium divinae iustitiae et gratiae suo tempore complendum significabatur. Et sane inexplicabilis esset effusio sanguinis animalis ad abstergendam maculam moralem, nisi eo sanguine sanguis salutis effector Christi futuri significaretur. Nam cur animalia occisa sunt, cum non peccavissent, nisi propter hominem, qui peccato meruerat, ut morte aeterna multaretur? Quod ne fieret, messias occidendus (Apc 13, 8) atque instar ovis ad occisionem ducendus erat (Jes 53, 7), cuius morte ut ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου nos redimeremur (I Ptr 1, 19). Aptissimum autem tempus, quo eius modi typus institueretur, tum fuisse videtur, cum ea, quae Gn 3, 21 describuntur, facta sunt i. e. paulo post promulgatum protoevangelium.

Quae cum ita sint, probabiliter statui posse videtur originem sacrificiorum a deo ipso repetendam eamque ad primam hominum aetatem referendam esse.

Fateor equidem nullum clarum dei mandatum de sacrificando in antiquissima historia sacra exstare, ne ibi quidem, ubi primam sacrificiorum mentionem facit. Sed non arbitror in eo silentio magnum pro iis argumentum esse, qui sacrificiorum originem hominibus imputare malunt quam deo. Quamdiu enim Moses neutrum affirmat, tamdiu ea res in controversia versatur. Et sane magna ac multa primis mundi aetatibus gesta sunt, quorum ille, summae brevitati studens, ne verbo quidem meminit. Velut nusquam vaticinium Henoch, nusquam cottidianas molestias, quae e pravis Sodomitarum moribus Lot ortae sunt, nusquam pia Noah monita in historia sua memoriae prodidit. Neque (id quod maioris est momenti) sacra a Kain et Abel facta eo consilio memoravit, ut summam doctrinae de sacrificiis exponeret, sed ut inde odium Kain in Abel nefariumque parricidium deduceret. Quo minus mirum esse potest, si originem eorum, quae quasi transiens attigerat, docere praetermisit.

2. a) Varia sacrificiorum genera, quorum in sacris litteris mentio fit, a Mose instituta esse rationalistae, qui vocantur (velut J. F. L. George, W. Vatke, J. Wellhausen), negant. Atque praecipuum argumentum, quo id demonstrare conantur, ex libris antiquiorum prophetarum sumunt: omnes enim prophetas antiquiores frequenter contra sacrificia a populo oblata dixisse deumque aliud postulare docuisse ac sacrificia; atque apud Jer 7, 21—24 deum diserte negare se Hebraeorum maioribus, quo tempore eos ex Aegypto eduxisset, de sacrificiis praecepta dedisse.

α) At prophetas non ipsa sacrificia reiecisse, sed animum tantum, quo a populo offerebantur, vituperasse res tam clara est, ut ab unoquoque

interprete opinionibus praesumptis libero agnoscatur. Quare iure meritoque dicimus sacrificia, in quae prophetae invehuntur, neque Mosaicae neque divinae originis fuisse, sed nihil nisi opera externa, in quibus Hebraei non paenitentes omnibus praeceptis officii neglectis spem ponebant. Locum autem Jer 7, 21—24 homines eruditi varie interpretati sunt. Verba prophetae sunt haec: „Sic dicit Jahve exercituum, deus Israel: Holocausta vestra addite sacrificiis vestris (reliquis) et comedite carnem! Quoniam de holocausto et sacrificio nihil locutus sum cum patribus vestris neque praecepi iis *eo die, quo eduxi eos de terra Aegypti.* Sed hoc verbum praecepi iis dicens: Audite vocem meam et *ero deus vester, vos autem eritis populus meus,* et ambulate in omni via, quam praecepi vobis, ut bene sit vobis: *Illi autem non audierunt neque praebuerunt aurem suam,* sed ambulaverunt secundum consilia sua et secundum libidinem cordis sui mali et fuerunt retrorsum et non ad faciem (i. e. tergo mihi obverso a me recesserunt, non ad me accesserunt)". Quibus verbis clare dictum esse illi viri docti affirmant, cum Hebraei ex Aegypto proficiscerentur, leges de sacrificiis aliisque ritibus, qui ad cultum divinum pertinerent, constitutas non esse, immo vero omnia sacrificia a propheta improbari ac repudiari. Sed hoc quidem Jeremia nequaquam fecisse potest; nam idem 33, 17 s. dicit: „Non exscindetur (non deficiet) David (regi) vir, qui sedet in solio domus Israel, et sacerdotibus Levitis non exscindetur vir (i. e. sacerdotes Levitae numquam deficient) a facie mea, qui sacrificet holocausta et incendat sacrificium cibarium quique victimas faciat cunctis diebus". Si autem sacrificia sacerdotesque semper fore praedicit, etiam ex quo tempore Hebraei exstiterunt sacrificia sacerdotesque posuisse existimandus est. Praeterea prorsus ad arbitrium descriptio temporis: „eo die, quo eduxi patres vestros de terra Aegypti" ad totum tempus, quo Hebraei in deserto migrabant, refertur; neque enim Jeremia dicit: „iis diebus" (= eo tempore), sed multo accuratius: „eo die, quo eduxi eos" i. e. primo migrationis illius initio. Atque ubi narratio, quo modo populus ex Aegypto servetur, incipit, ibi haec verba a Jahve Mosi dicta invenimus; „Dic ergo filiis Israel: Ego (sum) Jahve (qui non mutor ac proinde promissis sto) et *educam vos de oneribus Aegypti* et eruam vos de servitute eorum et redimam vos cum bracchio exserto (manu praevalidâ) et iudiciis magnis (i. e. plagis, quas Aegyptiis infligam). Et *sumam vos mihi in populum eroque deus vester,* et scietis, quod ego Jahve (sum), deus vester, *qui educo vos de oneribus Aegypti* . . . Atque Moses eo modo locutus est cum filiis Israel. *Et non audierunt* (attenderunt) *ad Mosen* prae decurtatione spiritus et propter servitutem gravissimam" (Ex 6, 6—9). De quo loco Exodi quin Jeremia cogitet, vix est dubium, cum iisdem fere verbis dicat: „De holocausto et sacrificio nihil locutus sum cum patribus vestris neque praecepi iis eo die, quo eduxi eos de terra Aegypti. Sed hoc verbum praecepi iis dicens: Audite vocem meam et *ero deus vester, vos autem eritis populus meus . . . Illi autem non audierunt*". Ille locus ei documento est doctrinae a prophetis crebro praedicatae, ex qua rectam hominis adversus deum rationem sacrificia antecedere necesse esse contendunt; nam deus coniunctionem suam cum Hebraeis inire non a praeceptis de sacrificiis dandis coepit, sed a lege: „Ero deus vester, vos autem eritis populus meus". Id est fundamentum omnis religionis, sine quo omnia sacra omnisque cultus nullius

sunt momenti. Sed posteriore tempore migrationis per desertum nulla praecepta de sacris data esse neque illis verbis prophetae neque eo loco Exodi, qui ei ante oculos versatur, demonstratur. Immo vero propheta eius modi praecepta ponit, cum dicit: „Ambulate *in omni via*, quam praecepi vobis, ut bene sit vobis".

Ex aliorum interpretatione recte existimes illis verbis sacrificia ut opera externa et animi affectum vel oboedientiam et pietatem offerentium quodam modo inter se opponi. Nam verba Hebraica bene verti possunt: „Non praecepi eis ... עַל־דִּבְרֵי *propter* (cf. Gn 12, 17. Dt 4, 21. Jer 14, 1. Ps 7, 1. al.) holocausta et sacrificia" i. e. legislatio mea non ad hostias obtinendas data est, sed praecepi: „Audite vocem meam ..." Neque dubium est, quin propheta sermonem suum ad Ex 19, 5—8 referat. Nam cum de foedere inter Jahven et Hebraeos ineundo ageretur, ea sola condicio animorumque dispositio a Jahve postulabatur: „Si audieritis vocem meam et foedus meum custodieritis, eritis mihi peculium ex omnibus populis ... regnum sacerdotum et gens sancta". Cui respondit populus: „Quaecumque locutus est Jahve, faciemus". Qua sponsione facta foedus initum est. Unde primum et summum officium populi erat fidem illam de oboedientia diligentissime praestare. Quod ut gravissime in memoriam revocaretur, eo magis necessarium erat, quod, ut ex Jer 7, 8—10 apparet, aequales prophetae solo cultu externo impunitatem sibi redimere putabant, quasi bona foederis iis deberentur, qui ritus et caerimonias obirent. Iis igitur vehementissime inculcari oportuit totum illud foedus, ex quo singularis populi electio derivatur, minime ritibus externis, verum sola oboedientia et pietate animorum inniti. Unde patet rationalistas ex loco allato perperam concludere prophetam negare leges de sacrificiis deo iubente per Mosen promulgatas esse. Ceterum ipsa severissima illa reprehensio, qua deus per prophetam sacrificia repudiat, testimonio est, quantam populus fiduciam in sacrificiis posuerit. Unde constat sacrificia a populo maximi aestimata esse. Quod vero rursus opinionem populi testatur ea divinitus instituta esse. Denique perpendendum est omnibus rationalistis concedentibus prophetam Deuteronomium cognovisse, immo in eo (fingendo et) introducendo primas partes egisse. Atqui in Deuteronomio Jahve item sacrificia praescribit. Ergo si res ita esset, ut illi dicunt, Jeremia sibi non constare dicendus esset. Neque verentur nonnulli id affirmare. At prophetam, qui, ut Jer 1, 18 dicitur, a deo datus est „in urbem munitionis (i. e. urbem bene munitam, quam hostes expugnare non valent) et in columnam ferream (quae neque inflecti neque frangi potest) et in muros aeneos (qui frustra ariete temptantur nec deici possunt)", ab illo tam exsecrando crimine defendere supervacaneum esse censeo.

Nonnulli verba Jer 7, 21—24 ita explicant, ut Jahven non in prima legislatione Sinaitica (i. e. „eo tempore, quo eduxi eos de terra Aegypti"), sed postquam Hebraei vitulo aureo confecto et adorato a Jahve iterum defecerunt, praecepta de sacrificiis dedisse dicant. Sed haec interpretatio eo ipso refutatur, quod in prima legislatione constructio altaris, quod sine sacrificiis nullius est momenti, praecepta erat (cf. Ex 20, 24—26; 27, 1—8). Alii iis praeceptis Hebraeos post ingressum demum in terram Canaan teneri coeptos esse existimant. Quae explicatio nullo argumento ex sacris litteris sumpto innititur. Neque solidis argumentis confirmari potest, quod com-

plures ad huius loci explanationem dixerunt, praecepta de sacrificiis non esse data quasi sacrificia Jahvae essent grata, sed ne Hebraei ad fictorum deorum cultum descenderent, vel aliis verbis: ea praecepta externa data esse, ut Hebraei, quippe qui ad externa proclives et externis caerimoniis dediti essent, in officio continerentur. Quae etsi quid veri in iis est, tamen sententiam verborum allatorum minime reddunt neque externo dei cultui eam dignitatem servant, quam ei inesse et naturâ duce scimus et ipsâ doctrinâ divinitus traditâ docemur. Nam et pietas animorum religioque signis necessario proditur, fovetur, augetur atque homo ex animo et corpore constans externum quoque cultum persolvat necesse est; et de typica vi sacrificiorum inter omnes constat.

β) Ut demonstraretur ritus et praecepta cultus divini, quae sint aetatis Mosaicae, a prophetis antiquioribus ignorari atque negari, rationalistae etiam locum Am 5, 25—26 afferunt, qui a compluribus viris doctis hoc modo convertitur: „Num victimas et sacrificium cibarium obtulistis mihi in deserto annis quadraginta, domus Israel? Atqui gestastis Sakkût (Mercurium), regem vestrum, et Kaivân (Saturnum), idola vestra, stellam deorum vestrorum, quos fecistis vobis. Ideo migrare faciam (deportabo) vos ultra Damascum". Ex quibus verbis conclusum est aut antiquos Hebraeorum deos Mercurium et Saturnum, non Jahven fuisse, cuius erroris tunc poenas dare deberent, aut prophetam aliquam narrationem, qua Hebraeos in deserto commorantes ad illos deos defecisse traditum est, cognovisse oportere, quae narratio ad nostram memoriam non manavit. At utraque interpretatio non modo ad arbitrium facta est, sed etiam grammaticae repugnat. Ea postulat, ut ונשאתם imperfectum describens recipiamus et hunc in modum reddamus: „Num victimas obtulistis mihi in deserto et eodem tempore simul Sakkût et Kaivân gestastis? Minime vos quidem id fecistis. Sed nunc id facitis ideoque deportabo vos ultra Damascum". Prophetae igitur sententia haec est: In deserto Jahvae uni victimas mactavistis; atque etiam nunc ei sacra facitis, sed eodem tempore signa deorum astralium Babyloniorum pompis circumfertis. Quâ sententiâ Amos defectioni a vero deo, quae nunc est, venerationem unius Jahvae, quae prius erat, eamque unâ cum sacrificiis opponit. Ergo Mosen leges, quae ad cultum divinum pertinerent, constituisse sibi persuasit.

b) Originem sacrificiorum cruentorum rationalistae *a mactatione animalium* repetere student. Homines semper metuisse, ne naturam violarent; cuius violationem gravissimam esse interfectionem alicuius animantis a deo creati; quare homines, cum quod animal interficere vellent et deberent, saltem conscientiam reprimere studuisse et sanguinem, in qua anima (vita) esset, deo restituisse i. e. obtulisse; quotienscumque epulas instruerent, deo debitam partem dicatam esse; ex quo tempore autem epulas sollemniter celebrare vellent et multos invitassent, etiam deo totum animal datum esse; ita illud sacrificiorum genus ortum esse, quod posteriore aetate *sacrificium pacificum*, priore *mactatio* (I Sm 3, 14) nominabatur; deinde etiam *sacrificium, quod totum offerebatur*

(Dt 12, 11), institutum esse: *sacrificia piacularia* i. e. sacrificia *pro delictis* et *pro peccatis* antiquioribus temporibus plane ignota fuisse et temporibus exsilii ex mala populi conscientia originem traxisse. Quare haec sacrificia prius inveniri non posse quam in codice sacerdotali.

At hae sententiae ad arbitrium factae sunt. Nam prima sacrificia, quae in sacris litteris commemorantur, holocausta vocantur. Sacrum, quod Abel fecit (Gn 4, 4), premere nolumus, quamvis plerique interpretes illud holocaustum fuisse existiment. Sed Noah quidem post diluvium holocaustum obtulit (ib. 8, 20). Abraham holocaustum offerre iussus est (ib. 22, 2 s. 7 s. 13). Moses a Pharaone hostias et holocausta petiit, quae Hebraei in deserto Jahvae offerrent (Ex 10, 25). Josua (Jos 8, 31), Gideon (Jdc 6, 26), Manoah (ib. 13, 16) holocausta obtulerunt. Jephta quoque holocaustum vovit (ib. 11, 31). Bethsemitae coram arca foederis a Philistaeis restituta (I Sm 6, 14). Samuel ante proelium cum Philistaeis commissum (ib. 7, 9 s.), Saul ante bellum cum Philistaeis gerendum (ib. 13, 9) et post victoriam de Amalekitis reportatam (ib. 15, 12) holocausta obtulerunt. Sacrificia vero pro delictis et pro peccatis ante Mosen non commemorantur atque etiam temporibus ante exsilium raro nominantur, id quod inde explicari potest, quod plurima sacrificia erant privata. Quamquam illa ante exsilium prorsus ignota fuisse perperam dicitur. Nam David ea cum aliis sacrificiorum generibus enumerat (Ps 40, 7). In regno Israelitico Hosea (4, 8), in regno Judaico Jesaia (53, 10) ea cognovit. Jeremia quoque (17, 1) verbis וּלְקַרְנוֹת מִזְבְּחוֹתֵיכֶם ritum sacrificiorum pro peccato describere videtur. Idem etiam hostiis humanis, quae iam priore aetate per totum orbem terrarum in usu fuerunt, confirmatur. Qui usus vetustissimam culpae conscientiam in toto genere humano fuisse docet; certe ex antiquissimis temporibus repetendus est, quia apud omnes fere gentes invenitur. Quod Esr 8, 35 sacrificium pro peccato עֹלָה quoque appellatur, id vocabulum etiam aliis locis ut nomen omnium sacrificiorum commune usurpatum esse putandum est, ut eo sacrificium quoque pro peccato comprehendatur. Ceterum codex sacerdotalis, qui sacrificiorum piacularium frequentissime mentionem facit, non aetate exsilii, sed multo prius compositus est, id quod a viris doctis satis demonstratum est.

J. Wellhausen (Prolegomena zur Geschichte Israels[6] 71 s.) contendit usque ad Ezechiel neque sacrificia pro peccato neque pro delicto usquam reperiri, paulo autem ante eam aetatem pro multis (II Rg 12, 17) usu recepta esse videri. At loco allato minime de multis agi potest, quod eae etiam secundum codicem sacerdotalem rarissime (Nm 5, 8) sacerdotum sunt, sed tantum pecunia ad sacrificia pro peccato et pro delicto intellegenda est. Nam quam pecuniam ii, qui peccaverant, ad sacrificia piacularia offerenda dabant, eam non in templo collocabant, quoniam ea sacrificia sacerdotum erant. Quae cum ita sint, loco allato demonstratur et sacrificia pro peccato et pro delicto iam antiquis fuisse temporibus.

Adnotatio. — Saepe dictum est sacrificia veteris legis illa quidem fuisse oblationes deo factas, sed eo tantum consilio, ut qui offerebat, *mensae dei particeps* fieret; eâ enim communicatione amicitiam et foedus cum deo

initum significari; morem enim fuisse apud antiquas gentes, ut qui foedus pepigerant, iidem convivarentur (Gn 26, 30 s; 31, 46). At neque in Pentateucho neque in aliis veteris testamenti libris ullum vestigium invenimus, ex quo probari posset sacrificia eo spectasse. Accedit, quod in nonnullis sacrificiis totae victimae in altari cremarentur et ii, qui eas offerebant, nihil de earum carnibus comederent, ita ut nullo modo dici possit homines convivii cum deo habiti participes fuisse.

IV. Sacrificia generatim vocantur: 1) קָרְבָּנִים, a verbo הִקְרִיב *appropinquare fecit, attulit,* donum Jahvae, *oblationes* i. e. res deo sacratae, LXX δῶρα (Lv 1, 3; 2, 1. 4. 12 s; 3, 1; 7, 13; 9, 7. 15. Nm 9, 7, 13; 31, 50. Ez 20, 28; 40, 43. — קָרְבָּן Neh 10, 35; 13, 31). Cf. Mc 7, 11: κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον. Jos AJ 4, 4. 4: δῶρον τοῦτο (κορβᾶν) σημαίνει κατὰ Ἑλλήνων γλῶτταν et BJ 2, 9. 4., ubi thesaurus templi κορβανᾶς vocatur. Nomini Hebraico consonum Arabicum *qurbân* idem est quod oblatio, id quod deo offertur. Vocabulum Assyrium *kurbânu (kirbannu)* non donum, sed glebam aut herbam inutilem significat (KAT^3 596). — 2) מַתָּנוֹת *dona, munera* (Ex 28, 38. Lv 23, 38. Nm 18, 6 s. 29. Dt 16, 17. Ps 68, 19). — 3) תְּרוּמוֹת, proprie *elevationes* sive *sacrificia elevando consecrata* i. e. oblationes Jahvae destinatae. Quo vocabulo significantur ea, quae ad sacerdotes redibant, imprimis decumae decumarum, quae sacerdotibus a Levitis solvendae erant (Nm 18, 26. 28 s.); primitiae, quae Jahvae offerendae erant ab eoque condonabantur (Nm 15, 19—21); portiones quaedam sacrificiorum, quae sacerdotibus obtingebant, maxime armus oblationis, qui unā cum pectore agitationis in sacrificiis eucharisticis sacerdotum portio erat (Ex 29, 27. Lv 7, 32—34; 10, 14 s. Nm 6, 20); porro oblationes populi ad tabernaculum Mosaicum exstruendum et exornandum (Ex 25, 2 s; 35, 5. 21. 24; 36, 3. 6); oblationes annuae dimidii sicli (Ex 30, 13—15); munera Jahvae post victoriam oblata (Nm 31, 52. cf. v. 29. 41). Etiam nomina, quibus sacrificia in novo testamento significantur (προσφοραί Act 21, 26; 24. 17. Hebr 10, 18. δῶρα Mt 5, 23 s; 8, 4; 23, 18) latissime patent et quaecumque deo ad gratum animum testificandum eiusque gratiam sibi conciliandam quacumque ratione sacrantur comprehendunt. Vocabulum אִשֶּׁה, ab אֵשׁ *ignis*, omnem rem deo oblatam, quae igni absumatur, significat (Lv 24, 7. 9 de sacrificiis non cremandis usurpatur). Creberrimum est in nonnullis formulis ritualibus, ut אִשֵּׁה רֵיחַ־נִיחוֹחַ לַיהוָה *combustio suaris odoris Jahvae* (Lv 1, 9. 13. 17; 2, 2. 9; 3, 5. 16; 23, 18. Nm 15, 10. 13 s; 28, 24. — לְרֵיחַ נִיחוֹחַ אִשֶּׁה לַיהוָה Ex 29, 41. Lv 8, 21. 28. Nm 28, 6; 29, 6), אִשֵּׁה לַיהוָה *combustio Jahvae* oblata (Ex 29, 18. 25. Lv 2, 16), לֶחֶם אִשֵּׁה לַיהוָה *cibus combustionis Jahvae* (Lv 3, 11. 16. Nm 28, 24). Graeci similiter victimas ἔμπυρα vocabant.

Ubi de sacrificiis sermo est, sacrae litterae saepius utuntur verbo עָשָׂה *fecit* i. e. paravit victimam vel hostiam deo offerendam, velut Ex 10, 25; 29, 36. 38 s. 41. Lv 9, 7; 14, 19; 15, 15; 16, 9. 24. Nm 6, 11. 17; 15, 14. Jdc 6, 19. I Rg 18, 23. Ps 66, 15. Idem valet verbum Latinum *facere*, velut apud Vergil. Eclog. 3, 77: „Cum faciam vitulâ pro frugibus". Juvenal. Satir. 9, 117: „Pro populo faciens". Apud Graecos similia verba sunt ποιεῖν Herod. Hist. 2, 49; 9, 19. Xenoph. Anab. 5, 3, 9. ἔρδειν Hom. Iliad. 1, 315; 2, 306; 11, 707. ῥέζειν Hom. Iliad. 1, 147; 10, 292. 294. Odyss. 5, 102; 9, 553; 14, 251. δρᾶν Athen. Deipnosoph. 660 A.

V. Negari non potest in sacrificiis religionis veteris testamenti haud pauca inveniri, quae etiam apud gentes ethnicas in usu erant. Quod eâ doctrinâ, quae in religionibus inter se comparandis versatur, iam pridem effectum est. Quare ad id respiciendum est, quae rationes sacrificiis Mosaicis cum religionibus gentilium intercedant.

a) De *ratione, quae est inter gentilium et veteris testamenti sacrificia*, in universum dici potest gentilium sacrificia sacro a Kain oblato, veteris testamenti sacrificia sacro ab Abel facto adumbrari. Abel enim *se ipse obtulit*, cum unâ cum primogenitis gregis sui deo animum fidum, amantem, gratum dedit. Contra Kain frugibus terrae oblatis dona dei quodam modo *compensare* voluit, animum autem et peccatum sibi reservavit; sperans fore, ut deus agros suos frugiferos redderet, et arbitratus periculosum esse eius iram excitare sive eum adversum habere, ei sui commodi causâ de frugibus terrae parvum munus, quo eum remuneratur, obtulit. Ut igitur apud Kain, ita apud gentiles sacrificium cultui dei ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ (Jo 4, 23) oppositum est. Ibi homo alia omnia offert, se ipse non offert; homo enim gentilis, etsi penitus sibi persuasit res humanas a numinibus regi, tamen non longius procedit quam ut numina illa remunerari studeat. Contra veteris testamenti sacrificia sunt sacrificia sui ipsius, quoniam in victima homo se ipse offert. Abraham quidem suum filium immolare iussus est, quem toto pectore amabat (Gn 22, 2). Etiam omnia animalium sacrificia quodam modo sacrificia hominum esse oportet. „Non odorabo odorem placamenti vestri" (i. e. displicebant mihi sacrificia vestra), inquit Jahve ore Mosis ad eos, qui eius dona victimis animalium remunerari volunt (Lv 26, 31). Sacrificiis, quae animo non paenitenti fiunt, Jahve placari non potest: „Cum pecoribus et armentis ibunt (tempore, quo calamitates in eos ingruent) ad quaerendum Jahven (ad impetrandam veniam et poenae remissionem), sed non invenient (eum placatum); recessit ab iis" (Hos 5, 6). Talibus sacrificiis, cum nihil aliud sint nisi carnem comedere, peccata non expiantur: „Mactant (quidem) carnem et comedunt (i. e. sibi ipsis mactant), Jahve iis non delectatur" (Hos 8, 13). Amos quoque (5, 22. 24) sacrificia plane externa, quibus iudicium divinum averti non potest, improbat: „Si offertis mihi — inquit Jahve ore prophetae — holocausta et ferta vestra, non grata habeo (non suscipio) et pacifica (sacrificia eucharistica) saginatorum vestrorum non aspicio . . . volvat se (i. e. abunde profluat) ut aqua (inter vos) iudicium". Sacrificia plane externa

Jahvae non minus displicent quam si gentiles homines, canes, porcos immolant: „Qui mactat bovem, percutit virum; qui sacrificat pecudem, decollat canem; qui offert fertum (est velut qui offert) sanguinem porci; qui adolet tus (est quasi qui) laudat (i. e. adorat) idolum. Ut illi (qui religionem solum in ritibus observandis positam existimant) eligunt vias suas (non quod mihi probatur) . . . ita ego eligam, quae aegre ipsis erunt" (Jes 66, 3 s.). „Num delectabitur Jahve — interrogat Micha 6, 7 — milibus arietum (aut) myriadibus rivorum olei? . . ." et addit v. 8: „Indicavit (i. e. indicatum est) tibi, o homo, quid bonum sit et quid a te requirat Jahve: facere iudicium (i. e. iustitiam colere, id agere, quod rectum, probum, iustum est), diligere benignitatem (i. e. veram pietatem toto animo amplecti magnoque cum studio ac fervore exsequi), humiliter ambulare cum deo tuo (i. e. animo demisso, oboediente, qui in omnibus rebus deo paret, eius voluntatem adorat, eius comprobationem benevolentiamque quaerit)." Etiam Jeremia (7, 21—24) aequalibus suis, qui se cultu plane externo impunitatem sibi redimere posse putabant, quasi bona foederis cum deo initi iis deberentur, qui ritus et caerimonias obirent (cf. v. 8—10), declarat Jahven sacrificiis eorum non delectari et inde colligit, quod Jahve legislatione Sinaitica non sacrificia tantum externa, sed oboedientiam et pietatem postulaverit (cf. etiam 6, 20). Hoc unum sacrificium et deo et homine dignum est, quod deus solum sacrificium animalis sine animo pio oblatum abominatur. „Celebrabo nomen dei cantico — profitetur psalmista 69, 31 s. — et gratiarum actione magnificabo illud. Et hoc Jahvae magis placebit, quam iuvencus, cornutus, ungulatus". Psalmo 40 sacrificiis tantum externis oboedientia opponitur i. e. obtemperatio legibus divinis et animi grati laus dei: „Sacrificiis cruentis et incruentis non delectaris, aures mihi perfodisti; holocaustum et victimam pro peccato non postulas. Tum dixi: Ecce venio cum volumine libri, in quo scriptum est de me: Desidero facere voluntatem tuam, deus mi, nam lex tua recondita est in intimis meis. Nuntio iustitiam in coetu magno, ecce non contineo labia mea; Jahve, tu nosti!" (v. 7—10). Item psalmo 50, qui eo spectat, ut gentem dei doceat, qualia sacrificia lege divina postulata esse oporteat, sacrificia tantum externa improbantur: „Gratias deo sacrifica et persolve altissimo vota tua!" (v. 14). Psalmo quoque 51 sola sacrificia plane externa improbantur. Talia psalmista (David), antequam in peccatum incidit, usque ad conversionem ad deum saepe obtulit, sed ea deo non placuerunt. Quare nunc non ad victimas confugit, sed precatur, deus sibi ob cor contritum ignoscat, quia haud ignorat animo paenitenti, quo nunc imbutus est, deo sacrificia accepta fieri. Cf. v. 21, ubi sacrificia legitima i. e. sacrificia animo Jahvae grato acceptoque oblata diserte commemorantur. Quae cum ita sint, sacrificia in religione Jahvae ita tantum aliquid valent, ut iis exprimatur, quae ratio homini cum deo intercedat: holocausto enim hominis imbecillitas atque indigentia dei, dape sacrificiorum pacificorum communio cum deo, sacrificiis pro peccato et pro delicto conscientia peccatorum culpaeque symbolice significatur.

Quam persuasionem, sacrificia non esse religionem ipsam, sed solum vim symboli cuiusdam habere et multo praestare coram deo iusta facere et amorem in homines expromere, apud nullam aliam gentem orientis antiqui reperimus. Neque enim gentiles, etsi constat multos ex iis popo-

scisse, ut homines inter se iure et amore uterentur, eo pervenerunt, ut bonos mores fundamentum religionis esse vellent. In gente autem Hebraeorum omnes sibi conscii erant sacrificia non per se ipsa pretium habere, sed eam vim iis inesse oportere, ut homines sacrificantes id assequerentur, quod Jahve his verbis enuntiavit: „Sancti estote, quia ego sanctus sum“ (Lv 11, 44 s; 19, 2; 20, 7. 26; 21, 8. Nm 15, 40 s.) et: „Eritis mihi regnum sacerdotale et gens sancta“ (Ex 19, 6). Quae verba, ut fundamentum universae religionis Mosaicae sunt, ita etiam sacrificia eius explicant.

Adnotatio. — Ceterum sacrificia sine puro et pio animo oblata diis nequaquam grata esse etiam nonnulli saniores Graecorum et Romanorum agnoverunt. Velut Plato, Alcibiades II: Οὐ γάρ, οἶμαι, τοιοῦτόν ἐστι τὸ τῶν θεῶν, ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι οἷον κακὸν τοκιστήν. Seneca, De beneficiis 1, 6: „Nec in victimis, licet opimae sint auroque praefulgeant, deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt; mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint“.

b) Inter *disciplinam* autem *sacrificandi* gentilium et legum cultus Mosaici nonnullas similitudines inveniri tam naturale est, ut mentione dignum non sit. Nam omni sacrificio altare, sacerdos, donum, ritus victimae mactandae et sanguinis utendi, praecepta de donis delendis (comburendo, effundendo, alio modo) desiderantur. Id solum interest, quod gentiles suis quemque diis, Hebraei Jahvae uni sacra faciunt ceteris diis exclusis (cf. Ex 22, 19).

His praemissis iam de singulis cultus Mosaici sacrificiis agendum est. Quae, quod ad rem oblatam attinet, vel cruenta vel incruenta erant.

Caput secundum

De sacrificiis cruentis

I. Sacrificia cruenta vocantur ea, quae ex animalibus fiebant neque sine sanguinis effusione offerri poterant (זְבָחִים LXX θυσίαι, Vulg. *victimae, hostiae*) [1]. At non omnia animalia munda ad sacras oblationes aeque apta censebantur, sed ex more iam apud Hebraeorum patriarchas recepto (Gn 15, 9) ea tantum offerebantur, quae facile comparari poterant maximoque apud omnes erant in usu i. e. *animalia domestica*, ad hominis consortium quasi assumpta. Nam homines, quidquid sibi ipsis usui esset, deo quoque gratum fore existimabant. Atque venerationi deo debitae contrarium videbatur, si quis deo animal mactaret, quo ipse vesci nollet. Sin autem ea animalia, quae magna cum industria humana alebantur et omnibus victum aliamque variam utilitatem

praebebant, offerebantur, concupiscentia humana non modo reprimebatur [2] et abstinentiâ sanabatur, sed qui offerebat etiam propriam debilitatem ac desiderium auxilii vitaeque spiritualis impetrandae profitebatur.

[1] Vocabulum זֶבַח, a verbo זָבַח *mactavit,* latius quidem patet significatque quidquid ex animantibus mactatum deo offertur. Sed ubi זְבָחִים ab עֹלוֹת *holocaustis* distinguuntur, ea indicantur sacrificia, quae sponte, grati erga deum animi testandi causâ offerebantur (cf. Jes 43, 23; 56, 7. Jer 7, 21). Vocabulo Hebraico consonum Assyrium *zîbu* non mactationem sive sacrificium cruentum, sed sacrificium universum significat; praeterea raro usurpatur (v. c. V R 3, 112) atque verbum eiusdem radicis omnino usitatum non est.

[2] Quare animal גָּזוּל *raptum* offerri non poterat (Mal 1, 13) et David alienis impensis Jahvae litare noluit (II Sm 24, 24).

Ex animalibus maioribus בָּקָר *boves*, ex minoribus בְּהֵמוֹת צֹאן *oves* et עִזִּים *caprae* ad sacrificia adhibebantur. Interdum etiam volucres et quidem תֹּרִים *turtures* adultiores vel בְּנֵי־יוֹנָה *pulli columbarum* offerebantur. Ex unoquoque enim animalium genere deo immolari oportebat optima; nam „omne, quod est optimum, deo est attribuendum“ (Thom. S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 4). Cuius modi sunt in turturibus *adultiores*, in columbis *teneriores.* Tria autem illa quadrupedum genera, si teneriorem aut maturiorem aetatem respicias, in sex, si sexus discrimen, in duodecim species dividi possunt, ita ut comprehendantur

sub בָּקָר
פַּר *iuvencus* et פָּרָה *iuvenca*
עֵגֶל *vitulus* et עֶגְלָה *vitula*
sub כְּבָשִׂים
אַיִל *aries* et רָחֵל *ovis*
כֶּבֶשׂ *agnus* et כִּבְשָׂה *agna*
sub עִזִּים
שָׂעִיר *caper* et שְׂעִירָה *capra*
גְּדִי *haedus* et גְּדָיָה *haeda*

Ferae ab altari exclusae erant. Verbis Jes 40, 16: „Libanus non satis est ad accendendum (ignem, quo victimae Jahvae offerendae concremantur) et animalia eius non sufficiunt ad holocaustum“ propheta id tantum enuntiat densos Libani saltus non satis lignorum suppeditare ad ignes sacrificiorum, quae tanto deo sunt digna, neque animalia, quae in illo monte plurima pascuntur, ad holocausta Jahvae offerenda sufficere.

Nonnulli deum ex quadrupedibus taurum, haedum, ovem, ex avibus turtures et pullos columbarum eo consilio ad sacra destinavisse putant,

ut Hebraei, quoniam illa animalia ab Aegyptiis maxime colebantur, ab eorum veneratione averterentur. Velut Theodoretus Qu. 1. in Lv MSG 80, 300: Θύεσθαι αὐτῷ προσέταξε (deus) τὰ παρ' Αἰγυπτίων θεοποιούμενα. ἀπὸ μὲν τῶν τετραπόδων μόσχον καὶ τράγον καὶ πρόβατον. ἀπὸ δὲ τῶν πτηνῶν τρυγόνα καὶ περιστερῶν νεοττούς. Thomas S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 2: „Ista animalia offerebantur deo in sacrificium . . . ad excludendam idololatriam, quia omnia alia animalia offerebant idololatrae diis suis vel eis ad maleficia utebantur. Ista autem animalia apud Aegyptios, cum quibus (Hebraei) conversati erant, abonimabilia erant ad occidendum: unde ea non offerebant in sacrificium diis suis: unde dicitur Ex 8, 26: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro.* Oves enim colebant, hircos venerabantur, quia in eorum figura daemones apparebant; bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant". Ex opinione Hieronymi Comm. in Ez 43, 22 s. MSL 25, 427 „in hirco et vitulo et ariete tria generalia delicta demonstrantur, quibus omne mortalium subiacet genus. Cogitatio refertur ad arietem, quae prima est omnium peccatorum et ex qua alia duo peccata nascuntur. Haedus autem sive hircus ad eloquium sive sermonem, qui semper de excelsioribus disputat. Opera vero proprie vitulo deputantur, quoniam vomeri et labori et terrenis operibus mancipatus est". Quas opiniones a vero prorsus abhorrere non opus est disputatione.

II. Victimas ab omni corporis macula (מוּם) liberas (תָּמִים *integras*, LXX ἀμώμους, Jos. AJ 3, 9. 2: ζῷα ὁλόκληρα) neque minores octo diebus (Lv 22, 27. cf. Ex 22, 29) esse necesse erat, quae res ante mactationem summa cum cura et diligentia a sacerdotibus ad id constitutis explorabantur [1].

Atque inter vitia corporis, quae animalia ad sacrificandum inutilia reddebant, Lv 22, 22—24 (cf. Dt 15, 21. Mal 1, 8. 13 s.) enumerantur: 1) עַוֶּרֶת, quod vocabulum ex opinione S. Jarchi est nomen substantivum, quo מוּם עִוָּרוֹן *vitium caecitatis* significatur; secundum Ibn ʿEsra est adiectivum, ad quod vocabulum עַיִן *oculus* suppleri debet. — 2) שָׁבוּר *fractum* valet, ut animal, cui est fractum membrum significetur. Graeci Alexandrini συντετριμμένον vertunt. — 3) חָרוּץ quid valeat, incertum est. LXX γλωσσότμητον *linguâ sectum* reddunt i. e. animal, cuius lingua praecisa aut exsecta est. Onkelos: פְּסִיק *abscissus,* quo vocabulo aliquo membro mutilus significari videtur. Ps. Jonathan: דְּרִיסוֹי לְקַיָּן *cuius palpebrae laesae sunt.* Item plerique Hebraeorum interpretes animal, quod vel supercilia vel labia secta habet, indicari censent. Hieronymus: *cicatricem habens.* Syrus: *hᵉzâz* = sectus. Saʿadja: *mabtûrat* (part. pass. fem. a *batira*) = resecta i. e. mutilata, fortasse animal, quod caudâ caret. Arabs Erpenii: *maqṭûʿ* (a *qaṭaʿa*) = sectus, truncatus. — 4) יַבֶּלֶת animal *diffluens* sanie, ulceribus affectum. Hieronymus: *papulas habens.* Saʿadja: *dât tûʾlûl* = verrucam habens. Graeci Alexandrini:

μυρμηκιῶν. Quem morbum Aulus Cornelius Celsus (De medicina 5, 28) describit. — 5) גָּרָב LXX ψωραγριῶν, Hieronymus: *scabiem habens.* — 6) יַלֶּפֶת, quo vocabulo alia scabiei species significari videtur. LXX λειχήν, leprae species in Aegypto frequens (Plin. Hist. nat. 26. 1). Hieronymus: *impetigo.* — 7) שָׂרוּעַ est animal, quod membrum aliquod nimis longum habet. Graeci Alexandrini: ὠτόμητον = auribus sectum. Item Hieronymus. — 8) קָלוּט dicitur animal, quod membrum aliquod nimis breve habet. Graeci Alexandrini: κολοβόκερκον = caudâ mutilatum. Item Hieronymus. — 9) מָעוּךְ וְכָתוּת וְנָתוּק וְכָרוּת *compressus, contusus, avulsus, excisus* i. e. pecus, cui testiculi aut compressi aut contusi aut abrupti aut excisi sunt. Quibus verbis varii castrationis modi indicantur.[2]

[1] Qui sacerdotes מבקרי מומי קדשים, μωροσκόποι vocabantur.

[2] Animalia castrare Hebraei fortasse ideo vetiti erant, quo castrationem hominum in regionibus orientis usitatam magis detestarentur.

Plerumque iuvenci triennes (Gn 15, 9) atque oves et caprae anniculae (Ex 12, 5; 29, 38. Lv 9, 3; 12, 6; 23, 12. 18. Nm 15, 27; 28, 3. 9. 11. 19) immolabantur. Capra et aries trium annorum Gn 15, 9 memorantur et I Sm 7, 9 de טָלֶה חָלָב *agno lactante* sermo est. Lv 9, 3 vituli anniculi mentio fit. Jdc 6, 25 Gideon taurum septennem offerre iussus est idque ex Hebraeorum quorundam opinione, ut septem anni, quibus Hebraei a Midianitis opprimebantur (cf. v. 1), indicerentur. Sed vera illius praecepti causa haec fuisse videtur, quod Gideon Jahvae sacrum facere debebat (cf. v. 26), septenarius autem numerus deo sacer et talis taurus perfecta erat aetate.

Praeterea in excellentissimo sacrificiorum genere, quod est holocaustum, praescribitur mas victima, cum in sacrificio eucharistico et nonnullis sacrificiis pro peccato feminam hostiam offerre fas esset.

Illa victimarum integritas ac perfectio ex variis causis requirebatur. Ac primum quidem ea re offerentis reverentia erga deum ostendebatur (Maimonides, More nebochim 3, 46. J. Clericus ad Lv 22, 21); tum erat symbolum integritatis spiritualis, quam offerens appetebat (Philo, De animal. sacrif. idon. opp. II, 238. Theodoretus, Qu. 30. in Lv. MSG 80, 340); denique ita exprimebatur typus hostiae illius immaculatae et in omnibus perfectae (I Ptr 1, 19), quae postero tempore pro totius mundi salute in cruce erat offerenda (Augustinus, De pecc. orig. c. 32. MSL 44, 403).

Adnotatio. — Apud Babylonios agni *(niḳû),* oves *(šu'u,* Hebr. שֶׂה), caprae *(buḫâdu),* tauri *(gumalḫu)* dorcae *(ṣabîtu),* ex avibus columbae, pulli, aliae in hostiis numerantur. Plerumque hostia mas est; sed etiam feminae immolantur, imprimis in sacrificiis lustralibus. Ut hostia sine vitio *(šalmu)* sit, in Babyloniorum disciplina sacrificandi item postulatur atque in Mosaica. — Etiam in iure pontificio Aegyptiorum, Graecorum, Ro-

manorum similes erant leges atque victimae examinabantur, antequam ad altare ducerentur, ut eae, quae aliquod vitium haberent, repudiarentur. De Aegyptiis id diserte docet *Herodotus* Hist. 2, 38. Apud Graecos et Romanos summum animalium diis offerendarum delectum habitum esse ex compluribus veterum scriptorum locis constat. Conferas *Plutarch.* De defectu oracul. c. 49. *J. Pollux,* Onomast. 1, 1, 26. Scholiast. ad *Hom.* Iliad. 1, 66.

III. Ab omnibus fere gentibus humanae quoque hostiae diis immolabantur idque praecipue in publicis calamitatibus, quia non exstabant pretiosiora dona, quibus deorum ira placaretur. Atque receptus inter veteres mos erat filios dilectissimos, unicos potissimum, atque nobilissima stirpe (regia vel principali) ortos offerre. Velut Mesa, rex Moabitarum, extrema belli necessitate pressus, deo Chamos filium primogenitum super moenia holocaustum obtulit (II Rg 3, 27). Quibus sacrificiis partim memoria lapsus e primo statu et desiderium expiationis, partim depravatio primae cogitationis sacrificiorum demonstratur.

Jahve victimam humanam numquam a quoquam exegit. Etiam lex Mosaica sacrificia humana gravissimarum poenarum comminatione prohibet et inter praecipua scelera numerat, quibus Cananaei iram divinam in se excitarunt (Dt 12, 31; 18, 10. 12); quare illa semper vetita habebantur. Quamquam quin etiam ab Hebraeis immolati sint homines, dubium minime esse potest, si legas II Rg 17, 16 s. Ez 23, 36 s. Ps 106, 37 s. (ubi de incolis regni decem tribuum agitur), II Rg 16, 3 coll. c. II Chr 28, 3 et II Rg 21, 6 coll. c. II Chr 33, 6. Jer 7, 31; 19, 5; 32, 35. Ez 16, 20 s. (quibus locis de Judaeis sermo est).

Conferas E. Mader, Die Menschenopfer der alten Hebräer und der benachbarten Völker. Ein Beitrag zur alttestamentlichen Religionsgeschichte (BSt XIV, 5—6) Freiburg 1909; A. Schamberger, Das Menschenopfer im alten Testament. Zeitz 1912.

Adnotatio. — 1. Quod Jahve ab Abraham filium unicum mactari iussit et Abraham id facere voluit (Gn 22, 1—13), idcirco religionis Jahvae hostiae humanae nequaquam propriae erant. Nam primum deus, ut fidem patriarchae temptaret, illud sacrificium non re vera, sed animo fieri voluit; quam ob rem manum patriarchae in ipso ictu inhibuit, sola voluntate contentus, simulque ei detestandum gentilium morem hominum immolandorum improbans suppeditavit aliam victimam, qua re sibi humanas minime esse gratas satis ostendit. Tum Abraham eam temptationem suscepit non arbitratus Jahvae victimas humanas placere, sed divinae voluntati obtemperans et confisus deum filium suum vel a mortuis suscitare posse (I Mcc 2, 52. Sir 44, 19 s. Hebr 11, 17—19). Denique illud sacrificium typum sacrificii Christi esse oportebat (Tertullian. Adv. Judaeos c. 10. MSL 2, 626. Origen. Hom. 8. in Gn. § 1. MSG 12, 204. August. De civ. dei 16, 32. MSL 41, 510—512).

Perperam nonnulli contendunt Gn 22, 1—13 indicari Hebraeos antiquitus, ut alios Semitas et Cananaeos, sacrificiis humanis usos esse, postea tamen ea respuisse atque fictâ illâ de Abraham narratione significasse, quantopere morem hominum immolandorum horrerent.

Sunt qui existiment gentes Abraham imitatas homines, imprimis filios, immolare consuevisse. At pessimus ille mos ex conscientia iustitiae dei ortus est, cui sanguine animalium satis fieri non posse communis gentium opinio erat. Quare offerebant id, quo nihil habebant pretiosius, i. e. filios eosque primogenitos.

2. Neque ex Jephta iudicis exemplo (Jdc 11, 30—40) colligi potest barbaram hominum immolandorum consuetudinem apud Hebraeos usitatam fuisse. Qui filiam Jephta re vera holocaustum datam esse putant (Jonathan, Josephus, complures patres et scriptores ecclesiastici, haud pauci interpretes posteriorum temporum), una voce affirmant id contra legis divinae praeceptum factum esse neque eius modi victimam deo fuisse acceptam. Nihilo minus Jephta omni laude dignum esse contendunt propter fidem, qua imbutus promissis steterit, sive deum holocaustum simili modo impediturum sperabat atque Abraham patriarchae, sive voluntati dei satis facere quam eam spernere malebat. At aliis multo verisimilior videtur opinio Jephta votum suum eiusque solutionem legi Mosaicae ita accommodasse, ut filia, cum secundum legem Jahvae mactari non posset, virgo maneret et per חֵרֶם i. e. *consecrationis votum* (de quo Lv 27, 28 agitur) servitio divino in perpetuum addiceretur (David Kimchi, Levi ben Gerson, Maimonides, complures viri docti posteriorum temporum). Atque si res ita se habet, votum a Jephta nuncupatum quadam ratione simile fuisse videtur voto ab Hanna facto, quae Samuel filium per totam vitam ministeriis sacris promisit (I Sm 1, 11. 28. cf. 2, 11; 3, 1), quam similitudinem iam Origenes monstrat (De oratione § 4. MSG 11, 428 s.).

Ceterum conferas L. Reinke, Beiträge zur Erklärung des alten Testaments I, 417—526. Münster 1851; G. Schönen, Das Gelübde Jephta's (Th Q 1869, 533—579); M. A. van Hoonacker, Le voeu de Jephté. Louvain 1893; F. Kaulen, Commentatio de rebus Jephtae ducis ex sacra scriptura recte describendis. Bonnae 1895; H. Weiss, Das Gelübde Jephta's. Braunsberg 1907.

IV. Ritus unicuique sacrificiorum cruentorum generi communis complures comprehendebat actus, qui partim a sacerdotibus partim ab hominibus profanis sive victimarum dominis fiebant. Neque mirum esse potest, quod in his caerimoniis complura invenirentur, quibus aliae quoque gentes antiquae utebantur. Nam iidem ritus, origine puri et sancti, et apud gentem electam et apud reliquas gentes sacri erant.

1. Victimae adductio. — Qui victimam offerebat, quam prius lavari solitum esse verisimile est, eam primum *ante ostium tabernaculi* (לִפְנֵי יְהוָה Lv 1, 3; 3, 1. 7. 12; 4, 4; 9, 2. 4 s., אֶל־פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד Ex 29, 42. Lv 1, 3; 4, 4; 12, 6; 14, 11. 23; 15, 14. 29; 16, 7; 19, 21),

postea in interiore atrio templi ante altare holocaustorum *sistebat* (הֶעֱמִיד), ab eo latere, quod ad septentriones spectabat, capite eius ad ianuam sanctuarii verso, ut significaretur nisi a deo expiationem sperandam non esse. Idem Lv 17, 3—9 quoque praecipitur idque poenâ mortis civilis propositâ additâque causâ, ne Hebraei aut animal secreto vel in campis occisum aut eius sanguinem daemonibus vel alicui deo alieno sacrum voverent.

Ad ritum introductionis hostiae in atrium Paulus apostolus Rom 12, 1 respicere videtur, cum vult nos *sistere* sive *exhibere* (παραστῆσαι) corpora nostra sacrificium vivum, sanctum, deo gratum. Idem ritus typus adventus Christi in mundum exstitit (Ps 40, 7 s).

2. Manuum impositio (talmudice (סְמִיכָה). — Qui hostiam oblaturus erat, manum suam (יָדוֹ; ut Ps. Jonathan dicit, *dexteram;* ex talmudistarum opinione *utramque manum*) antea lotam maximo nisu capiti victimae imponebat [1], quod in sacrificiis pro universo populo oblatis proceres (unus post alium) faciebant (Lv 4, 15). Atque manus imponebatur omnibus sacrificiis *privatis* holocaustorum (Ex 29, 15. Lv 1, 4; 8, 18), pro peccato (Ex 29, 10. Lv 4, 4. 24. 29. 33; 8, 14) et eucharisticis (Ex 29, 19. Lv 3, 2. 8. 13; 8, 22) atque *publicis* pro peccato (velut iuvenco ob peccatum a toto populo commissum oblato Lv 4, 15, hirco die expiationis dimittendo Lv 16, 21., hircis piacularibus pro universo populo oblatis II Chr 29, 23), sed non sacrificiis publicis holocaustorum et eucharisticis, neque sacrificio iugi, neque agno paschali, decumis et primogenitis, neque columbis, neque sacrificiis a gentilibus (per sacerdotes Hebraicos) oblatis.

Quo ritu, qui offerebat, victimam e sua manu et potestate sollemniter in dei ius transferebat [2] et *symbolice* in suum locum substituebat ac peccata poenamque meritam i. e. mortem in eam quasi (non vere) transferebat [3], qua eadem re *typice* spem verae satisfactionis futurae per messiam praestandae prodebat. Atque *symbolica* illius ritus *significatio* non solum in eo manifesta est, qui victimae pro delicto manum imponebat et suum delictum, cum super eius caput confitebatur, in illam quasi conferebat, atque in summo sacerdote, qui hirco sorte Azazel notato manus imponens totius populi peccata in eum tamquam regerebat, sed etiam ex eo colligitur, quod Hebraeorum proceres Levitis manus imponebant (Nm 8, 10), ut eos primogenitorum locum ministerio sacro destinarent [4].

Ceterum opinionem *satisfactionis vicariae* sive *poenae vicariae* a cogitatis, quae in libris veteris testamenti inveniuntur, haud alienam fuisse his rebus confirmatur: 1) quod Abraham pro filio arietem mac-

tavit (Gn 22, 13); 2) quod ad civitatem aliquam expiandam, in cuius regione caedes facta erat, cuius reus ignorabatur, pro eo, de quo supplicium sumi non poterat, animal interfici necesse erat (Dt 21, 1—9); 3) quod Saul regis crudelitas in Gibeonitas morte septem hominum familiae eius expiata est (II Sm 21, 1—14); 4) quod Moses ad gentem peccato liberandam suam vitam offerre paratum se praebuit (E 32, 32. cf. Rom 9, 3); 5) quod messias, servus Jahvae, vitâ suâ culpam gentis suae luit (Jes 53, 4—12).

[1] Quae caerimonia ab ipso victimae domino, non ab eius vicario fieri debebat, neque a mulieribus, alienigenis, stultis, hominibus nondum adulta aetate, servis, surdis, caecis legitime peragebatur. Cf. Siphra 17, 1 in Bl. Ugolini Thes. XIV, 702.

Secundum traditionem Judaicam (M. Joma 3, 8; 4, 2; 6, 2. cf. G. Outram, De sacrificiis l. 1. c. 15) impositioni manus confessio peccatorum coniuncta erat eaque his verbis concepta: „Obsecro, domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc et illud . . . feci; nunc autem paenitentiam ago sitque haec (hostia) expiatio mea“ (Maimonides, Maase korban c. 3). Videas Lv 5, 5., ubi de sacrificio pro peccato sermo est: „tunc confitebitur, quod peccaverit in eo“ i. e. delictum sacerdoti fateri tenebitur.

[2] Conferendus est ritus in manumissione servorum apud Romanos usitatus. Nam quicumque servum libertate donabat, eum manu tenebat, cum diceret: *Hunc hominem liberum ésse volo.* — S. P. Festus, De verborum significatu s. v.: „Manumitti servus dicebatur, cum dominus eius aut caput eiusdem servi aut aliud membrum tenens dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo,* et emittebat eum e manu“.

[3] Levi ben Gerson in Lv c. 1: „Eo pertinebat manuum impositio, ut quisque peccata sua a se removere et ad hoc animal transferre indicaret“. Alia rabbinorum dicta, quae huc pertinent, videas apud Bl. Ugolini Thes. II, 860. — Cf. Origen. Hom. 1. in Lv. § 3. MSG 12, 408. Theodoret. Qu. 61. in Ex. Qu. 1. in Lv. ib. 80, 288. 308. Euseb. Demonstr. evang. 1, 10. ib. 22, 85.

[4] Videas V. Thalhofer, Das Opfer des alten und neuen Bundes 46—53. — P. Volz, Die Handauflegung beim Opfer (ZAW XXI, 1901, 93—100).

Adnotatio. — Similem ritum apud *Aegyptios* invenimus, de quibus Herodotus Hist. 2, 39 memoriae tradit: Καταρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι (victimarum), εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. Id autem per universam Aegyptum fieri κατὰ τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων atque inde esse, quod οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδείς. Etiam opinionem satisfactionis vicariae apud complures gentes antiquas invenimus, velut apud *Babylonios* (H. Zimmern KAT[3] 596 s.) et *Romanos* (Ovid. Fast. 6, 160—162). Ceterum cf. W. R. Smith, Die Religion der Semiten 279.

3. Mactatio (שְׁחִיטָה II Chr 30, 17). — Victimam qui offerebat, idem ipse mactabat (שָׁחַט; cf. verb. Assyr. *šaḫâṭu* = pellem detrahere, exuere)[1]. Sed posteriore aetate hostiae pro universo populo oblatae vel a sacerdotibus (II Chr 29, 22. 24) vel, si hi non sufficiebant, a Levitis immolabantur (II Chr 30, 17; 35, 6. 10 s., ubi Levitae agnos paschales immolant, cf. Esr 6, 20)[2]. Atque holocausta (Lv 1, 11) nec non sacrificia pro peccato (Lv 4, 24. 29. 33; 6, 18) et pro delicto (Lv 7, 2; 14, 13) a latere altaris ad septentriones spectante immolabantur. De hostiis pacificis quamquam id diserte non dicitur (cf. Lv 3, 2. 8. 13), tamen idem locus intellegendus esse videtur. Si enim a latere ad orientem spectante, ubi locus cinerum erat (Lv 1, 16), victimae mactatae essent, ingressus in atrium impeditus esset; a meridie autem erat adscensus altaris, ab occidente sacrarium. Aves ungue sacerdotis caedendae erant (מָלַק, quod Graeci Alexandrini male reddunt verbo ἀποκνίζειν = *ungue lacerare* vel *abscindere*)[3].

[1] Graeci Alexandrini Lv 1, 5 וְשָׁחַט vertunt καὶ σφάξουσι et v. 6 וְהִפְשִׁיט καὶ ἐκδείραντες. Si recte conicimus, pluralis ad sacerdotes et Levitas refertur, ut LXX interpretes ea, quae temporibus regum et post exsilium Babylonium in consuetudinem venerant, cogitatione textuque comprehendere videantur.

[2] Etiam apud Romanos non sacerdos victimam iugulabat, sed popa aut victimarius ad nutum sacerdotis.

[3] Sacerdos duos pedes avis duobus digitis (minimo eique proximo sive anulari) manus sinistrae, alas duobus aliis (medio et indice) apprehendebat atque ita inter pollicem et indicem collum retortum ungue secabat. Ita D. Kimchi in lexico s. v. מלק. Quae inter functiones sacerdotales difficillima fuisse dicitur. Velut Maimonides (De offerendis sacrificiis) hunc ritum מעבודות קשות שבמקדש *unum ex operiosissimis sanctuarii cultibus* esse contendit.

Mactatio et effusio sanguinis, cum esset principalis actus sacrificii, ab offerente, qui hostiam mactabat, et a sacerdote, qui sanguinem excipiebat, simul peragebatur; nam effuso sanguine animal vivere cessabat eiusque vita pro vita hominis rei substituebatur. Quam rationem lex ipsa Lv 17, 11 affert: „Quia anima carnis (vita viventis) in sanguine est, et ego dedi eum vobis super altare ad expiandum animas vestras: כִּי־הַדָּם הוּא בַנֶּפֶשׁ יְכַפֵּר *nam sanguis expiat animâ*“ (vi animae in sanguine vigentis vel, ut Maimonides ea verba circumscribit: הדם בנפש שיש בו יכפר *sanguis animâ, quae ei inest, expiat*)[1]. Sanguis ergo tamquam vitam continens (Theodoret. Qu. 1. in Lv. MSG 80, 308: ζωῆς αἴτιον, *vitae causa*) consideratur et victimae sanguis (vita) humani sanguinis (vitae hominis) vice fungitur ut instrumentum expiationis. Thomas, S. th.

1, 2. qu. 102. a. 3. ad 5: „Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum“ [2]. Alteram rationem eamque typicam idem s. doctor loco allato affert verbis: „Per occisionem animalium significabatur occisio Christi“. Qui ergo illum actum cum fide viva et spe sacrificii futuri Christi fecit, fructus huius satisfactionis vere vicariae percepit.

Effusio sanguinis actus latreuticus et propitiatorius erat. Quare Hebraei sanguine vesci vetiti erant (Lv 7, 27; 17, 10. Dt 12, 23).

[1] Philo, De special. legib. 4. opp. II, 356: Τὸ μὲν αἷμα δι' ἣν εἶπον αἰτίαν ὅτι οὐσία ψυχῆς ἐστίν — οὐχὶ τῆς νοερᾶς καὶ λογικῆς ἀλλὰ τῆς αἰσθητικῆς, καθ' ἣν ἡμῖν τε καὶ τοῖς ἀλόγοις κοινὸν τὸ ζῆν συμβέβηκεν. Cf. Quod deterius potiori insidiari soleat. ib. I, 206 s. Quis rerum divinarum heres sit. ib. I, 480. — Josephus, AJ 3, 11. 2: Αἵματος μέντοι παντὸς εἰς τροφὴν ἀπηγόρευσε τὴν χρῆσιν ψυχὴν αὐτὸ καὶ πνεῦμα νομίζων. — Origenes, Select. in Ez c. 18. MSG 13, 817: Αἷμά ἐστι σύμβολον ζωτικῆς δυνάμεως ψυχῆς. — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102, a. 3. ad 8: „Sanguis est maxime necessarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima esse in sanguine“. — Cf. etiam August. Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 57. MSL 34, 702 s.

[2] Cf. Bl. Ugolini Thes. X, 680 ss. — Euseb. Demonstr. evang. 1, 10. MSG 22, 84 s. — Theodoret. Qu. 61. in Ex. Qu. 23. in Lv. ib. 80, 288. 333.

4. Sanguinis adspersio (talmudice זריקה). — Sanguis victimae (vitam continens) a sacerdote, vicario Jahvae, cratere aeneo excipiebatur (qua re eum a deo accipi significabatur) et pro diversitate sacrificiorum vel ad altare holocaustorum eiusque cornua, vel ad cornua altaris thymiamatis, vel ad velum sanctissimi, vel in propitiatorium spargebatur (זָרַק, Assyr. *zarâḳu*) et reliquus ad basin altaris (temporibus templi secundi in canalem, per quem in torrentem Kidron defluebat) effundebatur [1].

Cum effusio sanguinis, qua vitam hominis ipsius deo sacrificari significabatur (non, ut talmudistae contendunt, eius sparsio) [2], forma sit sacrificii, *sparsio sanguinis* est explicatio liturgica et actus sollemnior eius, quod effusione sanguinis iam significatum est. Itaque quia sacrificiis imprimis id agitur, ut vicariâ victimae morte reus a morte liberatur, expiatio eo momento efficitur, quo in occisione sanguis effunditur et victimae vita aufertur (Hebr 9, 22: Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Cf. sententiam a Judaeis receptam: אין כפרה אלא בדם *nulla* est *expiatio nisi sanguine*). Adspersione vero sanguinis mors vicaria deo ostenditur et expiatio ipsa manifestior fit.

[1] Maimonides, De sanctuario 9, 6: „Mactatio victimarum per peregrinos (qui non sunt Aaronidae) legitima est, etiam sanctissimarum, sed receptio sanguinis et quae eam sequuntur (i. e. adspersio) pertinet ad sacerdotium".

[2] Ex traditione Judaica sparsio sanguinis est עקר הקרבן sive עקר הובה i. e. *radix, principium, praecipuum sacrificii* (Maimonides, De paschate 2, 6). Cui opinioni protestantes quoque adstipulantur.

5. Excoriatio et dissectio victimae. — Hostia mactata excoriabatur (הִפְשִׁיט Lv 1, 6. II Chr 29, 34; 35, 11) atque ordine in porricias sive partes (crura, armos, caput) dissecabatur (נתח Lv 1, 6. 12; 8, 20. LXX μελίζειν, Jos. AJ 3, 9. 1: διαμελίζειν), olim ab eo ipso, qui offerebat, sed tempore posteriore a Levitis et sacerdotibus.

Codex Samaritanus Lv 1, 6 pro והפשיט legit והפשיטו atque ונתחו pro ונתח, quibus verbis sententia subiecta est a sacerdotibus, non ab eo, qui offerebat, victimam excoriatam et in frusta divisam esse. Assentiuntur Graeci quoque Alexandrini, ut supra diximus. Etiam Ibn Esra ad Lv 1, 5 notat sacerdotem vel Levitam ei adiunctum pellem victimae detraxisse.

6. Agitatio, concrematio, comestio. — Carnes quarundam hostiarum (Ex 29, 26 s. Lv 7, 30. 34; 9, 21; 10, 14 s; 14, 12. 24; 23, 20. Nm 6, 20. — item nonnulla ferta Ex 29, 24. Lv 8, 27; 23, 11 s. 17. 20. Nm 5, 25) coram Jahve *agitabantur*. Atque *agitatio* (תְּנוּפָה) illum significat ritum, quo res oblatae elevabantur et simul huc illuc (fortasse ad quattuor mundi plagas versus, ab oriente ad occidentem, deinceps a septentrionibus ad meridiem, ita ut signum crucis exsisteret) [1] movebantur, qua re oblatio deo, domino universi mundi, facta ostendebatur (= הֵנִיף לִפְנֵי יְהוָה). Dein res oblatae pro Jahve *separabantur* (= הֵרִים לַיהוָה). Hinc תְּרוּמָה illas sacrificii partes Jahvae destinatas significat [2].

[1] Ita rabbini posterioris aetatis, ut Maimonides, Abarbanel, Levi ben Gerson. Cf. G. Outram, De sacrificiis l. 1. c. 15. § 5.

[2] Talmudistarum de vi vocabulorum תנופה et תרומה sententias videas in M. Menachoth 5, 6. Bab. Sukka 37[b]. Kidduschin 36[b].

Deinde carnes a sordibus diligenter purgatae *sale conspergebantur* (cf. Lv 2, 13. Ez 43, 24. Mc 9, 48) [1], quod apud omnes fere gentes antiquas signum erat amicitiae (Eustath. ad Hom. Iliad. 1, 449: φιλίας οἱ ἅλες σύμβολον). Quod inde repetendum esse videtur, quod, ut nullum amicorum convivium sine sale agitabatur, ita ne sacrificia quidem sive dei convivia sine eo apparari oportebat [2]. Atque cum apud Hebraeos sacrificia, ut omnes alii actus religionis, vi foederis cum Jahve initi

peragerentur eiusque quasi renovatio essent, sal sacrificiis adhibitum מֶלַח בְּרִית *sal foederis* erat ipsaque sacrificia בְּרִית מֶלַח *foedus salis* erant[3]. Sal, quod et ipsum est incorruptum neque corpora putrescere sinit, perpetuitatem foederis divini demonstrat (cf. Nm 18, 19. II Chr 13, 5).

[1] Josephus, AJ 3, 9. 1: Εἶτα καθαρὰ ποιήσαντες (sacerdotes) διαμελίζουσι (holocausta) καὶ πάσαντες ἅλσὶν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἀνατιθέασι.

[2] Quapropter in aliarum quoque gentium (velut antiquorum Babyloniorum, Graecorum, Romanorum) sacrificiis sal usurpari solebat.

[3] Principes Arabum etiamnunc, si foedus pangunt, patellam salis apponere et frustula aliquot panis sale conspersa comedere solent.

Denique carnes aut omnino aut ex parte *concremabantur* (הִקְטִיר). Reliqua caro vel in usum sacerdotum cedebat vel ab eo, qui offerebat, in *convivium* convertebatur.

Combustio carnium imprimis actus latreuticus est, quo se is, qui sacrificabat, totum deo tradebat suamque voluntatem exprimebat. Simul autem eo, quod carnes igni comburebantur, re oculis exposita ostendebatur deum hostias benigne acceptare (cf. Lv 9, 24. Jdc 6, 21. I Rg 18, 38. I Chr 21, 26. II Chr 7, 1). Quare carnes sacrificales etiam לֶחֶם אֱלֹהִים *cibus dei* (Lv 21, 6. 8. 17. 21 s; 22, 25)[1] et altare שֻׁלְחָן (אֲדֹנָי) יְהוָה *mensa Jahvae* (Ez 41, 22. Mal 1, 7. 12) vocabantur. Unde etiam explicatur, quare victima igne sacro comburenda fuerit. *Typice* combustione passio et exinanitio totius vitae Christi indicabatur.

[1] Ut Hebraei sacrificia cibum Jahvae esse existimabant, ita Babylonii quoque ea cibum *(naptanu)* deorum esse sibi persuaserant, id quod ex multis locis inscriptionum cuneiformium elucet. Item aliae gentes antiquae sacrificia cibum deorum appellare solebant.

Comestio sive participatio carnis victimarum, quae offerenti licebat, propiorem significat accessum ad deum. Nam si eam carnem edebat, particeps fiebat mensae Jahvae, cuius erat quasi hospes, simulque accipiebat pignus coniunctionis cum deo.

Cena sacrificalis est etiam *typus* convivii illius, quod in sacris litteris crebro commemoratur, quod deus in regno messiano apparat, i. e. typus comitatis amicitiaeque, quae hac imagine describitur. Itaque bona salutis aeternae, veritas et gratia earumque perfectio i. e. gloria aeterna, saepius cibus et potus cenae patris caelestis appellantur (cf. Prov 9, 2. Mt 22, 4. Lc 22, 29 s. Jo 4, 10—14. 34; 6, 27. 34 s. Apc 19, 7—9).

V. Sacrificia cruenta dividuntur in *holocausta*, sacrificia *pro peccato*, *pro delicto*, *pacifica*. Quamquam sunt qui sacrificia pro peccato

et pro delicto nomine sacrificiorum *piacularium* comprehendant; nam utrumque pro peccatis commissis oblatum et neutri ferta ac libamina addita esse, quae holocaustis et sacrificiis pacificis addi solebant; neutrum ex voto vel promisso factum esse; nihil ex utroque sacrificio ab offerente in convivium sacrum insumptum, sed unam partem in altari crematam esse, alteram in usum sacerdotum cessisse. Cum tamen et utrumque sacrificium proprium nomen habeat et peccata, quae utrumque postulabant, animalia ad oblationem praescripta, ritus oblationis diversi sint, de utroque separatim agendum esse censeo. Id quoque respiciendum est, quod nomen sacrificiorum piacularium non his tantum, sed etiam aliis sacrificiis conveniat. Velut Noah holocausto deum placavit (Gn 8, 20 s.) et in Tanchuma 52[d] Judaei tradunt „holocaustum expiasse peccata Israelis".

Philo (De animal sacrif. idon. opp. II, 240 s.) tria genera sacrificiorum distinguit: *holocausta,* sacrificia *pacifica,* sacrificia *pro peccato* — Item Origenes Hom. 5. in Lv. § 2. MSG 12, 449. — Ex 18, 12 Jithrô, Mosis socer, עֹלָה וּזְבָחִים obtulisse traditur, quod Hieronymus vertit: „holocausta et hostias". Etiam Josephus AJ 3, 9. 1 duo genera sacrificiorum distinguit, privata et publica, et addit utrumque genus dupliciter (κατὰ δύο τρόπους) fieri; nam sacrificium aut ὁλοκαύτωμα esse, quod totum igni consumatur, aut χαριστήριον, quod in epulum offerentium cedat. De sacrificiis ὑπὲρ ἁμαρτάδων ib. § 3 mentionem facit.

Judaei (M. Sebachim 5, 1. 6—8. Edujoth 8, 6. Siphra 131[b]) distinguunt inter sacrificia *sanctissima* (קדשי קדשים) et *minus sancta* (קדשים קלים), quam distinctionem etiam sacrae litterae confirmant, quae inter *oblationes sanctissimas* et *sanctas* distinguunt atque sacrificia pro peccato et pro delicto sanctissima vocant (Lv 6, 17; 7, 1; 14, 13). Ad sacrificia sanctissima pertinent holocausta, sacrificia pro peccato, sacrificia pro delicto, sacrificia pacifica publica. Sacrificia pacifica hominum privatorum, primogenita et decumae animalium, agnus paschalis minus sancta appellantur.

Cum omnia tria sacrorum genera vel duo ex iis simul fiebant, sacrificia pro delicto et pro peccato vel sacrificia pro peccato et pro delicto holocausta et haec sacrificia pacifica praecedebant. Cui ordini non obstat, quod Lv 12, 6—8 et Nm cc. 28. 29 holocaustum ante sacrificium pro peccato nominetur, cum locis allatis holocaustum non propter ordinem temporis, sed ut summum sacrificium primo loco memoratur.

In inscriptione quadam Phoenicia, quae anno 1845 Massiliae inventa est (M. Lidzbarski, Handbuch der nordsemitischen Epigraphik I, 97. 164. 428. II, tab. XI), tria genera sacrificiorum cruentorum distinguuntur, quibus mirum quantum de iis, quae in libris sacris commemorantur, admonearis: צועת, שלם, כלל. Quae vocabula quid volunt, viri docti vehe-

menter dissentiunt. M. J. Lagrange (Études sur les religions sémitiques[2] 470) vertit: „expiatoire, pacifique, holocauste". Alii aliter.

A) De holocaustis

I. Holocaustum Hebraice vocatur עֹלָה, rarius עוֹלָה, proprie *adscensio*, a radice עָלָה *adscendit*, Chaldaice עֲלָתָא, apud Graecos Alexandrinos ὁλοκαύτωμα (Lv 4, 7; 9, 2; 16, 24. etiam Mc 12, 33. Hebr 10, 6) et ὁλοκαύτωσις (Ex 29, 25. Lv 4, 34), rarius κάρπωμα (Lv 1, 13 s.), ὁλοκάρπωμα (Lv 16, 24), ὁλοκάρπωσις (Gn 8, 20. Lv 4, 34; 9, 3), quae vocabula cum consuetudine loquendi posterioris aetatis minus congruunt atque inde orta esse videntur, quod ab antiquissimis temporibus fructus offerebantur (Gn 4, 3). Apud Philonem et Josephum ὁλόκαυτον et ὁλοκαύτωμα appellatur.

Hieronymus, Comm. in Ez 45, 15 ss. MSL 25, 453: „Holocaustum est, quod totum offertur deo et sacro igne consumitur". Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 7. qu. 53. ib. 34, 823: „Non omne sacrificium holocaustum erat; nam de holocausto non manducabatur, quia totum incendebatur, et ideo vocabatur holocaustum". Enarr. in Ps 49. § 15. ib. 36, 576: „Quid est holocaustum? Totum igni absumptum: καῦσις *incensio* est, ὅλον *totum* est; holocaustum autem est *totum igni absumptum*". Enarr. in Ps 64. § 4. ib. 36, 775 s: „Holocaustum tunc dicitur, quando totum ignis absumit: holocaustum sacrificium est, ubi totum consumitur; ὅλον enim *totum* dicitur, καῦσις *incensio*, holocaustum *totum incensum*". Cf. etiam Enarr. in Ps 65. § 18. in Ps 137. § 2. ib. 36, 798; 37, 1775. Thom. S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad. 8. Hesych. Lex. II, 744. s. v. ὁλοκαύτωμα.

Holocaustum erat omnium sacrificiorum *antiquissimum*. Atque prima holocausti mentio fit post diluvium (Gn 8, 20). Etiam Abraham holocaustum offerre iussus est obtulitque holocaustum arietem pro filio (Gn 22, 2 s. 6. 13). Job quoque holocausta obtulisse traditur (Job 1, 5; 42, 8). Sed sacrum ab Abel factum (Gn 4, 4) num in holocaustis habendum sit, in controversia versatur. Quantum equidem iudicare possum, id sacrificium ita describitur, ut holocaustum fuisse videatur.

Holocaustum erat omnium sacrificiorum *praestantissimum*. Atque holocausta dignitate ceteris sacrificiis praestabant, quod tota deo cederent, cum pars aliorum sacrificiorum ad sacerdotes aut offerentes rediret. Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 10: „Inter omnia sacrificia holocaustum erat praecipuum, quia totum comburebatur in honorem dei et nihil ex eo comedebatur". Quare Philo (De special. legib. 1. opp. II, 241) in describendis sacrificiis ab holocaustis initium faciendum esse dicit, quod illa essent praestantissima: ἀρίστη (θυσία)

ἐστὶν ἡ ὁλόκαυτος. Moses quoque Lv 1, 3 initium legum de sacrificiis ab holocausto sumit.

II. Ad holocaustum, cum *materia nobilior* requireretur, sola animalia virilis sexus, quae feminis perfectiora putabantur, idonea erant [1]. Atque praeter tauros et vitulos (Lv 1, 3—9), arietes, agnos, hircos (ib. v. 10—13), si sacrificantes pauperes erant, etiam columbae (ib. v. 14—17) [2], de quibus sexus non distinguebatur, offerri poterant. Cf. Jos. AJ 3, 9. 1. Holocaustum vaccarum, quod Bethsemitae obtulerunt (I Sm 6, 14), exceptionem statuit.

[1] Quare erat sententia a Judaeis recepta: אין עולה נקבה. — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 9: „Holocaustum erat perfectissimum inter sacrificia: ideo non offerebatur in holocaustum nisi masculus; nam femina est animal imperfectum".

[2] Columbae et turtures in Syria et Palaestina valde frequentes sunt; quam ob causam pauperibus praescriptum erat, columbas ut sacrificarent (Lv 5, 7; 12, 8). Atque ipsarum ferarum columbarum complures species inveniuntur (velut *Columba palumbus* L., *C. oenas* L., *C. livia* L., *C. turtur* L., *Turtur risorius* Swainson, *T. senegalensis* L.), quae imprimis valles profundas et desertas replent, unde haud paucae *Wâdi Ḥamâm* (= vallis columbarum) appellatae sunt. Praeter columbas feras autem iam aetate prophetae Jesaia (qui 60, 8 אֲרֻבָּה *columbarii* mentionem facit) etiam domesticae habebantur *(Columba livia domestica).*

Sanguis victimae a sacerdote *circum altare* (עַל־הַמִּזְבֵּחַ סָבִיב Lv 1, 5) fundebatur [1]. Altari primo imponebantur *adipes* (הַחֲלָבִים), et quidem *adeps intestina tegens* i. e. textura adiposa, quae involucri aut vestis instar omnia abdominis viscera tegit eorumque calorem conservat; *adeps intestinis adhaerens*, utique extrinsecus, nam quod intrinsecus est, illa operit; *ambo renes* cum adipe eis adhaerente; *reticulum iecoris; cauda* crassa, qualem species quaedam ovium in oriente (*Ovis laticaudata* L.) habet. Deinde carnes et intestina cum pedibus diligenter lota comburebantur. *Columbae* autem, retorto ad collum capite, sanguine ad latus altaris expresso et vesiculâ plumisque remotis, in ascellis confringebantur (deletio figurae corporis) [2] et adolebantur.

Unicuique holocausto, columbis exceptis, iungebatur secundum quoddam sacrificium, quod ex simila, oleo, vino, constabat (Nm 15, 4—10). Simila oleo subacta tota cum victima igni cremabatur, vinum libabatur.

Quoniam holocaustum *totum* (הַכֹּל Lv 1, 9) comburebatur praeter *pellem*, quae sacerdoti offerenti obtingebat (Lv 7, 8) [3], etiam כָּלִיל *totum* (i. e. sacrificium = Chald. גְּמִירָא) vocabatur (Dt 33, 10. I Sm 7, 9.

Ps 51, 21). Ex talmudistarum opinione etiam *nervus ischiadicus* non cremabatur, sed in locum cinerum proiciebatur (M. Chullin 7, 1).

[1] Graeci Alexandrini: οἱ ἱερεῖς προσχεοῦσι τὸ αἷμα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον κύκλῳ. Philo, De animal. sacrif. idon. opp. II, 242: τὸ δ' αἷμα κύκλῳ προσχεῖται τῷ βωμῷ. Josephus, AJ 3, 9. 1: τὸν κύκλον τῷ αἵματι δεύουσι τοῦ βωμοῦ οἱ ἱερεῖς.

[2] Maimonides ad M. Sebachim 6, 7: „Ungue sectio in avibus est id quod mactatio in pecude et sanguinis expressio est instar sparsionis". — Usum avium non dividendarum Mose multo antiquiorem esse Gn 15, 10 demonstrat.

[3] Philo, De sacerd. honor. opp. II, 235. Etiam secundum tabulam sacrificam Carthaginiensem (lin. 3—5) pellis victimae sacerdotibus attribuebatur. At secundum tabulam sacrificam Massiliensem pellis ei addicebatur, qui ministerio sacerdotum sacrum faciebat (lin. 3. 6. 8. 10).

Totam victimam ignis absumebat atque flammâ fumoque quasi in caelum efferebat, primum ut infinita maiestas dei agnosceretur, in cuius conspectu omnis res creata est tamquam nihil (Jes 40, 17); deinde ut summa dei dominatio omnium rerum significaretur, quare omnia ad ipsum ipsiusque gloriam essent referenda; denique ut symbolice exprimeretur hominem integrum per deum renovari et restitutione benevolentiae divinae sanctificari, id quod satis ex eo apparet, quod de holocaustis dicitur hominem iis *acceptum* sive *gratum fieri deo* (לְרָצֹנוֹ לִפְנֵי יְהוָה Lv 1, 3., נִרְצָה לוֹ ib. v. 4), *commendare sese deo* (לְכַפֵּר עָלָיו ib. v. 4., ubi verba עַל חַטָּאתוֹ נַפְשׁוֹ supplenda esse videntur: *ut aboleat peccata sua*, neque enim pro certo quodam peccato holocaustum offerebatur; immo vero homo, qui offerebat, deum movere volebat, ut omnia peccata sua deleret seseque propitium erga eum exhiberet i. e. *sese deo commendare volebat*), illa sacrificia esse deo *odori grato* (רֵיחַ־נִיחוֹחַ Lv 1, 9. 13. 17). Quam explicationem holocausti iam Philo secutus est (De animal. sacrif. idon. opp. II, 241: Δι' αὐτὸν sc. ὁλόκαυτον μόνον τὸν θεὸν, ὃν καλὸν τιμᾶσθαι, μὴ δι' ἕτερον. Et ib. 242: Συμβολικῶς οὖν ἀναδιδάσκει τὴν διάνοιαν ὅλην δι' ὅλων ἐν κύκλῳ χορεύουσαν ἐν πάσαις ἰδέαις λόγων καὶ βουλευμάτων καὶ ἔργων ἐπιδείκνυσθαι τὴν πρὸς τὸν θεὸν ἀρέσκειαν). Postea eam Abarbanel probavit (Praef. ad Lv: „Eo pertinet holocaustum, ut hinc discat anima se totam creatori suo adiungere")[1]. Idem sentit Thomas (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 8: „Huius modi sacrificium offerebatur deo specialiter ad reverentiam maiestatis ipsius et amorem bonitatis eius et conveniebat perfectionis statui in impletione consiliorum; et ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum adscendebat, ita etiam significaretur, totum hominem

et omnia, quae ipsius sunt, dei dominio esse subiecta et ei esse offerenda“) [2].

[1] Ex aliorum rabbinorum opinione holocausto praecipue propositum erat, ut cogitationes malae expiarentur. Velut Ibn ʿEsra in Lv c. 1; „Corpus bestiae, quod offertur ad expiandum id, quod in cor adscendit, vocatur עלה, ut oblatio pro peccato vel pro delicto vocatur חטאת et אשם“. Ps. Jonathan ad Lv 6, 9: „Haec est lex holocausti, quod venit ad expiandum pro cogitationibus cordis“, ad quae verba glossa margini adscripta notat: „Scriptum est in Vajjikra rabba holocaustum adhibitum non esse nisi propter cordis cogitationes“.

[2] Quod holocaustum totum comburebatur, ut *kalîl* appellaretur, inde E. Kautzsch (in *J. Hastings*, Bible Dictionary, Extra-Volume 618) colligere vult immolare ita acceptum esse, ut deo cibus praeberetur. Quae opinio probari non potest.

III. Holocausta omnium sacrificiorum erant *frequentissima*. Modo pro universo populo offerebantur, ut holocausta cottidiana (Ex 29, 38–42. Lv 6, 1—11. Nm 28, 3—8. 23; 29, 6. 11. 16. 19. 22 ss. Esr 3, 5. I Chr 16, 40) et quae sabbatis (Nm 28, 9 s.) ac diebus festis (Lv 16, 3; 23, 37. Nm 28, 11. 14. 19. 27; 29, 2. 6. 8. 13 cf. II Chr 35, 12. 14. 16) praescripta erant = *holocausta stata et publica*, modo a singulis pro se, vel sponte (Jdc 20, 26. I Sm 7, 9., et quidem plurima I Rg 3, 4. Esr 6, 17; 8, 35. I Chr 29, 21. II Chr 29, 32. et maxima cum sollemnitate II Chr 29, 27 s.), vel ex voto (Ps 51, 21: 66, 13. 15), vel ex mandato legis in quibusdam condicionibus, velut a naziraeis, si ex improviso contaminati erant (Nm 6, 11) et si tempus voti exierat (ib. v. 14), a scabiosis, si ad sanitatem pervenerant (Lv 14, 19 s. 22), a mulieribus, si pepererant (Lv 12, 6. 8) = *holocausta privata*. Etiam a peregrinis inter Hebraeos habitantibus neque ad ius civitatis admissis offerri poterant (Lv 22, 18), neque ulla lex Mosaica impediebat, quin quicumque e gentibus exteris Jahven cupiebat, eius modi hostias per sacerdotes Hebraicos offerret. Quod factum iri iam Salomo praevidit (I Rg 8, 41—43) et saepius factum esse ex II Mcc 3, 35 apparet. Sed alia sacrificia ab exteris offerri non poterant.

Gentilibus licuisse in templo Hierosolymorum Jahvae sacra facere clare dicitur M. Schekalim 7, 6: „Septem decreta fecit synedrium et hoc unum est ex ipsis: Si idololatra aliquis ex provincia maritima mitteret holocaustum unâ cum libamine, illud quoque offerri debere: si vero nullum miserit, addi debere (sumptibus) ecclesiae“. Imperator Augustus suo nomine cottidianum holocaustum duorum agnorum et tauri fieri iusserat (Philo, De virtutibus, opp. II, 592). Judaeos pro imperatoribus Romanis cottidie sacra fecisse eaque suo sumptu Josephus CAp 2, 6 testatur. Idem tradit Judaeos bello Romano anno 66 p. Ch. exorto constituisse

nulla iam sacra a gentilibus accipere (BJ 2, 17. 2—4). Quod autem AJ 11, 8. 5 Alexandrum Magnum Hierosolymis sacra fecisse narrat, respiciendum est historicorum fide contestatum non esse Alexandrum Hierosolymis fuisse, sed ea narratio documento est Judaeos sacra a gentilibus accepisse. Etiam Ptolemaeus III Euergetes in templo Hierosolymitano sacra fecisse dicitur (CAp 2, 5). Josephus aram templi τὸν Ἕλλησι πᾶσι καὶ βαρβάροις σεβάσμιον βωμόν (BJ 5, 1. 3) et templum ipsum τὸν ὑπὸ τῆς οἰκουμένης προσκυνούμενον χῶρον (ib. 4, 4. 3) vocat. Quare Tertullianus (Apologet. c. 26. MSL 1, 432) iure meritoque dicere potuit Romanos aliquamdiu et deum Judacorum victimis et templum eorum donis honoravisse. — Cf. E. Schürer II⁴, 357—363.

B) Sacrificia pro peccato et pro delicto

I. Sacrificia *pro peccato* (חַטָּאת LXX plerumque τὸ περὶ vel ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας Lv 4, 3; 6, 37. Nm 15, 25. Ez 45, 17; 46, 20. vel simpliciter περὶ ἁμαρτίας Lv 14, 13. Nm 15, 27. raro ἁμαρτία Lv 4, 21. 24. Nm 6, 14. Hos 4, 8. semel ἁμάρτημα Lv 4, 29. θυσία περὶ ἁμαρτίας II Mcc 12, 43) et *pro delicto* (אָשָׁם LXX τὸ ὑπὲρ vel περὶ ἀγνοίας Ez 40, 39; 42, 13; 44, 29; 46, 20. ἡ πλημμέλεια Lv 5, 16. 18. Nm 6, 12. τὸ τῆς πλημμελείας Lv 6, 37; 14, 13) oblata, legislationis Mosaicae propria[1], instituta erant pro peccatis (et levibus et gravibus) ex ignoratione vel errore, ex neglegentia vel infirmitate commissis (= בִּשְׁגָגָה LXX ἀκουσίως, Aquila ἐν ἀγνοίᾳ Lv 4, 2. 22. 27. Nm 15, 24. 27 s.)[2] vel pro certis rebus, quae cum infirmitate humana cohaerent. Utriusque generis commune erat, quod tantum certae sacrificii partes concremabantur, reliqua caro vel in usum sacerdotum cedebat vel extra castra comburebatur, quodque utrique deerat fertum et libamen.

[1] Mosis de sacris faciendis praecepta multo gravius in peccatis placandis versari quam praecepta ceterarum gentium orientis antiqui constat. Atque ad propria sacrificia pro peccato et pro delicto instituenda, quae in cultu Mosaico invenimus, nulla alia religio orientis antiqui, quantum videmus, processit.

[2] Violatio legis *voluntaria* (= בְּיָד רָמָה *per manum excelsam*, Vulg. *per superbiam*, Onkelos בְּרֵישׁ גְּלֵי *capite aperto*, impudenter) nullo sacrificio expiari poterat, sed morte multabatur (Nm 15, 30 s.). Eius modi peccato ab universo populo commisso Jahve nullam poenam ante statuit, sed eam singulis casibus a se statuendam reservavit, velut in exsilio Babylonio fecit.

Inter duo genera sacrificiorum quid interfuerit, minime liquet. Etsi negari non potest אָשָׁם et חַטָּאת nonnumquam confundi (cf. Lv 5, 1—13. 17. 23), tamen manifesto ut duo diversa sacrificiorum genera lege Mosaica discernuntur, velut Lv 6, 10; 7, 7. 37; 14, 13 (cf. etiam Ez 40, 39; 42, 13; 44, 29; 46, 20). Utrique enim non solum caeri-

moniae diversae erant (ut v. c. sanguis victimarum pro peccato cornibus altarium, victimarum pro delicto arae lateribus adspergendus erat), sed etiam in uno eodemque sacro utrumque hostiarum genus nonnumquam coniungebatur (cf. Lv 14, 12 s. 19. 22. 24 s.). Praeterea a legislatore diligenter enumerantur eae culpae, quae hoc illove sacrificandi ritu expiandae erant. Itaque minime audiendi sunt, qui duo illa hostiarum genera non *re,* sed *nomine* tantum diversa fuisse contendunt, ut J. Clericus (ad Lv 5, 16), A. Calmet (Dictionnaire de la Bible s. v. sacrifice), alii sacrarum litterarum interpretes. Sed qui inter culpas ipsas, quae חטאות et אשמים nuncupantur, interfuerit, difficilis exsistit quaestio. Ex magno numero variarum de ea re opinionum potissimas tantummodo recensemus.

Graeci Alexandrini חטאת ἁμαρτίαν, אשם πλημμέλειαν vertunt. Ex quo tamen nihil proficimus. Neque enim constat, quid inter ἁμαρτίαν et πλημμέλειαν intersit, multo minus idem interesse, quod inter חטאת et אשם interest. Augustinus quidem (Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 20. MSL 34, 681) πλημμέλειαν dicit esse quod sit „praeter curam", quasi πλὴν μέλειαν, ob idque illud hîc dici πλημμέλειαν et delictum, quod praeter curam sive ex neglegentia vel etiam ex ignoratione, profecto tamen ex neglegentia culpabili commissum est. Sed cum Hesychius (Lex II, 978) πλημμελής exponat ἐκμελής, οὐ συνῳδὰ λέγων, ἁμαρτάνων, patet id vocabulum a πλήν et μέλος deduci, quasi dicat *praeter modum et concentum,* ita ut quidquid inconcinnum, inconditum, indecorum admittitur, πλημμέλεια dicatur. Ex qua originatione minime discimus, quid discriminis inter ἁμαρτίαν et πλημμέλειαν fuerit.

Philo (De animal. sacrif. idon. opp. II. 247) חטאות eas culpas dicit, quae fiunt de deo et sacris, אשמים, quae fiunt de hominibus. Josephus (AJ 3, 9. 3) חטאות describit ea commissa, quorum sibi homo conscius non est, אשמים ea, quorum sibi conscius quidem est, sed ab alio convinci non potest: Ὁ μὲν γὰρ κατὰ ἄγνοιαν εἰς τοῦτο προπεσὼν ἄρνα καὶ ἔριφον θήλειαν τῶν αὐτοετῶν προσφέρει .... ὁ δὲ ἁμαρτὼν μὲν αὑτῷ δὲ συνειδὼς καὶ μηδένα ἔχων τὸν ἐξελέγχοντα κριὸν θύει.

Complures *peccatum* intellegunt culpam commissionis, *delictum* culpam omissionis. Ita Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 20. MSL 34, 681: „Fortassis peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni". Sed aliam quoque expositionem s. doctor profert ib. 682: „Potest etiam videri illud esse delictum, quod imprudenter, id est ignoranter, illud peccatum, quod a sciente committitur. Huic differentiae videntur ista testimonia consonare divina: *Delicta quis intellegit?* (Ps 18, 13). Et illud: *Quoniam tu scis imprudentiam meam;* continuo quippe secutus adiunxit: *Et delicta mea a te non sunt abscondita* (Ps 68, 6), velut alio modo repetens eandem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat apostoli dictum: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (Gal 6, 1); hinc enim quod praeoccupatum dicit, imprudenter lapsum esse significat. Peccatum vero ad scientem pertinere apostolus Jacobus tamquam definiens ait: *Scienti*

igitur bonum facere et non facienti peccatum est illi (Jac 4, 17). Sed sive illa sive ista sive aliqua alia differentia sit peccati et delicti, nisi aliqua esset, non scriptura ita loqueretur, ut diceret: *Quo modo quod pro peccato, ita et quod pro delicto; lex una est eorum* (Lv 7, 7)". Gregorius Magnus, Hom. in Ez. l. 2. hom. 9. § 3. MSL 76, 1043: „Hoc inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est male facere, delictum vero est bona derelinquere". Postea autem subiungit: „Vel certe peccatum in opere est, delictum in cogitatione". Origenes, Hom. 5. in Lv. § 4. MSG 12, 453: „Ego puto delictum quidem commissum esse levius aliquanto quam peccatum. Nam invenimus de peccato dici, quod sit peccatum ad mortem (I Jo 5, 16 s.). De delicto non legimus, quod esse dicatur ad mortem. Scio tamen et illam differentiam, quae nonnullis sapientium visa est, quod delictum quidem sit, cum non facimus ea, quae facere debemus, peccatum vero sit, cum committimus ea, quae committere non debemus. Sed haec, quoniam non semper in scripturis divinis sub ista distinctione invenimus, idcirco generaliter affirmare non possumus". *J. D. Michaelis* quoque, *E. Warnekros*, *J. Jahn,* alii peccatum culpam commissionis, delictum culpam omissionis significare existimant. Alii rursus, velut *H. Grotius,* peccatum culpam omissionis intellegunt, delictum culpam commissionis.

Ex opinione Theodoreti (Qu. 1. in Lv. MSG 80, 300) peccatum voluntariam actionem lege aliqua vetitam, delictum iniquitatem ex casu aliquo ortam significat: Δηλοῖ ἡ μὲν ἁμαρτία νόμου τινὸς παράβασιν ἐθελούσιον. ἡ δὲ πλημμέλεια τὴν ἐκ περιστάσεώς τινος γεγενημένην παρανομίαν.

Sunt etiam qui existiment sacrificium חטאת dictum in gravioribus delictis (cum se pontifex vel totus coetus vel princeps contaminasset), אשם in levioribus oblatum esse; porro cum quis peccatum cognovisset vel eius convinci posset, חטאת obtulisse, ubi autem res dubia neque iuris aut facti certa esset notitia, אשם expiasse; illud re per testes convicta, hoc confessione peccati sponte facta requisitum esse. Velut Ibn ʿEsra (Proleg. in Lv.): „Nihil aliud interest inter sacrificium אשם et sacrificium חטאת, nisi quod hoc fieret ab homine, qui certum sciret se per imprudentiam commisisse contra praeceptum aliquod, cuius poena erat exitium; prius illud vero fieret ab eo, qui non certe sciret, sed ambigeret, utrum adversus eius modi praeceptum fecisset nec ne; unde vocabulum אשם etiam de sacrificio pro delicto dubio usurpari solet". A qua sententia non multum diversa est opinio eorum interpretum, quorum Ibn ʿEsra in adnotationibus ad Lv 5, 17 mentionem facit quique אשם dictum putant „de quo dubium alicui sit, an peccatum aliquod admiserit", חטאת vero „quod quis primo ignorasset, postea autem resciverit".

Quibusdam omne discrimen inter חטאת et אשמים ex solo legislatoris arbitrio pependisse, ad certa autem expiationum genera legibus revocatum esse videtur *(J. G. Carpzov, G. Gesenius).* Nonnulli discrimen, quod inter חטאת et אשמים initio intercesserat, postea in oblivionem venisse et neglectum esse arbitrantur neque tamen prorsus esse abolitum (ut *W. M. L. De Wette).*

Ut mihi quidem videtur, sacrificium *pro delicto* offerri debebat, si peccata commissa erant, quibus fides deo debita vel res dei sacrae vel

iura divina laedebantur vel etiam si iustitia alteri debita graviter erat violata — id quod sacrae litterae loquendi formulâ מָעַל מַעַל exprimunt (Lv 5, 21; 26, 40. Nm 5, 6. Jos 22, 16. 31. Ez 17, 20; 20, 27; 39, 26. Dn 9, 7. I Chr 10, 13. II Chr 28, 19). Quare cum sacrificiis pro delicto coniunctum erat, ut qui peccaverat pro iniuria vel restitutione vel multâ satisfaceret. Statim infra eos sex casus respiciemus, in quibus sacrificium pro delicto offerri debebat; unde facile apparebit nos de illo sacrificio offerendo recte iudicasse. Contra sacrificium *pro peccato* tum offerendum erat, si ex ignoratione vel errore, ex neglegentia vel infirmitate peccatum erat, sed tamen ita, ut nullum ius violaretur.

De diversis huius discriminis sententiis videas E. W. Hengstenberg, Beiträge zur Einleitung ins alte Testament III, 214—220. C. Ch. W. Bähr, Symbolik II, 410—412. J. H. Kurtz, Der alttestamentliche Opferkultus 156—178. E. Riehm, Über das Schuldopfer (St Kr XXVII, 1854, 93—121). W. F. Rinck, Das Schuldopfer (St Kr XXVIII, 1855, 369—381). P. Scholz, Die heiligen Altertümer des Volkes Israel II, 157—162. G. F. Oehler, Theologie des alten Testaments[3] 483—489. D. Hoffmann, Das Buch Levitikus I, 212—221.

II. Sacrificia pro peccato erant aut *publica* sive maiora aut *privata* sive minora. Illa erant praescripta in neomeniis (Nm 28, 15), paschate (ib. v. 22), pentecoste (ib. v. 29 s.), die primo mensis septimi (ib. 29, 5), singulis diebus sollemnitatis tabernaculorum (ib. v. 16—38), die expiationis (ib. v. 11. Lv 16, 5. 9. 15 ss.) — et quidem hircus pro populo[1]; porro die expiationis pro pontifice et tota familia sacerdotali (Lv 16, 3. 6. 11) atque cum sacerdotes et Levitae consecrabantur (Ex 29, 14. 36) iuvencus, peractâ sacerdotum consecratione vitulus (Lv 9, 2). Privata sive minora sacrificia fiebant, si proprium peccatum excipias: cum puerperae (turtur vel columba Lv 12, 6. 8), leprosi (agnus ib. 14, 10. 19. aut turtur vel columba ib. v. 21 s.), fluxu seminis et sanguinis laborantes (turtur vel columba ib. 15, 14 s. 29 s.) purgabantur, cum naziraei se contaminaverant (turtur vel columba Nm 6, 10 s.) aut tempus voti finierant (ovis ib. v. 14); si peccatum non voluntarie commissum erat: cum summus sacerdos (iuvencus Lv 4, 3—12)[2] vel totus populus (iuvencus ib. v. 13—21)[3] vel נָשִׂיא i. e. *princeps* populi[4] (hircus ib. v. 22—26) vel homo plebeius (capra vel agna ib. v. 27—35) praeceptum aliquod violaverat[5].

[1] Item hircus pro peccato offerebatur, et cum tabernaculum Mosaicum (Nm 7, 16 ss.) et cum templum Hierosolymitanum temporibus Esrae (Esr 6, 17) dedicabatur.

[2] Reliqui sacerdotes in hac re non aliter habebantur atque homines privati (Lv 4, 27—35).

[3] Mirum esse videtur, quod Lv 9, 3. 15; 10, 16; 16, 9. 15; 23, 19. Nm 15, 24; 28, 15. 22. 29 s; 29, 5. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38 (cf. Esr 6, 17; 8, 35) *hircus,* Lv 4, 13—21 *iuvencus* ad sacrificium pro peccato populi offerri iubetur. Sed hi loci nequaquam sibi adversantur; nam Lv c. 4 agitur de peccato a toto populo aut maiore eius parte unâ cum summo sacerdote commisso; ceteris locis pro solo populo hircus offerri iubetur. Praeterea difficultati illi ita quoque medearis, ut dicas iuvencum offerendum fuisse, cum pro certo aliquo peccato sacrificium fiebat, pro incertis peccatis hircum offerri solitum.

[4] Vocabulum נשיא proprie significat hominem dignitate supra ceteros eminentem. velut erant capita tribuum et familiarum, qui vel praefectura aliqua militari vel iudicis officio fungebantur. Horum peccatorum expiatio ab expiatione hominum privatorum separatur, quod illa et maioris sunt momenti et exemplo plus nocent.

[5] Victimae pro personis et delictis erant diversae. De qua re bene Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 11: „Peccata aggravantur ex statu peccantis . . . et ideo alia hostia mandabatur offerri pro peccato sacerdotis et principis vel alterius privatae personae". Et ib. ad 12: „Lex in sacrificiis providere voluit paupertati offerentium".

Ut in lege Mosaica, ita etiam uno saltem loco Babyloniarum de sacris legum (tab. rit. 60, 30 s.) diserte postulatur hostiam diversam esse oportere, prout a principe *(rubû)* aut a paupere *(muškênu)* immolatur. Praeceptum autem legis Mosaicae de diversis hostiis principis et pauperis apud Babylonios contrarium est: princeps pullum columbae ad cinerem (?) comburat, pauper viscera (?) ovis.

Loco Lv 5, 1—13 *tria* enumerantur *peccata*, ad quorum remissionem (legalem) obtinendam statuitur condicio onerosa i. e paenitentiae contestatio et peccati confessio sacrificium antecedens ac simul pauperibus specialis indulgentia conceditur. Nam si quis scelus aliquod commiserat et alius quispiam, qui iuratus testis advocabatur, sive metu sive amore eius, de cuius scelere inquirebatur, sive alia ex causa testimonium recusaverat; aut si quis rem impuram ita tetigerat, ut id non animo adverteret, vel postquam adverterat, purgationem legalem omiserat; aut si quis vehementius commotus iuraverat se alteri malefacturum, vel si quis iureiurando interposito promiserat, quod dare non poterat, deinde iurisiurandi oblitus nihil eorum praestiterat — in his casibus reus agnam vel capram offerre debebat, quae tamen ob penuriam duobus pullis columbarum vel turturibus (uno in holocaustum, altero pro peccato) aut his quoque deficientibus decimâ ephae parte similae sine oleo et ture [1] compensari poterant. De iis autem tribus peccatis cur con-

fessio sacerdoti fuerit facienda atque pro pauperibus specialis indulgentia statuta sit, nihil certi dicere possumus.

[1] Origenes, Hom. 5. in Lv. § 6. MSG 12, 456: „Quod ergo pro peccato est, nec oleum laetitiae nec tus suavitatis ei imponitur". Theodoretus, Qu. 1. in Lv. MSG 80, 308: Τὸ ἔλαιον ἱλαρότητος δηλωτικόν· ὁ δὲ λιβανωτὸς εὐωδίας· ἀμφοτέρων δὲ ἡ ἁμαρτία γεγύμνωται.

De *ritu* distinguuntur et sacrificia, quorum sanguis (ut coniunctio cum Jahve ex foedere rursus restituto renovata significaretur) septies ad velum sanctissimi (אֶת־פְּנֵי פָּרֹכֶת) spargebatur (הִזָּה) et cornibus altaris aurei illinebatur (נָתַן), quo facto reliquus ad basin altaris holocaustorum (אֶל־יְסוֹד מִזְבַּח הָעֹלָה) effundebatur, caro autem, peccatis quasi onerata ideoque impura, extra castra vel urbem in loco, in quo cineres congeri solebant, concremabatur, excepto adipe, qui in altari accendebatur. — et sacrificia, quorum sanguis, ubi cornibus tantum altaris holocaustorum illitus erat, ad latus huius altaris effundebatur, caro autem excepto adipe, qui in altari comburebatur, a sacerdotibus in loco sancto i. e. in atrio tamquam cibus sanctissimus comedebatur. *Vasa,* quae illis carnibus coquendis adhibebantur, si *testacea* essent, frangenda, si *aenea,* diligenter fricanda et eluenda erant (Lv 6, 21) idque propterea, quod vas fictile aliqua parte humoris et iusculi imbuebatur, non item vas ex aere aliove metallo (sub aere enim omnia metalla intellegenda sunt). Quodcumque *vestimentum* sanguine talis victimae fortasse adspersum erat, in loco sancto lavari debebat (ib. v. 20).

Prioris classis sunt sacrificium pontificis die expiationis oblatum et sacrificia pro peccato pontificis vel totius populi, exceptis tamen sacrificiis, quae Lv 9, 8. 15 memorantur; *posterioris* sacrificia pro peccato principis et hominis plebeii. Illa a rabbinis חטאות הפנימיות *sacrificia interiora*, haec חטאות החיצונות *sacrificia exteriora* nominantur (Siphra 49[a]).

De ritu sacrificiorum pro peccato bene Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 8: „Sacrificium pro peccato offerebatur deo ex necessitate remissionis peccati et conveniebat statui paenitentium in satisfactione peccatorum. Quod dividebatur in duas partes. Una pars comburebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum, ad significandum, quod expiatio peccatorum fit a deo per ministerium sacerdotum, nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi vel specialiter pro peccato sacerdotis; tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in usum sacerdotum ea venire, quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur, ac si non offerretur". — Ex opinione Philonis (De animal. sacrif. idon. opp. II, 248) carnes illorum sacrificiorum, quae pro peccato pontificis aut totius

populi offerebantur, non comedebantur, sed in altari cremabantur, quoniam κρείττων οὐδεὶς ἀρχιερέως ἢ τοῦ ἔθνους ἐστίν, ὃς ἁμαρτησάντων γενήσεται παραιτητής.

Quod sacerdotes carnem hostiarum pro peccato comedebant, nonnulli homines docti (velut E. W. Hengstenberg, C. F. Keil, G. H. A. Ewald, H. Zschokke) in rebus divinis numerare voluerunt, cum dicerent esum illum ut incorporationem peccati vel hostiae peccato onustae peccatum expiasse itaque non solum adspersionem sanguinis, sed etiam esum carnis ad expiationem pertinuisse. Quam sententiam probare student verbis Lv 10, 17: „Quare non comedistis hostiam pro peccato in loco sacro, cum sit sacrosancta illamque vobis (Jahve) dederit, ut auferatis iniquitatem coetus, ad expiandum eos in conspectu (coram) Jahve", quem locum iam Cornelius a Lapide ita explicat: „ut cum hostiis populi pro peccato simul etiam peccata populi in vos quasi recipiatis, ut illa expietis et pro eorum venia deum deprecemini". At eo loco non dicitur sacerdotibus, cum carnem illius hostiae comedant, peccata populi expianda esse, quod iam sanguine adsperso factum est, sed Jahven sacerdotibus carnem hostiae pro peccato ut praemium dedisse, quod hostiâ illâ oblatâ peccata populi expiarent. Locus igitur allatus eâdem est sententiâ qua Lv 7, 7: „Sicut sacrificium pro peccato, ita sacrificium pro delicto; eadem illis lex est eritque sacerdotis, qui per id expiat" (i. e. ad eum sacerdotem hostia illa pertinebit, qui per eam peccatum alicuius expiat) et Lv 6, 19: „Sacerdos, qui victimam piacularem offert (i. e. sacrificio expiat, nam חִטָּא proprie est *expiare*), comedet eam". Quodsi sacerdos carnem hostiae pro peccato comedit, id nihil aliud significat nisi sacerdotem ut ministrum Jahvae etiam de mensa vel de cibo Jahvae alimentum suum accipere, cum Jahve ei omnes partes, quas non sacrificio combusto sibi ipse vindicat, ut cibum condonet.

III. Sacrificia pro delicto populo non erant praescripta, sed singulis personis, idque nullo principum aut hominum privatorum discrimine statuto nullaque pauperibus concessa indulgentia. Atque sex in litteris sacris enumerantur delicta, quae tali sacrificio expiari poterant:

1) Si quis per errorem (בִּשְׁגָגָה) aliquid de rebus sacris (מִקָּדְשֵׁי יְהוָה) interverterat, velut decumas vel primitias non solverat, pro peccato illo vel arietem integrum offerre vel tot siclos argenteos (כֶּסֶף־שְׁקָלִים) recti et iusti ponderis (id enim verbis שֶׁקֶל־הַקֹּדֶשׁ indicatur), quot sacerdos constituebat, solvere debebat; insuper restitutio rei, additâ quintâ eius parte, praescripta erat (Lv 5, 15 s.).

Verba כסף־שקלים quid valeant, interpretes dissentiunt. Atque complures (inter quos etiam Hieronymus) numerum pluralem שקלים pro numero duali positum esse opinantur, ut *duo sicli* significentur. Quod si ita esset, verba בְּעֶרְכְּךָ *ex aestimatione tua*, quae praecedunt, plane essent supervacanea. Si enim pretium arietis duorum siclorum erat, quid est causae, cur sacerdos aestimaret? Vero igitur propior esse videtur eorum opinio, qui כסף־שקלים hypallagen esse contendunt pro שקלי־כסף ut II Sm 24, 24. Neh 5, 15.

2) Si quis per ignorationem (לא־יָדַע) aliquid lege prohibitum fecerat et peccati reus iniquitatem suam intellexerat (velut si quis [non sacerdos] res sanctissimas inscius contrectaverat; si quis per errorem victimam, quae defectu aliquo laboraret, vel feminam pro mare in sacrificium obtulerat; si quis pollutus in templum ingressus erat), arietem integrum immolare debebat (Lv 5, 17—19).

3) Si quis rem alienam (depositam, perditam, furto ablatam) sibi sumpserat eamque occultaverat et mendacium suum iureiurando firmaverat, arietem offerre debebat; insuper restitutio rei, additâ quintâ eius parte, praescripta erat (Lv 5, 21—26).

4) Si quis cum ancilla, quam dominus uxorem repudiaverat, sed non liberaverat, ut aliis nuptiis inhabilis esset, coierat, arietem immolare debebat; praeterea utraque pars poena quadam (בִּקֹּרֶת) afficiebatur (Lv 19, 20—22).

Hebraei (ut Ibn'Esra) vocabulo בקרת *flagellationem* significare dicunt et contendunt, ubi nulla certa poena sancta est, ibi flagellationem intellegi. Sa'adja eam poenam ad solam ancillam refert, cum vertit: *faltaku maḥdudatan* i. e. tunc sit castigata sc. talis femina. Sed eam etiam ad virum pertinuisse clare apparet ex eo, quod additur: לֹא יוּמְתוּ *non occidentur*, non לֹא תוּמַת *non occidetur*, quod dicendum erat, si illa poena ad solam ancillam pertinebat.

Quae autem fuerit causa, cur non poena capitalis sancta esset, si quis eius modi concubitum commisisset, v. 21 additur verbis: כִּי־לֹא חֻפָּשָׁה *quia non est manumissa* i. e. eo quod ancilla nondum plenam nacta erat libertatem necdum sollemnia nuptiarum celebrata erant. Ubi igitur matrimonium non erat verum, ibi non erat adulterium neque poena capitalis adulterorum et adulterarum (Dt 22, 23 s.) locum habebat.

5) Leprosus, si convaluerat (Lv 14, 12), et **6)** naziraeus, si ex inopinato contaminatus erat (Nm 6, 12), agnum offerebat.

Ergo *materia* sacrificiorum pro delicto ex solis hostiis maribus sumebatur. *Ritus* oblationis iidem erant, qui in sacrificiis pro peccato (Lv 7, 7). Sanguis victimae circum altare fundebatur (ib. v. 2); adipes in altari concremabantur (ib. v. 3—5); carnes erant sacerdotum, qui eas in loco sancto comedebant (ib. v. 6).

Haec sacrificia quia (ut supra diximus) pro iis delictis offerebantur, quibus iura vel Jahvae vel hominis violabantur, *satisfactio* a reo praestanda (restitutio, victima, poena) ad ea pertinebat; nam etiam lepra, quae tamquam symbolum et poena peccati hominem eâ laborantem e communitate theocratica excludebat, violationi foederis aequiparabatur, cui satisfieri oportebat, et naziraeus se contaminans tempus deo dicatum eripiebat ideoque expiare debebat.

C) De sacrificiis pacificis

I. Quartum sacrificiorum cruentorum genus constituunt sacrificia pacifica (שְׁלָמִים Lv 7, 14; 9, 4. 22. Ez 45, 15., plenius זֶבַח שְׁלָמִים Lv 3, 1; 4, 10; 7, 11; Nm 7, 17., semel שְׁלָם Am 5, 22). De vocabuli שלם (= Assyr. *šalammu*?) propria significatione interpretes dissentiunt. Complures id a שְׁלֵם (forma Pi'el verbi שלם) derivant, ita ut sacrificium retributionis sive remunerationis significetur i. e. *sacrificium eucharisticum* sive ad gratias deo referendas oblatum (χαριστήριος θυσία Jos. AJ 3, 9. 1 s.). Respiciendum tamen est שלמים non solum ad gratias pro beneficiis acceptis agendas offerri consuevisse, sed etiam ad auxilium divinum in rebus adversis impetrandum (Jdc 20, 26; 21, 4. I Sm 13, 9. II Sm 24, 25). Quare alii significationem formae Qal verbi שלם praeferunt: *integrum, salvum esse, pace frui* (cf. Assyr. *šalâmu*). Velut Graeci Alexandrini (Sm. Rg. Prov.) vocabulum שלם interpretantur εἰρηνικὴν θυσίαν vel (Pent. Jos. Jdc. Ez. Am. Chr.) σωτήριον sive θυσίαν σωτηρίου; item Philo (De animal. sacrif. idon. opp. II, 240) et Vulgata: *victimam pacificam, hostiam pacificorum.*

Quae sacrificia erant aut *gratiarum actoria,* quae ad gratum erga deum animum testandum pro beneficio aliquo impetrato offerebantur, aut *impetratoria* pro divinis beneficiis impetrandis (זֶבַח הַתּוֹדָה Lv 7, 12; 22, 29., plenius זֶבַח תּוֹדַת הַשְּׁלָמִים Lv 7, 13. 15., simpliciter תּוֹדָה Jer 17, 26; 33, 11. Ps 56, 13. LXX θυσία αἰνέσεως) aut *votiva* (נֶדֶר Lv 7, 16; 22, 21. LXX εὐχή) aut omnino *voluntaria,* quae quis nulla lege coactus, sed sola pietate sua in deum impulsus ultro deferebat (נְדָבָה Lv 7, 16; 22, 18. 21. 23. LXX ἑκούσιον vel κατὰ αἵρεσιν).

A talmudistis (M. Menachoth 5, 7) sacrificia pacifica dividuntur in *publica* (זבחי שלמי צבור) et *privata* (ז' ש' יחיד).

II. Admittebantur omnes victimae idoneae (pro sacrificiis voluntariis etiam levi aliquo defectu laborantes Lv 22, 23), exceptis tamen avibus, quia tam exigua animalia bene dividi vix poterant (Lv 3, 1. 6; 9, 4. 18; 22, 21; 23, 19. Jos. AJ 3, 9. 2). Sanguis victimae circum altare fundebatur (Lv 3, 2; 9, 18; 17, 6. II Rg 16, 13). Adipes in altari concremabantur (Lv 3, 3—5. 9—11. 14—16; 17, 6). Pectusculum (חָזֶה) et armus (שׁוֹק) [1] dexter in manibus offerentium agitabantur et pro Jahve separabantur (Lv 7, 31 s. 34; 9, 21. Nm 6, 19 s.); armum sacerdos sacrificans recipiebat, pectusculum omnium erat sacerdotum (Ex 29, 27 s. Lv 7, 31 s; 10, 14. Nm 6, 20) [2], et quia utraque pars non erat sanctissima, extra sacrarium in loco mundo adscitis mulieribus et liberis comedi poterat

(Lv 10, 14). Reliquae carnes ab offerente in convivium sacrum insumebantur, ad quod prope sacrarium (temporibus templi secundi intra urbem, M. Sebachim 5, 7) institutum mancipia, viduae, pupilli, pauperes, Levitae invitandi erant (Dt 12, 12. 18; 16, 11. 14). Caro sacrificii ad gratias deo agendas oblati eodem die comedenda erat (Lv 7, 15; 22, 30): caro sacrificiorum, quae sponte et votorum solvendorum causâ offerebantur, etiam altero die comedi poterat, semper tamen a levitice mundis solis; quae restabant, igni absumenda erant (Lv 7, 16 s; 19, 5 s.). Cuius legis causa non est dubium, quin haec fuerit, ut qui sacra faciebant carnem hostiarum Levitis et pauperibus distribuere cogerentur, quod factum non esset, si illam servare licuisset[3]. Fortasse etiam ideo id praescriptum erat, ne sacrificiorum causâ convivia in plures dies protraherentur. Accedebant *sacrificia incruenta* (Lv 7, 12) atque panes fermentati (ib. v. 13), utique non tamquam sacrificii, sed tamquam convivii sequentis pars[4].

[1] Vocabulum חזה (LXX στηθύνιον, Jos. στῆθος) non *pectus* significat, sed illam pectoris partem, quae proxime armum adhaeret, atque שוק proprie non est *armus* sive βραχίων (LXX) neque κνήμη (Jos.), quae est pars cruris inferior, minimam habens carnem et adipem, sed aut totum crus posterius aut eius pars superior.

[2] Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 8: „Per hoc significabatur, quod sacerdoti erat necessaria *sapientia* cordis ad instruendum populum, quod significabatur per pectus, quod est tegumentum cordis, et etiam *fortitudo* ad sustentandum defectus, quae significabatur per armum dexterum".

Cum loco Lv 7, 31 s. pugnare videtur Dt 18, 3., ubi sacerdotibus assignantur וְרוֹעַ LXX βραχίων, *crus anterius*, longe minus habens carnis quam crus posterius; קִבָּה LXX ἔνδοτρον sive ἧνδοτρον quartus stomachus, in quo digestio absolvitur, *omasum*, cibus minus lectus quam pectusculum; praeterea לְחָיַיִם LXX σιαγόνια, duae maxillae, quae sunt cibus lectus in vitulis, sed tenuis in ovibus et capris. Atque complures existimant Dt 18, 3 non de iis agi, quae sacerdotibus de victimis pacificis concedenda sint, sed de mactationibus domesticis. Ita iam Philo (De sacerd. honor. opp. II, 235) et Josephus (AJ 4, 4. 4). Alii dicunt Dt 18, 3 cultum divinum describi, qualis tum reapse apud sacrarium vigebat, etsi legi Leviticae non plane congruebat; nam res sacerdotum paulatim in peius esse versas, ita ut pro crure posteriore crus anterius, pro pectusculo omasum penderetur, atque quod sacerdotibus ex reditu cessaverat, duabus maxillis partim suppletum esse. Ita F. de Hummelauer, Comm. in Dt 366.

[3] Ita Theodoretus, Qu. 6. in Lv. MSG 80, 312.

[4] Origenes, Hom. 5. in Lv. § 7. MSG 12, 457 s.: „Requires fortasse, cum superius fermentum penitus abiecerit de sacrificiis, quo modo nunc super panes fermentatos sacrificium mandat imponi? Verum dili-

gentius intuere, quia non ad sacrificium, sed ad ministerium sacrificii fermentatus panis assumitur".

Ut supra diximus, participatio carnis victimarum, quae offerenti licebat, propiorem significat accessum ad deum. Quapropter omnes convivae levitice mundi in hoc epulo magna cum laetitia accumbere debebant (cf. loquendi formulam: שָׂמַח לִפְנֵי יְהוָה *laetatus est* i. e. sacras epulas instruxit *coram Jahve* Lv 23, 40. Dt 12, 7. 12. 18; 14, 26). quo *symbolice* et *typice* consociatio cum deo spiritualis et sacramentalis praeparabatur et significabatur, quae locum habet in ss. eucharistia novi testamenti, in qua Christus totum suum corpus non tantum cum sacerdotibus, sed cum omnibus fidelibus communicat (I Cor 10, 16—21. cf. 11, 24. Jes 25, 6) quaeque potissimum sacrificium pacificum sive eucharisticum est. „Erat haec comestio complementum et consummatio sacrificii eucharistici" (Cornel. a Lap. ad Lv 7, 30).

Caput tertium

De sacrificiis incruentis

I. Praeter sacrificia cruenta etiam complura incruenta sive cibaria (quae ab ipsis mundi primordiis initium sumpserunt)[1] offerebantur, quorum materia duplicis erat generis:

1) solida, quae (excepto hordei manipulo, qui secundo paschatis die offerebatur Lv 23, 10 s. et sacrificio zelotypiae Nm 5, 15) sumebatur:

a) e farina tritici purissima (סֹלֶת Lv 2, 1. LXX ἄλευρον καθαρώτατον, Ibn ʿEsra קמח חטה נקיה = *farina tritici puri*)

b) e granis tostis et in maiores particulas contusis (גֶּרֶשׂ כַּרְמֶל Lv 2, 14)

c) e placentis, quarum tres species memorantur: α) panes in furno sive clibano (תַּנּוּר Assyr. *tinûru*) cocti, et quidem vel חַלּוֹת (i. e. *perforatae* placentae) panes crassiores[2] vel רְקִיקִים (LXX λάγανα, Vulg. *lagana*) panes tenues[3] (Lv 2, 4); β) panes in frixorio plano et lato (מַחֲבַת) tosti, qui edendi causâ minutatim dividebantur (Lv 2, 5 s.); γ) panes in aëno sive lebete (מַרְחֶשֶׁת)[4] elixi (Lv 2, 7). Itaque sacrae litterae illum panis coquendi modum excludere videntur, quo facile aliquid impurum admisceri poterat, i. e. panes, qui sub cineribus calidis aut carbonibus coquebantur, quales etiam nunc orientales in itinere et urgente tempore parare solent.

2) fluida i. e. vinum, nescio an rubrum (cf. αἷμα σταφυλῆς Sir 50, 15), quod orientales plures aestimant quam album.

[1] Sacrificium a Kain oblatum antiquissimum et quantum scimus omnium primum de fructibus terrae fuisse Gn 4, 3 legimus. Cf. etiam Prudent. Peristephanon 10, 264. MSL 60, 468. Ovid. Fast. 1, 337—346.

[2] Tales placentas Arabes etiam nunc parant. Atque solent urceum, cuius os et venter eiusdem sunt latitudinis, dimidium implere silicibus parvis, qui pro foco inserviunt; tum urceo satis calefacto, massam farinae super silices sternunt et hoc modo placentas, quae a silicibus subiacentibus foramina habent, coquunt.

[3] Hesychius, Lex. II, 407. s. v. λάγανα: εἶδος πλακουνταρίου, ὡς πυρώθη, ἀπὸ σεμιδάλεως, ἐν ἐλαίῳ τηγανιζόμενον, καὶ ἀρτιβραχεῖ ἐλαίῳ. — Quod placentarum genus ab Arabibus hoc modo paratur: Calefaciunt magnum urceum lapideum, in cuius latere exteriore massam ex farina et aqua confectam ponunt, quae cum tenuissima sit, sua sponte explicatur et brevi percoquitur.

[4] Veteres מרחשת minus recte *craticulam* interpretantur. Velut Graeci Alexandrini, qui ἐσχάραν vertunt, quo vocabulo significatur βωμὸς ἰσόπεδος, οὐκ ἐκ λίθου ὑψούμενος, ἢ ἑστία σιδηρᾶ φακαραία (sive ἐφ' ᾧ καίεται) τὸ πῦρ. καὶ ὁ τόπος αὐτοῦ χυτρόπους, ἢ πυροφόρον σκεῦος (Hesychius, Lex. I, 1473). Onkelos vertit רַדְתָּא, quod alii *craticulam*, alii *sartaginem*, alii *caccabum* interpretantur, ex quo apparet significationem vocabuli ignotam esse. Plerique Judaeorum מרחשת a מחבת ita distinguunt, ut dicant fuisse vas concavum et profundum.

Sacrificia incruenta solida nomine מִנְחָה appellabantur, quod proprie quodvis *donum* significat, a radice inusitata מנח, quae respondet Arabico *manaḥa* = distribuit, donavit. Rarius vocantur קָרְבַּן מִנְחָה. Graeci Alexandrini plerumque vertunt θυσία, etiam δῶρον, προσφορά, σεμίδαλις; nonnumquam vocabulum Hebraicum servant idque μαναά efferunt, ut IV (II) Rg 8, 9; 17, 3. II Chr 7, 7. Vulgata: *oblatio, munus, sacrificium, oblatio sacrificii.*

Licet nomine mincha in lege Mosaica saepissime appelletur donum deo dicatum e rebus inanimis (velut Lv c. 2; 6, 7—10; 7, 9 s; 10, 12), nonnumquam tamen etiam victimae eo vocantur nomine (ut Gn 4, 4). Interdum id vocabulum etiam de sacrificio universo usurpatur (velut I Sm 2, 17; 26, 19. Mal 2, 13; 3, 4). Ceterum mincha opponitur זֶבַח sacrificio cruento. Hinc loquendi formula זֶבַח וּמִנְחָה (I Sm 2, 29. Jer 17, 26. Ps 40, 7. Dn 9, 27).

Sacrificia incruenta liquida vocantur nomine נֶסֶךְ vel נְסִיךְ (a verbo נָסַךְ *fudit, effudit* numinis divini honoris causâ = *libavit*, σπένδειν) = *libatio;* LXX σπονδή, σπονδεῖον; Vulgata *libamen, libamentum.* Saepe copulantur מִנְחָה וָנֶסֶךְ (Joel 1, 9. 13; 2, 14).

Notandum tamen est nomine *libamentorum* in sacris scripturis nonnumquam non solum res liquidas, sed totum sacrificium incruentum intellegi (ut Lv 9, 17).

Omni sacrificio incruento addebatur מֶלַח *sal* (Lv 2, 13) et שֶׁמֶן זַיִת *oleum olivae*, quod aut fundebatur aut conspergebatur aut in panes linebatur aut cum farina subigebatur (Lv 2, 1. 4 s. 15; 7, 10. 12; 9, 4; 14, 10. 21; 23, 13. Nm 6, 15; 7, 13 ss; 8, 8; 15, 4 ss; 28, 5 ss; 29, 3 ss.). Nonnullis sacrificiis (Lv 2, 1 s. 15 s; 6, 8), ut etiam thymiamati sacro (Ex 30, 34) et panibus propositionis (Lv 24, 7) insuper לְבֹנָה *tus* addebatur.

Sacrificio incruento pro peccato et sacrificio zelotypiae neque oleum neque tus addebatur (Lv 5, 11. Nm 5, 15).

Ab altari exclusum erat (Lv 2, 4. 11; 6, 10. cf. Am 4, 5): a) *fermentum* (שְׂאֹר LXX ζύμη), non quia ex corruptione fit [1], deo autem omnia sincera, integra, incorrupta offerri oportebat (qua ex causa etiam apud alias gentes antiquas panes fermentati in sacris prohibiti erant), sed tamquam symbolum corruptionis morum sive peccati (I Cor 5, 6. 8. Gal 5, 9. cf. Mt 16, 6. Mc 8, 15. Lc 12, 1) [2]. Ceterum azyma Hebraeis liberationem e servitute Aegyptia constanter in memoriam revocabant.

[1] Plutarchus, Quaest. Rom. § 109: Ἡ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη.

[2] Theodoretus, Qu. 1. in L. MSG 80, 305: Οἶμαι, διὰ τῆς ζύμης τὴν παλαιότητα τῆς πονηρίας αἰνίττεσθαι. Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 14: „Fermentum non offerebatur ad excludendam corruptionem et forte etiam in sacrificiis idolorum solitum erat offerri". Cf. Justin. Dialog. c. Tryph. § 14. MSG 6, 504 s. J. Lightfoot, Hor. hebr. ad Mt 16, 6.

b) *mel* (דְּבַשׁ LXX μέλι), quae lex imprimis mel apum respiciebat; neque vero dubium est, quin de aliis quoque mellis generibus observabatur. Cur vero melle in sacris uti nefas fuerit, interpretes dissentiunt. Complures putant legislatorem mel ob id ipsum, quod in sacris ethnicis frequenter adhiberetur (cf. Ez 16, 19), pro impuro habuisse et in sacrificiis Jahvae oblatis offerri noluisse [1]. Sed si haec fuisset causa, etiam alios ritus cultus Levitici, qui cum aliarum gentium caerimoniis sacris conveniunt, ex illo reici necesse fuisset. Neque verisimilior est eorum sententia, qui mel proptera exclusum esse contendunt, quod apis animal immundum censebatur [2]. Alii rursus opinantur mel, cum antiqui id tamquam symbolum luxuriae considerant, a sacrificiis prohibitum esse [3]. Sed vera huius interdicti causa haec fuisse videtur, quod mel habet vim

fermentandi[4]. fermentum autem, ut supra diximus, symbolum corruptionis morum sive peccati est.

[1] Velut Maimonides, More nebochim 3, 46 mel propterea ab altari exclusum esse putat, „quod idololatrae res dulces ad oblationes suas eligebant easque melle inungere solebant." Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 14: „Mel non offerebatur in sacrificiis dei, quia in sacrificiis idolorum offerri consueverat".

[2] Ita Philo, De sacrificant. opp. II, 255: Μέλιττα ζῷόν ἐστιν οὐ καθαρόν. Ephraem. Syr. Explan. in Lv. c. 2. opp. I, 237: „Mel offerri lex prohibet . . . , quia mellis opifices, apes, cadaveribus resident neque immunda a lege reiecta cavent". Item Theodoretus, Qu. 1. in Lv. MSG 80, 304 s.

[3] Ita Cyrillus Alex. Hom. pasch. II. § 4. MSG 77, 433: Ἀποφάσκει (deus) τὴν τοῦ μέλιτος προσαγωγήν. ἡδονὴν γὰρ τοῦτο σημαίνει. Quam interpretationem etiam Thomas loco allato profert: „Mel non offerebatur in sacrificiis dei...ad excludendam omnem carnalem dulcedinem". Cf. Hieronym. Ep. 78. ad Fabiolam, mans. 40. Comm. in Joel 1, 5. MSL 22, 721; 25, 954.

[4] Hinc חָמֵיץ *dulcedinem amittere, corrumpi, fermentari, fermentescere, acescere* valet (J. Buxtorf, Lex. Chald. 500. s. v. חמץ).

Ceterum a solis sacrificiis in altari comburendis fermentum et mel excludebantur, non excludebantur a donariis sacris (Lv 2, 11 s. II Chr 31, 5), quae ad sacerdotes redibant (Nm 18, 12). Etiam duo panes, qui in sollemnitate pentecostes offerebantur et specimina erant panis ordinarii apud Hebraeos usurpandi, fermentati erant (Lv 23, 17). Item sacrificio pacifico, quod solum offerebatur, ut deo ob acceptum aliquod beneficium gratiae agerentur, panes fermentati addebantur (Lv 7, 13). Sed de his nihil altari imponebatur.

Adnotatio. — Mel, cum apud Hebraeos ab altari exclusum erat, apud Babylonios pro materia sacrificiorum usurpabatur. Nam in eorum sacrificia incruenta creberrime mel et butyrum (*dišpu u ḫêmetu*) insumebantur; praeterea lac (rarius), palmulae, fici, oleum, in libationes varia genera vinorum, sicera (*šikaru*, שִׁכָּר), aqua fluminum vel fontium.

Quae cum ita sint, materia sacrificiorum incruentorum e rebus, quae ad agriculturam pertinent et vel cibo vel potui vel condimento vel medicamento serviunt, sumebatur, quas sibi res homo summo labore comparat. Ita significabatur populum non tantum fruges terrae deo debere. sed etiam se fruges singulares i. e. bona opera ferre et offerre oportere.

De qua re Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 13: „Ea, quae in usum hominis veniunt de terrae nascentibus, vel sunt in *cibum*, et de

his offerebatur panis: vel sunt in *potum,* et de his offerebatur vinum; vel sunt in *condimentum,* et de his offerebatur oleum et sal; vel sunt in *medicamentum*, et de his offerebatur tus, quod est aromaticum et consolidativum. Per *panem* autem figuratur caro Christi, per *vinum* sanguis eius, per quem redempti sumus, *oleum* figurat gratiam Christi, *sal* scientiam, *tus* orationem".

II. Sacrificia incruenta erant 1) partim *propria*, quae non ad victimam pertinerent, partim *appendices* sive *additamenta* sacrificiorum cruentorum; 2) partim *publica* sive nomine totius populi oblata, ut sacrificium incruentum in holocausto cottidiano (Ex 29, 40. Nm 28, 5), in sacrificiis sabbaticis (Nm 28, 9) et festivis (Lv c. 23. Nm 28, 11 ss; c. 29), partim *privata,* ut illud leprosorum (Lv 14, 20 s.) et naziraeorum (Nm 6, 15. 17).

1) Atque sacrificia incruenta propria, quae in Talmud הנסכים הבאים בפני עצמן vocantur (M. Sebachim 4, 3), a lege Mosaica praescripta erant haec:

a) *in sanctuario offerenda:*

α) panes propositionis, qui singulis sabbatis permutabantur atque a solis sacerdotibus ut sacerrimi in loco sancto manducabantur (Lv 24, 8 s.)

β) thymiama cottidianum (Ex 30, 7.)

γ) lucernae ardentes, quae consumptione olei sacrificium fiebant (Ex 27, 21. Lv 24, 3)

b) *in atrio offerenda:*

α) fertum cottidianum (מִנְחָה תָּמִיד), quod pontifex pro se ipso universisque sacerdotibus mane et vespere offerebat (i. e. pugillus similae oleo commixtae et tus super similam sparsum) totumque comburebatur, cum nemo superior esset sacerdotibus, cui aliqua pars comedenda assignari posset (Lv 6, 12—19. cf. Sir 45, 14. Hebr 7, 27. Jos. AJ 3, 9. 4). Offerebatur autem hoc sacrificium ut signum praecipui muneris sacerdotalis i. e. officii deo sacra faciendi eratque incruentum, non cruentum, quod sacerdotes inter Jahven eiusque populum intercedentes non ut expiandi, sed ut sancti cum fructibus vitae sanctae Jahvae appropinquare debebant. Quare id sacrificium typus est sacrificii eucharistici novi foederis.

β) manipulus spicarum hordei, qui secundo paschatis die Jahvae consecrabatur (Lv 23, 10—13)

γ) primitiae panum ex simila fermentata recentis tritici in sollemnitate pentecostes oblatae (Lv 23, 17 s.)

δ) sacrificium zelotypiae (Nm 5, 12—31), quod fortasse rectius oblationibus pro peccato quam sacrificiis incruentis adnumeratur; nam ut illae (Lv 5, 11) carebat oleo et ture; pugillus farinâ plenus comburebatur (Nm 5, 26 coll. Lv 5, 12); reliqua pars sacerdotis fiebat.

ε) sacrificium incruentum pro peccato, quod pauperes offerre poterant (Lv 5, 11—13).

Eius modi sacrificia antiquis temporibus multo frequentiora fuisse et ex sacris litteris et ex typica eorum relatione ad salvatoris sacrificium cruentum et incruentum colligi potest. Sed quod ea raro lege iniungerentur quodque ex vulgi aestimatione cruentis minus pretiosa haberentur minusque essent in votis, effectum esse videtur, ut postea multo rarius fierent. Ceterum etiam Hebraeos commenticiorum deorum cultui deditos ferta et libamina obtulisse ex Jes 57, 6 apparet.

Haud recte complures protestantes sacrificia incruenta sola per se in vetere testamento exstitisse negaverunt. Ut supra diximus, iam Kain tale sacrum fecit (Gn 4, 3); quod si deo displicebat (ib. v. 5), non genus sacrificii, sed animus, quo Kain sacrificavit, eius rei causa erat. Item Melchisedech tale sacrificium obtulit; nam Gn 14, 18 legimus: „Melchisedech, rex Salem, לֶחֶם וְיַיִן הוֹצִיא *produxit* (i. e. attulit) *panem et vinum* — erat enim sacerdos summi dei — et benedixit ei (Abraham)“. Quo loco verba „produxit panem et vinum“ non ita intellegenda sunt, ut iis nihil aliud significetur nisi panem et vinum ex urbe portata esse, ut defessi servi Abraham ederent et biberent (Jos. AJ 1, 10. 2), sed ut sacrificio panis et vini gratiae agerentur deo [1]. Quod ex multis rebus apparet: Atque primum quidem loco illo sacerdotio Melchisedech probatur eum ipsum panem et vinum obtulisse. Nam sententia media „erat enim sacerdos dei summi“ non cum sequenti „benedixit“, sed cum antecedenti „produxit“ coniungenda est, quod ex distinctione textus Hebraici et versionum apparet. Indicatur igitur, qua causa Melchisedech panem et vinum attulerit. Sacerdotis autem officium proprium est sacrificare. Ergo si panem et vinum attulit, quia כֹּהֵן *sacerdos* [2] erat, sacrificii offerendi gratiâ attulit. Sunt quidem qui existiment sententiam illam mediam cum sequenti coniungendam esse causamque benedictionis indicare. Quam coniunctionem divisioni textus masorethici et versionum contrariam esse omittimus atque id solum notamus, benedicere in vetere testamento nequaquam sacerdotum proprium esse; nam parentes quoque, reges, amici, alii benedicunt. Quo igitur consilio sacer scriptor adnotat Melchisedech benedicentem fuisse sacerdotem? — Deinde servis Abraham victum praebere necesse non

fuit, quoniam hostibus plurima cibaria eripuerant (Gn 14, 11. 16) et etiam ante adventum Melchisedech iis corpora refecerant (ib. v. 24). — Tum Abraham certe abnuisset hominem alienigenam servis suis victum praebere, quod ab ipso rege Sodomorum nihil accepit, etsi ius ac potestatem eius rei habuisset. — Praeterea cum saepius legamus Abraham altare aedificasse et sacra fecisse, ut deo gratias referret (velut Gn 12, 7 s; 13, 18), haud probabile videtur eum post victoriam deo protegente reportatam (ib. 14, 20) non sacrificasse. Atqui nullo alio loco de sacrificio ab Abraham oblato quidquam traditur. Ergo verba loci Gn 14, 18 de sacrificio interpretanda sunt. — Etiam traditio Judaica testatur Melchisedech sacrificasse atque iam Philo dicit eum primo sacrum fecisse (τὰ ἐπινίκια ἔθυε), postea cenam parasse, quare eum τὸν μέγαν ἱερέα τοῦ μεγίστου θεοῦ appellat (De Abraham, opp. II, 34). — Denique non solum novum testamentum (Hebr 5, 6. 10; 6, 20; c. 7) [3] et doctrina ecclesiae omniumque patrum dicit Melchisedech ipsum typum esse Christi, summi pontificis novi testamenti, sed etiam eius sacrificium panis et vini typum esse sacrificii eucharistici ab ecclesia multisque patribus iudicatum est [4].

[1] Ceterum הוציא per se non significat *obtulit* pro sacrificio, sed *protulit, attulit* (LXX ἐξήνεγκεν). Quare concedimus ex solo hoc verbo sacrificium non demonstrari. Neque Jdc 6, 18 id verbum sacrificium significat. Tamen aeque de sacrificio atque de alia re offerenda usurpari potest.

[2] Quod vocabulo כהן h. l. significatio *sacerdotis* denegata est, quippe cum II Sm 8, 18 quoque latior sententia ei subiecta esset, id risum movet atque ne ipsis quidem rationalistis recentioris aetatis placet.

[3] Quibus locis apostolus sacrificium Melchisedech sacrificio Aaronitico opponens dicit Christum sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron. Sacerdotes autem Aaronitici offerebant animalia omnis generis. Ergo Melchisedech non animalia sive victimam cruentam, sed sacrificium incruentum i. e. panem et vinum obtulit.

[4] Conferas verba canonis missae: „Melchisedech, summus sacerdos, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam". — Praeterea conc. Trid. sess. XXII. c. 1. Catech. conc. Trid. p. 2. c. 4. n. 75. — Ex multis locis patrum ecclesiae, qui eo spectant, paucos afferamus. Cyprian. Ep. 63. § 4. MSL 4, 375 s. Ambros. De Abraham 1, 3. ib. 14, 427. Hieronym. Ep. 73. § 3. Quaest. Hebr. in Gn 14, 18. ib. 22, 678; 23, 961. August. De civ. dei 16, 22. Contra advers. leg. et prophet. 1, 20. ib. 41, 500; 42, 626 s. Clem. Alex. Strom. 4, 25. MSG 8, 1369. Euseb. Demonstr. evang. 5, 3. ib. 22, 365. 368. Ps. Athanas. Hist. de Melchisedech, ib. 28, 525—529. Theodoret. Qu. 64. in Gn. Interpret. in Ps 109, 4. ib. 80, 172. 1772 s. Chrysost. Hom. 35. in Gn. Hom. de Melchisedech § 3. ib. 53, 328; 56, 260 s.

Ceterum videas L. Reinke, Beiträge zur Erklärung des alten Testaments VIII, 241—255. J. Derambure, Melchisédech, type du messie (Revue augustinienne XII, 36—62).

2) Praeterea sacrificia incruenta (i. e. farina triticea cum oleo et vino) holocaustis et (insuper panes) sacrificiis pacificis addebantur, sed non holocaustis avium (cf. Lv 1, 14—17), quae certe minus sollemnia habebantur, neque victimis pro peccato et pro delicto (sacrificio pro delicto leprosi sanati excepto Lv 14, 10).

Mensura farinae, olei, vini pro victimis erat diversa (Nm 15, 4—10. Jos. AJ 3, 9. 4):

pro agno vel haedo: $^1/_{10}$ epha farinae atque $^1/_4$ hin olei et vini
pro ariete . . . : $^2/_{10}$ „ „ „ $^1/_3$ „ „ „ „
pro bove . . . : $^3/_{10}$ „ „ „ $^1/_2$ „ „ „ „

De ture et sale nulla mensura praescribebatur.

Atque sacrificiis cruentis legislator addi voluit incruenta, ut homo non solum rebus animatis, verum etiam inanimatis deum coleret simulque significaretur sacrificium eucharisticum novi testamenti a sacrificio crucis separandum non esse.

III. Ritus sacrificandi. — Pars rerum solidarum (i. e. pugillus plenus similâ oleo perfusâ [1], complura grana tosta, unus panis) in altari concremabatur „in odorem suavitatis Jahvae“ (Lv 2, 2. 9. cf. Sir 38, 11; 45, 16). Quae pars vocabatur אַזְכָּרָה (a הִזְכִּיר *in memoriam revocavit)* sacrificium *memoriale, in memoriam revocans* i. e. id. quod deo eum, qui sacrificat, in memoriam revocat. deum ei propitium reddit, deum cum eo placat; LXX μνημόσυνον vel ἀνάμνησις; Vulg. *memoriale* (Lv 2, 2. 9. 16; 5, 12; 6, 8. Nm 5, 26) [2]. Quod restabat, ad sacerdotem offerentem (Lv 7, 9) et reliquos sacerdotes (ib. 2, 3. 10: 7, 10) redibat, a quibus, quia sacerrimum erat, in loco sancto comedi debebat. Cf. Lv 6, 7—11. Jos. AJ 3, 9. 4. *Tus* autem totum adolebatur (Lv 2, 2. 16; 6, 8) ut symbolum orationis (Ps 141, 2). *Vinum* circum altare (περὶ τὸν βωμόν Jos. l. c.) vel in fundamentum altaris (εἰς θεμέλια θυσιαστηρίου Sir 50, 15) e vase quodam effundebatur vel libabatur indeque *libamen* vel *libamentum* vocabatur [3].

[1] Cum oleum symbolum spiritus Jahvae sit, oleo cum farina mixto significatur animum sacrificantis, si Jahvae placiturus sit, spiritu Jahvae plenum esse debere. Similiter iam Origenes oleum ad *divinam* misericordiam trahit (Hom. 2. in Lv. § 2. MSG 12, 414: „oleum misericordiae“: Hom. 4. in Lv. § 10. ib. 445: „oleum ad misericordiam revocatur“). Hieronymus rursus dicit oleum cum farina mixtum eo spectare, „ut

omnis oblatio dei plena sit lumine veritatis et exhilaretur facies offerentis oleum" (Comm. in Ez 46, 1 ss. MSL 25, 458).

[2] Complures viri docti אזכרה *odorem* vel *suffimentum* interpretati sunt; quae significatio neque linguâ Hebraicâ neque dialectis cognatis evinci potest. — Lv 24, 7 id vocabulum de panibus propositionis usurpatur, etsi nihil horum comburebatur.

[3] Combustione partis memorialis et turis sacrificium incruentum erat latreuticum, effusione vini propitiatorium.

Ceterum ut sacrificia cruenta indicant *modum* redemptionis, quae morte Christi effecta est, ita sacrificia incruenta *fructus* redemptionis i. e. vitam supernaturalem et *modum*, quo homines eius participes fiunt, coniunctione cum Christo idque imprimis in s. communione.

Videas V. Thalhofer, Das Opfer des alten und neuen Bundes 101—108.

Caput quartum

De sacrificiis quibusdam singularibus

I. Cum inter Jahven et Hebraeos foedus pangeretur, altari et circa id duodecim lapidibus (secundum numerum tribuum) erectis[1], populus per nonnullos adulescentes, quos Moses ei rei praefecerat, holocausta et victimas pacificas (vitulos) offerebat. Unam dimidiam sanguinis partem Moses in crateres fudit, alteram super altare sparsit. Dein libro foederis (סֵפֶר הַבְּרִית)[2] praelecto et promisso a populo unanimi consensu facto sese Jahvae cultum ac religionem pure et integre servare velle sanguinem ad populum versus adspersit, cum diceret: „En sanguis foederis, quod pepigit Jahve vobiscum super cunctis his sermonibus", quo ritu Hebraei ut gens electa consecrati et eius privilegiorum participes facti sunt. Quibus peractis e carnibus sacrificiorum pacificorum laetum convivium apparatum est. — Ex 24, 1—11.

[1] Qua re significabatur Jahven in media gente electa habitare (Ex 25, 8). Aliter Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 2. qu. 97. MSL 34, 631: „Intellegitur ex duodecim lapidibus altare aedificatum significasse ipsum populum esse altare dei, sicut est templum dei (II Chr 6, 16)".

[2] Hic liber quid complexus sit, ex mea opinione obscurum non est. Neque enim dubitari potest, quin eas leges complexus sit, quibus Jahve cum Hebraeis foedus facturus erat quaeque Ex 20, 2—17; 21, 2—23, 19 continentur.

Holocausta populum totum se voluntati divinae dedere significant. *Sacrificia pacifica* foedus inter Jahven et gentem Hebraicam perpetuum esse indicant. *Sanguis* sparsus (tamquam societatem efficiens) in librum

legis (Hebr 9, 19) est quasi sigillum sollemnis illius professionis; sanguis ad populum versus sparsus est pignus gratiarum divinarum; sanguis in altare effusus typus exstitit promissionis Jahvae se auxilium genti suae largiturum esse. Simul autem effuso sanguine significari videtur, sicut sanguis victimarum effusus et quoquoversum adspersus sit, ita quicumque foedus ruperit, eum similiter etiam suum sanguinem effundendum esse intellegere. Vocatur דַּם הַבְּרִית *sanguis foederis* i. e. sanguis, quo effuso foedus sanctum est, eratque typus sanguinis Christi in cruce effusi, quo totus mundus abluitur, sanctificatur, cum deo coniungitur (cf. Hebr 9, 12—14).

Adnotatio. — Etiam in epistula ad Hebraeos 9, 19—20 quo modo foedus inter Jahven et gentem Hebraicam constitutum sit, describitur. Discrepant tamen ea, quae hîc leguntur, a narratione, quam liber Exodi continet. Ibi enim holocausta tantum et sacrificia pacifica e vitulis memorantur, hîc etiam hircorum fit mentio; porro hîc sanguis aquâ mixtus dicitur atque lana coccinea (symbolum vitae) et hyssopus (symbolum purgationis) commemorantur; denique hîc etiam liber legis sanguine adspersus esse perhibetur — de quibus omnibus apud Mosen nihil reperitur. Ad haec facile respondere possumus apostolum partim famam secutum esse, velut de libri legis adspersione, partim ex aliis Pentateuchi locis, ubi ritus sacri describuntur, hausisse (velut ex Lv 1, 10 constat ad holocausta non modo vitulos, verum etiam hircos adhibitos esse; de aqua, lana coccinea, hyssopo conferendi sunt loci Lv 14, 2 ss. 49 ss. Nm 19, 6. 17 s.), omnia autem haec adiecisse, ut splendidiorem huius sollemnitatis descriptionem exhiberet.

II. Sacrificium iuvencae subrubrae (פָּרָה אֲדֻמָּה)[1] erat species sacrificii pro peccato[2], cui id proprium erat, ut tota victima combureretur et sacrificatio extra castra vel urbem fieret. Peragebatur autem hoc modo: Iuvenca subrubra et *vitii expers* (תְּמִימָה)[3], quae iugum nondum portaverat[4], a sacerdote (Eleazar) extra castra mactabatur, sanguis eius septies ad sacrarium versus spargebatur, dein totum animal (cum pelle et fimo) unâ cum ligno cedrino, hyssopo, cocco concremabatur, cinis a viro mundo colligebatur atque in loco quodam puro extra castra sito asservabatur, ut ad conficiendam *aquam lustralem*[5] serviret, qua ii expiabantur, qui propter immunditiam e contactu mortui haustam a commercio aliorum separabantur. Qui iuvencam duxit, sacerdos immolans atque homo cineres colligens et portans immundi erant usque ad vesperam, quia iuvenca pro peccato combusta est. — Nm 19, 2—10. Tract. Para (M VI, 4). Jos. AJ 4, 4. 6. Phil. De sacrificant. opp. II, 252 s.

[1] פרה non tam est *vacca* quam *iuvenca,* quae tertium annum nondum transcenderat, δάμαλις, ut Graeci Alexandrini recte vertunt.

[2] Opinioni iuvencam subrubram sacrificium pro peccato fuisse plerique interpretes adstipulantur (velut *C. F. Keil, F. Delitzsch, G. F. Oehler, P. Schegg, P. Scholz).* Alii (inter quos *J. Lund, H. Holzinger, G. B. Gray)* id simpliciter negant.

[3] Complures vocabulum תמימה *perfectam* rubedine sive perfecte rufam vertunt. Velut Ps. Jonathan ad Nm 19, 2: „Accipiant vaccam, rufam, in qua non est labes aut macula de pilo albo". Maimonides, De vacca rufa 1, 2: „Hoc quod dicitur in lege תמימה, rubedinis perfectionem significat, non staturae". Etiam Josephus AJ 4, 4. 6 illam vaccam μόσχον θήλειαν . . . ὁλόκληρον, ξανθὴν πᾶσαν vocat; contra Philo De sacrificant. opp. II, 252 δάμαλιν πυρρὰν . . . ἄμωμον ἀχθεῖσαν. Ceterum alii quoque vocabulum תמימה iuvencam perfecte rufam significare existimant.

Quam interpretationem J. Spencer (De legib. Hebr. ritual. l. 2. c. 15. sect. 1) ideo praeferendam esse censet, quod Hebraei posterioris aetatis explorandae rubedinis integritati summam adhibebant curam (M. Para 2, 5), quem ad modum Aegyptii quoque solliciti erant, ne quis pilus albus vel niger in bovibus rufis, quos Typhoni immolare solebant, deprehenderetur. At contra eam interpretationem usus loquendi repugnat, quem Moses secutus est; is enim vocabulum תְּמִים semper de ea victima usurpat, cuius membra integra, non mutila sunt, velut Ex 12, 5. Lv 1, 3.

[4] Cuius legis procul dubio haec fuit causa, quod victima, quae humano usui nondum servierat, purior videbatur ideoque deo dignior.

Eandem legem apud complures gentes antiquas, ut apud Aegyptios (*Chaeremon* apud Porphyr. De abstin. 4, 7), Graecos (Hom. Iliad. 10, 293. cf. Odyss. 3, 383), Romanos (Vergil. Aeneid. 6, 38 s. Georg. 4, 540. Ovid. Fast. 3, 375 s.) invenimus.

[5] Hebraice מֵי נִדָּה *aqua abominationis* sive *impuritatis;* LXX ὕδωρ ῥαντισμοῦ; Vulgata *aqua lustrationis* sive *expiationis;* Talmud מֵי חַטָּאת *aqua peccati;* Onkelos מֵי אַדְיוּתָא *aqua sparsionis.*

Hoc sacrificium totiens oblatum esse videtur, quotiens cinis defecit. Auctore Hieronymo (Ep. 108. ad Eustoch. § 12. MSL 22, 887) in monte olivarum „per singulos annos vacca rufa in holocaustum domino cremabatur". Judaei de ea re haec memoriae tradunt: A temporibus Mosis, quibus oblatio iuvencae subrubrae praecepta est, usque ad Romanorum eversionem templi novem iuvencae oblatae sunt; primam obtulit Moses, secundam Esra, ceterae septem posteriore tempore oblatae sunt; decimam offeret rex messias, cuius inopinata apparitio magnum excitabit gaudium (J. H. Otho, Lex. rabb. 763). Ex loco Hebr 9, 13 colligi potest aetate Pauli apostoli id sacrificium minime desuefactum esse, licet alii novi testamenti loci nullam eius faciant mentionem.

Quaerunt interpretes, cur Jahve cineres iuvencae combustae ad immunditias expiandas adhiberi iusserit. Cuius praecepti alii alias proferunt

rationes. Atque opinio illa, quam J. Spencer (op. all. l. 2. c. 15. sect. 2) compluribus testimoniis probare studuit Jahven legem superstitioni Aegyptiorum, qui vaccam impense venerabantur, adversam ferre voluisse parum verisimilis videtur, quod in sacris Hebraeorum etiam alia haud pauca cum sacris Aegyptiorum plus minusve convenire aut iis similia esse constat. Fieri autem vix potest, ut causas omnium veteris testamenti rituum eruamus, quippe qui certis quibusdam opinionibus nituntur, quas nunc ignoramus. Unde ratio reddi non potest, cur iuvencam, e cuius cinere aqua lustralis paranda erat, *rufi* coloris esse oportuerit. Nam quae J. Spencer affert, non satisfaciunt. Repetit enim illud praeceptum inde, quod Aegyptii Typhoni, genio malo, quem colore rufo esse credebant (Plut. De Is. et Os. § 22: ἱεροῦσι Αἰγύπτιοι . . . τὸν Τυφῶνα τῇ χρόᾳ πυρρόν), boves rufos tantummodo immolabant, quibus eius iram delenirent ab eoque gratiam acciperent. Nullius quoque momenti hae sententiae existimandae sunt: primum illa rabbinorum, qui rufum iuvencae colorem ad fulvum colorem vituli in deserto erecti referunt, qui quod colebatur, sacrificio iuvencae expiandum fuisse dicunt (Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 5: „Nm c. 19 mandatur a domino, quod accipiant vaccam rufam in memoriam peccati, quod commiserunt in adoratione vituli"); deinde opinio iuvencas rufas propter raritatem electas esse (H. Reland, Antiqu. sacr. 2, 5, 23).

Haec victima tamquam remedium infectionis mortis ipso genere (*muliebri* i. e. pariente, cf. Gn 3, 20), colore (*rubro* i. e. vitae), proprietatibus (animal vitii expers, quod humano usui nondum servierat) et rebus adiunctis (*ligno cedrino* i. e. symbolo incorruptionis, *hyssopo* i. e. symbolo purgationis, *cocco* i. e. symbolo vitae), ergo omni suo habitu summum vigorem aperte ostendebat, ut idonea videri posset, quae lustrationem efficeret. Neque plane repudianda videtur nonnullorum (velut Abarbanelis) coniectura animal femininum immolandum fuisse ut imaginem totius populi, quippe cum Hebraei civitates et gentes cum feminis comparare ament.

Huius iuvencae sacrificium pietas patrum scriptorumque ecclesiasticorum multis modis *symbolice* interpretata est: iuvencam enim extra castra (urbem) immolatam esse ut typum Christi ἔξω τῆς πόλης in cruce passi (Hebr 13, 2); eius sanguinem super montem olivarum effusum esse imaginem Christi in eodem monte agoniâ cruciati et sudorem sanguineum effundentis (Lc 22, 44); fumum victimae, qui ex eodem loco ad caelum adscenderet, nobis redemptorem de olivarum monte ad caelum adscendentem indicare (Act 1, 10—12); aquam lustrationis ut typum aquae baptismatis considerandam esse.

Ita praeter alios Barnabas (Epist. cath. c. 8. MSG 2, 748), Augustinus (Quaest. in Heptateuch. l. 4. qu. 33. MSL 34, 733), Gregorius M. (Explan. in IV. Ps. paenit. § 9. ib. 79, 587), Ephraem Syrus (Explan. in Lv. c. 10. opp. I, 241). — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 5: „Per vaccam rufam significatur Christus secundum infirmitatem assumptam,

quam femininus sexus designat; sanguinem autem passionis eius designat vaccae color. Erat autem vacca rufa *aetatis integrae,* quia omnis operatio Christi est perfecta; *in qua nulla erat macula nec portavit iugum,* quia Christus innocens fuit nec portavit iugum peccati. Praecipitur autem *adduci ad Mosen,* quia imputabant ei transgressionem Mosaicae legis in violatione sabbati. Praecipitur autem *tradi Eleazaro sacerdoti,* quia Christus occidendus in manus sacerdotum traditus est. *Immolatur* autem *extra castra,* quia extra portam Christus passus est".

Praeterea eo spectant 1) sacra *in consecratione pontificis et sacerdotum* facta, 2) immolatio *agni paschalis,* 3) oblatio *duorum hircorum* die expiationis — de quibus iam diximus; 4) sacrificium *leprosi sanati,* 5) sacrificium *naziraei,* 6) sacrificium *zelotypiae* — de quibus infra dicemus.

Caput quintum

De efficacitate sacrificiorum veteris testamenti

Conferas V. Thalhofer, Das Opfer des alten und neuen Bundes 108—126; B. Schäfer, Die religiösen Altertümer der Bibel[2] 122—128; N. Gihr, Das heilige Meßopfer[5] 19—22; H. Zschokke, Historia sacra antiqui testamenti[5] 121—123.

Sacrificia veteris testamenti quid valuerint, varie diiudicatur. Nam cum in libris divinis de sacrificiis contrarie dici videatur, intellegitur ea, prout hic vel ille locus magis respicitur, aut pluris aut minoris aestimari. Certe diversa sacrificia diversâ erant efficacitate. Optime triplicem efficacitatem distinguimus, *sacramentalem, symbolicam, typicam,* ad quam verba Thomae S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 2 respiciunt: „Rationes praeceptorum caerimonialium veteris legis dupliciter accipi possunt. Uno modo ex ratione cultus divini, qui erat pro tempore illo observandus: et rationes istae sunt, sive pertineant ad vitandum idololatriae cultum, sive ad rememoranda aliqua dei beneficia, sive ad insinuandam excellentiam divinam, vel etiam ad designandam dispositionem mentis, quae tunc requirebatur in colentibus deum. Alio modo possunt eorum rationes assignari, secundum quod ordinantur ad figurandum Christum: et sic habent rationes figurales et mysticas, sive accipiantur ex ipso Christo et ecclesia, quod pertinet ad *allegoriam;* sive ad mores populi Christiani, quod pertinet ad *moralitatem;* sive ad statum futurae ecclesiae, prout in eam introducimur per Christum, quod pertinet ad *anagogiam*".

I. Sacrificia veteris testamenti habebant *efficacitatem sacramentalem,* quatenus ex opere operato efficiebant emundationem carnis (τὴν

τῆς σαρκὸς καθαρότητα Hebr 9, 13) et iustitiam legibus theocraticae civitatis convenientem, ita ut qui sacrificiis purgatus erat, ad cultum divinum idoneus fieret.

Atque erant multae immunditiae lege statutae, quae per se ipsae quidem nullam morum culpam continebant, sed tantum ad relationem hominis ad communitatem theocraticam pertinebant, ut eum ad cultum divinum ineptum facerent. Quae immunditiae sacrificiis oblatis tollebantur idque ex opere operato. Huc illi sacrarum litterarum loci pertinent, quibus deus hominibus sanguinem ad expiationem dedisse dicitur, ut Lv 17, 11; „Quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi eum vobis super aram ad expiandas animas vestras; nam sanguis animam expiabit". Hae leges id spectabant, ut oboedientiam Hebraeorum exercerent, in eis conscientiam naturae humanae lapsae et necessitatem verae expiationis per Christum praestandae excitarent. Hac in re sacrificia veteris testamenti minime erant ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα (Gal 4, 9).

Thomas, S. th. 1, 2. qu. 103. a. 2: „In vetere lege duplex immunditia observabatur, una quidem spiritualis, quae est immunditia culpae, alia vero corporalis, quae tollebat idoneitatem ad cultum divinum . . . Ab hac igitur immunditia (irregularitatis) caerimoniae veteris legis habebant virtutem emundandi, quia huius modi caerimoniae erant quaedam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas praedictas immunditias ex statuto legis inductas".

II. Sacrificia veteris testamenti habebant *efficacitatem symbolicam*, quatenus aptissima erant, quae optimum animi humani adversus deum habitum i. e. rectam voluntatem, fidem, adorationem, contritionem, paenitentiam atque qui alii eius modi affectus deo sunt grati acceptique exprimerent.

Certe sacrificia Mosaica per se spectata, i. e. quatenus animalia dumtaxat mactata erant, deo grata esse non poterant, sed tantum quatenus rectos animi sensus atque imprimis animi de peccatis commissis dolorem indicabant, quoniam omnibus sacrificiis opinio subest hominem peccato infectum ideoque morte dignum esse. Sacrificabatur autem eo consilio, ut praeter adorationem, quae cuiuslibet sacrificii propria est [1], fides, spes, gratiarum actio, contritio, paenitentia ostentarentur, quae deo vere erant acceptae et sine quibus sacrificia erant inania. Sacrificia ipsa igitur, cum ad animi devotionem referebantur [2], animos eorum, qui ea offerebant, ad gratiam iustificationis recuperandam disponebant et praeparabant. Qua de causa deus non tam sacrificia quam rectam voluntatem inculcare non desinit, cum illa opera per se ipsa, in quibus Judaei sine paenitentia omnibus morum praeceptis reiectis spem suam

ponebant (cf. Lc 18, 11 s.), vituperet ac respuat. Velut apud Jes 1, 11—13: „Ad quid multitudo sacrificiorum vestrorum? dicit Jahve. Satur sum arietum victimis et opimarum hostiarum adipe; taurorum, agnorum et hircorum sanguine non delector. Cum venitis ad comparendum apud me, quis istud a vobis exigit, ut atria mea tereatis? Ne deinceps inane fertum obmovete; a suffitu abhorreo; novilunia, sabbata, conventuum actiones non fero, ferias et impietatem". Cf. 61, 8; 66, 3. Jer 6, 20: „Ad quid hoc mihi, quod affers tus de Saba et calamum suave olentem de terra longinqua. Holocausta vestra non sunt, ut placeant, et sacrificia vestra non sunt mihi suavia" — cultus igitur ipse exercetur idque cum splendore quodam, sed id deest, cuius signum et symbolum ille esse debet. Cf. 7, 21—24; 14, 12. Hos 6, 6: „Pietatem volo, non sacrificium et scientiam dei (veram i. e. eam, quae vitâ factisque exprimitur) prae holocaustis (i. e. sacrificiis quibuscumque)". Et 8, 13: „(Quod attinet ad) sacrificia donorum meorum (i. e. sacrificia multa mihi offerunt), mactant (quidem) carnem et comedunt, Jahve (vero) iis non delectatur (minime grata habet talia sacrificia)". Cf. 9, 3. Am 5, 22: „Nam si offertis mihi holocausta et ferta vestra, non grata habeo (ea), et pacifica saginatorum vestrorum non adspiciam (vultu placido et benigno i. e. illis apud me favorem et gratiam non conciliabitis)". Prov 15, 8: „Sacrificium impiorum (est) abominatio Jahvae". Et 21, 27: „Sacrificium impiorum (est) abominatio" ei, cui offertur, i. e. Jahvae. Sir 31, 21: Θυσιάζων ἐξ ἀδίκου, προσφορὰ μεμωκημένη. Cf. etiam I Sm 15, 22. Mich 6, 6—8. Mal 1, 10 s; 3, 3 s. Ps 51, 18 s. Quare falso dictum est scriptores veteris testamenti imprimis prophetas sacrificia universa aspernari. Samuel quidem et Elia ipsi sacra fecerunt (I Sm 7, 17; 9, 12 s; 16, 2 ss. I Rg 18, 32—38) et Hosea (3, 4; 9, 4) poenam esse sibi persuasit, quod sacrificia et dies festi finem ceperint. Nihil aliud impugnant nisi sacra consuetudinis causâ facta et gentilium opinionem deum sacrificiis corrumpi aut cogi posse. Neque enim homo Jahven, cum ante illum pulvis tantum et cinis sit (Gn 18, 27), ulla ratione cogere potest[3].

[1] Quare in sacris litteris pro sacrificio saepius simpliciter *adoratio* (הִשְׁתַּחֲוָיָה, προσκυνεῖν) dicitur, ut Gn 22, 5. I Sm 1, 3; 15, 30. Jo 4, 20.

[2] Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 57. MSL 34, 703 dicit, „quod manifeste scriptura testetur in epistula ad Hebraeos illum sanguinem victimarum nihil profuisse ad exorandum deum pro peccatis hominum, sed significasse aliquid, quod prodesset. *Impossibile est enim,* inquit, *sanguinem hircorum et taurorum auferre peccata* (Hebr 10, 4)". — Thomas, S. th. 2, 2. qu. 85. a. 2; „Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spi-

rituale sacrificium, quo anima se ipsam offert deo, secundum illud psalmistae: *Sacrificium deo spiritus contribulatus* (Ps 50, 19), quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur . . . In oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius universi". — Jalkut Rubeni 112c: „Mysterium sacrificii est, ut homo coniungat spiritum suum cum sacrificio suo et quotiens homo holocaustum altari imponit, spiritus cum eodem coniungatur". — Cf. etiam Phil. De plantatione, opp. I, 345. 354. De sacrificant. ib. II, 253 s.

[3] Similiter patres quoque ecclesiae non tam sacrificia externa quam hominis ipsius sacrificium exposcunt. Velut Irenaeus, Adv. haer. 4, 18, 3. MSG 7, 1026: „Non sacrificia sanctificant hominem, non enim indiget sacrificio deus; sed conscientia eius, qui offert, sanctificat sacrificium, pura exsistens, et praestat acceptare deum quasi ab amico". Origenes, Hom. 2. in Lv. § 5. ib. 12, 422: „Deus non quaerit carnale sacrificium, quia *sacrificium deo est spiritus contribulatus*". Cf. Select. in Ps 4, 6. ib. 1145. 1148. Augustinus, De civ. dei 10, 5. MSL 41, 282: „Sacrificium visibile *invisibilis sacrificii* sacramentum, id est sacrum signum est . . . Non vult (deus) sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis". Et 10, 19. ib. 297: „Invisibile sacrificium *nos ipsi* esse debemus". Et 19, 23, 5. ib. 655; „Praeclarissimum atque optimum sacrificium *nos ipsi* sumus". Ambrosius, De Cain et Abel 2, 6. ib. 14, 350: „Deum non muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu". De incarn. domin. sacram. 1, 3. ib. 16, 819: „Dominus non corporale sacrificium, sed spirituale quaerit". Cf. etiam Cyrill. Alex. C. Julian. l. 4. MSG 76, 693. Gregor M. Epist. 122. MSL 77, 1053.

III. Sacrificia veteris testamenti *typicam* quoque habebant *significationem,* quatenus iis ex plurimorum virorum doctorum sententia offerentes, qui per fidem vivam cum Christo pro hominibus passo, cuius typus erat victima, coniuncti erant, ex fide Christi i. e. ex opere operantium expiabantur i. e. offerentium peccata re vera remittebantur et delebantur (iustificationis pars negativa = καθαρίζεσθαι Hebr 9, 23) atque κατὰ συνείδησιν iustificabantur (ib. v. 9), cum ἡ τῆς συνειδήσεως καθαρότης sive vera iustitia (ib. v. 14) iis conferretur (iustificationis pars positiva sive infusio gratiae sanctificantis = ἁγιάζειν ib. v. 13).

1. Sacrificia antiquae legis per se ipsa et propria virtute (ex opere operato) numquam veram a peccatis purgationem efficere, numquam aeternae culpae poenam delere, numquam gratiam amissam denuo afferre poterant idque a) non ex natura rei: α) quia animal, quod occiditur, ipsum non poterat hominem deo reconciliare; nam substitutio animalis neque naturali ulla neque necessaria coniunctione cum homine nitebatur, β) quia sacrificium non erat voluntarium ab hostia ideoque non aptum, quod legislatoris offensum animum placaret; b) non ex certa institutione, id quod confirmant α) nonnulla prophetarum dicta. Velut

Jesaia ingenue aperteque fatetur Jahven numen tantae esse maiestatis, ut ab hominibus ei nullo modo cultus dignus praestari possit. Quam sententiam propheta 40, 16 sic enuntiat densos Libani saltus ad ignes sacrificiorum, quae tanto deo digna sint, non satis lignorum suppeditare neque animalia, quae plurima in illo monte pascuntur, ad holocausta Jahvae offerenda sufficere: „Et Libanus non satis est ad accendendum (ignem, quo victimae Jahvae offerendae concrementur) et animalia eius non sufficiunt ad holocaustum". Mich 6, 6 s.: „Cum quo (munere instructus) veniam ante Jahven? Num incurvabor (adorantium ritu incurvabo me) deo excelsi? Num comparebo coram eo cum holocaustis, cum vitulis anniculis? (i. e. offeram ei holocausta vitulorum anniculorum? quales ut lectissimas victimas ad holocausta ipse deus requisivit). Num delectabitur Jahve milibus arietum (aut) myriadibus torrentum olei? Num dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei (i. e. natos meos piaculum) pro peccato animae meae?" Quibus verbis haec sententia inest: Qua re digne adorabo et honorabo tantam maiestatem, ut caeli celsitudine multo sit celsior et imperium teneat caeleste atque terrestre? Quo modo animalium sanguis et adipum odor et incendium tanto deo digna esse possunt? Etsi victimae lectissimae in immensum augerentur, nihil deo dignum efficeretur. Etiam sanguis humanus, ne carissimorum quidem pignorum, culpae labem purgare non potest. Unde luculentissime patet, quam sint imparia sacrificia veteris legis placationi divinae. β) Idem docet Paulus apostolus, qui Hebr 10, 4 diserte ait: „Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata (ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας)" atque sacrificiis temporalem tantum et carnalem vim tribuit (ib. 9, 9 s.): „Munera et hostiae offeruntur (i. e. munera incruenta et hostiae mactandae), quae non possunt iuxta conscientiam (κατὰ συνείδησιν i. e. vere et coram deo) perfectum facere servientem (i. e. offerentem sive ministrantem iustificare), solummodo in cibis et in potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis (i. e. iustificationibus corpus tantum, sed non animum mundantibus sive iustitiam externam tantum et legibus convenientem conferentibus) usque ad tempus correctionis impositis (i. e. usque ad tempus legis novae, quae correctio est veteris, ut illâ perfectior)" ideoque ib. v. 13 s. sanguini hircorum, „qui inquinatos sanctificat *ad emundationem carnis* (ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα)" opponit sanguinem Christi, „qui *emundabit conscientiam* nostram (καθαριεῖ τὴν συνείδησιν) ab operibus mortuis" (i. e. ab operibus, quae ex statu mortis animi eorum, qui cum deo reconciliati non sunt, procedunt, nec non ab operibus, quae animo mortem afferunt, i. e. a peccatis, quae sunt opera mortua et mortifera). Quocirca apostolus Gal 4, 9 sacrificia vocat ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα,

infirma, i. e. quibus non inest vis hominem a peccato liberandi eumque sanctificandi, *et egena* i. e. quae divitias gratiae caelestis non continent ideoque eas conferre non possunt, *elementa.* Cf. Col 2, 8. 17. 20. Quod etiam confirmatur ex Jo 1, 17: „Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (ἐγένετο)" i. e. Moses populo dedit solam legem, sola sacrificia, sola sacramenta, neque amplius; Christus dedit etiam gratiam, quam Moses dare non potuit; ille legem promulgavit, hic vero dominus et auctor est gratiae et veritatis. Et ex Gal 3, 11: „*In lege* (ἐν νόμῳ) nemo iustificatur apud deum" i. e. vi legis vel vi sacrificiorum et sacramentorum a lege praescriptorum; nam verbis *in lege* hîc idem significatur, quod alibi apostolus verbis *per legem* (διὰ νόμου Gal 2, 21) aut *ex lege* (ἐκ νόμου ib. 3, 21. Phil 3, 9) aut *ex operibus legis* (ἐξ ἔργων νόμου Rom 3, 20; 9, 32. Gal 2, 16) significat. Et ib. v. 21: „Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia"; sed ex lege non est iustitia, ut lex etiam vitam praestare non possit. Ad hoc „si per legem iustitia, gratis Christus mortuus est" (ib. 2, 21) i. e. Christus sine iusta causa passus est, si homo sine eius passione redimi et iustificari potuit, quia Christus mortuus est, ut mortis pretio iustitiam nobis compararet.

2. a) Sacrificia Mosaica autem cum fide viva et spe futuri mundi redemptoris coniuncta iustificabant. Remissio peccatorum et gratia sanctificans iis donabantur, qui gratiâ adiuti actibus fidei, spei, caritatis Christo, reparatori promisso, inserebantur. Itaque tamquam membra capitis Christi futuri semini mulieris triumphatori atque ecclesiae fidelium accensebantur, ad quorum sanctificationem deus Christi merita adhuc futura e sua misericordi promissione acceptabat. Tali modo genus humanum ad futurum redemptorem convenienter praeparabatur et ordinabatur. Itaque sacrificia antiqui foederis unum illud novi foederis sacrificium describebant, quod Christus postea in ara crucis cruente obtulit atque incruente ubique terrarum usque ad rerum humanarum terminos offert (Mal 1, 11)[1] et per hanc futurorum umbram ipsam quodam modo efficacitatis sacrificii Christi participes fiebant[2]. Verum postquam Christus crucis sacrificium obtulit, illa sacrificia lege Mosaica praescripta, quae ex sola relatione ad futurum redemptoris sacrificium eiusque adumbratione omnem vim hauserant, inanes caerimoniae facta sunt.

[1] Augustinus, Enchirid. de fide, spe et caritate c. 62. MSL 40, 281: „Per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, *quod unum multae in lege victimae figurabant,* pacificantur caelestia cum terrestribus et terrestria cum caelestibus". De civ. dei 10, 20. ib. 41, 298: „Huius veri sacrificii (Christi in cruce oblati) multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, *cum hoc unum per multa figuraretur,* tam-

quam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur". C. advers. leg. et prophet. 1, 18. ib. 42, 624: „Sicut res una multis locutionibus et multis linguis significari potest, sic *unum verum et singulare sacrificium multis est antea sacrificiorum significatum figuris* . . . Ad hoc sacrificium (Christi) prophetandum immaculatorum animalium sacrificia deus sibi iussit offerri". Cf. etiam Enarr. in Ps. 74. § 12. ib. 36, 955. C. Faust. 18, 6. ib. 42, 346 s. C. Julian. 5, 11. ib. 44, 810. — Origenes, Hom. 3. in Lv. § 5. MSG 12, 429 s.: „Omnis hostia, quae offertur, habet aliquid *formae* et *imaginis* Christi. In ipsum namque omnis hostia recapitulatur, in tantum ut postquam ipse oblatus est, omnes hostiae cessaverint, quae eum *in typo* et *umbra* praecesserant". Et § 8. ib. 433: „Omnis hostia *typum* gerit et *imaginem* Christi". Hom. 4. in Lv § 8 ib. 442: „Sacrificium, pro quo haec omnia sacrificia (veteris testamenti) in *typo* et *figura* praecesserant, unum et perfectum immolatus est Christus". — Cf. Justin. Dialog. c. Tryph. § 42. MSG 6, 565. Euseb. Demonstr. evang. 1, 10. ib. 22, 85. 88, Leo Magn. Serm. 69. de pass. dom. 18. c. 2. MSL 54, 376. — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3: „Potissimum sacrificium est, quo ipse Christus *se ipsum obtulit deo in odorem suavitatis,* ut dicitur Eph 5, 2., et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in vetere lege, *ut* hoc unum singulare et praecipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta". Ergo pro vero constat: „Quia ex figurato sumitur ratio figurae, ideo rationes sacrificiorum figuralium veteris legis sunt sumendae ex vero sacrificio Christi" (ib.) — Ceterum omnia veteris foederis sacrificia ad significandum crucis sacrificium a deo instituta esse docent et Eugenius IV in decreto pro Jacobitis et conc. Trident. sess. XXII. c. 1: Sacrificium Christi est illa oblatio munda, ,,quae per varias sacrificiorum naturae et legis tempore similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur".

[2] Augustinus, Quaest. in Heptateuch. l. 4. qu. 25. MSL 34, 728: „Quae (sacrificia) si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum". C. duas ep. Pelag. 1, 7. ib. 44, 555 s: „Dicimus vel ante legem vel tempore veteris testamenti a peccatis fuisse liberatos non virtute propria . . . , sed liberatos esse per sanguinem ipsius redemptoris, qui est *unus mediator dei et hominum, homo Christus Jesus* (I Tim 2, 5)". — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 103. a. 2: „Ab immunditia mentis, quae est immunditia culpae, non habebant (caerimoniae et sacrificia veteris legis) virtutem expiandi, et hoc ideo quia expiatio a peccatis numquam fieri potuit nisi per Christum, *qui tollit peccata mundi,* ut dicitur Jo 1, 29. Et quia mysterium incarnationis et passionis Christi nondum erat realiter peractum, veteris legis caerimoniae non poterant in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo, et ita ex fide Christi iustificabantur, cuius fidei quaedam protestatio erat huius modi caerimoniarum observatio, in quantum erant figura Christi. Et ideo pro peccatis offerebantur sacrificia quaedam in vetere lege, non quia ipsa sacrificia a peccato emundarent, sed quia erant quaedam protestationes fidei, quae a peccato mundabat. Et hoc etiam ipsa lex innuit ex modo loquendi;

dicitur enim Lv cc. 4 et 5, quod *in oblatione hostiarum pro peccato orabit pro eo sacerdos et dimittetur ei*, quasi peccatum dimittatur non vi sacrificiorum, sed *ex fide et devotione offerentium*".

b) Complurium protestantium opinio, qua expiationem sacrificiis legi Mosaicae convenientibus effectam in eo constitisse docent, quod peccata *cooperirentur* tantum vel *tegerentur*, quo peccator contra iram divinam custodiretur (ut F. Delitzsch, H. Th. Wangemann, alii contendunt), vel peccatum tectum e conspectu dei *removeretur*, ut poenam divinam non amplius provocaret (ut C. Ch. W. Bähr, E. Riehm, alii opinantur) probari non potest; nam ut R. Bellarmin (De iustificatione 2, 7) sapienter notat, sacer textus „utitur omni genere vocabulorum, quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut, si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declaret peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa divina scriptura antea non occupaverit".

Atque frequentissime in vetere testamento usurpatur vocabulum כִּפֶּר *culpâ liberavit* reum, *expiavit* culpam, *purificavit, sanctificavit.* Ut verba, quibus significatio tegendi inest, coniungitur cum עַל *personae* (עָלָיו Lv 4, 26. 31. 35; 5, 6. 10. 13. 16. 18., עֲלֵיהֶם Lv 4, 20; 10, 17., עָלֶיהָ Lv 12, 7 s., עַל הַבְּהֵמִים Lv 16, 33., עַל־כָּל־עַם הַקָּהָל ib., עַל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Lv 16, 34. Nm 8, 19., עַל־כָּל־יִשְׂרָאֵל II Chr 29, 24., עַל־נֶפֶשׁ Ex 30, 15. Lv 17, 11., עַל־הַלְוִיִּם Nm 8, 12) vel rei, quae expiatur (עַל־הַמִּזְבֵּחַ Ex 29, 36 s. Lv 16, 18., עַל־הַבַּיִת Lv 14, 53), cum accusativo personae vel rei expiandae (Lv 16, 33. Dt 32, 43. Ez 43, 20. 26; 45, 20), cum בְּעַד *pro* personae (Lv 9, 7; 16, 6. 17. II Chr 30, 18) vel, idque rarius, cum לְ personae aut rei expiandae (Nm 35, 33. Dt 21, 8). Peccatum, quod expiatur, coniungitur cum עַל (Jer 18, 23. Ps 79, 9) vel מִן (Lv 4, 26; 5, 6. 10; 16, 16. 34. Nm 6, 11), cum accusativo (Ps 65, 4; 78, 38. Dn 9, 24), raro cum בְּעַד (Ex 32, 30) aut לְ (Nm 35, 33. Ez 16, 63). — Graeci Alexandrini verbum כפר plerumque reddunt ἐξιλάσκεσθαι et (rarius) ἱλάσκεσθαι, quod saepius idem valet quod ἵλαον sive ἱλαρὸν ποιεῖν, intellege θεόν (Ex 30, 10. Lv 1, 4; 4, 20. 26. 31. 35; 5, 6. 13. 16. 18; 6, 30 [23]. 37; 9, 7; 10, 17; 12, 7 s; 14, 18. 31. 53; 15, 15. 30; 16, 6. 10 s. 16—18. 20. 27. 30. Nm 5, 8; 16, 47 [17, 11]; 25, 13; 28, 30; 31, 50). Sacrificium eo spectat, ut deus cum eo, qui sacra facit (περὶ αὐτοῦ), de eius peccato (περὶ τῆς ἁμαρτίας) concilietur, ut iam non oculis irae plenis, sed placide (ἵλεως), benignis oculis patris (ἱλαρός) sacrificantem adspiciat. — Vulgata vertit *rogare, orare, deprecari* pro aliquo, *expiare* et, si a deo dicitur, *propitiari* (Ps 64, 4. II Chr 30, 18), *propitium esse* (Dt 21, 8. Ps 77, 38; 78, 9), *delere iniquitatem* (Dn 9, 24), *tegere peccatum* (Ps 31, 1).

Conferas verbum Chaldaicum כְּפַר *abstergere, removere immunditiam, negare, abnegare* (J. Buxtorf, Lex. Chald. 1076 s.); Arabicum *kaffara* tegere = *expiare* crimen vel *abnegare* (inde *takfîr* = expiatio criminis); radicem Syriam *hjs*, quae verbo כפר respondet (*ḥasjâ* = sanctus, *ḥasjûta* = sanc-

titas, *ḥassî* = sanctificare). Etiam verbum Assyrium *kuppuru* conferendum est, cuius prima significatio non est *tegere, operire,* quae vis verbo Hebraico inest, sed *abstergere* (KAT³ 601 s.). — Ceterum videas J. Herrmann, Die Idee der Sühne im alten Testament. Eine Untersuchung über Bedeutung und Gebrauch des Wortes kipper. Leipzig 1905.

Similem vim habent verba et loquendi formulae: טָהַר *purgavit* a peccatis (Jer 33, 8. Ez 24, 13; 36, 33), חִטֵּא *expiavit,* sacro ritu *mundavit* (Nm 19, 19. Ps 51, 9), קִדֵּשׁ מִטֻּמְאוֹת *sanctificavit ab immunditiis* (Lv 16, 19). Idem significant dictiones: peccatum sive iniquitatem *delevit* (מָחָה Jer 18, 23), *tulit* vel *abstulit* (נָשָׂא עָוֹן Ld 10, 17. Jes 33, 24. Ps 32, 5; 85, 3., נָשָׂא פֶּשַׁע Ps 32, 1), *removit, sustulit* (בִּעֵר Dt 21, 8 s., מוּשׁ Sach 3, 9), *recedere fecit* (סוּר Jes 6, 7), *non imputavit* (לֹא חָשַׁב Ps 32, 2), *remisit* (הֶעֱבִיר II Sm 12, 13; 24, 10. Job 7, 21), *condonavit* (עָבַר עַל־פֶּשַׁע Mich 7, 18. Prov 19, 11. et omisso פֶּשַׁע sq. dat. pers. לוֹ Am 7, 8; 8, 2), *proiecit in profundum maris* (הִשְׁלִיךְ בִּמְצֻלוֹת יָם Mich 7, 19), *pedibus calcavit* (כָּבַשׁ ib,). Iisdem fere verbis etiam in novo testamento peccatorum remissio significatur.

Ceterum peccata per expiationem penitus auferri, non solum tegi *variae* quoque *imagines* apud sacros scriptores frequentatae testantur, velut lotionis et dealbationis (Jes 1, 16. 18. Jer 33, 8. Ez 36, 25. Ps 51, 9), nec non *dimissio hirci* in desertum die expiationis (Lv 16, 22).

Augustinus (Enarr. II. in Ps 31. § 9. MSL 36, 264) illam protestantium opinionem iam ante damnavit verbis: „Cooperta sunt peccata, tecta sunt, *abolita* sunt. Si texit peccata deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere . . . Nec sic intellegatis quod dixit, peccata cooperta sunt, *quasi ibi sint et vivant.* Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat dei videre peccata, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? *Averte faciem tuam a peccatis meis* (Ps 50, 11)".

3. Quia, ut nunc est ordo rerum, remissio peccatorum nisi per infusionem gratiae sanctificantis non fit, sacrificia veteris legis iuste et recta cum voluntate oblata hominem non tantum a peccati macula liberum, sed etiam *sanctificatum,* deo reconciliatum, gratum et acceptum reddebant, id quod ex variis sacrarum litterarum locis apparet. Velut Josua, pontifex maximus, induitur מְחֻלָּצוֹת *vestimentis splendidis,* quae remotâ iniquitate splendorem gratiae, virtutum, sanctitatis, pietatis significant (Sach 3, 4 s.); expiatio veram vitam coram deo homini dat (Jes 55, 3); expiatum favor dei prosequitur (Lv 1, 3 s.); ablatâ peccati immunditiâ deus veram confert sanctitatem (Jer 33, 6—9); peccator *filius dei vivi* efficitur (Hos 1, 10); epulae sacrae, quarum participes erant convivae dei itaque velut gratiâ cum eo reconciliati considerabantur, idem confirmant.

Caput sextum

De sacramentis veteris testamenti

Conferas P. Schmalzl, Die Sacramente des alten Testamentes im Allgemeinen nach der Lehre des heil. Thomas von Aquin. Eichstätt 1883.

Restat, ut investigemus, num sacramenta in vetere testamento exstiterint et quaenam fuerint. Atque quin quaedam sacramenta legitima fuerint, minime est dubitandum; nam in lege Mosaica complures caerimoniae religiosae praescriptae erant, quae cum a ss. patribus [1] tum a conciliis [2] expresse vocantur sacramenta a sacramentis novae legis varie distincta. Neque vero sacramenta veteris testamenti a sacramentis novi testamenti distingui potuissent, si nulla fuissent [3].

[1] Conferas Justin. Dialog. c. Tryph. §§ 19. 23. 114. MSG 6, 516. 525. 740. — Ps. Dionys. Areop. De eccl. hierarch. 1, 2; 2, 3; 5, 2. ib. 3, 373. 397. 501. — Origen. Hom. 3. in Gn. § 4 s. ib. 12, 178 s. — Euseb. Hist. eccl. 1, 2. Demonstr. evang. 1, 10. ib. 20, 65; 22, 88. — Cyrill. Alex. C. Julian. l. 10. ib. 76, 1040 s. — Tertullian. Adv. Jud. cc. 1 et 9. MSL 2, 601. 622. — Ambros. De Abraham 1, 4. Lib. de myst. c. 8. De sacram. 1, 4. ib. 14, 433; 16, 404. 420. — August. De vera relig. c. 17. Quaest. in Heptateuch. l. 4. qu. 33. De civ. dei 6, 11. C. Faust. 19, 13. De anim. et eius orig. 2, 11. C. Julian. Pelag. 3, 18. ib. 34, 136. 732; 41, 192; 42, 355; 44, 504. 720 s. — Beda, Expos. in Lc. l. 1. c. 2. Hom. 10. in die fest. circumc. dom. ib. 92, 336 s; 94, 54. — Bruno Astens. Hom. 34. ib. 165, 791. — Bernard. Tr. de bapt. 1, 4. Serm. 3. in circumc. dom. § 3. Serm. 2. in assumpt. BMV. § 8, ib. 182, 1034; 183, 137 s. 421. — Item scholastici de sacramentis veteris testamenti dicunt, velut Hugo a S. Vict. De sacram. l. 2. p. 6. c. 3. MSL 176, 448.

[2] Conc. Vaurense (Collect. conc. a *J. Hardouin* ed. VII, 1807). Decret. Eugenii IV pro Armeniis (ib. IX, 437). Conc. Trid. sess. VII. de sacram. in gen. can. 2.

[3] Thomas in lib. 4 sent. dist. 1. qu. 1. a. 2. ad 4 sacramenta legis Mosaicae fuisse probat verbis: „Cum sacramentorum usus fidei proportionaliter respondeat, oportuit, quod secundum diversum statum fidei diversimode sacramenta traderentur. Fides autem quantum ad articulorum explicationem semper magis ac magis crevit secundum propinquitatem temporis gratiae et secundum hoc oportuit sacramenta magis ac magis determinari. Et propter hoc, quia in Abraham fides primo habuit quasi notabilem quantitatem, ut propter fidei religionem ab aliis separaretur, ideo ei signaculum sive sacramentum fidei determinatum fuit, scilicet circumcisio. Et quia tempore Mosis iam fides ad tantam quantitatem devenerat, ut non solum in uno homine refulgeret vel in familia, sed in una tota gente populo dei multiplicato, ideo oportuit et legem dari . . . et sacramenta in speciali determinari et multiplicari; et propter hoc necessarium fuit in

lege Mosis determinari sacrificia, oblationes et decimas, quantum ad omnes singulares circumstantias et matrimonia et paenitentiae satisfactiones distingui".

I. Sacramenta veteris testamenti erant *signa rei sanctae, quam efficaciter significabant, eademque typi gratiae per venturum messiam praestandae.* Quae signa erant visibilia i. e. actus sine verbis, ritus sacri a deo ipso instituti, qui umbram tantum et imaginem verae sanctitatis i. e. munditiam et sanctitatem legitimam efficiebant neque per se gratiam iustificantem conferebant vel animae notam indelebilem imprimebant. Erant primum signa, quae beneficia divina Hebraeis in memoriam revocarent; dein signa, quae iustitiam legitimam indicarent atque afferrent; denique signa, quae salvatorem venturum et qui veram sanctitatem per se ipse tribueret, indicarent.

Quinam vero ex ritibus in lege Mosaica divino iussu observandis sacramenta fuerint, haud facile definitur, quia nobis aperte revelatum non est, quaenam caerimoniae ad gratiam significandam et iustitiam legitimam procreandam institutae sint. Plerique theologi cum s. Thoma [1] praeter *circumcisionem*, quae baptismum significabat, triplex genus sacramentorum legitimorum enumerant: *esum agni paschalis* et *panum propositionis*, quae imagines ss. eucharistiae erant; *consecrationem sacerdotum*, quae umbra sacramenti ordinis erat; varias *lustrationes*, quibus Hebraei ab immunditiis lege prohibitis purgabantur quaeque erant symbola paenitentiae [2].

[1] S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5: „In istis sacramentis veteris legis quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros, et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi deum: et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per *circumcisionem*, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium; quantum vero ad sacerdotes, per sacerdotum *consecrationem*. Secundo requirebatur usus eorum, quae pertinent ad divinum cultum: et sic quantum ad populum erat esus *paschalis convivii*, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet ex Ex c. 12, et quantum ad sacerdotes *oblatio victimarum* et *esus panum propositionis* et aliorum, quae erant sacerdotum usibus deputata. Tertio requirebatur remotio eorum, per quae aliqui impediebantur a cultu divino, sc. immunditiarum: et sic quantum ad populum erant institutae quaedam *purificationes* a quibusdam exterioribus immunditiis et etiam *expiationes* a peccatis; quantum vero ad sacerdotes et Levitas erat instituta *ablutio manuum ac pedum et rasio pilorum*. Et haec omnia habebant rationabiles causas et litterales, secundum quod ordinabantur ad cultum dei pro tempore illo, et figurales, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum".

[2] Ex his patet in vetere lege nullum aliorum trium sacramentorum (confirmationis, extremae unctionis, matrimonii) fuisse typum. Cuius rei

Thomas (loco allato ad 3) hanc affert rationem: „Sacramento confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in vetere lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod *nihil ad perfectum adduxit lex* (Hebr 7, 19). Similiter autem et sacramento extremae unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in vetere lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in vetere lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et ecclesiae, quae nondum erat facta; unde et in vetere lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem".

II. Quamvis sacramenta veteris testamenti multis partibus cum sacramentis novi testamenti conveniant, tamen praeter diversitatem ritus (v. c. sacramenta Mosaica constabant ex rebus sine verbis, Christiana ex rebus et verbis) discrimen quoque proprium et internum inter utraque locum habet, quod Eugenius IV in instructione pro Armeniis (Concil. collect. IX, 437) praeclare dicit his verbis: „Illa (sacramenta veteris testamenti) non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt".

Idem docet Augustinus, Enarr. in Ps 73. § 2. MSL 36, 390 s: „Si discernimus duo testamenta, vetus et novum, non sunt eadem sacramenta neque eadem promissa, eadem tamen pleraque praecepta . . . Sacramenta non eadem, qui alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem . . . Mutata sunt sacramenta; facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora", C. Faust. 19, 13. ib. 42, 355: „Prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi: quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta: non enim venit solvere legem, sed adimplere (Mt 5, 17); et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis dei iugo servitutis ablato (Gal 5, 1. 13), quod duro et carni dedito populo congruebat". Cf. De doctr. Christ. 3, 9. ib. 34, 71. — Atque Bruno Astensis Hom. 34. ib. 165, 790 s. secundum Hebr 9, 2 ss. tria tabernacula distinguens id discrimen ita proponit: „Primum tabernaculum est synagoga, secundum ecclesia, tertium caelum . . . Primum in umbra fuit et figura, secundum in figura est et veritate, tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim sacramenta ecclesiae ut sacramenta synagogae medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum". — Catech. Rom. 2, 1, 29: „Plane constat excellentiorem et praestantiorem vim sacramentis novae legis inesse, quam olim veteris legis sacramenta habuerunt; quae . . . ut signa tantum earum rerum, quae mysteriis nostris efficienda essent, instituta sunt. At vero sacramenta novae legis ex Christi latere manantia . . . eam gratiam, quam significant, Christi sanguinis virtute operantur".

Sectio secunda

De lustrationibus sacris

Caput primum

De purificationibus Leviticis

Conferas tract. *Ohaloth, Negaim, Toharoth, Mikwaoth, Nidda, Sabim, Tebul jom* (M. VI, 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10); J. G. Sommer, Biblische Abhandlungen 183—367: Rein und Unrein nach dem mosaischen Gesetze. L. Katzenetson, Die rituellen Reinheitsgesetze in Bibel und Talmud (Monatsschr. für Gesch. und Wissensch. des Judentums 1899, III); J. C. Matthes, De Begrippen „rein en onrein" in het O. T. (ThT 1899, 293—318); D. Hoffmann, Das Buch Levitikus I, 432—464: Unreinheit, die vom Menschen ausgeht. E. König, Reinigungen (RE³ XVI, 564—580).

I. Iam patriarchae, si quae sollemnia sacra faciebant, se antea purgabant sive lustrabant, quo puriores ad deum accederent eumque sibi magis propitium redderent. Velut familia Jacob, antequam ad sacra in Bethel facienda accederet, se lavacro purgasse et vestimenta mutasse dicitur (Gn 35, 2 s.). Atque ante promulgationem legis Sinaiticae universi populi sanctificatio (vestimentorum et corporum lotio) a deo praescripta est (Ex 19, 10. 14). Etiam „sanctificationem", de qua Job 1, 5 sermo est, plerique interpretes de sacris lustrationibus intellegunt. Quod aliis valde dubium esse videtur: Quare illam sanctificationem in expiatione, quae oblatione holocaustorum effecta sit, constitisse malunt, cui tamen aliquam praeparationem praemissam esse contendunt, quae in sacris omnium gentium antiquarum semper in usu fuerit. Item secundum summum Mosaicae legis moralis principium: „Sancti estote, quia ego (Jahve) sanctus sum!" (Lv 11, 44 s.; 19, 2; 20, 7. 26; 21, 8. Nm 15, 40 s.) haud paucae purificationes praescriptae erant idque propter quosdam habitus et functiones corporis, quae hominem legitime contaminabant et ad certum tempus a conspectu dei (i. e. ab ingressu in sacrarium, ab omni actu cultus publici et imprimis ab edendis sacrificiorum carnibus tamquam symbolo communionis cum deo) atque a consortio hominum arcebant.

Distinguuntur *immunditiae cadaveris, leprae, functionum partium genitalium,* vel immunditiae, quae ad vitam hominis sexualem et ad mortem pertinent, quia haec ab ipso peccato originali proficiscuntur et in his imprimis effectus peccati se ostendunt[1]. Quae immunditiae ut

tollerentur, lege Mosaica variae *purificationes* instituebantur, quibus immundus (טָמֵא לָנֶפֶשׁ Nm 5, 2. טְמֵא־נֶפֶשׁ Hagg 2, 13) [2] purgaretur ac sacris et societati restitueretur. Atque immunditiae graviores (quales erant immunditia contactu cadaveris humani contracta, immunditiae ex seminis et sanguinis fluxu ortae, immunditia leprae) corpore aqua lustrali perfuso vel sacrificiis tollebantur, leviores (quarum pleraeque e contactu rei immundae nascebantur) simplici lotione delendae erant.

[1] Quamvis tales immunditiae saepius peccatum hominis non ponant, tamen sunt effectus peccati, ut *mors* (cadaver) tamquam ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας (Rom 6, 23. cf. Gn 2, 17; 3, 19), *lepra* tamquam imago mortis (Nm 12, 12., τοὺς δὲ λεπροὺς . . . νεκροῦ μηδὲν διαφέροντας Jos. ΑJ 3, 11. 3), *partes* denique *genitales,* quibus mors et corporis et animae propagatur (cf. Gn 3, 16. Rom 5, 12).

[2] Verbum Hebraicum טמא idem valet quod Aramaicum טְמַע et Aethiopicum *ṭáme'a* (= intinxit, imbuit, immersit) atque cum טָבַע, Assyr. *ṭibû* (= immersit, impressit) cohaeret. Est igitur טמא proprie quod in lutum immersum indeque contaminatum est. Cf. verbum Syrium *ṭe ma'* = pollutus fuit, Arabicum *ṭámigha* = sordibus laboravit oculis.

Immunditia *Levitica* cum immunditia *morali* vel peccato confundenda non est, quoniam sine voluntate hominis contrahebatur. Itaque eâ non *internum* commercium cum deo, sed solum *externum* vel theocraticum tollebatur. Nihilo minus immunditia Levitica et immunditia moralis inter se contingebant cohaerebantque. Id ex eo ipso apparet, quod immunditiam Leviticam exclusio ab accessu ad deum sequebatur et eius expiatio ad religionem pertinebat atque saepe etiam sacrificiis fiebat. Immunditia autem Levitica et moralis ita inter se cohaerent, ut in morte, in lepra, in vita sexuali, quae peccatum de corpore humano effecit et efficit, vel homine invito maxime cernantur. Mors enim est poena et imago peccati, lepra putredo corporis vivi, in vita sexuali mala concupiscentia, quae ut maximum malum ex peccato manat, apparet. Immunditia Levitica igitur, cum ita cum peccato cohaereat, idonea est, quae *symbolum* peccati sit et de *universa generis humani consuetudine peccandi* admoneat. E contrario eius legitima expiatio est imago expiationis animae. Quare praecepta, quae ad immunditiam eiusque expiationem pertinent, imprimis eo spectant, ut conscientia peccati excitetur, homines desiderio liberationis a peccato afficiantur, morum integritas augeatur [1]. Ea parte legis Mosaicae maxime illustratur, quae ratio inter vetus et novum testamentum intercedat. Nam ut peccato *internum* commercium cum deo tollitur, ita qui immunditia Levitica maculatus erat, ab *externo* commercio cum deo excludebatur, et ut variis lustrationibus et sacrificiis cum iis coniunctis *corporis* munditia (et theocraticum commercium) re-

stituebatur, ita Christi sanguine et sacramentis *animae* purgatio ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι (Hebr 9, 14) efficitur [2].

[1] Ita Philo, De special. legib. opp. II, 333 s. Origen. Hom. 8. in Lv §§ 5—10. MSG 12, 497—504. Hom. 7. in Nm. § 1. ib. 611 s. Clem. Alex. Paedag. 3, 11. ib. 8, 625—661. Strom. 4, 22. ib. 1345—1356. Theodoret. Qu. 12—21. in Lv. ib. 80, 317—328. Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 4, ubi s. doctor singularum immunditiarum causas et proprias et symbolicas affert.

[2] Ex iis, quae modo exposuimus, apparet falsam esse sententiam eorum, qui lustrationes Leviticas ut res inutiles condemnant. Origenes quidem (Hom. 3. in Lv. § 3. MSG 12, 425. 427) ad praeceptum, ne homo corpus mortuum attingat, adnotat: „Haec quidem apud Judaeos indecenter satis et inutiliter observantur. Ut quid enim immundus habeatur, qui contigerit verbi causâ animal mortuum aut corpus hominis defuncti? Quid si prophetae corpus sit? quid si patriarchae vel etiam ipsius Abrahae corpus? quid si et ossa Samuelis contigerit, immundus erit? Quid si Elisei ossa contingat, quae et mortuum suscitant? . . . Vide, quam inconveniens sit Judaica intellegentia . . . Judaicae istae sunt et inutiles fabulae, speciem quidem pietatis habentes, virtutem vero ipsius denegantes". Cf. in Mt. comm. § 10. ib. 13, 1614. *Ephraem. Syr.* Explan. in Lv. c. 11. opp. I, 242.

Neque magis probari potest nonnullos homines doctos praecepta, quae ad expiationem pertinent, aut nihil putare nisi leges, quibus vita ac sanitas conserventur *(J. D. Michaelis, J. L. Saalschütz)*, aut contendere ea ex odio rerum quarundam immundarum vel noxiarum esse profecta *(G. H. A. Ewald)*; aut eo consilio data esse, ut sacerdotum, quorum erat omnia excutere atque expiare, potentia auctoritasque augeretur *(C. P. W. Gramberg)*.

Denique ex quasi curta sententia alii praecepta illa aut ad solam reverentiam rerum sanctarum revocant, cum dicunt ea nihil aliud voluisse nisi ne multitudo sacrarium crebrius frequentans iustam ac debitam reverentiam oblivisceretur, sed quo saepius immunditiis contractis prohiberetur, eo magis sacrarium vereretur atque adire studeret (*Maimonides, Thomas Aquinas*), aut ita interpretantur, ut nihil spectaverint nisi decorum quoddam, ex quo multitudo semper pura ad Jahven veniret, id quod subiecti coram regibus et principibus facere solent, ut iis reverentiam praestent *(J. J. Heß, E. Warnekros)*.

Adnotatio. — Apud Arabes antiquos multa inveniuntur praecepta, quae cum praeceptis legis Mosaicae de immunditia viri (Lv 15, 16 s.) et mulieris (ib. 12, 4 s; 15, 25—27), de immunditia, quam vir et mulier coëuntes contrahunt (ib. 15, 24. cf. Ex 19, 15), de immunditia, quae ex contactu corporis mortui hominis contrahitur (Lv 21, 11. Nm 19, 11 s.), mire congruunt, ut nonnulli viri docti recentioris aetatis necesse esse iudicent Hebraeos illa praecepta ab Arabibus mutuatos esse. Sed tamen omnino negari non potest Hebraeis auctoribus Arabes illos ritus recepisse.

II. 1) Cadaver humanum per septiduum contaminabat tentorium (domum), in quo mortuus iacebat, homines, qui ingrediebantur, omnia vasa aperta, qui ibi posita erant, omnes homines et res, quae eius societate contingebantur (Nm 19, 11. 14 s. Jos. CAp 2, 26. Phil. De special. legib. opp. II, 333). Similiter is, qui vel ossa vel sepulcrum tetigerat, septem dies immundus erat (Nm 19, 16. Jos. AJ 3, 11. 3. cf. II Rg 23, 14. Jos. AJ 18, 2. 2 s.) et immunditiam ad omnia, quae tangebat, transferebat (Nm 19, 22). Quidquid contactu cadaveris humani contaminatum erat, aquâ die tertio et septimo adspergebatur (Nm 19, 12. 17—19; 31, 19. 24).

Contaminatio cadaveris humani erat maxima, quia in morte hominis effectus peccati maxime elucet. Quare aqua viva cinere iuvencae combustae mixta (quasi cinis lixivius), die tertio et septimo (ob sanctitatem horum numerorum) adspergenda requirebatur. Qui (etiam advena) eum ritum neglegebat, (morte civili) exscindendus erat (Nm 19, 20). In deserto, ubi universa castra in conspectu sacrarii erant, neglectis purificationis ritibus singularis in sacrarium inerat irreverentia (Lv 15, 31. Nm 5, 3; 19, 13).

2) Qui morticinum tangebat (portabat aut per ignorantiam vel urgente necessitate de eo comedebat) usque ad finem diei immundus erat et corpus (ac vestimenta sua) lavare debebat (Lv 11, 24 s. 39 s; 17, 15; 22, 8. cf. Dt 14, 21. Ez 4, 14; 44, 31. Jos. AJ 3, 11. 2). Octo animalia immunda morticina, quae Lv 11, 29 s. enumerantur [1], non tantum hominem, qui ea tetigerat, sed et vasa et vestimenta, super quae ceciderant, usque ad vesperam contaminabant; quare confringenda vel lavanda erant (ib. v. 31—33). Bestiae mactatae non contaminabant [2].

[1] Sunt חֹלֶד *talpa;* עַכְבָּר *mus;* praeterea sex genera lacertae: a) צָב = *Uromastix spinipes* (Dornschwanz), quam Arabes *ḍabb* appellant. Syrus habet *ḥardânâ* = Arab. *hardûn*^{un}. Graeci Alexandrini vertunt κροκόδειλον χερσαῖον i. e. *scincum lacertam.* b) אַנְקָה LXX et Vulg. μυγαλῆ i. e. *mus araneus;* Chaldaeus יְלָא *lacerta;* Arabs *warl* = lacerta (venenata). Fortasse nomen Hebraicum deductum est a radice אָנַק (= verbo Syrio *ʾenaf*) = *suspiravit* ex angustia, *gemuit.* Nam nonnullae lacertae sonum raucum et gemebundum edunt. Atque lacertam *warl* talem sonum edere scriptores Arabici testantur. c) כֹּחַ verisimiliter lacertae maioris genus; LXX et Vulg. χαμαιλέων; Syrus *gulda* = talpa; Arabs *hardûn*^{un}. d) לְטָאָה LXX χαλαβώτης = *stéllio,* Vulg. *stellio,* Syrus *sᵉrurîtha* = stellio, Saʿadja *ʿazâʾt*^{un} sive *ʿizâʾat*^{un} = lacerta parva. Est genus lacertae, stellioni *(Lacerta gecko L.)* simile, maxime venenatum, semper terrae adhaerens; unde etiam nomen לטאה accepisse videtur, nam *laṭaʾ*^{a} significat *terrae adhaerere.* e) חֹמֶט LXX σαύρα, Vulg. *lacerta,* Syrus *ḥulmâtâ* = lacerta magna. f) תִּנְשֶׁמֶת LXX ἀσπάλαξ = *talpa,* Vulg. *talpa,* Syrus *jadjâda* = millepeda. Ex complurium opinione chamaeleon intellegendus est.

[2] Qui cadaver bestiae tetigerat, levius contaminabatur quam qui cadaver humanum, quia mors animalium non erat proximus effectus peccati.

III. 1) Qui leprâ tamquam dissolutione et corruptione corporis humani laborabat, ad periculum contagionis avertendum ab omni commercio excludebatur. Leprosus sanatus a sacerdote extra castra vel urbem examinabatur et, si prorsus sanus agnitus erat, curabat, ut per alium שְׁתֵּי־צִפֳּרִים טְהֹרוֹת *duae aves mundae* [1] nullâque maculâ affectae, lignum cedrinum [2], coccum (i. e. filum coccineum) et herba hyssopi [3] afferrentur et altera avis ita mactaretur, ut sanguis in vase testaceo, מַיִם חַיִּים *aquâ vivâ* [4] repleto, exciperetur, in quod sacerdos alteram avem vivam, lignum cedrinum (symbolum incorruptionis) [5], coccum (symbolum vitae) [6], hyssopum (symbolum purgationis) intingebat, sanatum septies adspergebat avemque liberam dimittebat. Vestimentis et corpore lotis omnibusque corporis pilis rasis [7] leprosus die octavo duos agnos anniculos (in holocaustum et pro delicto) et ovem anniculam (pro peccato) cum mincha consueta offerebat. Sanguine sacrificii pro delicto sacerdos auriculam eius dexteram ac pollices manus dexterae et pedis dexteri linebat, unum log (i. e. $^1/_{12}$ hin) olei in manum sinistram fundebat, quo facto indicem dexterum in oleum tingebat atque septies ad sacrarium versus spargebat et iam spectatas partes corporis leprâ liberati tangebat, reliquum autem capiti eius affundebat [8]. Qua purgatione peracta expiatio peccati fiebat oblatioque holocausti totius caerimoniae finem faciebat. (Lv 14, 2—20). — Pauper ex victimis, quas commemoravimus, solum agnum unum, decimam ephae partem similae pro mincha et oleum atque duos turtures aut pullos columbarum offerebat. Agnus cum oleo in sacrificio pro delicto insumebatur, unus turtur in sacrificio pro peccato, alter cum mincha in holocausto. (ib. v. 21—32).

[1] Verba שתי־צפרים Vulgata, quam multi viri docti secuti sunt, vertit *duos passeres*. Rabbini quoque *passeres* intellegunt. Velut S. Jarchi (apud *J. Lightfoot*, Hor. Hebr. ad Lc 12, 6): „Lepra homines invasit propter linguam malam i. e. propter garrulitatem verborum; adhibuerunt ergo in purificatione eius צפרים passeres, qui semper garriunt". Cf. Maimonid. More nebochim 3, 47. Sed vocabulum צִפֳּר hîc prima significatione sumendum est, qua de avibus universis usurpatur, ut etiam Gn 7 14; 15, 10. al. Epitheton enim, quod sequitur, טהרות *mundae*, passeres intellegi non posse ostendit, quia hae aves mundae erant, ut illud epitheton supervacaneum esset. Quare aves quaedam mundae intellegendae sunt, nescio an turtures aut pulli columbini. Origenes Hom. 8. in Lv. § 10. MSG 12, 503 *gallinas* interpretatur.

[2] Ex nonnullorum virorum eruditorum opinione exiguum frustum ligni *Juniperi Phoeniciae* L. aut *Juniperi Lyciae* L. intellegendum est.

[3] Quaenam stirps nomine *hyssopi* (אֵזוֹב LXX et NT ὕσσωπος) in sacris litteris intellegatur, in controversia est. Atque non eam stirpem, quam nos hodie eo nomine appellamus, sed speciem quandam *origani* (fortasse *Origanum maru L.*) vocabulo Hebraico significari verisimile est. Id tamen constat illi vim purgandi tributam esse; quare ad aspergilla conficienda, ad leprosos purgandos, ad lustrandas res contactu cadaveris pollutas adhibebatur. Cf. Origen. Hom. 8. in Lv. § 10. MSG 12, 503.

[4] *Aqua viva* est aqua perennis, qualis est fontium et fluviorum, non e cisternis et aquarum collectionibus hausta (cf. Gn 26, 19. Jer 2, 13).

[5] Hieronymus Comm. in Ez 27, 5. MSL 24, 248: „Cedrus . . . . lignum imputribile est. Cf. Basil. Hom. in Ps 28. § 5. MSG 29, 293. Theodoret. Comm. ad Ez 17, 22. ib. 81, 969.

[6] Aliam interpretationem legimus apud August. Quaest. in Heptateuch. l. 4. qu. 33. MSL 34, 734: „*Lignum cedrinum* spes est, quae debet in supernis firmiter habitare. *Hyssopus* fides, quae cum sit herba humilis, radicibus haeret in petra. *Coccinum* caritas, quod fervorem spiritus igneo colore testatur".

[7] Origenes, Hom. 8. in Lv. § 11. MSG 12, 505: „Non sufficit ei (leproso sanato) post purificationem vel vestimenta lavisse vel omnem pilum rasisse nisi et lotus fuerit in aqua. Oportet namque eum abicere omnes sordes, omnem immunditiam, non solum de vestimentis, sed et de proprio corpore, ut nulla in eo macula exstinctae leprae resideat". — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 7: „eo quod lepra pilos corrodit, vestimenta coinquinat et foetida reddit".

[8] Sanguine victimae et oleo oblinere vetus lustrandi ritus est, quem apud Babylonios quoque invenimus, ubi imprimis oleum saepissime ad lustrationes adhibebatur.

Immunditia leprosi, qui quasi mortuum membrum theocratiae exstitit, sanguine avis immolatae delebatur, et ut recuperata salus atque libertas civilis indicaretur, altera avis, sanguine primoris mundata, in agrum dimittebatur [1]. Reliquis sacrificiis purgatus rursum in communionem civitatis theocraticae recipiebatur. Quod ut fieret, totum eius corpus ad id tempus mortuum ungebatur [2], hostiae pro delicto et pro peccato (propter immunditiam corporis, quae efficitur peccato, non quod lepra semper poena alicuius sceleris a leproso commissi putabatur) offerebantur, denique holocausto mundatus deum denuo colere incipiebat.

[1] Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 7: „Passer vivus advolare dimittitur in agrum, quia leprosus restituebatur pristinae libertati". — Origenes, Hom. 8. in Lv. § 10. MSG 12, 503: „Videntur mihi etiam hîc duae gallinae habere similitudinem quandam duorum hircorum, ex quibus unus domino offertur, alius in eremum emittitur; ita etiam et hic ex duabus gallinis una immolatur et alia in campum dimittitur". — Comparandus est mos ille Arabum antiquorum, ex quo vidua rursus nuptura

menstrua in avem transferebat, quae ut avolaret, faciebat (J. Wellhausen, Beste arabischen Heidentums 171). Ea avis, quae menstrua secum aufert, in Babyloniis quoque inscriptionibus commemoratur (J. Jeremia in EB IV, 4123).

[2] Origenes, Hom. 8. in Lv. § 11. MSG 12, 507 s: „Vides, quo modo ultimae et summae purificationis est, aurem purificari, ut purus et mundus servetur auditus, et manum dexteram, ut munda sint opera nostra, nec aliquid immundum his admisceatur et sordidum. Sed et pedes purificandi sunt, ut ad opus bonum tantummodo dirigantur, nec ultra lapsus iuventutis incurrant . . . Donum autem gratiae spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is, qui convertitur a peccato, sed et spiritu sancto repleri". — Theodoretus, Qu. 19. in Lv. MSG 80, 324: Δηλοῖ δὲ τὸ ἐπιχριόμενον ἔλαιον τῷ ὠτίῳ τῷ δεξιῷ καὶ τῇ δεξιᾷ χειρὶ, καὶ τῷ δεξιῷ ποδὶ, τὸ τὴν μέν ἀκοὴν τοῖς δεξιοῖς ἀφορίζεσθαι λόγοις, τὴν δὲ χεῖρα καὶ τὸν πόδα ταῖς δεξιαῖς πράξεσιν. — Aliter Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 7: „De sanguine sacrificii tingebatur extremum auriculae eius, qui erat mundandus, et pollices manus dexterae et pedis, quia in istis partibus primum lepra dignoscitur et sentitur".

2) Lepra etiam in *vestimentis* (linteis, laneis, pelliceis) et in *aedibus* a sacerdote ita mundanda erat, ut ea vel adspergeret vel deleret. Certe haec quoque lepra erat aliquid immundum et specie leprae humanae simile itaque merito proscripta.

Atque lepram aedium, de qua Lv 14, 34—53 agitur, nonnulli veram lepram fuisse putant, quae ex vivis corporibus contagione quadam in muros transierit. Quod verisimile non est. Nam quî leprae virus ex vivo corpore in muros aedium transire potuit, cum leprosi, simul ac morbus maculis manifestus factus erat, sacerdotem consulere cogerentur? Rectius igitur alii aedium erosionem aut cariem efflorescente nitro effectam (*scabiem nitrosam*, Francogallice *salpêtrage*, Germanice *Mauerfraß*) intellegunt, quae plerumque alba est (itaque specie leprae humanae haud absimili), nonnumquam subviridis vel subrufa, aëra corrumpit sanitatique nocet. — De qua lepra lex statuit: Domus leprâ infecta claudenda est. Si septem diebus post lepra creverit, lapides infecti removendi integrique restituendi sunt; reliquus murus radendus et illinendus est. Quodsi infectiones illae postea rursus apparuerint, domus destruenda est et lapides ac ligna domus dirutae in locum immundum abicienda sunt.

Lepra vestimentorum, de qua Lv 13, 47—59 agitur, nihil aliud fuisse videtur nisi maculae quaedam, quae ex vestimentorum exesione ortae sunt. Verisimile est eam a lana animalium aegrotorum originem duxisse. Proscribebatur sicut alia immunditae genera, quae erant signa immunditiae morum et facile ipsam lepram fovebant. — De qua lepra lex statuit: Indicium petitur, creveritne macula necne. Si creverit, vestis immunda est et comburi debet; quodsi, quamquam non creverit, tamen manserit, item comburenda est. Si autem post lotionem macula obscurior facta erit, pars illa a veste abscindenda est.

IV. Functiones partium genitalium, cum ad ordinem naturae directae tum dissolutae, quippe quae cum coitu, generatione, concupiscentia cohaereant, hominem contaminabant.

1) Effusio seminis (שִׁכְבַת־זֶרַע), sive pollutione (etiam nocturna, ut pollutio voluntaria efficacius impediretur) sive concubitu (etiam legitimo, ne Hebraei polygamiae nimium indulgerent [1] sanioresque et robustiores procrearent infantes) effecta, virum (etiam uxorem et vestimenta) immundum reddebat usque ad vesperam, quae immunditia a sacris arcebat et lotione tollebatur (Lv 15, 16—18. Jos. C Ap 2, 24. Philo, De special. legib. opp. II, 310) [2].

[1] Si enim vir plures habebat feminas, huius legis observationem ei valde molestam esse necesse erat.

Aliae quoque gentes antiquae concubitum rem hominem polluentem existimabant, velut Babylonii et Arabes (Herod. Hist. 1, 198), Graeci (Hesiod. Ἔργα καὶ ἡμέραι v. 731—734), sacerdotes Aegyptiorum (Porphyr. De abstin. 4, 7), Romani (Sueton. Octav. c. 94).

[2] Lex Dt 23, 10 s. de purificatione eorum, qui se pollutione nocturna maculaverant, non de Hebraeorum in deserto castris, sed de castris militaribus multo minoribus intellegenda est. Qua lege Moses fortasse id egit, ne mulieres vel meretrices in castra ducerentur, quod expeditionibus bellicis summopere nocere poterat.

2) Fluxu (זוֹב) seminis vel nimio (spermatorrhoea) vel impedito (blenorrhoea sive gonorrhoea urethrae) vir (et omnia ab eo contacta usque ad vesperam) contaminabatur. Si sanatus erat, septem dies post emundationem numerabat atque vestimentis et corpore aquâ vivâ lotis die octavo duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato, offerre debebat (Lv 15, 2—15).

Gonorrhoea sive syphilis Hebraeis incognita fuisse videtur; si enim novissent, Mosen loco allato mentionem eius facere oportuisset.

3) Menstruatio feminam septem dies (et omnia ab ea contacta usque ad vesperam) immundam faciebat (Lv 15, 19—23) [1]. Qui inscius cum muliere menstruali coierat, per septem dies immundus erat (ib. v. 24. cf. 18, 19); qui vero sciens fecerat, civitate privabatur (ib. 20, 18). Mulier, quae extra tempus menstruationis fluxum sanguinis patiebatur, quamdiu fluxus manebat, immunda atque ut vir fluxu seminis laborans purganda erat (ib. 15, 25—30) [2].

[1] Quod tempus ex rei natura petitum est. Septem enim dies profluvium mulierum esse solet, cum diutissime durat. Quod autem diutius durat, de quo Lv 15, 25 sermo est, morbi est indicium.

[2] Similes leges et saepe severiores apud complures gentes antiquas (ut apud Indos, Aegyptios, Persas) invenimus. Idem fere veteres Arabes sensisse ex Korân Sûra 2, 223 colligas, ubi Mohammed separationem suorum a menstruatis praecipit: „(Menstruum est) malum (i. e. immundities). Itaque separamini a mulieribus in menstruo et ne appropinquetis ad eas, donec purificentur".

4) Puerpera, quae marem pepererat, septem (si feminam, quattuordecim) dies immunda erat; dein triginta tres (si feminam, sexaginta sex) dies דְּמֵי טָהֳרָהּ *in sanguine purificationis suae*[1] manebat, quo tempore neque quidquam sanctum tangere neque sacrarium ingredi poterat. Quo tempore praeterito agnum anniculum in holocaustum et pullum columbae vel turturem pro peccato[2] offerebat (pauper duos turtures vel pullos columbinos, alterum in holocaustum, alterum pro peccato) et a sacerdote mundabatur (Lv 12, 2—8).

[1] Est hypallage pro: *in purificatione sanguinis.* Lex autem hoc vult, ut puerpera domi se contineat, donec sanguine et sordibus partus prorsus se liberaverit, atque permaneat in immunditia neque ea purgari possit, donec illi triginta tres aut sexaginta sex dies elapsi sint.

Quod autem Moses purificationi post partum puellae duplex tempus (14 + 66 = 80 pro 7 + 33 = 40) attribuit, procul dubio id propterea fecit, quod Hebraei mulierem minoris aestimabant quam virum eamque non solum propter sanguinem, quem pubes facta effundit, sed potissimum propter peccatum, quod, cum virum seduxit, in mundum invexit, impuram iudicabant, ut in illo ritu vestigium fidei peccati originalis cognosci possit.

[2] Idque non pro peccato originali infantis, neque pro peccato matris in concubitu commisso, sed pro peccatis matris universis iisque legitimis. Atque quaevis puerpera uno saltem peccato legitimo affecta erat, immunditiâ illâ naturali, quam deus similiter atque lepram peccatum legitimum declaraverat. Cf. quae Augustinus (Quaest. in Heptateuch. l. 3. qu. 40. MSL 34, 695) de hac re dicit: „Sed quo peccato? Numquid peperisse peccatum est? An hîc ostenditur illa propago ex Adam, unde apostolus dicit: *ex uno in condemnationem,* et quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit?* Et hîc satis apparet, quem ad modum dictum sit: *ego enim in iniquitatibus conceptus sum*".

Caput secundum

De legibus cibariis

Conferas G. A. Wiener, Die jüdischen Speisegesetze nach ihren verschiedenen Gesichtspunkten. Breslau 1895; D. Hoffmann, Das Buch Levitikus I, 322—357; C. v. Orelli, Speisegesetze bei den Hebräern (RE[3] XVIII, 603—607).

Religio Hebraeos non modo ad aras, verum etiam ad focos comitabatur; nam etiam eorum nutrimentum legi subiectum erat. Compluribus legibus cibariis deus inter *res mundas* et *immundas* distinxit, ita ut *res immundae* et *quidquid Jahvae erat consecratum* comedere nefas esset.

Ceterum iam *ante* Mosen ciborum distinctionem exstitisse ex Lv 20, 25 s. apparet, ubi separatio mundorum ab immundis ad Hebraeorum e ceteris gentibus electionem significandam instituta esse dicitur, quae electio Mose multo erat antiquior. Idem ex Gn 7, 2 ss. colligi potest, ubi eam iam temporibus diluvii in usu fuisse cognoscitur. Unde etiam eam ab omnibus gentibus observatam esse explicatur. Neque vero illam separationem iam ante Mosen lege divina institutam esse ulla ratione demonstrari potest.

Apud omnes gentes antiquitatis leges, quae ad cibos et puritatem spectant, invenimus. Eae notione eius puritatis et impuritatis, quae ad religionem pertinent, innituntur, quae notio initio magis ab opinione daemonum quam a naturali taedio et ratione valetudinis habita profecta est. Apud Hebraeos autem ii ritus vetusti aliquid mutati atque proprietati religionis Jahvae accommodati sunt; ei genti, quae Jahvae sacra est, nihil impuri, nihil, quod ad daemones pertineat, adhaerere debet; Hebraei, quod illas leges observant, voluntatem divinam observant, officia religionis exsequuntur, deum colunt.

I. Secundum legem Mosaicam immunda habebantur:

1) Pecora ruminantia ungulam non dividentia (quae a scriptoribus historiae naturalis *animalia solidungula* vocantur) et non ruminantia ungulam dividentia *(animalia bisulca)*, nominatim גָּמָל *camelus* [1]. שָׁפָן *hyrax Syriacus* [2], אַרְנֶבֶת *lepus* [3], חֲזִיר *sus* [4] (Lv 11, 4—8. Dt 14, 7 s); item animalia, quae עַל־כַּפָּיו *super volas suas* i. e. super pedes ungulis carentes ambulant, quales v. c. ursi et talpae habent (Lv 11, 27).

[1] Camelus ruminat quidem, eius pes tamen non plane bisulcus est.

[2] Est animal gregatim in rupibus degens, in cavis et fissuris petrarum se condens (Ps 104, 18. Prov 30, 26), marmotae alpinae simile, frequens in Syria, maxime in iugis Libani, in Palaestina quoque, Arabia petraea, Aegypto superiore. Germanice vocatur *Klippdachs*. LXX et Vulg. χοιρογρύλλιος i. e. *mus iaculus* vel *Dipus iaculus* L. Arabice *jarbû'*.

[3] Moses leporem inter animalia ruminantia numerat, cum eius stomachus dentesque nequaquam ruminantium similia sint. Mosis enim non erat Hebraeos anatomiam docere, sed res secundum speciem describit. Animalia ipse enumerat pecora, volucres, aquatilia, animalia minora; ruminantia a non ruminantibus motu maxillarum discernit. Leporem autem instar ruminantium maxillas movere nemo ignorat. Atque sicut lepus, ita

etiam hyrax Syriacus quodam modo ruminare dici potest, cum labiorum et maxillarum motibus pecora ruminantia imitetur. — Videas L. Fonck, Die naturwissenschaftlichen Schwierigkeiten in der Bibel (Zk Th XXXI, 1907. 427—429). Conferas etiam A. Schulz, Der Hase als Wiederkäuer (BZ IX, 1911, 12—17).

[4] Jes 65, 4 et 66, 17 esus carnis suillae cum ritibus sacris ethnicorum coniungitur. Idololatrae enim porco praecipuum tribuebant locum in sacris, mysteriis magicis, diebus festis, pactis sanciendis. Propter id ipsum lege Mosaica porcinâ abstineri praeceptum est, minus ratione sanitatis habita. Imprimis apud Babylonios sues magni aestimabantur eorumque carnes in epulis acceptae erant. Sus ad fabulam Adonidis-Tamûz pertinet, quoniam aper Adonidem interficit. Neque id neglegendum est, primum quod deo Ninib cognomen eius modi est, ex quo rationem quandam cum sue (*ḫumṣiru* = חֲזִיר) habeat; deinde quod dei nomen *Ḫumuṣiru* Ninib significare videtur; denique quod Ninib deus mensis Tamûz est, quem apud Syros mensis *Ḫezîrân* (= Sivan), i. e. mensis apri, antecedit (H. Zimmern KAT[3] 398[5]. 410). Etiam apud Cananaeos antiquos suem et animal domesticum et hostiam fuisse effossionibus in Gezer factis demonstratur (PEF., Quarterly Statement 1904, 113).

Ceterum praeter Hebraeos aliae quoque gentes antiquae porcinâ abstinuisse dicuntur, velut Aegyptii (Herod. Hist. 2, 47. Aelian. Nat. anim. 10, 16. Jos. CAp 2, 13), Arabes et Saraceni (Hieronym. Adv. Jovin. 2, 7. MSL 23, 294), Syri (Lucian. De Syria dea § 54), Phoenices (Porphyr. De abstin. 1, 14).

2) Aquatilia, quae pinnulas et squamas non habent, i. e. pisces anguinosi (Lv 11, 9—12. Dt 14, 9 s.).

H. B. Tristram (The natural history of the Bible[9] 285) dicit id vetitum rationibus cum in religione tum in valetudine positis explicandum esse. Ipse expertus confirmat ea genera piscium aquarum Aegyptiarum et Palaestinensium, quae in lege Mosaica immunda dicuntur, insalubria esse.

3) Haud paucae species avium, imprimis quae carne vescuntur (Lv 11, 13—19. Dt 14, 11—18). Sed pleraque earum nomina in textu primo sunt obscura.

Nominantur Lv l. c.: a) נֶשֶׁר Assyr. *našru,* quod vocabulum totum *aquilarum* genus significat. Job 39, 30. Prov 30, 17. Mt 24, 28 (Lc 17, 37) aquila cadaveribus vesci dicitur, id quod re vera facit, dummodo caro recens sit. At calvitium (Mich 1, 16) aquilae non convenit, sed *vulturi barbato* et *percnoptero.* — b) פֶּרֶס LXX interpretes et Vulgata vertunt γρύπα, *gryphen.* Intellexerunt fortasse maximum illum et voracissimum inter vultures, quem nos *Kondor* vocamus (*Sarcorhamphus gryphus* L.). Onkelos habet עֲרָא *avis nuda.* Intellexit fortasse eundem vulturem, cuius caput totum nudum nomini Chaldaico bene convenit. Alii intellegunt *ossifragum* (Beinbrecher), quem eundem esse censent atque *Gypaëtum barbatum* L. (cf. radicem פָּרַס *fregit*); alii vulturem aliquem, qui rapido cursu aëra

findit. — c) עָזְנִיָּה LXX et Vulg. ἁλιαίετος; Onkelos עַזְנָא, cuius vocabuli significatio ignota est; Saʿadja *ʿanqâʾ*^{un}, quod lexicographi *gryphum* interpretantur. — d) הָאָה, cuius loco Dt 14, 13 רָאָה legitur, deinde post אֹזָּה additur דַּיָּה. At pro ראה legendum esse דאה textus Samaritanus et Graeci Alexandrini ostendunt et דיה a דאה non differre nisi levi varietate cum ex ipsa vocabulorum forma apparet tum textu propinquo Levitici, codice Samaritano, versione Graeca Deuteronomii subicitur, qui testes omnes tantum דאה, non דיה agnoscunt. Quaenam autem avis eo nomine significetur, nemo facile definiri potest. Plerique avem quandam rapacem eamque celeriter volantem (cf. radicem הָאָה *volavit*) intellegunt. LXX γύψ = *vultur*; Vulg. *milvus*, qui alis prope immotis diutissime omnium avium in aëre libratur. — e) אֹזָּה (pro אֲזָנָה a radice inusitata אָזָה *ululavit, clamavit*), avis quaedam clamosa, Vulg. *vultur*, LXX ἴκτινος i. e. *Falco aeruginosus* L., die Rostweihe. Alii איה cum Arabico *juʾjuʾ* sive *jaʾjaʾu* comparant, quo nomine quandam *accipitris* speciem intellegunt, quam veteres *aesalonem* appellant, *Falco aesalon* Gm., Germanice *Zwergfalke* sive *Merlin*. Fortasse tamen totum accipitrum genus significatur; unde in sacro textu additur לְמִינָהּ. — f) עֹרֵב *corvus*, de quo omnes conveniunt. — g) בַּת הַיַּעֲנָה est filia struthionis feminae i. e. struthio femina ipsa ex omnium veterum consensu; nam Graeci Alexandrini reddunt στρουθόν et omnes versiones orientales ponunt *naʿâm*^{un}, quo nomine Arabes etiam nunc struthionem significant. Opponitur תַּחְמָס struthioni mari (LXX, Vulg. Onkelos *noctuam* vertunt, Targ. Hieros. *hirundinem*). — h) שַׂחַף, a Chaldaeo redditur שְׂחַפָּא, ab Arabibus *sâf*^{un}, a Samaritano שופא, a Syrio omittitur, LXX et Vulg. explicant *larum* = Seemöve. — i) נֵץ esse *accipitrem* (LXX, Vulg.) satis verisimile est, sed incertum, quaenam accipitris species intellegenda sit. Quia autem in lege additur: לְמִינֵהוּ *secundum genus suum*, ex nonnullorum opinione eo nomine non una avium species, sed generatim omnes aves minores raptu viventes appellantur, e quibus in Palaestina inveniuntur: *Tinnunculus alaudarius* Gray, *Tinnunculus cenchris* Naumann, *Nisus communis* Cuvier (= *Falco* sive *Accipiter nisus* L.), *Circus rufus* Gray (= *Circus aeruginosus* L.), *Falco subbuteo* L., aliae complures species. — k) כּוֹס Assyr. *kâsu* Graeci Alexandrini νυκτικόρακα vertunt, quo nomine ea noctuae species indicari videtur, quam Latini *bubonem* vocant (*Strix Bubo* L.). Onkelos קִדְיָא = *bubo*. Samaritanus צדיא coll. Arab. *ṣadâ*^{n} = noctua. Syrus ʿ*odâ* = noctua. Arabes omnes *bûm*^{un} = bubo. Alii *onocrotalum* sive *truonem* intellegunt. — l) שָׁלָךְ a Vulgata intellegitur *mergus* eundemque fortasse Graeci Alexandrini intellexerunt, nam καταράκτης (al. καταῤῥάκτης) avem se ex alto in aquam deicientem significat, *Phalerocorax carbo* L. Eandem avem etiam interpres Syrius et Onkelos intellexisse videntur; uterque enim *extractorem piscium* vertit, quia cataractes pisces e fundo maris extrahere iisque vesci solet. Samaritanus איבה *ibis*. — m) יַנְשׁוּף (יַעֲשׂוֹף Jes 34, 11) LXX et Vulg. *ibin* reddunt i. e. ardeam Aegyptiam, Chaldaeus et Syrus *noctuam, ululam*. Verisimiliter *ardea Agami* (Trompetervogel) vel *ardea stellaris* (Rohrdommel) intellegenda est. — n) תִּנְשֶׁמֶת fortasse est quaedam *noctuae* species (*Strix flammea*), aliis *onocrotalus*. LXX πορφυρίωνα interpretantur, quae est avis aquatica in Libya et Comagene Syriae, a colore rostri et pedum dicta. Vulg. *cygnus*, Onkelos *bubo*, Syrus *kauk*^{e}*bhaj* = noctua, Arabes *šâhîn* = fulconis genus. — o) קָאַת avis palustris et deserticola (Jes 34, 11. Zph

2, 14. Ps 102, 7), auctoribus plerisque interpretibus pelecanus. Onkelos et Samaritanus vocabulum Hebraicum retinent. Arabs Erpenii vertit *qûq*, Sa'adja *qîq*, Syrus *qaqua*, quae vocabula ignotae significationis sunt. — p) רָחָם (רָחָמָה Dt 14, 17) haud dubie est *vultur percnopterus* L. (Aasgeier), animal spurcum et foetens, album praeter alas nigras, capite nudo, quae avis etiam nunc ab Arabibus *raḫam*^{un} vocatur. Vulgata fulicam *porphyrionem* intellegit. — q) חֲסִידָה proprie *(avis) pia*, LXX et Vulgata ἐρωδιόν, *herodionem* interpretantur, sed Jer 8, 7 et Sach 5, 9 Vulgata *milvum* intellegit; LXX Sach 5, 9 ἔποπος, Jer 8, 7 vocabulum Hebraicum transcribunt ἀσίδα. Syrus *ḫurbâ*, nomen obscurum. Arabes *ṣaqr*^{un} = avis rapax et *saqr*^{un} = miluus (*Falco Milvus* L.). — r) אֲנָפָה Assyr. *anpatu*, LXX et Vulgata χαραδριόν, *charadrion* vertunt, nomen avis cuiusdam in stagnis amnium et ad ripas degentis (Strandläufer). Syrus vocabulum Hebraicum retinet: *'anpâ*. Duo Arabes *babgâ'*^{un} (unde voc. Germ. Papagei) *psittacum* intellegunt. — s) דוכיפת LXX, Vulg. uterque Arabs *upupam* (Wiedehopf) vertunt. Syrus habet *tarnâgul barrâ*, quo nomine nonnulli upupam, alii gallum agrestem sive montanum intellegunt. — t) עַטַלֵּף (a עטל, Arab. *ġaṭala* = caliginosus est et עָף volans) Vulgata vertit *vespertilionem* idemque sonat νυκτερίς (LXX), pro quo Dt 14, 18 mendose irrepsit νυκτικόραξ. Syrus *ṭausâ* (= ταώς) pavonem intellegit. Quod autem Moses avibus immundis enumeratis Lv 11, 19 et Dt 14, 18 addit: „et vespertilionem", inde colligi necesse non est eum vespertilionem avibus adnumerasse. Sed id quoque iudicare possumus Mosen vespertilionem avibus simpliciter addidisse, sicut et nos interdum indici alicui aliquid adiungimus, quod vere ad eam non pertinet.

4) Omnia insecta alata (volucres quattuor pedes habentes Lv 11, 23), exceptis saltatoriis sive locustis, quarum quattuor species, ut complures censent, diversis nominibus (חָגָב, חַרְגֹּל, סָלְעָם, אַרְבֶּה) enumerantur, sed quaenam singulis nominibus significentur, plane incertum est (Lv 11, 20—25. Dt 14, 19). Sunt etiam qui non quattuor varias locustarum species significari existiment, sed quattuor locustarum aetates pro totidem cutibus exutis iis nominibus describi contendant.

5) Omnia apoda, quae pectore et ventre solis ad corpus movendum utuntur, ut serpentes; omnia quadrupedia reptantia, quae, quamquam quattuor pedes habent, tamen more reptilium incedere videntur, ut lacertae: omnia polypoda, quae multos pedes habent atque, dum ambulant, corpori incumbunt, ut erucae — ergo omnia animantia, quae ipso conspectu typum peccati et corruptionis repraesentant (Lv 11, 41—43. cf. v. 29—31).

6) Morticinum (נְבֵלָה LXX τὸ θνησιμαῖον Lv 17, 15; 22, 8. Dt 14, 21. cf. Ez 4, 14; 44, 31. Jos. AJ 3, 11. 2: κρέως τοῦ τεθνηκότος αὐτομάτως ζῴου τὴν βρῶσιν διεκώλυσεν); pecudes a feris dilaniatae

(טְרֵפָה LXX τὸ θηριάλωτον Lv 17, 15; 22, 8), quae Ex 22, 30 canibus proici iubentur; caro animalium lapidibus coopertorum (Ex 21, 28). Quae carnes in novo testamento (Act 15, 20. 29; 21, 25) πνικτόν, *suffocatum* vocantur i. e. animal vitâ privatum sine sanguinis effusione.

Sicut igitur apud alias gentes sacerdotes a carne morticina tamquam a cibis immundis abstinebant, partim in perpetuum, partim eo dumtaxat tempore, quo sacris operabantur, ita omnes Hebraei tamquam sacerdotes dei (אַנְשֵׁי־קֹדֶשׁ *viri sanctitatis* i. e. deo consecrati Ex 22, 30) iis perpetuo abstinere debebant.

In concilio apostolorum fidelibus quoque ex gentilibus impositum est, ut sanguine et suffocato et iis, quae idolis immolata essent, abstinerent, idque eo consilio, ne forte haec licentia fidelibus ex Judaeis offendiculum fieret et quo magis fideles ex gentilibus cultui fictorum deorum interesse prohiberentur (cf. Act 15, 29; 21, 25. I Cor 8, 1—13. Rom 14, 17—23). De eius vetiti historia videas K. Böckenhoff, Das apostolische Speisegesetz in den ersten fünf Jahrhunderten. Paderborn 1903; K. Six, Das Aposteldekret (Act 15, 28. 29). Seine Entstehung und Geltung in den ersten vier Jahrhunderten. Innsbruck 1912.

7) Cibi et potus (in vasis non coopertis), qui ubi quis vel moriebatur vel mortuus erat inveniebantur (Nm 19, 14 s.). Praeterea omnes cibi et potus in vase servati, in quod morticinum illorum octo animalium immundorum, de quibus Lv 11, 29—31 agitur, ceciderat (ib. v. 34 s. 38). Aquae vero in cisternis, puteis, fontibus, in quas tale morticinum ceciderat, non impurae fiebant (ib. v. 36); nam maximum incommodum fuisset, si in illis regionibus, ubi non tam larga aquae copia est quam in nostris, aquae ipsae cadaveribus forte illapsis impurae factae essent. Semen quoque, quod ad serendum servabatur, contactu talis cadaveris non contaminabatur (ib. v. 37); semen vero aquâ humefactum sicque ad serendum iam paratum contactu talis morticini immundum fiebat (ib. v. 38).

8) Ter in lege Mosaica prohibetur: „Ne coquas haedum in lacte matris suae“ (Ex 23, 19^{b}; 34, 26^{b}. Dt 14, 21^{b}). Quod cur prohibitum sit, variae sunt interpretum sententiae.

Quidam (ut *S. Bochart*) illud interdictum ad verbum accipientes putant gentes Hebraeis finitimas haedum in lacte matris suae coquere consuevisse; Mosen autem Hebraeos id facere vetuisse, ut a crudelitate in animalia avocarentur simulque humani et aequi in homines essent; nam crudele esse, si lac matris, quod haedo nutrimento datum sit, ad eius ipsius carnem coquendam adhibeatur. Aliis autem (ut *J. Spencer*), cum locos allatos cum mentione primitiarum frugum (Ex 23, 19^{a}; 34, 26^{a}) coniungant, illud propterea vetitum esse videtur, quod gentiles in sacris, quae messe peractâ celebrabant, haedum in lacte matris coquere talique

lacte magicis cum ritibus arbores, agros, hortos adspergere solebant, arbitrati eos sequenti anno futuros esse feraciores. Legislatorem autem ad ritum quendam gentilium respexisse auctores huius sententiae ex eo colligunt, quod in nonnullis codicibus textus LXX interpretum ad Dt 14, 21 additur: ὃς γὰρ ποιεῖ τοῦτο, ὡσεὶ ἀσπάλακα θύσει, ὅτι μήνιμά (μίασμα) ἐστι τῷ θεῷ Ἰακώβ et in textu Samaritano ad Ex 23, 19 adiungitur: „Haec est abominatio deo Jacob". Denique alii verba allata de edenda carne pecudum non ablactatarum sive immaturarum intellegunt, cui opinioni adstipulandum esse censeo.

J. Döller (in Theologie und Glaube I, 1909, 379—381) existimat legem illam primo ex humanitate manasse, postea autem superstitiose ad omnem mixtionem lactis et carnis tralatam esse. Cf. etiam J. Schäfers in BZ VII, 1909, 16.

9) Denique omnia, quae idolis consecrata erant, ut carnes diis immolatae — εἰδωλόθυτα (Ex 34, 15. cf. Act 15, 29; 21, 25), quia eius modi carnes comedere idem significaret quod foedus cum diis inire (Ex 23, 32. cf. I Cor 10, 14—21). Quare viri pii et religiosi ab omnibus cibis mensae idololatrarum abstinebant, ne in periculum venirent vel carnes diis immolatas vel carnes cum sanguine vel carnes immundas comedendi (cf. Dn 1, 8. Tob 1, 12. Jdth 12, 2).

Adnotatio. — Textus Dt 14, 3—21 antiquior habendus est textu Lv 11, 2—47, primum quod additamentis et explicationibus caret, quae progrediente demum tempore textui addi solent; deinde quod concinnam legem de rebus comedendis et non comedendis continet, cum lex Lv inde a v. 29 ad casuisticam inquisitionem de rebus tangendis et non tangendis deflectat; tum quod lege de reptilibus et locustis caret, quas comedere antiquitus sane nemo cupiebat; denique quod discrimen inter טמא et שרץ, quod Judaismum posteriorem redolet, ignorat. Atque cum iam ante Mosen lex quaedam a patriarchis accepta de discrimine animalium mundorum et immundorum exstiterit, fortasse existimandum est legem Dt esse formam illius legis Mose antiquiorem. Atque haud pauci viri docti iudicandum esse censent legem a Mose in monte Sinai nomine Jahvae editam ipsam legem Dt esse eandemque Lv agnoscendam esse compluribus additamentis auctam, quae postea a doctoribus et prophetis sancta apud Judaeos eandem cum lege ipsa auctoritatem nacta sunt. Neque ideo Mosen Pentateuchi auctorem fuisse negant; nam quod Moses Pentateuchum confecisse dicitur, hoc significare iudicant: Pentateucho doceri, quo modo religio gentis Hebraicae a Mose usque ad ea tempora, quae exsilium Babylonium secuta sunt, ex legibus a Mose datis, quae maximam partem Pentateuchi constituunt, progressa sit. — Conferas F. de Hummelauer, Comm. in Deuteronomium 323 s.

II. Res Jahvae consecratae, quibus vesci non licebat, erant:

1) Adeps animalium sacrificalium i. e. bovis, ovis, caprae (Lv 3, 17; 7, 23. Jos. AJ 3, 11. 2), qui semper in altari cremabatur. Sed adipe

animalium. qui casu aliquo interierant, ad profanas res uti, dummodo ne comederetur, fas erat (Lv 7, 24).

2) Sanguis omnis generis animalium (Lv 3, 17; 7, 26; 17, 12—14; 19, 26. Jos. AJ 3, 11. 2). Accedebat fortasse, quod sanguis in sacris ethnicis comedi solebat, ut qui sanguinem victimarum biberet vel ederet, se deorum commenticiorum cultorem profiteri videretur (Thom. S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 8).

Quicumque adipem vel sanguinem edebat, morte plectebatur (Lv 7, 25. 27; 17, 10. cf. Dt 12, 23). Cum lex sanguinem non comedendi perantiqua sit (Gn 9, 4), probabile videtur adipem quoque iure antiquo deo reservatum esse. Per desertum migrantes omnes Hebraei, qui animal ad sacrificium idoneum vescendi causâ occidebant, id ad sacrarium ferre debebant, ut sacerdos sanguinem super altare funderet et adipem in altari adoleret (Lv 17, 3—6). Quae lex pro temporibus post immigrationem in terram Canaan ita mutata est, ut animalia munda vescendi causâ occisa comedere liceret, sanguis autem super terram effundendus esset (Dt 12, 15 s. 20—24).

3) De novis terrae frugibus nemini comedere licebat, priusquam primus spicarum manipulus (primitiae messis) nomine totius populi Jahvae oblatus esset (Lv 23, 14).

4) Fructus arborum anno quarto, postquam consitae erant, Jahvae sanctificandi erant (קֹדֶשׁ הִלּוּלִים לַיהוָה *sanctitas laudationum Jahvae*) i. e. in conviviis, quae Jahvae celebrari solebant, absumendi, cum fructus priorum trium annorum ut magis aquosi et difficiliores ad concoquendum immundi habebantur (Lv 19, 23—25. Jos. AJ 4, 8. 19. Tract. *Orla*, M. I, 10).

5) Ob pietatem Hebraei nervum ischiadicum (גִּיד הַנָּשֶׁה), qui Jacob patriarchae, cum mysteriose luctaretur, emarcuit (Gn 32. 32), non comedebant (ib. v. 33. Jos. AJ 1, 20. 2. M. Chullin c. 7).

Alia abstinentiae praecepta ad sacrificia spectant vel id agunt, ut sacra debito honore fierent. Eius modi est abstinentia a pane fermentato in cena paschali et per septem dies sollemnitatis azymorum (Ex 12, 8. 17—20; 13, 3; 23, 15; 34, 18. Nm 9, 11; 28, 17. Dt 16, 3). Variae res, quae a sacrificiis proficiscebantur, solis sacerdotibus permittebantur (Ex 29, 34. Lv 6, 26 s. Nm 18, 8 s. al.). Quaecumque ex sacrificiis pacificis tertio die supererant, igni cremari necesse erat, et qui ea comedere ausus erit, „feret iniquitatem suam, eo quod sanctum Jahvae profanavit, et exscindetur anima eius e populo“ (Lv 19, 6—8).

III. Hebraeorum leges cibariae neque a religione gentilium repetendae sunt, velut ex caerimoniis antiquorum Arabum[1] vel ex dua-

lismo Persarum [2]; neque institutae, ut valetudini publicae provideretur (ut rationalistae contendunt), ad quod tamen auctoribus medicis in arte sua maxime peritis atque teste experientiâ utilissimae sunt [3]; neque latae tantum, ut saluti animarum consuleretur, ut Philo censet, qui σβέσιν τῆς ἐπιθυμίας legibus cibariis propositam fuisse affirmat (De special. legib. l. 4. opp. II, 352 ss.) [4]. Item illa opinio reicienda est eas leges ex totemismo derivandas esse, id quod nostra aetate nonnulli viri docti (velut B. Stade), cum alias gentes comparant, statuunt; docent enim, cum nomina hominum saepius ab animalibus petantur, gentes ab iisdem animalibus originem trahere, ut ea animalia ut auctores suos colant neque eorum carnem edant [5]. Immo vero dubium non est, quin leges cibariae religionis causâ praescriptae sint neque tam ut essent admonitio allegorica certa vitiorum mala evitandi et virtutum bona sequendi [6], quam 1) ut electio gentis Hebraicae e ceteris gentibus eiusque dignitas sacerdotalis continuo in memoriam vocaretur (Lv 20, 24—26. cf. 11, 45); 2) ut Hebraei a ceterarum gentium societate separarentur [7] earumque mores et superstitiones diligenter caverent; 3) ut Hebraei internam immunditiam sive peccatum vitarent atque ad sanctitatem informarentur et ad Christi adventum apte praepararentur; 4) ut Hebraei cum ab iis abstinerent, quae aliquo modo Jahvae consecrata sunt, reverentiam erga ea, quae ad cultum divinum spectant, ostenderent; 5) ut Hebraei oboedientia et observatione praeceptorum divinorum Jahvae debitum obsequium exhiberent et sibi continuo conscii essent se regi deo eiusque voluntati subiectos esse [8], quae ratio iam verbis praecepto divino additis: „Ego sum Jahve" (Lv 22, 8. cf. 11, 44 s; 20, 24. 26) indicatur; 6) ut Hebraei perpetuo recordarentur τὸν κόσμον ὅλον ἐν τῷ πονηρῷ positum (I Jo 5, 19) et maledictioni subiectum esse, ingemiscere, parturire revelationemque filiorum dei exspectare (Rom 8, 19—22).

[1] Religio lunae antiquorum Arabum varias leges ad cibos pertinentes continebat. Velut Harranii inter animalia munda et immunda distinguebant; imprimis nefas erat carne suum et camelorum, bestiarum ferarum et avium rapacium vesci. Quae praecepta cum legibus Mosis mire congruunt, ut nonnulli viri docti recentioris aetatis necesse esse iudicant Hebraeos illas leges ob Arabibus mutuatos esse. Sed tamen omnino negari non potest Hebraeis auctoribus Arabes illos ritus recepisse.

[2] Leges, ne Hebraei animalibus immundis vescerentur, non ex Persarum moribus repetendas esse ex eo ipso apparet, quod distinctio inter animalia munda et immunda apud Persas nihil aliud erat nisi animalium divisio in bona sive utilia (ab Ahura-mazda creata) et mala sive noxia (ab Ahrimane facta). Quae distinctio a monotheismo Hebraeorum, qui omnia a deo bona creata credebant, plane aliena est.

[3] Nam complura animalia interdicta aut insalubria sunt aut ad comedendum minus apta aut taedium naturale excitant. Velut esus carnis suillae in regionibus scabiei et leprae obnoxiis perquam periculosus est. Item sanguis, qui in terris ad orientem vergentibus citius putrescit, cibus noxior est quam in nostris regionibus ad septentriones versus sitis. Quare iam Tertullianus (Adv. Marcion. 2, 18. MSL 2, 306), Clemens Alexandrinus (Strom. 2, 20. MSG 8, 1049), Aristeas (apud *Euseb.* Praep. evang. 8, 9. ib. 21, 625 ss.) Mosis praecepta de cibis ad abstinentiam et temperantiam rettulerunt.

[4] Alii autem, ut Thomas (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 6. ad 1), existimant Mosen in has duas res petivisse, et sanitatem corporis et salutem animae. Barnabas rursus (Epist. cath. c. 10. MSG 2, 756), cum animalia immunda allegorice de variis generibus hominum sceleratorum intellegat, quibus uti vetitum sit, arbitratur Mosen animalia metaphorice tantum vel spiritualiter, ut ita dicam, edi vetuisse, Judaeos autem id vetitum ad verbum vel carnaliter (κατ' ἐπιθυμίαν τῆς σαρκός) accepisse. Item iudicat Origenes, qui et locum Act 10, 11—15 affert (C. Celsum 5, 49. ib. 11, 1257) et stultum esse dicit vetitum illud animalia immunda (ut vultures) edendi ad verbum intellegere, cum nemo eius modi animalibus vescatur nisi extrema fame coactus (De principiis 4, 17. ib. 380). Justinus denique (Dialog. c. Tryph. § 20. ib. 6, 517) affirmat Judaeos propterea cibis quibusdam abstinere debuisse, ut etiam edentes et bibentes semper deum ante oculos haberent, praesertim cum nimis leviter cognitionem dei neglegerent. Quas opiniones refutare supervacaneum esse videtur.

[5] Opinio leges cibarias veteris testamenti e totemismo explicandas esse ab E. Love (Saggio sulle origini delle proibizioni alimentari degli Ebrei. Scuola cattolica 4. S. XIII, 598—611) bene refutata est.

[6] Velut Origenes postquam asseveravit: „Si adsideamus litterae et secundum hoc vel quod Judaeis, vel id quod vulgo videtur accipiamus, quae in lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri, quia tales leges dederit deus" (Hom. 7. in Lv § 5. MSG 12, 488), animalia munda et immunda „spirituali intellegentia" de virtutibus et vitiis hominum interpretatur (§ 6 et 7. ib. 489—492). Idem sentiunt Clemens Alexandrinus (Strom. 2, 15; 5, 8; 7, 18. ib. 8, 1005; 9, 81. 84. 553. 556), Theodoretus (Qu. 11. in Lv. ib. 80, 313. 316 s.), Augustinus (C. Faust. 6, 7; 16, 30; 30, 5. MSL 42, 233 s. 337. 493 s.), Ephraem Syrus (Explan. in Dt c. 14. opp. I, 275 s.), Thomas (S. th. 1, 2. qu. 102. a. 6. ad 1).

[7] Quare Tacitus Hist. 5, 5 Judaeos „separatos epulis" vocat.

[8] Quo consilio deus iam in paradiso primis hominibus praeceptum de cibo quodam vetito imposuit (Gn 2, 17).

Adnotatio. — Hebraei leges cibarias omnibus fere temporibus religiosissime servabant (Jdc 13, 4. 14. Hos 9, 3 s.), etiam cum extra Palaestinam commorabantur (Ez 4, 14. cf. tamen 22, 26) et cum Antiochus IV Epiphanes eos persequebatur (I Mcc 1, 62 s. II Mcc 6, 18 s; 7, 1 ss.).

Sectio tertia

De aliis actionibus sacris

Caput primum

De precibus

Conferas J. Saubert, Diss. de precibus Hebraeorum (in Bl. Ugolini Thes. XXI, 539—582). — N. Polemann, Diss. de ritu precandi veterum Hebraeorum (ib. 583—598). — M. Federici, La preghiera privata dell' antico Israelita (Rivista storico-critica delle science teologiche II, 733—741). — M. Kegel, Das Gebet im alten Testament. Gütersloh 1908. — A. Schmöger, Das Gebet im alten Testament. Innsbruck 1913. — J. Döller, Das Gebet im alten Testament in religionsgeschichtlicher Beleuchtung. Wien 1914. — A. Greiff, Das Gebet im alten Testament. Diss. Breslau 1914 (etiam in Atl Abh V, 3).

I. Preces (תְּחִנָּה, תְּפִלָּה LXX προσευχή, δέησις) fuerunt, ut primum genus humanum exstitit; nam naturae hominis proprium est affectus grati animi, reverentiae, gaudii de deo benefico et concipere et ostentare, quibus affectionibus timor et conscientia necessitatis gratiae divinae accedunt.

Atque patriarchae Hebraeorum imprimis ante altaria modo hic modo illic exstructa invocationem nominis divini unâ cum suis instituerunt (Gn 12, 8; 13, 4; 26, 25). Lege autem Sinaitica cultui publico et sollemnibus precibus certus locus destinatus est; volebat enim deus, ut gens electa non alibi quam ante arcam foederis iustum cultum perageret. Quare etiam templum Hierosolymitanum בֵּית תְּפִלָּה, οἶκος (τῆς) προσευχῆς, *domus orationis* appellabatur (Jes 56, 7. Mt 21, 13. Mc 11, 17. Lc 19, 46). Temporibus post exsilium non tantum Hierosolymis, sed in unoquoque oppido *synagogae* erant, ubi Judaei singulis sabbatis aliisque diebus conveniebant, ut verbum dei recitari audirent et vota precesque ad deum funderent. Quocirca illis nomen *proseucharum* inditum est.

Etsi in vetere testamento nullum praeceptum precationis proponitur, tamen ipsa lege caerimoniali de sacrificiis, primitiis, decumis, diebus festis cultus dei praescribebatur, qui sine supplicationibus cogitari non potest. Deinde ipsis psalmis pro omni vitae condicione preces continentur, quae argumento sunt, quo modo homines pii precationes facere soliti sint. Denique consuetudo precandi ex eo apparet, quod deus supplicationes eorum, qui a malo recedere nolunt, reprobare (Jes 1, 15. Am 5, 23), preces

iustorum exaudire (Ex 22, 23. 27. Dt 4, 7. Prov 15, 29. Sir 35, 17) dicitur.

II. Hebraei varias **precum formulas** habuisse censendi sunt, quarum tamen sacrae litterae duas tantum exhibent, orationem in primitiis et decumis offerendis persolvendam (Dt 26, 3—10. 13—15) et benedictionem a sacerdote pronuntiandam (Nm 6, 24—26). De aliis precibus publicis nihil memoratur [1], nisi quod interdum psalmorum in templo decantatorum mentio fit (Esr 2, 41. 65; 3, 10 s. Neh 7, 73; 12, 24 ss. II Chr 5, 12 s; 7, 6; 29, 28; 30, 22; 31, 2. I Mcc 4, 54). Aetate templi secundi singuli hebdomadis dies suos habebant psalmos. In textu quidem Hebraico solus Ps 92 (91) inscriptus est: לְיוֹם הַשַּׁבָּת, LXX: εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ σαββάτου, Vulgata: *in die sabbati.* Sed apud LXX et in Vulgata etiam Ps 23 (24) inscribitur: τῆς μιᾶς σαββάτου, *prima sabbati;* Ps 47 (48): δευτέρᾳ σαββάτου, *secunda sabbati;* Ps 93 (94): τετράδι σαββάτου, *quarta sabbati;* Ps 92 (93): εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ προσαββάττου, *in die ante sabbatum,* quae cantica teste M. Tamid 7, 4 illis diebus in templo decantabantur, sicut die tertio Ps 82 (81) et die quinto Ps 81 (80) recitabatur. Is autem erat ritus, ut sacrificio matutino oblato cymbala pulsarentur et cantus incoharetur, psalmus autem assignatus ita in tres partes divideretur, ut singulae maioribus intervallis inter se separarentur. Ceterum alia quoque sacrificia certos suos habebant psalmos. Atque Ps 100 (99) inscriptus est; לְתוֹדָה LXX εἰς ἐξομολόγησιν, Vulg. *in confessione.* זֶבַח הַתּוֹדָה autem vel simpliciter תּוֹדָה illud sacrificiorum pacificorum genus vocabatur, quod ad gratias pro beneficio accepto agendas offerebatur. Inter sacrificia eucharistica igitur Ps 100 decantandus erat. Psalmi 38 (37) et 70 (69) inscripti sunt: לְהַזְכִּיר LXX εἰς ἀνάμνησιν, Vulg. *in rememorationem.* Ea autem sacrificii incruenti pars, quae in ara incendebatur cuiusque odor ad Jahven adscendebat, ut memoriam sacrificantis ei quodam modo revocaret, אַזְכָּרָה LXX μνημόσυνον, Vulg. *memoriale* vocabatur. Itaque iure meritoque interpretes recentiores existimant ipsa inscriptione ostendi, duos illos psalmos inter illud sacrificium decantari solitos esse. Verisimile autem esse arbitramur eas inscriptiones, quibus nonnulli psalmi certis hebdomadis diebus aut certis sacrificiis assignantur, non ab eorum auctoribus profectas esse [2].

[1] Quod lex Mosaica in ritibus cultus divini publici praeter preces, quas memoravimus, nullas alias separatim praescribit, id ita explicandum est, ut preces, quoniam ex iis religio apparet, in omni dei veneratione per se ipsae intellectae sint. Ad hoc cum omni sacrificio cruento (dum victimae manus imponitur) confessio peccatorum i. e. preces coniunctae erant atque in omnibus sacris preces fiebant (I Sm 7, 9. Job 42, 8. II Chr 29, 27. 31. I Mcc 12, 11. II Mcc 1, 23—30). Cottidianum sacrificium thymia-

matum erat symbolum precationis et dum offertur, sacerdos et populus precabantur (Lc 1, 10).

Etiam apud gentiles omne sacrum cum precatione coniunctum erat. Plinius, Hist. nat. 28, 3: „Quippe victimas caedi sine precatione non videtur referre, nec deos rite consuli".

[2] Precum privatarum in sacris litteris saepissime fit mentio (Gn 20, 17; 24, 12; 25, 21; 32, 9. Ex 2, 23; 32, 11—13. Dt 3, 23 s; 9, 26—29. Jdc 3, 9; 4, 3; 6, 7; 10, 10. 12. 15; 13, 8. I Sm 1, 10; 2, 1—10; 8, 6; 12, 23; II Sm 7, 27. I Rg 8, 22—53; 17, 20. II Rg 4, 33; 19, 15; 20, 2 s. Jes 1, 15; c. 12; 33, 2; 37, 15—20. Jon 2, 2—10; 4, 2 s. Dn 6, 10. Esr 10, 1. Neh 1, 4. Jdth 4, 10. 12; c. 9; 13, 6 s. I Mcc 4, 30—33; 5, 33; 11, 71. al.).

Tempore antiquo precibus nullum certum tempus destinatum erat. Nam quod Ps 55, 18 legimus, vix documento esse potest iam tum tria diei tempora (tempus sacrificii matutini et vespertini ac tempus meridianum) orationi dicata fuisse. Daniel ter in die orationi vacabat (Dn 6, 10), procul dubio horâ tertiâ, sextâ, nonâ (i. e. horâ nonâ, duodecimâ, tertiâ nostrae temporum descriptionis), quae horae etiam aetate apostolorum precibus consecratae erant (Act 2, 15; 3, 1; 10, 9. 30). Quare a Judaeis posterioris aetatis *preces matutinae* (תפלת השחר), *meridianae* (ת' המנחה), *vespertinae* (ת' הערב), distinguuntur[1]. A Josepho (AJ 4. 8. 13) solae preces matutinae et vespertinae memorantur[2]. Praeterea Hebraei etiam ante cibum precari (I Sm 9, 13) et post refectionem deo gratias agere (Dt 8, 10) solebant[3].

[1] Ex Mischna preces matutinas ante meridiem (R. Jehuda praescribente usque ad exeuntem horam quartam) et preces meridianas usque ad vesperam (R. Jehuda praescribente usque ad tempus sacrificii vespertini) dictas esse necesse erat, cum precibus vespertinis certum tempus destinatum non esset (Berachoth 4, 1. cf. 1, 1 s.).

[2] Esseni quoque bis in die orationi vacare solebant (Jos. BJ 2, 8. 5).

[3] Aetate Christi ante mensam et post mensam a patre familias benedictio et gratiarum actio (εὐλογία, εὐχαριστία) ferculis et potui congruens dicebatur (cf. Mt 14, 19; 15, 36; 26, 26. Mc 8, 6; 14, 26. Lc 22, 19. Jo 6, 11. Act 27, 35. I Cor 11, 24. I Tim 4, 4 s.).

III. Hebraei preces recitabant plerumque stantes (Ex 33, 10. I Sm 1, 26. I Rg 3, 15; 8, 22. Neh 9, 2 s. 5. Mt 6, 5. Mc 11, 25. Lc 18, 11. 13)[1] et capite inclinato (Berachoth 5, 1. Lc 18, 13), interdum genua flectentes (I Rg 8, 54. Ps 95, 6. Dn 6, 10. Esr 9, 5. II Chr 6, 13; 29, 29 s. Lc 22, 41. Act 7, 60; 9, 40; 20, 36) aut toto corpore in terram prostrati (Gn 24, 26. Nm 16, 22. Esr 10, 1. Neh 8, 6. II Chr 20, 18. Jdth 9, 1. Sir 50, 17. I Mcc 4, 40. 55), manus (ὁσίους

χεῖρας I Tim 2, 8) ad caelum vel sacrarium tollentes (I Rg 8, 22. Jes 1, 15. Ps 28, 2; 88, 10; 134, 2; 141, 2. Thrn 2, 19; 3, 41. Esr 9, 5. Sir 48, 20, II Mcc 3, 20; 15, 21. Philo, De vit. contempl. opp. II, 481. Adv. Flacc. ib. 534)[2] aut pectus suum percutientes (Lc 18, 13), facie ad sacrarium conversa (I Rg 8, 44. 48. Dn 6, 10. II Chr 6, 34. 38. III Esr 4, 58. Berachoth 4, 5 s.)[3].

[1] Cum orientales stantes precari soleant, verbum *stare* apud Arabes de precando usurpatur.

[2] Etiam Moses Ex 17, 11 s. in proelio cum Amalekitis commisso precum causâ et orantium ritu manus sustulisse eoque ipso Hebraeis victoriam impetrasse creditur. Ita iam paraphrastes Chaldaicus, Hierosolymitanus et Ps. Jonathan: „Cum erigebat Moses manus suas orando, invalescebant, qui erant domus Israel". In quo ritu nonnulli patres et scriptores ecclesiastici symbolum crucis agnoverunt, velut Barnabas (Epist. cath. c. 12. MSG 2, 761), Justinus (Dialog. c. Tryph. § 90. ib. 6, 692), Origenes (Hom. 3. in Ex. § 3. Hom. 1. in libr. reg. § 9. ib. 12, 316. 1006), Tertullianus (Adv. Marcion. 3, 18. Adv. Judaeos c. 10. MSL 2, 347. 627 s.), Ephraem Syrus (Explan. in Ex. c. 17. opp. I, 219).

Ceterum manuum elevatio est supplicantium gestus apud omnes fere gentes receptus. Quare etiam ipsae preces saepius nomine *sublationis manuum* appellantur.

[3] Qui ritus apud alias quoque gentes invenitur. Velut Mohammedanos orantes faciem ad eam caeli plagam, ubi templum Meccanum (Ka'ba) situm est, convertere constat (*Ḳorân,* Sûra 2, 146).

Ceterum Hebraei orabant non solum pro se, sed etiam pro aliis, pro vivis (Gn 20, 17; 24, 12; 25, 21. Ex 32, 11—14. Nm 16, 22. I Sm 7, 9; 12, 19. 23. I Rg 3, 6—9; 17, 20 s. Jer 7, 16; 11, 14; 15, 1; 42, 2. 4. 20. Bar 1, 13. Ps 35, 13. Job 42, 8. II Mcc 1, 6) et pro mortuis (II Mcc 12, 44). Utraque deprecatio res iusta, sancta, salubris vocatur (I Mcc 12, 11. II Mcc 12, 46). Ut ieiunium, ita etiam oratio pro virtute laude digna habebatur (Tob 12, 9). Precationes piorum angeli deo deferunt (Tob 12, 12. cf. Apc 8, 3 s.). Iustorum preces deus exaudit (Gn 16, 11. Ex 2, 24; 3, 7; 6, 5; 22, 23. 27. Dt 4, 7. I Sm 1, 17. 27. I Rg 13, 6; 17, 22. II Rg 13, 4; 20, 5. II Chr 33, 13. Jes 30, 19. Jer 29, 12. Jon 2, 3. Sach 13, 9. Ps 3, 5; 4, 4; 9, 13; 17, 7; 22, 25; 34, 7; 50, 15; 55, 17; 65, 3. 6; 118, 5; 120, 1; 145, 19. Prov 15, 29. Tob 3, 24. Jdth 4, 13. Sir 21, 6; 35, 16—21); impiorum autem orationes deus despicit, eas non exaudit, coram iis faciem suam velat (Dt 1, 45; 31, 18. I Sm 8, 18. Jes 1, 15; 59, 2 s. Jer 7, 16; 11, 11. 14; 14, 12; 15, 1. Ez 8, 18; 14, 16. 20. Mich 3, 4. Sach 7, 13. Ps 17, 1. Prov 1, 28; 15, 29; 21, 13; 28, 9. Sir 34, 29. 31. II Mcc 9, 13).

Infantium precibus singularem vim tributam esse neque ex Joel 2, 16 neque ex Mt 18, 3; 19, 14 aut ex Ps 8, 3 colligi potest.

IV. Temporibus post exsilium Judaei preces recitantes טוֹטָפוֹת i. e. schedulas membranaceas gestare solebant, quibus certa quaedam legis Mosaicae praecepta (Ex 13, 2—10. 11—16. Dt 6, 4—9; 11, 13—21) inscripta erant. Quae schedulae thecis inserebantur, quas loris iungebant ac fronti (תְּפִלִּין שֶׁל רֹאשׁ Berachoth 3, 1. 3) et bracchio sinistro (תִּי שֶׁל זְרוֹעַ Mikwaoth 10, 3 vel תִּי שֶׁל יָד Menachoth 4, 1) alligabant. Graece φυλακτήρια, *conservatoria* (Mt 23, 5) propterea vocabantur, quod tamquam adminicula ad legis memoriam firmius conservandam (φυλάσσειν τὸν νόμον) adhibebantur. Fortasse id nomen inde quoque petitum est, quod iis quaedam vis ad avertenda mala et fuganda daemonia inesse credebatur (= munimenta, praesidia cf. Targ. ad Ct 8, 3. Hieros. Berachoth 2^{d}). Nomen rabbinicum תפלין valet *preces;* nam illae schedulae, quamvis ipso iure semper gestandae essent (Ex 13, 9. Dt 6, 8; 11. 18). tamen imprimis temporibus precum adhibendae erant. Ceterum haec consuetudo numquam apud omnes exstitit. Karaei aliique semper defenderunt verba Dt 6, 6—9; 11, 18—21 et Ex 13, 16 non ad litteram accipienda esse, sed metaphorice neque quidquam aliud esse nisi rhetoricam amplificationem moniti illius Dt 6, 5—8, ut praeceptum diligendi memoriâ teneretur liberisque inculcaretur.

Ps. Jonathan verba Ex 13, 9: (Mirus modus, quo deus Hebraeos ex Aegypto eduxit) „erit tibi in signum super manum tuam et memoriale inter oculos tuos“ ita exponit: „Erit tibi hoc miraculum insculptum et expressum super phylacterium manus et in memoriale insculptum et expressum super phylacterium capitis, fixum coram oculis tuis, in summitate capitis tui“. Praecipi igitur putat ille paraphrastes loco allato (ut etiam iis, quibus ea verba repetuntur, Ex 13, 16. Dt 6, 8; 11, 18) lora illa coriacea, quae Hebraei precaturi sibi alligant. Quin et Ibn'Esra contendit verba allata simpliciter, ut sonant, intellegenda esse, non autem metaphorice ut illud Prov 3, 3: „Liga ea ad guttur (collum) tuum, scribe illa super tabulas cordis tui“. At verba illa: „sit tibi aliquid signum super manum tuam et memoriale inter oculos“ sunt proverbialis loquendi formula, qua eius modi res significatur, quae numquam in oblivionem adducenda, sed grato animo saepe recolenda sit. Nam quae in manibus nostris habemus aut a fronte ob oculos versantur, de iis perpetuo cogitemus necesse est. Quare Prov 6, 21 dicitur parentum praecepta a filio perpetuo pectori alliganda et collo annectenda esse. Et ib. 7, 3: „Liga ea super digitos tuos, scribe ea super tabulas cordis tui“. Cf. etiam Jes 49, 16. Ct 8, 6. Quae locutio proverbialis haud dubie desumpta est a more orientalium linteas aut pergamenas schedas, quibus sententiae et formulae magicae inscriptae erant, pro amuletis in fronte gestandi aut certas figuras formulasque colore et cinere cypri (*Lawsonia inermis* L.) confecto manibus insculpendi. Illa phylacteria, quae Judaei precantes

alligata habere solent, si Ex 13, 9 imperare voluisset Moses, haud dubie diligenter descripsisset. Recte Hieronymus (Comm. in Mt 23, 5. MSL 26, 168) verba loci allati sic interpretatur: *„Praecepta mea sint in manu tua,* ut opere compleantur, *sint ante oculos tuos,* ut die ac nocte mediteris in eis". Additque: „Hoc pharisaei male interpretantes scribunt in membranis decalogum Mosis id est decem verba legis, complicantes ea et ligantes in fronte et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur". Quod autem Hieronymus verba decalogi illis phylacteriis inscripta esse affirmat, in eo vel erravit vel, id quod minus verisimile est, illius aetate decem praecepta iis inscribebantur.

Praecepta rabbinorum de phylacteriis continet tractatus *Tephillin,* quem R. Kirchheim edidit (Septem libri talmudici parvi Hierosolymitani, Francofurti a. M. 1851). Cf. etiam Bl. Ugolini, Diss. de phylacteriis Hebraeorum (Thes. XXI, 687—736). M. L. Rodkinssohn. Ursprung und Entwickelung des Phylakterienritus bei den Juden. Preßburg 1883 (Hebr.)

Caput secundum

De iureiurando

Conferas tract. *Schebuoth* (M IV, 6). — J. Lydius, Diss. de iuramento (*Bl. Ugolini* Thes. XXVI, 387—452). — J. Happel, Der Eid im alten Testament (sine anni nota).

I. Iusiurandum (שְׁבוּעָה), cui plerumque aliqua imprecatio aut exsecratio adiungebatur (שְׁבֻעַת הָאָלָה Nm 5, 21. Jes 65, 15. Dn 9, 11), in quibusdam casibus lege praescriptum erat (cf. Ex 22, 10 s. Lv 5, 1. 22. I Rg 8, 31).

Usitatiores iurisiurandi formulae erant hae: חֵי־יְהוָה *per vitam Jahvae* (Jdc 8, 19. I Sm 14, 45; 19, 6; 20, 21; 29, 6. II Sm 4, 9; 14, 11; 15, 21. I Rg 1, 29; 22, 14. II Rg 3, 14. Jer 4, 2; 12, 16; 16, 14; 23, 7; 38, 16. Rth 3, 13); חֵי הָאֱלֹהִים *per vitam dei* (II Sm 2, 27); יְהוָה בֵּינִי וּבֵינֵךְ *Jahve* sit *inter me et te* (I Sm 20, 23); וְיִהְיֶה יְהוָה לְעֵד *Jahve testis esto* (Jer 42, 5: „Sit Jahve inter nos testis veritatis et fidelis" i. e. testem citemus Jahven, qui neque ignorat quidquam neque mentiri potest aut mendacium tolerare); יְהוָה יִשְׁפֹּט בֵּינִינוּ *Jahve iudicet inter nos* i. e. ultor sit fidem fallentis (Gn 31, 53). Qui autem, sive iudex sive alius, iusiurandum exigebat, vel ipse formulam pronuntiabat, quam alter verbis אָמֵן אָמֵן vel aliâ formulâ confirmabat (Nm 5, 22. Dt 27, 15—26. Neh 5, 13), vel simpliciter dicebat: Ἐξορκίζω (ἐξορκόω) σε κατὰ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἵνα ἡμῖν εἴπῃς, εἰ..., quo facto alter respondebat: σὺ εἶπας (Mt 26, 63 s.).

Imprecationem mali, qui iurabat, persaepe reticebat, ac si vereretur eam, quae aliunde intellegebatur, disertis verbis edicere (Gn 14, 22; 21, 23; 26, 28 s. Jos 14, 9. II Sm 11, 11. I Rg 1, 51. II Rg 3, 14. Jer 42, 5). Interdum exsecratio generatim additur, velut Rth 1, 17: „Sic faciat Jahve mihi et sic addat, כי quod mors separationem factura sit inter me et te“ i. e. si alia res separationem inter me et te fecerit praeter mortem, deus hoc vel illud malum mihi infligat; aliis verbis: affirmo mortem solam me a te separaturam esse. Quam imprecandi formulam in sacris litteris haud raro legimus, velut I Sm 3, 17; 14, 44; 20, 13; 25, 22. II Sm 3, 35. I Rg 2, 23. II Rg 6, 31. Neh 5, 12 s.

Qui iurabat, formulam manu (dexterâ cf. Jes 62, 8) ad caelum, sedem dei, porrectâ pronuntiabat (Gn 14, 22. Ex 6, 8. Dt 32, 40. Ez 20, 5. Apc 10, 5). Maioris sollemnitatis et confirmationis causâ etiam utraque manus ad caelum tendebatur (Dn 12, 7). Quo magis homines iusiurandum venerarentur, nonnumquam vel in templo vel ante aram iurabatur (I Rg 8, 31); nam ubi sacra fiebant, ibi deum vel maxime praesentem testemque adesse credebant. Cf. Jer 34, 15., ubi Hierosolymitani pactionem de servis manumittendis sollemni ritu et dei testimonio adhibito in ipsa aede sacra sanciunt.

Singularem iurisiurandi caerimoniam Abraham dispensatorem domus suae, Eliezer, observare iussit: „Pone manum tuam sub femore meo“ (Gn 24, 2)[1], quem ritum nusquam tamen alias, neque apud Hebraicos neque apud exteros scriptores, a iurantibus usurpatum legimus, si Joseph e familia Abraham oriundum excipimus, qui iuraturus Jacob, ne corpus suum in Aegypto terrae mandaret, sed in sepulcrum paternum deportari curaret, manum suam, a patre iussus, eius femori supposuit (Gn 47, 29)[2].

[1] Josephus a Mose, qui solum servum manum femori heri supposuisse testatur, dissidens obstrictionem fidei servi AJ 1, 16. 1 ita describit: Γίνονται δὲ αὗται τοῦτον τὸν τρόπον· ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἔπειτα ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων.

[2] Cuius ritus alii alias causas afferunt. Atque nonnulli putant ritum manus femori supponendae ob vim et reverentiam circumcisionis, quae signum foederis cum Jahve initi erat, in iureiurando usurpari solitum esse (Hieronymus, Quaest. hebr. in Gn 24, 2. MSL 23, 973. Theodoretus, Qu. 74. in Gn. MSG 80, 184. Ephraem Syrus, Explan. in Gn 24, 2. opp. I, 172). Cum populus ex eo ipso, quod foedus illud observaturum iuraverat, sperare deberet deum promissum in foedere factum praestiturum, nonnulli patres ecclesiae (ut *Hieronymus, Augustinus*) patriarchas in ritu illo etiam de semine sibi promisso vel de messia cogitasse

dicunt. — Alii existimant illum iurandi ritum, cum signum obsequii et servitutis esset, observatum esse, si quis homo inferior iureiurando adigebatur, ut filius (Gn 47, 29) aut servus (ib. 24, 2), non inter pares, qui iurantes manus ad caelum attollebant. Ita *Ibn'Esra*, cuius opinioni complures posterioris aetatis adstipulati sunt. — Alii, inter quos *G. B. Winer*, locis allatis ipsum membrum genitale nomine femoris per euphemiam significari existimant, quod Hebraei prolem alicuius *ex eius femore egredi* dicere soliti sint (Gn 46, 26. Ex 1, 5. Jdc 8, 30. cf. Korân Sûra 4, 27; 6, 98); eos autem manu parti genitali appositâ iurasse, quod ea, cum inde suboles oriretur, pro re sacra haberetur.

II. Iusiurandum non solum permissum erat, sed etiam religio, quod is, qui iurat, re ipsa unum verum deum esse atque eum esse agnoscit, qui omnia sciat, omnia possit, qui sanctus et iustus sit. Quare Philo (De plantatione, opp. I, 341) iusiurandum vocat τὸ πίστεως βεβαιοτάτης σύμβολον, μαρτυρίαν θεοῦ περιεχούσης. Etsi autem iusiurandum per se ipsum bonum erat, tamen eius apud homines necessitas ἐκ τοῦ πονηροῦ erat (Mt 5, 37), quod ex mendacio, infirmitate, suspicione hominum (cf. Ps 116, 11) i. e. ex peccato exorta est.

Iurisiurandi proprietates Jeremia 4, 2 describit verbis: „Iurabis בֶּאֱמֶת *in veritate* (non simulate neque ad deceptionem, sed animo fideli et sincero), בְּמִשְׁפָּט *in iudicio* (in re iusta et gravi, non temere), וּבִצְדָקָה *et in iustitia* (ut rectus rerum status iureiurando stabiliatur et confirmetur)".

Quia iusiurandum *per Jahven* solum dari poterat et a religiosis inter Hebraeos etiam semper dabatur (cf. Gn 14, 22; 21, 23; 24, 3; 31, 53. Dt 6, 13; 10, 20. Jos 2, 12. Jdc 8, 19; 21, 7. I Sm 14, 44 s; 19, 6; 20, 3. 23; 25, 26. II Sm 2, 27; 3, 9. 35; 4, 9; 14, 11; 15, 21; 19, 8. I Rg 1, 29 s; 2, 23. II Rg 3, 14; 6, 31. Jes 19, 18; 65, 16. Jer 4, 2; 12, 16; 38, 16. Rth 1, 17. Dn 12, 7. Neh 13, 25. II Chr 15, 14; 36, 13)[1], חַי יְהוָה vel חַי אֱלֹהִים vocatur (Ex 22, 10. II Sm 21, 7. I Rg 2, 43. Koh 8, 2). *Periurium* severissime prohibitum erat (cf. Ex 20, 7. Lv 19, 12. Dt 5, 11) et expiari debuit (Lv 5, 4—7. 20—26).

In Aegypto iam aetate Joseph iusiurandum *per vitam* (salutem) *regis* usitatum erat (Gn 42, 15), quod postea etiam Hebraeis in consuetudinem venit (I Sm 17, 55; 25, 26. II Sm 11, 11; 14, 19; 15, 21)[2]. *Per deos* aliarum gentium iurare (Jer 5, 7), *per Baal* (Jer 12, 16. Zeph 1, 5), *per delictum Samariae* (Am 8, 14)[3], *per viam Beersebae* i. e. per cultum ibi exercitatum (ib.)[4] Hebraei vetiti erant. Judaei posterioris aetatis eas iurandi formulas, quae nomen divinum non continent[5], partim ullam vim habere negabant dicentes deo ipsi iusiurandum

esse reddendum, partim parvi aestimabant (M. Schebuoth 4, 13). Quem abusum Christus saepius carpsit (Mt 5, 34—36; 23, 16—22); nequaquam vero eum omne iusiurandum reprobasse ex eo ipso apparet, quod ipse iuravit (Mt 26, 63 s.)[6].

Antiquis temporibus Hebraei iusiurandum religiose servabant (Jos 9, 15—19), sed aetate prophetarum saepe violabant (cf. Hos 4, 2; 10, 4. Jes 48, 1. Jer 5, 2. Ez 16, 59; 17, 13—19. Sus v. 43. 49). Post exsilium Judaei rursus a religione iurisiurandi celebres erant (Jos. AJ 12, 1; 14, 10. 1); sed morum corruptione denuo invalescente apud omnes gentes periurorum infamiam sibi contraxerunt (Martial. Epigr. 11, 94, 7 s.). Atque quam leviter Judaei iuraverint, ex Philone (De special. legib. opp. II, 272 s.) apparet. Esseni autem iusiurandum prorsus improbabant (Jos. BJ 2, 8. 6. cf. AJ 15, 10. 4), excepto eo, quod in professione dabant (BJ 2, 8. 7). Cf. etiam Evang. Nicod. c. 2, ubi Ἰουδαῖοι λέγουσι τῷ Πιλάτῳ· Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν μὴ ὀμνύειν, ὅτι ἁμαρτία ἐστίν.

[1] Ceterum loquendi formula *iurare per deum* nonnumquam idem valet quod *colere deum,* quia homines per eum iurare solent, quem in summo honore habent et vindicem periurii agnoscunt.

[2] Romani quoque et omnes fere gentes ex more tunc recepto per salutem principum iurabant. Cf. Herod. Hist. 4, 68. Curt. De reb. gest. Alex. M. 6, 11. 18. Lucian. Catapl. § 11. Sueton. Calig. c. 27. Claud. c. 11. Veget. Epitom. instit. rei milit. 2, 5. Evang. Nicod. c. 2, ubi Pilatus duodecim Judaeos ad iusiurandum κατὰ τῆς σωτηρίας Καίσαρος adigit. Apud Persas iusiurandum per vitam regis etiam nunc gravissimum esse itinerum scriptores testantur.

[3] Ex mea opinione propheta ad vitulum aureum in Bethel erectum respicit, quem *Samaritanum* vocat, sive quod a Samaritanis colebatur (cf. Hos 10, 5), sive quod nomine Samariae tota regio, in qua Bethel sita est, significatur (cf. ib. 8, 5 s.). Sed res haud magni est momenti, si alii *delictum Samariae* de simulacro Ascherae, quod Samariae colebatur (II Rg 13, 6), intellegunt.

[4] Ita interpres Chaldaicus. Ex aliorum sententia „per viam Beersebae" idem est quod per iter ad sacra Beersebae facienda, quod rem sanctissimam habebant.

[5] Velut *per caelum, solem, stellas* (Mt 5, 34; 23, 22. M. Schebuoth 4, 13. Babyl. Berachoth 55[a]. Phil. De special. legib. l. 2. opp. II, 271), *per angelos* (Jos. BJ 2, 16. 4), *per terram* (Mt 5, 35. Schebuoth l. c. Phil. l. c.), *per templum* (Mt 23, 16. 21. Kethuboth 2, 9. Kerithoth 1, 7. Babyl. Kidduschin 71[a]), per singulas templi partes: *per aurum templi, per altare* (Mt 23, 16—20), *per sanctam civitatem* (Mt 5, 35), *per patriam* (Jos. BJ 2, 16. 4), *per caput suum* (Mt 5, 36. Sanhedrin 3, 2).

[6] Loco Ct 2, 7 obtestatio pastoralis *per capreas cervasque camporum* invenitur. Nam qui rusticum et pastoricium vitae genus degunt, illorum animalium venustate, imprimis oculorum pulchritudine delectantur, unde etiam formosas feminas Hebraei cum illis comparare solebant (Prov 5, 19). Hodie quoque poetae orientales similibus iurandi formulis utuntur.

Adnotatio. — Deus בְּנַפְשׁוֹ *per animam suam* iurare dicitur (Am 6, 8) i. e. vel *per vitam suam*, sicut anima hominis est id, in quo vita eius est, unde alias per vitam suam iurat (ut Nm 14, 21. 28. Dt. 32, 40. Ez 5, 11) vel *per se ipsum* (velut Gn 22, 16. Jes 62, 8. Jer 44, 26. Am 4, 2. Ps 89, 36. 50), quia non habet maiorem, per quem iuraret (Hebr 6, 13).

Caput tertium

De votis

Conferas tract. *Nedarim*, *Nasir*, *Schekalim* 4, 6—8 (M. III, 3. 4. II, 4).

I. Vota (נְדָרִים LXX Phil. Jos. NT εὐχαί) sive voluntarias et sollemnes promissiones deo aliquid sacrandi vel aliquid praestandi, ad quod nullum urget officium, vel ab aliqua re iucunda et permissa abstinendi lex Mosaica ex antiqua consuetudine religionis exercendae causâ retinuit et officia, quae et ex illis et ex aliis promissionibus nascuntur, inculcavit, neque vero ad vota facienda excitavit (Nm 30, 3. Dt 23, 22—24. cf. Jdc 11, 35. II Sm 15, 7. Ps 22, 26; 50, 14; 66, 13; 76, 12; 116, 18. Koh 5, 3 s. Phil. De special. legib. l. 2. opp. II, 277); immo quidquid quis spoponderat, redimere fas erat, exceptis animalibus ad sacrificium idoneis (Lv 27, 2—25).

E communi gentium antiquarum consuetudine imprimis ii vota facere solebant, qui in periculis et rebus adversis versabantur (Cicer. De nat. deor. 3, 37. Vergil. Georg. 1, 436. Aeneid. 3, 403 s). Etiam Hebraei cum pericula rerumve discrimina subibant, votis se obligare solebant, ut dei praesidium et auxilium sibi pararent. Nec rarior causa vota suscipiendi erat, si quis animi desideria a deo expleri volebat. Quam ob rem is erat animus voventium, ut beneficium divinum re promissa quasi elicerent, dono autem oblato deum quasi remunerarentur.

Velut Jacob in Mesopotamiam fugiens votum fecit: „Si fuerit deus mecum et custodierit me in via ista, qua proficiscor, et si dederit mihi panem ad comedendum et vestimentum ad induendum et rediero in pace (i. e. incolumis) ad domum patris mei, Jahve mihi deus erit et lapis hic, quem erexi in statuam, domus dei fiet omniumque, quae tu mihi dederis, tibi decumam dabo“ (Gn 28, 20—22). Jephta priusquam signum pugnae adversus Ammonitas daret, votum nuncupavit, si rem bene gessisset, fore,

ut, quicumque primus ex foribus domus suae egressus sibi revertenti occurrisset, eum deo sacrificaret (Jdc 11, 30 s.). Hannah vovit, si Jahve sibi filium donasset, eum sempiterno ministerio tabernaculi et naziraeatui sacraturam (1 Sm 1, 11. 22. 28). Absalom patri affirmavit se in Syria vovisse Jahvae, si se Hierosolyma redire siisset, in Hebron sacrum facturum (II Sm 15, 8). Nautae, quibuscum Jona vehebatur, procellâ maris exortâ, si ex periculo erepti essent, vota susceperunt (Jon 1, 16); item Jona ipse (ib. 2, 10). Heliodorus Jahvae, postquam ei vitam servavit, εὐχὰς μεγίστας promisit (II Mcc 3, 35). Hebraei idololatrae etiam diis fictis vota nuncupabant. Velut ad reginae caeli cultum haud paucos votis se obstrinxisse ex Jer 44, 25 apparet.

Vota propterea magni erant momenti, quod, cum quaevis res vota ad deum referretur, primum ad venerationem dei pertinebant; deinde amorem et gratum animum in deum significabant; denique cum voluntatem de bono ad stabilitatem vocarent, virtutem adiuvabant augebantque. Quare quod Rechabitae voto diligenter stabant, id a deo populo regni Juda ut exemplum proponitur et praemio donatur (Jer c. 35. cf. imprimis v. 13 ss. 18 s.).

II. Deo voveri non poterat, quod ei iure debebatur, velut primogenita (Lv 27, 26), vel cui aliquid inerat, quod reverentiae deo eiusque cultui demonstrandae repugnabat, ut אֶתְנַן זוֹנָה *donum meretricis* et מְחִיר כֶּלֶב *pretium canis* (Dt 23, 19) [1], hostia debilis (Mal 1, 14) [2], alia eius modi. Praeterea vota non obligare censebantur nisi verbis prolata (Nm 30, 3. Dt 23, 23. Jdc 11, 30 s. 35 s. Jer 44, 25. Ps 66, 13 s.), quo animis timidioribus consulebatur; atque, ut ex Nm 30, 3. 11. 14 apparet, interdum vota addito iureiurando confirmabantur. Denique nemini votum nuncupare licebat, nisi qui sui iuris esset. Quare pater vota puellarum, maritus vota uxorum irrita facere poterat [3], si voto earum cognito statim eodem die contradicebat; sed eius silentium pro consensu habebatur (Nm 30, 3—16) [4].

[1] *Donum meretricis* est pecunia, quam ex foedissimae artis quaestu tamquam primitias diis offerre solebant mulieres prostitutioni consecratae (cf. Athanas. Orat. c. gentes 26. MSG 25, 52). Ex quibus donis aut deorum simulacra conflabantur aut sacra templorum supellex parabatur. *Pretium canis* est id, quod scorto mari sive puero meritorio pro nefario concubitu dabatur. Canis autem vocatur talis homo impurus, quod canes impudentia ac libidine aemulatur. Tales etiam Apc 22, 15 κύνες vocantur. Josephus quidem AJ 4, 8. 9 vocabulum כלב propria significatione intellegit, ut sententia loco allato subiecta sit pretium ex vendito cane in templum Jahvae dicatum inferendum non esse. At non intellegitur, quo modo cuipiam Hebraeorum in mentem venire potuerit pretium ex cane vendito Jahvae consecrare, cum canes apud eos inter abiectissima animalia haberentur, quae nemo facile emeret. Ceterum profecto etiam indecens

erat pretium *vulgaris* prostitutionis Jahvae offerre, sed loco allato de *sacra* tantum prostitutione agitur. Cf. Phil. De mercede meretricis non accipienda in sacrarium (opp. II, 264—269).

[2] Convenit enim ἀνάθημα κάλλιστον καὶ ἐχυρώτατον Jahvae offerre (Philo, De somniis l. 1. opp. I, 658).

[3] Feminae enim in perpetuum a parente aut marito pendere debebant. De votis filiorum lex silet. Verisimile autem est, quod de filia dicitur, idem de filio, qui de potestate patris non exierat, intellegendum esse. Ceterum sub patre tutor quoque intellegitur; hic enim patre mortuo quasi in ius et regimen paternum succedit. Maritus etiam sponsus intellegitur.

[4] Subicimus pleniorem huius argumenti conspectum:

A) *Virorum* vota a nullo irrita fieri possunt (Nm 30, 3)

B) *Mulieris in domo paterna degentis* vota (v. 4—10)

a) *puellae innuptae* vota (v. 4—6)

α) patre vel consentiente vel non contradicente rata sunt (v. 4 s.)

β) patre contradicente irrita sunt (v. 6)

b) *novae nuptae* ante matrimonium suscepta vota (v. 7—9)

α) viro vel consentiente vel non contradicente rata sunt (v. 7 s.)

β) viro contradicente irrita sunt (v. 9)

Additamentum. — *Viduarum* et uxorum *repudiatarum* vota firma sunt neque a quoquam irrita fieri possunt (v. 10)

C) *Uxoris in domo mariti degentis* vota (v. 11—16)

a) viro non contradicente rata sunt (v. 11 s.)

b) viro contradicente irrita sunt (v. 13)

Additamentum. — Mariti est vota uxoris aut rata iudicare aut irrita facere (v. 14); legitime autem ea primo tantum die, quo de iis certior fit, irrita facit (v. 15), postea ea re quidem tollit, sed non legitime tollit (v. 16).

III. Vota erant aut *positiva* (affirmativa, vota consecrationis, נְדָרִים κατ' ἐξοχήν), quibus quid (persona, animal, res) deo eiusque cultui singulariter consecrabatur, aut *negativa* (vota obligationis, אֱסָר sive אִסָּר, a rad. אסר = Assyr. *esêru*, ligavit, vinxit), quibus quis se obligabat, ut ab aliqua re permissa abstineret.

1) Duo erant votorum, quibus deo aliquid sacrari poterat, genera.

a) Alterum erat votum, quod *simplex* dici potest, de quo Lv 27, 2—24 agitur. Atque homines devoti negotiis vanis abiectis divino cultui perpetuo dedicabantur, fere ut religiosi nostri et sanctimoniales.

Cuius rei exemplum habemus I Sm 1, 11 [1]. Permittebat tamen lex, ut talis voti religione obstrictos pecuniâ redimerentur, cum ne turba in templo ministrantium nimium excresceret, tum ne haec vota oneri essent sacrario, quod eos, qui se voverant, alere debebat. At non singulorum erat redemptionis pretium definire, neque sacerdotis, sed dei, qui aestimationem personarum redimendarum ipse constituit. Maris a vicenario ad sexagenarium aestimatio quinquaginta siclorum erat, feminae triginta; maris a quinque annos nato usque ad viginti annos natum viginti siclorum, feminae decem; maris a nato unum mensem usque ad quinque annos quinque siclorum, feminae trium; maris supra sexagesimum aetatis annum siclorum quindecim, feminae decem [2]. Si homo devotus huic pecuniae solvendae ob egestatem impar erat, sacerdos eius bona taxans aliquid solvendum imponebat (v. 2—8). De animalibus devotis haec statuuntur: Animalia ad sacrificandum idonea offerenda sunt, neque aliis mutari neque redimi possunt (v. 9 s.); animalia immunda redimi debent idque pretio a sacerdote constituto, additâ quintâ eius parte, ne solutio voti imperfecta videretur (v. 11—13). Si quis deo domum voverat, ea pretio a sacerdote statuto vendenda erat; quodsi vovens eam redimere volebat, pretio illi statuto quintam partem addere debebat (v. 14 s.). Agrorum autem Jahvae consecratorum duo genera fuisse videntur. Ita enim locum illum difficilem v. 16—21 explicandum esse censeo: Aut aliquis Jahvae solas agri fruges dicabat, ita ut anno iubilaeo agrum reciperet; tum licebat eum solvere idque pro numero annorum, qui usque ad annum iubilaeum supererant, additâ insuper quintâ pretii parte (v. 16—19); aut ita agrum dicare licebat, ut is, qui dicabat, fundum quidem Jahvae traderet, fruges autem usque ad proximum annum iubilaeum inde percipiendas alicui venderet; tum anno iubilaeo agri possessione in aeternum abstinere debebat, ut inde ager pro חֵרֶם habendus esset, quod devotionum genus solvere nefas erat (v. 20 s.). Quae v. 22—24 adiciuntur, explicatione non egent; nam si quis agrum non suum, sed ab alio emptum Jahvae voto addixerat, is ager soluto redemptionis pretio anno iubilaeo ad pristinum dominum redibat.

[1] Si homo devotus Levita erat, non modo ea, quae alii Levitae curare solebant, facere debebat, sed etiam summo sacerdoti semper praesto esse, ut ex Samuelis historia colligitur. Si autem ex alia erat tribu, ea curare poterat, quae aliis tribubus licebant, ut lignum in altaris usum caedere, aquam haurire aliaque eius modi, quae non necessario a Levitis peragi debebant.

[2] Pro infantium redemptione propterea minus pretium constituitur quam pro ceteris magis adultis, quod tenera illa aetas a primo mense

usque ad annum sextum morti magis obnoxia est atque infantium ministerium plane est nullum. Et quia feminarum ministerium minoris aestimatur quam marium, feminis redimendis semper minus pretium statuitur. Pari ratione senum redemptioni exiguum pretium constituitur, quia munera, quae senes praestare possunt, et levia sunt et paucorum annorum.

b) Alterum erat votum, quod חֵרֶם (semel חֶרֶם Sach 14, 11), a LXX et Philone ἀνάθημα sive ἀνάθεμα vocatur [1], de quo Lv 27, 28 s. agitur. Atque respiciendum est loco allato duo distingui anathematis genera, consecrationem et exsecrationem. Ex v. 28 apparet cuilibet licuisse per חרם Jahvae *consecrare* non solum animalia et res, sed etiam homines, qui in ipsius essent potestate, velut hero servum non Hebraeum et patri liberos. Eius modi res consecratae, quae קֹדֶשׁ־קָדָשִׁים *sancta sanctorum* sive *sanctissima* nominantur, non erant exstinguendae, sed ad cultum divinum reservandae [2]. Hoc igitur genus חרם eorum fuisse videtur, quae vovebantur sine redemptionis iure, quod in votis ordinariis, si vota rerum minimarum excipias, semper reservari solebat [3]. Aliud genus חרם v. 29 commemoratur, ex quo homines, animalia, res non privata cuiusvis voluntate, sed publica auctoritate (vel vi legis divinae vel oraculo cuiusdam prophetae) *exsecrabantur*. Atque homines exsecrati interimendi erant; de iis autem exsecratis, quae homines non erant, lex nihil statuit. Quam ob rem in sacris litteris varia exsecrationis distinguuntur genera: α) Hebraei diis alienis victimam immolantes [4] occidebantur (Ex 22, 19). β) Si urbs Hebraica ad fictorum deorum cultum descierat, eius incolae et pecora deleri debebant omnisque supellex cum ipsa urbe flammis consumenda erat (Dt 13, 13—18. Jos. AJ 4, 8. 45), id quod sapienter institutum est, ne finitimi talem urbem divitias eius expetentes diriperent direptamque delerent. γ) Incolas urbium Cananaeorum cum omnibus animantibus morte affici necesse erat (Dt 7, 1 s; 20, 16 s. Jos. AJ 4, 8. 42) [5]. Atque in Amaraeorum urbibus soli homines percutiendi erant, pecora et supellex in usum victorum cedebant (Dt 2, 34 s; 3, 6 s. Jos. AJ 4, 5. 2 s.). Amalekitarum viri et mulieres, infantes omnis generis (parvuli, lactentes), armenta et pecora (boves, oves, caprae) atque iumenta oneraria (cameli, asini) occidebantur (I Sm 15, 3. cf. Dt 25, 17—19. Jos. AJ 4, 8. 44). Midianitarum viri et mulieres iam non interficiebantur, virgines in captivitatem abducebantur, pecora et supellex reservabantur (Nm 31, 7 ss. 17 ss. Jos. AJ 4, 7. 1) [6]. δ) Urbs gentilis extra Cananaeorum fines sita primo ad deditionem invitanda erat, qua recusata omnes viri gladio interimebanter, reliqua (mulieres et infantes, pecora et supellex) in usum victorum cedebant (Dt 20, 10—14).

[1] Vocabulum חרם cum Arabico *ḥarama* (= prohibere, vetare, illicitum facere) componendum est. Plerumque in lingua Arabica sanctum, quod

violare aut tangere nefas est, eo appellatur (cf. vocabula *ḥarâm* et *ḥarîm*). Res quoque voto anathematis Jahvae consecrata ea est, quam violare nefas est. — Vocabulum ἀνάθημα (compositum ex ἀνά et τίθημι) proprie rem ex voto vel devotione in templo positam et deo consecratam significat. Quo sensu apud antiquos scriptores et ter in sacris litteris (Jdth 16, 19 [Vulg. v. 23]. II Mcc 9, 16. Lc 21, 5) usurpatur. Ceteris veteris et novi testamenti locis idem valet quod Hebraicum חרם. — Cf. RE[3] I, 493 s.

[2] Huc spectant, quae deus Nm 18, 14 ad Aaron dicit: „Omne devotum (i. e. omne, quod Jahvae devovetur, ut e profano sanctum sanctorum fiat) in Israel tuum erit". Cf. etiam Ez 44, 29.

[3] Jephta ex huius anathematis lege obstrictus esse videtur filiam suam ministerio sacro consecrare (Jdc 11, 39). — Ceterum morem deo aliquid in perpetuum proprium devovendi apud Gallos quoque et Germanos invenimus (Caes. De bello Gall. 6, 17. Tacit. Annal. 13, 57. cf. Liv. Ab urbe cond. 3, 55. Diod. Sic. Bibl. hist. 11, 3: δεκατεῦσαι τοῖς θεοῖς).

[4] Cum victimarum mactatio potissima esset cultus divini pars, hac specie cultus illiciti reliquae omnes continentur.

[5] Ex urbe Jericho expugnata omnes res pretiosae thesauro sacro illatae sunt (Jos 6, 19. 24). Id Josephus AJ 5, 1. 5 et plerique interpretes Hebraici ad primitiarum caerimoniam pertinuisse existimant; ita enim primitias expugnatae terrae Canaan quodam modo Jahvae tribuendas fuisse. Cui sententiae profecto congruere videtur, quod Jahve de spoliis aliarum urbium Cananaeorum sibi nihil sumpsit, sed universa victoribus permisit (Jos 8, 2. 27; 10, 28. 30. 32. 35. 37. 39 s; 11, 14. Jos. AJ 5, 1. 15 s.), quasi illis contentus primitiis. Etiam quod Josua de ipsa urbe Jericho delenda et perdenda mandavit (Jos 6, 17. cf. v. 24), id prorsus singulare fuit neque de aliis Cananaeorum urbibus (exceptis Ai ib. 8, 2. 24. 28 et Chazor ib. 11, 10—13) factum est.

Jos 6, 26 memoriae proditur Josua graves diras iis imprecatum esse, qui Jericho restauraturi essent: „Exsecratus sit ille vir coram Jahve (i. e. Jahve ipso iudicante et puniente), qui surrexerit et aedificaverit hanc urbem, Jericho. Primogenito suo (i. e. eius iacturâ sive pretio) fundet eam et parvo (i. e. natu minimo) suo (eius iacturâ) collocet fores illius (urbis)" i. e. quisquis posthac illam urbem reficere aggressus sit, is liberorum suorum exitio poenas eius rei det, ita ut initio operis filius maximus moriatur, inter aedificandum ceteri intereant, denique filius minimus exstinguatur. Quas diras Jahven ratas habuisse I Rg 16, 34 traditur: „Aedificavit Hiel de Bethel Jericho; Abiram, filio suo primogenito (i. e. eius morte), fundavit eam et Segub, filio suo natu minimo (eius morte), posuit fores eius (urbis)". Ex quo nonnulli colligunt urbes anathemate affectas iterum aedificare nefas fuisse. Quod tamen a vero prorsus abhorrere censendum est. Probabilius videtur verba Josua de munitionibus urbis intellegenda esse. Jericho enim iam ante Hiel, qui regnante Ahab vixit, restitutam esse inde patet, quod haud multo post mortem Josua Moabitae devictis Hebraeis eam cepisse narrantur (Jdc 3, 13). Et David legatos suos ab Ammonitis redeuntes per aliquot tempus Jericho manere

iubet (II Sm 10, 5). Quibus ex locis apparet Jericho post mortem Josua usque ad tempora Ahab minime ab incolis desertam fuisse. Sunt qui existiment in vicinia urbis a Josua dirutae aliam eiusdem nominis urbem exstitisse, Hiel vero veterem urbem iterum aedificasse. Neque tamen id sumamus necesse est, si verbum בָּנָה, quo sacer scriptor loco allato utitur, de munienda Jericho intellegimus. Atque eam significationem verbo בנה inesse locus II Chr 14, 5 s. docet. Ibi enim, postquam dictum est Asa, regem Juda, urbes munitas aedificasse (וַיִּבֶן עָרֵי מְצוּרָה), subiungitur eum Judaeis haec proposuisse: וְנִבְנֶה אֶת־הֶעָרִים הָאֵלֶּה „aedificabimus (i. e. muniamus) urbes illas (quae iam exstiterunt) et circumducamus muros turribusque, foribus et vectibus (eos instruamus)". De urbibus, quas Asa munitionibus firmavit, etiam I Rg 15, 22 verbum בנה usurpatur. Quare Hiel Jericho non totam aedificasse, sed muro tantum circumdedisse videtur atque imprecationem a Josua prolatam de munienda urbe intellegenda est.

[6] Item puellae urbis Jabeš Gile'ad servatae sunt (Jdc 21, 11 s.). — Quidquid ex praeda auferebatur, sacrilegium erat (Jos 6, 18; 7, 11. Jos. AJ 5, 1. 10 et 14. cf. Dt 7, 26; 13, 18).

Cf. J. Döller, Der Bann (Herem) im alten Testament und im späteren Judentum (Zk Th XXXVII, 1913, 1—24).

Adnotatio. — Ab anathemate, de quo lex Mosaica agit, distinguendum est anathema apud Judaeos posterioris aetatis usitatum i. e. exclusio e coetu fidelium. Atque imprimis homines non oboedientes vel res theocraticas contemnentes e conventibus sacris aut synagogis excludebantur vel excommunicabantur (Esr 10, 8), quod in novo testamento exprimitur verbis: ἀφορίζειν Lc 6, 22. ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι sive ποιεῖν Jo 9, 22; 12, 42; 16, 2. ἐκβάλλειν ἔζω ib. 9, 34 s.

Rabbini duos gradus excommunicationis synagogalis distinguunt, alterum leviorem, quem נדוי *separationem* (a נָדָה *recessit*, Pi'el נִדָּה *procul removit, exclusit*) vocant, quo quis a conventibus sacris et, ut quidam volunt, etiam ab aliorum societate per triginta dies separandus esse declarabatur, et si non resipiverat, per sexaginta aut nonaginta dies; alterum graviorem, חֵרֶם *devotionem* (et שַׁמְתָּא *exsecrationem*), quo quis sollemniter additis maledictionibus et diris, quae ex Dt c. 28 aliisque divinarum scripturarum locis sumebantur, ab omni cum aliis consortio in perpetuum excludebatur. De originatione vocabuli שמתא rabbini varias sententias proferunt. Atque nonnulli id compositum esse contendunt ex שֵׁם *nomen* et אָתָה *venit*, quocum illud Pauli apostoli I Cor 16, 22 μαρὰν ἀθά = Aram. מָרָן אָתָא = *dominus noster venit* vel μαράνα, θά! = Aram. מָרָנָא תָא = *domine noster, veni!* congruit. Quod si veram originationem non refert (nam etiam a verbo שָׁמַת *exclusit, expulit, separavit* deduci potest), tamen explicationem tunc temporis usitatam exhibet. Complures Judaeorum doctores שמתא pro נדוי usurpare solent, at frequentius pro חרם usurpatur. Sunt etiam qui ex his tribus nominibus tres excommunicationis gradus constituerint, contra quam opinionem alii iure meritoque dixerunt (cf. J. Buxtorf, Lex. Chald. 2462—2470).

2) Praecipuum votorum negativorum erat naziraeatus (נֶזֶר נָזִיר Nm 6, 2. נְזִירוּת talmud.) simulque omnium votorum maximum (Philo, De special. legib. l. 1. opp. II, 249: Naziraeatus μεγάλη εὐχὴ καλεῖται. cf. LXX Nm 6, 2: ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχήν).

a) Vir et femina singulariter se Jahvae consecrare poterat [1], eo quod ad certum tempus α) *a fructibus vitis abstinebant.* Atque proscribebantur vinum et sicera, ex utroque acetum, omne liquidum ex uvis confectum, velut sucus recens expressus, atque uvae ipsae, tam recentes quam passae (Nm 6, 3 s.) [2]. β) *caesariem non tondebant* (ib. v. 5). De huius legis ratione variae sunt discrepantesque interpretum sententiae. Atque nonnulli capillorum nutritionem symbolum nutritionis animi i. e. virtutum et studii pietatis esse contendunt. Alii autem eam adiumentum et testimonium paenitentiae fuisse censent [3]. γ) *omnem contaminationem per cadavera, ossa, sepulcra vitabant* (ib. v. 6 s.). Qua in re naziraei sacerdotibus simplicibus perfectiores erant (cf. Lv 21, 1—5) et aequabant summum pontificem, qui nec patris nec matris funus adire poterat [4].

Verisimiliter institutum naziraeatus Mose antiquius et fortasse ab ipsa aetate patriarcharum repetendum est. Nam primum Moses de eo tamquam de re omnibus bene nota loquitur. Deinde cum Hebraei in deserto commorantes vini inopiâ laborarent, non esse videtur, cur Moses eam legem iam sub monte Sinai condidisset, nisi eâ antiquum institutum revocasset. Denique cohortatio, ut tempus voti expleatur, totiens repetitur (Nm 6, 4—6. 8. 12), ut suspicari necesse sit, antea Hebraeos in eo observando haud raro neglegentes fuisse.

[1] Quare eo voto obstrictus vocatur נָזִיר (fem. נְזִירָה talmud.) i. e. *segregatus, consecratus*, plenius נְזִיר אֱלֹהִים *deo consecratus* (Jdc 13, 5. 7; 16, 17), קָדֹשׁ לַיהוָה *sacer Jahvae* (Nm 6, 8); LXX Νάζιρ θεοῦ, Ναζιραῖος, ἅγιος κυρίῳ vel θεοῦ, ἁγιασμένος, εὐξόμενος. Talmudistae נזירות vocabulo פרישות (= separatio) interpretantur. Jalkut Schimeʿôni 209ᶜ: „Naziraeatus ubivis locorum segregationem involvit".

[2] Quod naziraei vino abstinebant, id non cum Arabum consuetudine vino abstinendi, dum votum aliquod solvatur, aequandum est. Nam ea consuetudo id spectat, ut ad votum solvendum impellatur (J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums [2] 122), cum naziraeorum sobrietas ad votum ipsum pertineret.

[3] Ex eo, quod in historia Simson (Jdc 13, 5) et Samuel (I Sm 1, 11) solius caesariei mentio habetur, quidam perperam concluserunt alias duas obligationes iis temporibus observari non consuevisse.

[4] Praeter inopias lege Mosaica praescriptas naziraei sibi alias quoque sua sponte et voluntate imponebant. Velut Hegesippus (apud. *Euseb.*

Hist. eccl. 2, 23. MSG 20, 197) de Jacob naziraeo memoriae prodit: Ἔλαιον οὐκ ἠλείψατο καὶ βαλανείῳ οὐκ ἐχρήσατο.

b) Naziraeus per mortuum inopinato contaminatus [1] die septimo purgationis caput radere [2], die octavo duos turtures vel pullos columbinos, alterum pro peccato, alterum in holocaustum, atque agnum anniculum pro delicto offerre et tali modo mundatus votum denuo incohare debebat, ita ut dies priores non numerarentur (Nm 6, 9—12).

[1] Lex Mosaica voluntariam consecrationis interruptionem praetermittit, quae sine dubio, ubi de ea constabat, severius puniebatur.

[2] Falso Vulgata Nm 6, 9: „Radet illico in eadem die purgationis suae et rursum septima".

Tempore voti elapso [1] naziraeus agnum in holocaustum, ovem pro peccato (i. e. pro peccatis suis universis), arietem tamquam sacrificium eucharisticum, canistrum panum azymorum (quorum alteri oleo subacti, alteri oleo perfusi erant), vinum denique ad libandum destinatum offerebat [2]. Coma eius ante ostium tabernaculi (post templum exstructum in conclavi naziraeorum) tonsa cum adipe sacrificii eucharistici concremabatur. Armus coctus arietis et unus panis utriusque generis per caerimoniam agitationis Jahvae offerebantur, dein in usum sacerdotis cedebant. In epulo demum sacro ex carnibus victimae eucharisticae et reliquis panibus parato rursus vinum bibebat. (Nm 6, 13—20). His peractis naziraeus votum suum absolverat.

[1] Votum naziraeatus erat aut *temporarium* (ad mensem, annum, triennium) aut *perpetuum* (ad dies vitae). Hinc distinctio talmudistarum inter *naziraeum in aeternum* (נְזִיר עוֹלָם sive נ' כָּל יָמָיו) et *naziraeum ad certum tempus* (נ' יָמִים sive נ' לִזְמַן קָצוּב). Interdum parentes filios nondum natos deo vovebant, velut Simson (Jdc 13, 5. 7), Samuel (I Sm 1, 11), Joannem Baptistam (Lc 1, 15).

[2] Ex quo apparet votum naziraeatus non fuisse hominis pauperis. At pauperibus hos sumptus nonnumquam divitiores suppeditabant, quo modo ipsi voti eorum participes fiebant (Act 21, 23 s.). Insignis de hac re est locus Jos. AJ 19, 6. 1., ubi de Agrippa Hierosolyma redeunte memoriae traditur eum multos naziraeos tonderi iussisse.

c) Naziraei ab hominibus eorumque deliciis separati et proprie deo consecrati, ut precibus et rerum divinarum cogitationi operam darent, magna apud populum erant auctoritate atque periculo instante eorum intercessio implorari solebat (cf. I Mcc 3, 49 s.). Et deus ipse per Amos (2, 11) beneficia, quae genti electae praestiterat, enumerans praeter prophetas diserte commemorat naziraeos.

Naziraeus homo deo dicatus erat, qui se res divinas contemplans efficientiae gratiarum dei dedere debebat. Vinum bibere vetitus est, quod ardorem eius animi non a terrae donis, sed a deo nasci oportet. Idem comam tondere vetitus, sed promittere iussus est, ut ipso habitu indicet se esse dei cultorem, qui res vanas neglegat neque de ulla re nisi de deo laboret. Denique nullius mortui contagione affici debet, quod deo vitae dedicatus est. Ita quasi coactus est solitudinem petere, ut remotus ab oculis ac strepitu hominum animum, qui gratias dei facile excipiat, habeat. Ita cum res se haberent, quod gens Hebraica inter gentes ethnicas, id naziraeus in gente sua erat.

Naziraeatus typus vitae abstinentium et continentium novi testamenti est. Qua de re conferas Gregor. Naz. Orat. 43. MSG 36, 533. Gregor M. Lib. 32. moral. in Job c. 22. MSL 76, 663. Thom. S. th. 2, 2. qu. 186. a. 6: „Per eos (naziraeos) significantur illi, qui ad perfectionis summam pertingunt". Etiam oblati qui vocantur mediae aetatis, qui a prima pueritia, interdum iam ante partum deo vovebantur votique in claustris adolescebant, naziraeis comparari possunt.

Adnotatio. — Naziraeis quodam modo similes erant Rechabitae (רֵכָבִים), quorum institutum sine voto quidem, non tamen sine approbatione divina vitam simplicem in tabernaculis vel tentoriis atque abstinentiam a vinearum et agrorum cultura imponebat (Jer 35, 2—10).

Ut Rechabitae, ita Nabataei quoque vino abstinebant (*Diod. Sic.* Bibl. hist. 19, 94). Apud Romanos vero flamen Dialis vitem ne attingere quidem debebat (cf. *Plut.* Quaest. Rom. c. 112). Graeci autem fabulantur Icarium, cum primus in Attica vitem coleret, a popularibus interfectum esse. Ad hoc constat Arabes antiquos a vite abhorruisse et Mohammed vinum bibi vetuisse.

d) Haud paucis verisimile videtur naziraeatum Hebraeorum *ex religione gentilium*, imprimis Aegyptiorum, ortum esse. Quod iam Cyrillus Alexandrinus (De adorat. in spir. et verit. l. 16. MSG 68, 1044) existimavit, qui memoriae prodit apud Aegyptios morem fuisse diis capillos consecrare, Mosen autem Hebraeos, qui hunc morem recepissent, si naziraeatum elegissent, capillos consecrare iussisse, ut illum cultum ad unum verum deum referrent, sicut deus ipse eadem causa adductus sacra cruenta Hebraeis imperavisset et accepisset. Quod J. Spencer (De legib. Hebr. ritual.[4] 693—702) multis argumentis confirmare studuit. Atque dicit apud Aegyptios eos sacerdotes, qui sanctius quam reliqui rebus divinis sese consecrare voluissent, similiter ac naziraeos apud Hebraeos a multis rebus abstinuisse; imprimis autem non solum Aegyptiorum, sed etiam aliarum gentium antiquarum morem fuisse dei alicuius honoris causâ comam promittere promissamque brevi temporis spatio interiecto tondere atque tamquam testimonium animi grati et devoti numini divino consecrare. Cuius rei multa exempla attulit.

Contra quae haec dicimus: Minime illud quidem negandum est complures gentes antiquas ut Hebraeos religione voti naziraeatus obstrictos comam promissam atque tempore interiecto tonsam diis consecrare consuevisse. Ex quo tamen nequaquam colligi posse Hebraeos ipsum naziraeatum ab Aegyptiis aliave gente mutuatos esse neminem opinionibus ante conceptis liberum fugit. Nam quod apud Aegyptios et alios gentiles capilli diis consecrabantur, id non solum formâ, sed etiam consilio a naziraeatu Hebraeorum prorsus distabat; gentiles enim ita a diis impetrare studebant, ut sibi vel bonam valetudinem conservarent vel aegrotis auxilium praeberent, ut se periclitantes aut proficiscentes tuerentur, a quibus rebus naziraeatus prorsus abhorret. Sed gentiles alia quoque causa permoti comam consecrabant. Adulescentes enim crines, imprimis barbae, ubi eos usque ad pubertatem aluerant, iis diis consecrare solebant, quibus vis generandi aliquo modo significabatur (Apollini, Jovi Capitolino, Herculi), cum naziraeatus minime ad pubertatem spectet. Neque enim si naziraei adulescentes erant, id quod *J. Spencer* ex locis Am 2, 11 et Thrn 4, 7 colligit, naziraeatus ad pubertatem referendus est. Nam homines longis capillis semper ii erant, qui aetate florebant, et tales illis locis designantur; senes autem ob eam ipsam causam votum naziraeatus suscipere non poterant. Ceterum in libris sacris nusquam de barbae crinibus naziraeorum sermo est; immo vero illud votum et a feminis et a viris suscipi poterat (Nm 6, 2), qua sola re illa comparatio tollitur. Quare complures viri docti (ut *G. B. Winer, C. F. Keil, P. Scholz, W. Nowack*) contra opinionem naziraeatum Hebraeorum a religione gentilium ortum esse iure dixerunt.

E. W. Hengstenberg (Die Bücher Mose's und Aegypten 199—205) ipse contendit nihil naziraeatui Hebraeorum simile apud Aegyptios reperiri posse nisi consecrationem crinium, quae non in religione, sed in more gentis Aegyptiae posita sit.

Caput quartum

De ieiuniis

Conferas tract. *Taanith* (M II, 9). — F. Bittner, De Graecorum et Romanorum deque Hebraeorum et Christianorum sacris ieiuniis. Posnae 1846.

I. Duplex erat Hebraeorum ieiunium (צוֹם), unum commune sive publicum, alterum privatum; commune autem rursum duplex, vel ordinarium vel extraordinarium. Publicum ieiunium anniversarium iure divino unum statutum erat idque die sollemnis expiationis (Lv 16, 29; 23, 27. Nm 29, 7); sed postea perpetuae malorum quorundam insigniorum memoriae causâ complura alia instituta sunt, ut die nono mensis quarti (Tammuz) ad memoriam Hierosolymorum a Chaldaeis expugnatorum (Jer 52, 6 s. Babyl. Rosch haschana 18 b) [1], die decimo mensis quinti (Ab) ob templi Hierosolymitani combustionem (Jer 52.

12 s.)[2], die tertio mensis septimi (Tišri) ob occisionem Gedaljae, qui a rege Babyloniorum praefectus superstitum Judaeae incolarum constitutus erat (II Rg 25, 25. Jer 41, 1 s. Hieros. Taanith 68[a]), die decimo mensis decimi (Tebeth) propter obsidionem Hierosolymorum eo die a Babyloniis inceptam (II Rg 25, 1. Jer 39, 1)[3]. Quibus quattuor ieiuniis adnumerandum est ieiunium sollemne Esther (תַּעֲנִית אֶסְתֵּר) ad memoriam illius ieiunii trium dierum, quod Esther pro populo suo regem compellatura instituit (Esth 4, 16). Praeter haec ieiunia quotannis celebranda alia quoque toti populo indicebantur (= קְרָא צוֹם sive קִדֵּשׁ צוֹם) idque imprimis occasione calamitatum maiorum, quibus respublica premebatur (Jdc 20, 26. I Sm 7, 6; 31, 13. II Sm 1, 12. Jes 58, 3. 5 s. Jer 36, 9. Bar 1, 5. Joel 1, 14; 2, 12. 15. Esth 4, 3; 9, 31. Jdth 4, 8. Esr 8, 21. 23. Neh 9, 1. II Chr 20, 3. I Mcc 3, 47. II Mcc 13, 12). Ieiunia a singulis servanda etsi lege Mosaica sancta non erant, tamen omnibus temporibus servari solebant, ut vel mala averterentur vel deus homines beneficiis afficeret (II Sm 3, 35; 12, 16. 21 s. Ps 35, 13. Esth 4, 16. Jdth 8, 6. Esr 10, 6. Neh 1, 4)[4]; nam ieiunio *anima* sive facultas appetendi *affligebatur* (עִנָּה נֶפֶשׁ Lv 16, 29. 31; 23, 27. 32. Nm 29, 7; 30, 14. עִנָּה נֶפֶשׁ בְּצוֹם Ps 35, 13. LXX ταπεινοῦν ἐν νηστείᾳ τὴν ψυχήν).

[1] Secundum M. Taanith 4, 6 et Hieros. Taanith 68[a] Judaei die septimo decimo mensis quarti ieiunabant, quod olim eo die tabulae legis a Mose confractae erant, iuge sacrificium cessaverat, sacrum legis exemplar combustum erat.

[2] Teste II Rg 25, 8 die septimo. Judaei posterioris aetatis die nono ieiunabant (Taanith 4, 6).

[3] Quos dies lugubres, etsi Sacharia propheta ab iis, qui e captivitate Babylonia reducti sunt, in dies festos (מוֹעֲדִים טוֹבִים) converti cupierat (Sach 7, 3—5; 8, 19), Judaei tamen retinebant.

[4] In his ieiuniis servandis Pharisaei nimiam pietatem affectantes ceteris rigidiores erant (Mt 9, 14. Mc 2, 18. Lc 5, 33). Cuiusvis hebdomadis diem secundum et quintum ieiunio sacrabant (cf. Lc 18, 12), quia ex rabbinorum opinione Moses ad tabulas legis iterum accipiendas feria quinta in montem Sinai adscendit et feria secunda rediit (Gloss. ad Babyl. Baba kamma 82[a]. Hieros. Megilla 75[a]).

II. Ieiunia, quae saepius cum precibus coniungebantur (cf. II Sm 12, 16. Tob 12, 8. Jdth 4, 12. Dn 9, 3), plerumque unum diem durabant (Jdc 20, 26. II Sm 1, 12; 3, 35). Interdum per triduum (Tob 3, 10. Esth 4, 16. II Mcc 13, 12) vel plures dies (Jdth 8, 6. Neh 1, 4), velut septem dies (I Sm 31, 13. IV Esr 5, 13; 6, 31), tres hebdomades (Dn 10, 2 s.), quadraginta dies (Ex 34, 28. Dt 9, 9. I Rg 19,

8. Mt 4, 2) continuabantur. Praeterea ieiunantes lotionibus, unctionibus, deniqne omnibus rebus, quae ad corporis voluptates pertinent, abstinebant (I Rg 21, 27. Joel 1, 13 s. Ps 35, 13. Dn 9, 3. Esth 14, 2. Jdth 4, 8 s; 8, 6; 9, 1. I Mcc 3, 47. Mt 6, 16 s.).

Sabbato ieiunare non licebat neque aliis diebus festis, qui laete transigendi erant, ut neomeniis, festo encaeniorum, festo Purim (Hieros. Taanith 66[a]). Ita de Judith (8, 6) legitur eam „ieiunasse omnibus diebus vitae suae praeter sabbata et neomenias et festa domus Israel".

Caput quintum

De circumcisione

Conferas J. Spencer, De legibus Hebraeorum ritualibus[4] 54—61; J. B. Friedreich, Fragmente zur Bibel II, 39—163; H. Ploß, Geschichtliches und Ethnologisches über Knabenbeschneidung (Deutsches Archiv für Gesch. d. Medizin u. medizin. Geogr. VIII, 3, 312 ss.); P. Lafargue, La circoncision, sa signification sociale et religieuse (Bull. de la soc. d'anthrop. de Paris. Sér. III, t. X, 3, 420 ss.); P. C. Remondino, History of circumcision from the earliest times to the present. Philadelphia 1891; A. Glaßberg, Die Beschneidung in ihrer geschichtlichen, ethnographischen, religiösen und medizinischen Bedeutung. Berlin 1896; S. Kohn, Die Geschichte der Beschneidung bei den Juden von den ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart. Frankfurt a. M. 1902 (Hebr.); H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I. 48—52; J. C. Matthes, De besnijdenis (TthT VI, 1908, 163—191).

I. Circumcisio (מוּלָה, talmud. מִילָה, LXX et NT περιτομή) sive resecatio praeputii (עָרְלָה, ἀκροβυστία), Abraham et omnibus eius posteris maribus, nec non servis sine discrimine originis gravi poenâ propositâ iniuncta (Gn 17, 10—14), hominem membrum gentis a deo electae et participem benedictionum promissionumque foederis cum Jahve initi faciebat simulque eum condicionibus foederi appositis i. e. legi universae observandae obligabat (cf. Lv 18, 5. Dt 27, 26. Gal 5, 3). Circumcisio plerumque a patre familias (Gn 17, 23; 21, 4), necessitate urgente etiam a feminis (Ex 4, 25. II Mcc 6, 10. Jos. AJ 12, 5. 4) perficiebatur et quidem cultro lapideo i. e. lapide acuto vel silice (צוּר Ex 4, 25. חַרְבוֹת צֻרִים Jos 5, 2) in quovis mare octo dies nato (Gn 17, 12; 21, 4. Lv 12, 3. Lc 1, 59; 2, 21. Phil 3, 5. Jos. AJ. 1, 12. 2)[1], quia antea infans infirmior est, quam ut par sit dolori[2], in proselytis autem adultis quavis aetate[3].

[1] Cf. tamen Ex 4, 25 coll. 2, 22 et M. Schabbath 4, 6.

[2] Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 1: „Fiebat (circumcisio) octavo die, quia antea puer est valde tenellus et posset ex hoc graviter laedi, et reputatur adhuc quasi quiddam non solidatum".

[3] De modo circumcisionis videas J. H. Otho, Lex. rabbin.-philol. 133.

De circumcisionis *vi* atque *efficacitate* inter theologos tres sunt sententiae. Atque *prima* quidem affirmat circumcisione gratiam ex opere operato vel ex certo decreto et promissione divina datam esse. Ita F. Suarez (De sacram disp. 4. sect. 1), qui hanc sententiam „dogma certum et indubitatum" vocat. Sententia *altera* est plane contraria. Eius patroni primum ad illos sacrarum litterarum locos respiciunt, ubi universi ritus Mosaici, circumcisione non exclusâ, infirma et egena elementa nominantur (Gal 4, 9); dein ad complures patres ecclesiae, qui circumcisioni omnem vim adimunt atque eam tantum ad discernendos fideles ab infidelibus datam esse contendunt; denique ad concilia Florentiae et Tridenti celebrata, quae ullo sacramento veteris legis gratiam collatam esse negant. Secundum *tertiam* sententiam, quae est media, circumcisio, quatenus erat ritus religionis Mosaicae, gratiam non conferebat, sed quatenus remedium naturae includebat, aliis verbis: non conferebat gratiam, quatenus eâ puer populo *Judaico* inserebatur, sed quatenus eâ adnumerabatur populo *fidelium*. Sicut sanguis postibus in Aegypto illitus (Ex 12, 22 s.) primogenitos Hebraeorum non per se ab angelo vastatore protegebat i. e. quatenus erat sanguis agni paschalis, sed quatenus erat umbra sanguinis Christi, ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου (I Ptr 1, 19), ita etiam circumcisio non per se iustificabat, sed quatenus erat umbra baptismi gratiam conferebat. Qua de re Thomas S. th. 3. qu. 70. a. 4 scribit: „In circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae; in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis". Hoc igitur modo utrumque verum est et caerimonias legis, circumcisione non exceptâ, per se egena et infirma elementa fuisse et culpam originalem per circumcisionem remissam esse.

II. Ex nonnullorum hominum eruditorum opinione circumcisionem Hebraei Aegyptios imitati receperunt. Ita imprimis J. Spencer, ex theologis et viris doctis recentioris aetatis W. Nowack, E. Meyer, R. Reitzenstein, J. C. Matthes, C. F. Lehmann-Haupt, alii.

1. a) Atque Herodotus memoriae tradit *omnes Aegyptios* virilia circumcidere. Hist. 2, 36: Τὰ αἰδοῖα ὦλλοι μὲν ἐῶσι, ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τούτων ἔμαθον· Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται. Et 2, 37: Τὰ δὲ αἰδοῖα περιτάμνονται (Αἰγύπτιοι) καθαριότητος εἵνεκεν [1]. Et 2, 104 e sua et Judaeorum, qui tunc erant, sententia ab Aegyptiis ceteras gentes circumcisionem didicisse affirmat; Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν Παλαιστίνῃ (i. e. Judaei) καὶ οὗτοι ὁμολογοῦσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι [2]. Quem Herodoti locum Josephus bis commemorat et addit AJ 8, 10. 3: Δῆλον οὖν ἐστιν, ὅτι μηδένες ἄλλοι περιτέμνονται τῶν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ Σύρων ἢ μόνοι ἡμεῖς, CAp 1, 22: Τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσιν Ἰουδαῖοι, neque vero ullum de circumcisionis origine verbum adiungit, ex quo effici potest eum Herodoti sententiae adstipulari.

Sed non modo Herodotus, verum etiam plerique alii rerum scriptores et philosophi gentilium circumcisionem ab Aegyptiis originem duxisse contendunt. Velut Diodorus Siculus, Bibl. hist. 1, 28., postquam Judaeos et Colchos ab Aegypto profectos esse dixit, haec verba addit: Διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τούτοις ἐκ παλαιοῦ παραδεδόσθαι τὸ περιτέμνειν τοὺς γενωμένους παῖδας, ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένου τοῦ νομίμου. Idem tradit Celsus apud Origen. C. Cels. 1, 22. MSG 11, 697. Etiam Julianus apud Cyrill. Alex. C. Jul. l. 10. ib. 76, 1015 Abraham, Isaac, Jacob circumcisionis morem e commercio cum Aegyptiis didicisse memoriae prodit.

Praeterea circumcisionem Aegyptiis notam fuisse testantur Agatharchides (Geogr. Graec. min. ed. C. Müller I, 154), qui troglodytas καθάπερ Αἰγυπτίους πάντας circumcisos esse dicit; Barnabas (Epist. cathol. c. 9. MSG 2, 752): Καὶ Αἰγύπτιοι ἐν περιτομῇ εἰσι; Clemens Alexandrinus (Strom. 1, 15. ib. 8, 768), ubi Pythagoras circumcisionem subisse dicitur, ut aditum ad mysticam Aegyptiorum philosophiam haberet; Ambrosius (De Abraham 2, 11. MSL 14, 493), qui ex quorundam testimonio tradit apud Aegyptios non solum marium, sed etiam feminarum genitalia circumcisa esse; alii. Idem ex monumentis antiquis in Aegypto effossis apparet [3].

[1] Circumcisione enim praecavetur ἄνθραξ sive morbus carbunculi, qui in calidis regionibus ex immunditiis sub praeputio congregatis in glande membri virilis oritur et mortifer est. Quare apud Arabes circumcisio etiam nunc *ṭuhûr, taṭhîr* (= purgatio) appellatur.

[2] Sanchoniathon autem, vetustissimus rerum Phoeniciarum scriptor, memoriae tradit Phoenices circumcisionis institutum ad Saturnum,

non ad Aegyptios rettulisse (Fragmenta, ed. *J. C. Orelli* 36). Ceterum dubitatur, num Herodotus loco allato de Judaeis dicat.

[3] Cf. F. Chabas, De la circoncision chez les Egyptiens (Revue archéologique 1861. 298 s.). — G. Ebers, Aegypten und die Bücher Mose's I, 278—285, qui tamen falso dicit iam ex temporibus quartae domus regiae multa documenta ad nos pervenisse, unde appareat circumcisionem tum vulgo apud Aegyptios usitatam fuisse. Hoc unum accepimus eam tum usu venisse. — J. C. Matthes (ZAW XXIX, 1909, 70—73) recentes effossiones in Naga-ed-dêr, qui locus 160 km ad septentriones versus a Luksor abest, affert, ubi omnes viri sepulti circumcisi inventi sunt.

Adnotatio. — Sunt qui etiam ex loco Jos 5, 9[a] colligendum esse existiment circumcisionis consuetudinem iam ab antiquissimis temporibus apud Aegyptios viguisse. Postquam enim Jahve Hebraeos in deserto natos circumcidi praecepit, loco allato dixisse traditur: „Hodie abstuli a vobis חֶרְפַּת מִצְרַיִם *opprobium Aegypti* sive id, quod Aegyptii tamquam probrosum quid aliis gentibus proiciebant. Velut H. Schultz (Alttestamentliche Theologie[4] 175 [1]), J. Benzinger (Hebräische Archäologie[2] 119), J. C. Matthes (l. c. 70) verba allata ita interpretantur, ut Hebraei, cum in Aegypto non circumciderentur, Aegyptiis macula quadam inquinati fuisse visi sint. Sed „opprobrio Aegypti" hoc loco servitus Aegyptia intellegenda est; nam circumcisione Jahve effecit, ne Hebraei amplius velut mancipia et in domo servitutis nati haberentur, sed ut filii Abraham et heredes terrae promissionis (cf. Athanas. De sabb. et circumcis. § 6. MSG 28, 141). Alii illa verba ita intellegunt, ut Hebraei, cum in Aegypto commorantes se circumcidere desinerent, coram deo opprobrio se affecerint.

b) Plerique autem non omnes Aegyptios, sed *sacerdotes* tantum et religiosissimum quemque ex aedituis templorum et eos, qui arcanis sacris initiari volebant, circumcisos esse existimant.

Velut Josephus CAp 2, 13 memoriae prodit: Ἐκεῖνοι (i. e. sacerdotes Aegyptiorum) ἅπαντες καὶ περιτέμνονται καὶ χοιρείων ἀπέχονται βρωμάτων. Horapollo Hieroglyph. 1, 14 de cynocephalo ceilonico (macaco) tradit eum propterea sacrum haberi, quod circumcisus nascitur, et addit: καὶ οἱ ἱερεῖς (Aegyptii) ἐπιτηδεύουσι περιτομήν. Aetate Origenis solos sacerdotes circumcisos esse idque insigne quoddam atque consecrationem sacerdotum Aegyptiorum fuisse clare ex eius verbis (Comm. in ep. ad Rom. l. 2. § 13. MSG 14, 910 s.) apparet: „Circumcisio apud vos, o gentiles, ita magni habetur, ut non passim vulgo ignobili, sed solis sacerdotibus et his, qui inter ipsos electioribus studiis mancipati fuerint, credatur. Nam apud Aegyptios, qui in superstitionibus vestris et vetustissimi habentur et eruditissimi, a quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum et caerimonias mutuati sunt; apud hos, inquam, nullus aut geometriae studebat aut astronomiae, quae apud illos praecipuae ducuntur, nullus certe astrologiae et geneseos, qua nihil divinius putant, secreta rimabatur nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos, haruspex aut quorumlibet sacrorum minister vel, ut illi appellant, propheta omnis circumcisus est. Litteras quoque sa-

cerdotales veterum Aegyptiorum, quas hieroglyphicas appellant, nemo discebat nisi circumcisus. Hoc igitur apud nos turpe et obscenum iudicatis, quod apud vos ita honeste habetur et magnum, ut caelestium infernorumque secreta nonnisi per huiuscemodi insignia (al. lect.: initia) enuntiare vobis posse credatis". Conferas etiam eius hom. 5. in Jer. § 14. ib. 13, 316: τῶν Αἰγυπτίων εἰδώλοις οἱ ἱερεῖς περιτέμνονται. Ambrosius, Epist. II. class. ep. 72. § 5. MSL 16, 1245: „Aegyptii, qui et geometriae et colligendis siderum cursibus operam intendunt suam, impium iudicant sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam iudicant vim suam obtinere sine circumcisionis signaculo. Et ideo ut impetrandi vim operationi adhibeant suae, purgationem quandam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant". Atque de Aethiopibus Artapanus apud Euseb. Praep. evang. 9, 27. MSG 21, 729 testatur: Οὕτω δὲ τοὺς Αἰθίοπας, καίπερ ὄντας πολεμίους, στέρξαι τὸν Μώϋσον, ὥστε καὶ τὴν περιτομὴν τῶν αἰδοίων παρ' ἐκείνου μαθεῖν· οὐ μόνον δὲ τούτους, ἀλλὰ καὶ ἱερεῖς ἅπαντας (sc. Aegyptios).

Circumcisionem in Aegypto non vulgo exercitatam esse etiam corpora medicata, quae eam non exhibent, testantur (A. Wiedemann, Beschneidung im alten Aegypten. OrLz VI, 1903, 99). Ea autem corpora medicata, quae circumcisa sunt, omnia sacerdotum sunt (R. Reitzenstein, Zwei religionsgeschichtliche Fragen nach ungedruckten griechischen Texten der Straßburger Bibliothek 45). De circumcisione, si vulgo usitata fuisset, etiam multae illae papyri, quae de rebus religionis et medicinae agunt, mentionem facerent. Ceterum circumcisionem in Aegypto vulgo exercitatam esse ne ex testimoniis quidem antiquorum scriptorum, quos supra commemoravimus, dici potest (E. Schürer, GJV I⁴, 676).

2. Quamquam ex iis, quae diximus, dubium esse non potest, quin circumcisio Aegyptiis bene nota fuerit et imprimis eorum sacerdotes circumcisi fuerint, tamen contra opinionem illam Hebraeos eam ab Aegyptiis recepisse complures sacrarum litterarum interpretes dixerunt variasque dubitationes attulerunt. Nam ex eorum sententia ei rei primum opposita est circumcisionis inductio per Jahven, quae Gn 17, 10—13 describitur; unde factum esse dicitur, ut eius observatio Abraham et omnibus eius posteris gravi poena proposita iniuncta sit (ib. v. 14). Atque etiam Stephanus Act 7, 8 dicit deum Abraham dedisse διαθήκην περιτομῆς i. e. non tantum legem de circumcisione, id quod vocabulum διαθήκη a διατίθημι nonnumquam significat (ut II Cor 3, 14: ἡ παλαιὰ διαθήκη), sed etiam ipsam circumcisionem eamque ut אות *signum* testamenti vel foederis; inest enim metonymia. Deinde obstant verba Christi Jo 7, 22: Μωϋσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομήν (οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωϋσέως ἐστὶν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων) i. e. non quia Moses eam primus praecepit eiusque consuetudinem apud Hebraeos induxit, sed quia iam a temporibus patriarcharum a Jahve praescripta et usu recepta erat. Tum ex

eo, quod Aegyptiis aetate Herodoti vel etiam multo antea circumcisio haud ignota erat, nequaquam colligi potest eos iam temporibus Abraham eam consuetudinem habuisse atque Abraham eam in Aegypto cognovisse. Apud Jer 9, 24 s. et Ez 31, 18; 32, 19 coll. v. 21—32 Aegyptii inter alias gentes, quae non sunt circumcisae, commemorantur [1]. Atque Apion, homo Aegyptius, circumcisionem exagitavit (Jos. C Ap 2, 13). Quod lex Dt 23, 8 s. hominem Aegyptium in civitatem Hebraicam (per circumcisionem) recipi vetat, nisi tres generationes sint praeteritae, poni necesse est Aegyptiis non fuisse consuetudinem circumcidendi. Etiam ex loco Ex 2, 6 apparere dicitur Aegyptios temporibus saltem Mosis non fuisse circumcisos; nam filiam Pharaonis, cum infantem in Nilo expositum conspexisset, ex circumcisione cognovisse eum esse Hebraeorum [2]. Nonnulli Aegyptios exemplo vel praecepto Joseph, vicarii regis, motos corpora circumcisioni subiecisse existimant [3]. Alii rursus dicunt Aegyptios per Arabiae felicis incolas i. e. per posteros Ismael, filii Abraham ex Ketura (qui tredecim annos natus circumcisus est Gn 17, 25. Jos. A J 1, 12. 1), illum morem recepisse [4]; id quod vero propius esse videtur. Gentes enim Arabicae non solum iam antiquitus cum Aegyptiis commercium habuerunt (Gn 37, 25. 28. 36; 39, 1), sed Hyksos, gens Arabica, in Aegypto etiam regnum occupaverunt (1675—1580 a. Ch.). Aegyptios autem circumcisionem a gentibus Arabicis recepisse propterea quoque verisimile est, quod Aegyptii ut Arabes pueros a sexto usque ad quartum decimum aetatis annum circumcidebant. Praeterea parum convenire dicitur Jahven, cum foedus cum Abraham iniret, eam caerimoniam, quae iam apud Aegyptios idololatras in usu esset, signum foederis instituisse, praesertim cum fieri non posset, ut Abraham, quem in Aegyptum profectum ibique commoratum esse Gn 12, 10 legimus, circumcisionem Aegyptiam ignoraret. Denique contra illam mutuationem repugnat id, cuius causâ Hebraei circumcidebantur. Nam inter omnes constat Jahven circumcisionem eo consilio instituisse, ut Hebraei eo signo a ceteris terrae gentibus distinguerentur [5]; sin autem apud Aegyptios mos circumcidendi communis fuisset atque Hebraei Aegyptios imitati eum recepissent, fieri non potuit, ut gens a deo electa circumcisione ab aliis gentibus secerneretur. Ceterum Aegyptiorum circumcisio ab Hebraeorum tantum differt, ut verisimile non sit Hebraeos eam ab Aegyptiis recepisse. Nam cum apud Aegyptios neque omnes circumciderentur et praeter pueros etiam puellae circumciderentur idque posterioribus demum aetatis annis [6], apud Hebraeos soli pueri circumcidebantur idque octavo die postquam nati erant (Gn 17, 12; 21, 4. Lv 12, 3. Lc 1, 59; 2, 21. Phil 3, 5); item Hebraeos non ex eadem causa circumcisionem usurpavisse, ex qua Aegyptii, constat.

[1] Quod Justinus (Dialog. c. Tryph. § 28. MSG 6, 536) et Hieronymus (Comm. in Jer. MSL 24, 746) loco Jer 9, 24 s. innisi Aegyptios, Idumaeos, Ammonitas, Moabitas circumcisos fuisse dicunt, ea falsa est interpretatio.

[2] Quam opinionem Ibn'Esra statuit. Idem sentit Theodoretus, Qu. 3. in Ex. MSG 80, 228. cf. Graec. affect. cur. serm. 1. ib. 83, 793. Aliis autem verior videtur R. Mosis ben Nachman sententia Pharaonis filiam puerum ex eo, quod ita expositus erat, Hebraeum esse coniectasse.

[3] Velut Theodoretus, Qu. 68. in Gn. MSG 80, 177: Ἔμαθον δὲ ἐκ τῶν Ἰσραηλιτῶν καὶ Αἰγύπτιοι περιτέμνεσθαι.

[4] Recognit. Clement. 1, 33. MSG 1, 1227; „Alii apud Arabiam consederunt, ex quorum posteris nonnulli etiam in Aegyptum dispersi sunt. Inde denique et Judaeorum quidam et Aegyptiorum circumcidi didicere ac purioris observantiae esse quam ceteri".

[5] Cf. Justin. Dialog. c. Tryph. § 16. MSG 6, 510. Chrysost. Hom. 27. in Gn. ib. 53, 242. Theodoret. Qu. 68. in Gn. ib. 80, 177. Hieronym. Comm. in Gal 3, 7. MSL 26, 352. Thom. S. th. 1, 2. qu. 102. a. 5. ad 1. Tacit. Hist. 5, 5.

[6] Imago circumcisionis, quae aetate sextae domus regiae Aegyptiae orta in opere, quod inscribitur „Egyptological researches" (ed. a W. M. Müller) tab. 106 conspicitur, testimonio est Aegyptios, cum puberes esse coepissent, circumcisos esse.

3. Ut mihi quidem videtur, Jahve consuetudinem circumcisionis, quae iam dudum apud Aegyptios munditiei causâ, cui praeter ceteras gentes studebant, usu recepta erat [1], Abraham observandam tradidit, sed religionis causâ, sicut alias quoque res, quae iam diu exstiterant, singulari quodam consilio adhibuit (cf. Gn 3, 14; 9, 13). Nam circumcisio erat non solum signum, quo Hebraei a ceteris terrae gentibus distinguerentur, sed etiam signum, quo foedus a deo cum Abraham initum perpetuo recordarentur (cf. Epiphan. Haer. 8, 4. MSG 41, 209), quo foedere facti essent gens deo dicata et consecrata. Quare etiam אוֹת בְּרִית *signum foederis* (Gn 17, 11) atque בְּרִית *foedus* ipsum (ib. v. 13) nominatur [2]. Praeterea circumcisio erat signum, quo fides Abraham et iustitia per eam parta ostenditur, ut Paulus apostolus Rom 4, 11 testatur: Σημεῖον ἔλαβε (Abraham) περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας (i. e. praeputiatorum sive gentilium) atque signum circumcisionis animi; nam secundum Jahvae institutionem circumcisione non solum praeputium auferri oportebat, sed praeputii, utpote rei immundae, ablatio signum erat purgationis animi per legis observationem sive, ut sacri scriptores dicunt, „circumcisionis cordis" (Dt

10, 16; 30, 6. Jer 4, 4. Rom 2, 29)[3]. Deinde circumcisio erat signum, quo naturam humanam labe originali infectam esse demonstraretur, quae cum in concupiscentia carnali maxime appareat, eam ad semen promissum gignendum incapacem reddidit; simul circumcisio messiam ex semine Abraham circumcisi supernaturalem in modum oriundum esse ostendit. Denique circumcisio erat signum, quo imago baptismi exprimeretur, ut apostolus Col 2, 11 s. docet: Περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος (τῶν ἁμαρτιῶν) τῆς σαρκὸς, ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ, συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι. Nam ut baptismus, ita circumcisio primum est sacramentum verae religionis et fidei eiusque professio ideoque adoptio et adscriptio in ecclesiam dei eiusque iura, privilegia, gratias[4].

Quae cum ita sint, neque Hebraei Aegyptiis neque Aegyptii Hebraeis circumcisionem debuerunt, consuetudo autem Aegyptia Jahvae illius praecepti ansam dedit. Ut baptismus iam ante Christum notus fuit, in religione autem Christiana novam accepit auctoritatem, ita circumcisio iam ante aetatem Abraham apud Aegyptios in usu fuit, in religione autem veteris testamenti signum foederis a Jahve conditi facta est. Ut saepius, ita hîc quoque deus ritu, qui iam exstabat, usus est eumque sacravit.

[1] In litteris Aegyptiorum nusquam dicitur circumcisionem ad religionem pertinere. Omnino unum locum eumque in iis, quae Pharao Merenptaḥ de proelio suo cum Mar'eayu, principe Libyum, ad urbem Per-'er-šepset commisso memoriae tradit, cognovimus, unde intellegimus Aegyptios putasse circumcisionem alicuius momenti fuisse. Cf. A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 710 s.

[2] Hinc intellegitur, cur incircumcisum esse ab Hebraeis maximum opprobrium haberetur (Jdc 14, 3; 15, 18. I Sm 14, 6; 17, 26. 36. Ez 28, 10; 31, 18; 32, 19).

[3] Quare scelesti deoque inoboedientes tamquam incircumcisi mente, auribus, cordibus reprehenduntur (Lv 26, 41. Jer 4, 4; 6, 10; 9, 25. Ez 44, 7. Act 7, 51).

[4] Cf. Athanas. De sabb. et circumcis. § 6. MSG 28, 141. Epiphan. Haer. 8, 6. ib. 41, 213.

Adnotatio. — Hebraeorum circumcisionem a Babyloniis receptam esse nequaquam probari potest. In KAT[3] de circumcisione nullus est sermo. *F. Hommel* (Exp T XVIII, 1907, 157) frustra circumcisionem Babyloniorum ex phalli forma terminorum Babyloniorum et columnae regis Ḫammurapi colligere conatus est. Et ne *G. A. Barton* quidem (in *J. Hastings,* Encyclopaedia of Religion and Ethics III, 679) quidquam aliud dicere habet nisi purgationem, quae alienigenis, si in familias Babylonias assumebantur, subeunda erat (cf. *H. Ranke* in Babylonian Expedition of the University of Pennsylvania VI, 1, 29 ss.), circumcisionem fuisse posse. At de circumcisione, si ibi moris fuisset, profecto clarius dictum esset.

Caput sextum

De primitiis, primogenitis, decumis

Ut perpetua memoria conservaretur Jahven ipsum terrae Canaan dominum et possessorem, Hebraeos tantummodo advenas et colonos esse (Lv 25, 23), Moses praecepit, ut primitiae frugum, primogenita hominum et pecorum, decumae deo regi sacrae essent, quae omnia dein Jahve tribui Levi ad sustentationem (חֵלֶף עֲבֹדָה *in compensationem operae* sive *ministerii* Nm 18, 21. 31) concessit.

I. Primitiae[1] omnium frugum terrae Jahvae sacrae erant (Ex 23, 19; 34, 26. Nm 18, 12 s. Dt 26, 10. Ez 44, 30. Prov 3, 9. Jos. AJ 4, 4. 4) idque praecipue ut deo gratia referretur, quod gentem servitute Aegyptiorum afflictam in Canaan, terram fertilissimam, duxisset eamque genti tradidisset (Dt 26, 5—11). Ad primitias pertinebat etiam pars quaedam lanae ovium tonsarum (Dt 18, 4. Jos. l. c.) atque fermentum et mel (Lv 2, 11 s. II Chr 31, 5)[2]. Item ex farina aquâ in massam transformata placenta erat danda (Nm 15, 17—21. Jos. l. c.)[3].

Primitiae autem non offerebantur, sed certo ritu sacerdotibus tradebantur (Nm 18, 12 s. Dt 18, 4 s; 26, 2—11. Ez 40, 30. Neh 10, 38). Hebraei procul ab Hierosolymis habitantes parte primitiarum omnium frugum terrae (secundum M. Bikkurim 1, 3 tantum illarum septem specierum, quae Dt 8, 8 in laudibus terrae Canaan enumerantur: tritici, hordei, uvarum, ficuum, malorum granatorum, olivarum, mellis) dempta eas in corbe positas ad sacrarium portabant ibique certis cum caerimoniis precibusque sacerdotibus tradebant (Dt 26, 2—11). Posterioribus temporibus primitiae non solum frugum terrae Canaan, sed etiam agrorum Judaeorum in aliis terris sitorum Hierosolyma mittebantur (Jos. AJ 16, 6. 7).

De omnibus primitiis qualitas inculcatur praestantior, multitudo autem indeterminata pietati et liberalitati offerentium committebatur. Judaei quidem satis esse ducebant, si quinquagesima pars frugum offerretur, ita tamen ut haud necesse esset omnes tantundem solvere. Qui sexagesimam partem solvebat, non amplius teneri credebatur. Qui vero se religiosissimos praestabant, quadragesimam partem solvebant (M. Terumoth 4, 3. cf. Hieronym. Comm. in Ez 45, 13 s. MSL 25, 451).

Ut singuli Hebraei primitias frugum terrae Jahvae offerre debebant, ita universus populus primitiis oblatis Jahvae, omnis fertilitatis auctori, gratias agere debebat. Quare postridie paschatis sive die sexto decimo mensis Nisan primus spicarum hordei manipulus et in sollem-

nitate pentecostes duo panes fermentati ex simila recentis tritici tamquam primitiae messis nomine totius populi offerebantur (Lv 23, 10 s. 17. 20. Jos. AJ 3, 10. 5 s.).

Denique fructus arborum anno quarto nati Jahvae sacrandi erant (Lv 19, 24) i. e. sacerdotibus tradebantur. Secundum Jos. AJ 4, 8. 19 autem a domino in epulis Jahvae honoris causâ in loco sacro instructis consumebantur.

Conferas tract. *Bikkurim, Challa, Orla* (M. I, 11. 9. 10).

[1] Primitiae universae appellantur רֵאשִׁית, quod vocabulum (proprie id quod praestantissimum est, cf. Assyr. *rêšêti*) de primitiis messis et frugum (Lv 23, 10. Dt 18, 4), pomorum (Dt 26, 10), lanae (Dt 18, 4) omnisque reditus (Prov 3, 9) usurpatur; unde קָרְבַּן רֵאשִׁית *oblatio primitiarum* (Lv 2, 12). Vocabulo בִּכּוּרִים primi tantummodo fructus ex agro arboribusque suscepti significantur (Lv 2, 14; 23, 17. Neh 10, 36). Nonnumquam additur רֵאשִׁית = *primum primitiarum* (Ex 23, 19; 34, 26. Ez 44, 30). Graeci Alexandrini רֵאשִׁית vocabulo ἀπαρχή (Lv 2, 12; 23, 10. Nm 18, 12. Dt 18, 4; 26, 10), quo Josephus quoque et Philo utuntur, בִּכּוּרִים vocabulo πρωτογεννήματα (Ex 23, 19. Lv 2, 14; 23, 17) vertunt. Cf. August. Quaest. in Heptateuch. l. 4. qu. 32. MSL 34, 732: „Πρωτότοκα sunt primitivi animalium fetus, etiam hominum; πρωτογεννήματα vero primi fructus de terra sumpti, vel de arbore, vel de vite: primitiae (ἀπαρχαί) autem de fructibus quidem, sed iam redactis ab agro, sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quae primitus sumebantur".

[2] De velleribus ovium in Deuteronomio duplicem invenimus legem: 15, 19: „Primogenita ovium tuarum non tondebis" et 18, 4: „Primitias tonsurae ovium dabis ei" (sacerdoti). Qui loci facile inter se conciliari possunt. Primogenita ovium Jahvae offerenda erant et quidem cum integro vellere; quare ea prius quam offerrentur tondere nefas erat. De ceterarum autem ovium tonsura pars quaedam ut primitiae sacerdoti pendebatur.

Primitiae mellis id mel intellegendum est, quod tempore verno primum ex alvearibus colligitur.

[3] II Rg 4, 42 vir quidam ex Baʿal-Šališa panes primitiarum et frumentum recens ad Elisa prophetam attulisse dicitur. Quae res est prorsus singularis, cum Elisa non esset sacerdos. Sed cum panis primitiarum etiam panis ex frumento recenti intellegi possit, inter primitias panis et panem primitiarum distingui potest.

Adnotatio. — Mos primitias numini divino sacrandi a prima hominum aetate repetendus est, cum iam Kain et Abel de primitiis frugum et pecorum deo sacrum facerent (Gn 4, 3 s.). Unde antiquissimis temporibus ad gentiles propagatus est. Velut Aegyptii, Graeci, Romani, Hyperborei, alii primitias frugum tamquam symbolum offerebant, quo gratum animum erga numen profitebantur, cui fruges debebant. Errant igitur, qui morem

primitias deo sacrandi ex instituto gentili originem ducere atque Hebraeos eum a gentilibus (Aegyptiis) mutuatos esse existimant.

II. Ne Hebraei umquam obliviscerentur insignis illius beneficii, quo eorum primogenita inviolata manserant, cum angelus exterminator primogenita Aegyptiorum tam de hominibus quam de animalibus morte percutiebat (Ex 11, 4—7; 12, 12. 29), Jahve clara lege omnem primogenitum masculinum (בְּכֹר) in gente Hebraica sibi vindicavit atque in omne tempus sacravit (Ex 13, 2. 12. 15; 22, 29; 34, 19. Lv 27, 26. Nm 3, 13; 8, 17; 18, 15. Dt 15, 19).

Primogenita mascula de hominibus deo offerenda et ex aestimatione sacerdotis, sed non ultra quinque siclos argenteos redimenda erant, neque ante primum aetatis mensem, plerumque in purificatione matris (Ex 13, 13; 34, 20. Nm 18, 15 s. cf. Lc 2, 27).

Pecunia, qua primogeniti redimebantur, in usum sacerdotum cedebat (Nm 3, 48—51; 18, 15).

Animalium sacrificalium (boum, ovium, caprarum) *primogenita mascula,* nullo vitio legitimo deformata, ab octavo die (Ex 22, 29) usque ad primum aetatis annum in loco sacro ritu sacrificiorum pacificorum offerenda erant (Nm 18, 17 s. Dt 12, 6 s. 17 s; 14, 23; 15, 19 s.). Quae autem vitio aliquo laborabant, domi ritu non sacro comedebantur, sanguine tamen in terram effuso (Dt 15, 21—23), id quod in omnibus mactationibus, quae domi fiebant, observabatur (ib. 12, 16. 23 s.).

Primogenita mascula animalium immundorum vel ove permutanda vel ex aestimatione sacerdotis, additâ quintâ pretii parte, redimenda erant; quodsi non redimebantur, vendibant et pretium erat sacerdotum (Ex 13, 13; 34, 20. Lv 27, 27. Nm 18, 15).

Locis Ex 13, 13 et 34, 20 solius asini mentio fit: „Omnem primogenitum asini redimes ove". Verum ex ceteris locis allatis apparet asinum per synecdochen speciei pro genere poni et praeceptum de omnibus animalibus immundis accipiendum esse, ut Josephus quoque AJ 4, 4. 4 illud intellexit: Τῶν δ' οὐ νενομισμένων ἐσθίειν παρ' αὐτοῖς κατὰ τοὺς πατρίους νόμους τοὺς δεσπότας σίκλον καὶ ἥμισυ αὐτοῖς ἀναφέρειν.

Adnotatio. — Immerito quidam dicunt in Deuteronomio de primogenitis aliam datam esse legem. Nam ex eo, quod Dt 15, 19 legimus, apparet primogenita Jahvae esse sanctificanda; quod quo modo fiat, non describitur, sed ut notum ponitur. Neque ex eo, quod in Deuteronomio de primogenitis animalium immundorum et de iis redimendis nihil dicitur, quidquam contrarii colligi potest; nam Dt 12, 6 s. 17 s; 14, 23; 15, 19 s. de primogenitis boum et ovium agitur, quae coram Jahve comedenda

sint i. e. in epulis sacrificalibus, quod ut notum ponitur. Ergo lex de primogenitis animalium immundorum illa quidem omittitur, sed non negatur.

Conferas tract. *Bechoroth* (M. V, 4).

III. Ut apud alias gentes[1], ita apud Hebraeos quoque decumae (מַעֲשֵׂר LXX δεκάτη) antiquitus pendebantur; quarum vestigia iam aetate patriarcharum inveniuntur. Abraham enim ex spoliis hostium Melchisedech, summi dei sacerdoti, decumas persolvit (Gn 14, 20. cf. Hebr 7, 2. 4) et Jacob in Bethel Jahvae vovit decumam omnium, quae habiturus esset (Gn 28, 22), unde concludere licet etiam eius filios hoc pietatis exemplum secutos esse. Joseph quintam frugum partem i. e. duas decumas Aegyptiis Pharaoni pendendas imposuit (ib. 47, 24). Vulgata etiam loco Ex 22, 29 (28) decumam commemorat, sed prave (videas textum Hebraicum).

In lege Mosaica de decumis complura praecipiuntur. Atque primum praeceptum legitur Lv 27, 30—33. Duplex decuma distinguitur: decuma frugum terrae fructuumque arborum et decuma animalium sacrificalium (boum ovium, caprarum). Utrumque genus decumarum Jahvae sacrum esse dicitur. Decuma frugum et pomorum redimi potest; decuma animalium redimi non potest. Quo modo decuma frugum et pomorum pendenda sit, nihil sanctum est; de decuma animalium praeceptum est, ut grex numeraretur et decimum quodque animal Jahvae sacrum esset. Id alio commutari vetitum est[2]. Quae lex tum data est, cum Hebraei post egressionem ex Aegypto sub monte Sinai consederant.

Alterum praeceptum invenitur Nm 18, 21—32. Quod Hebraeis in deserto commorantibus datum est et ex duabus partibus constat: 1) omnes decumae Levitis attribuuntur; pro ea re ministerio ad tabernaculum foederis fungi et ius possessionis agrorum in terra Canaan iam tum dimittere debent; 2) Levitae a decumis, quas a populo acceperunt, novas decumas separare separatasque sacerdotibus dare debent[3]. Decumas redimi posse loco allato non dicitur. Neque decumae animalium iam mentio fit, unde colligi potest eam abolitam esse. Quod etiam ex Nm 35, 2 (cf. Jos 14, 4) apparet, ubi sancitur, ut Levitae urbes ad habitandum et suburbana earum ad alenda iumenta et pecora accipiant. Nam Levitae, si iumenta habebant, decumae animalium iam non indigebant.

Tertio decumae commemorantur Dt 12, 6. 11. 17 s., sed non ita, ut a populo Levitis reddantur, sed ita, ut hominis Hebraei propriae sint et in epulas dei honoris causâ in loco sacro instructas, ad quas

Levitas quoque invitare oporteat, impendendae sint. Praeterea de nulla alia decuma nisi frumenti, vini, olei sermo est. Hic cum Levitae ita commemorentur, ut epulis tantum intersint, ne ipsi quidem iam sacerdotibus decumas reddere debent. Quare decuma pro sacerdotibus abolita est.

Quarto decumae commemorantur Dt 14, 22—29., ubi de lege Dt c. 12 complura accuratius constituuntur: 1) Si quis longius a sacrario abest, quam ut decumam commode eo afferat, eam domi vendere et ex venditae pretio, additâ quinta eius parte, sacrum epulum in loco cultus divini instruere licet. 2) Tertio quoque anno decuma non ad sacrarium deferenda, sed domi in convivium convertenda est, ad quod pauperes (peregrini, viduae, pupilli) et Levitae invitandi sunt[4].

Quinto decumae commemorantur Dt 26, 12—15. Hebraeus, si decumam Dt 14, 28 s. praeceptam tertio anno reddiderit, in loco cultus divini precationem faciat, cuius formula Dt 26, 13—15 legitur. Ex textu Hebraico eam precationem dicere debet, si בַּשָּׁנָה הַשְּׁלִישִׁת שְׁנַת הַמַּעֲשֵׂר *anno tertio* (i. e.) *anno decumae* pauperibus et Levitis decumam reddiderit; ex LXX interpretibus, si ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ τὸ δεύτερον ἐπιδέκατον pauperibus et Levitis reddiderit. Graeci igitur Alexandrini tertio quoque anno duplicem decumam, et tritam et decumam pauperibus reddendam, distinguunt.

Ea praecepta non omnia ab eodem legum auctore profecta esse posse manifestum est. Aetate Mosis et vivo Josua Levitae apud populum in magno erant honore, aetate iudicum eorum auctoritas vehementer lapsa erat, et cum cultus legitimus iam non exerceretur, solutio quoque decumarum neglegebatur. Itaque F. de Hummelauer (BSt VI, 1901, 13—24) existimat leges Deuteronomii de decumis ex aetate Samuelis manavisse.

Cum id ageretur, ut varia de decumis praecepta ita explicarentur, ut inter se congruerent, sententia exstitit triplicem fuisse decumam. Quam iam Tob 1, 7 s. invenimus, ubi Graeci Alexandrini diserte tres decumas enumerant: Τὴν δεκάτην ἐδίδουν, inquit Tobias, τοῖς υἱοῖς Λευὶ τοῖς θεραπεύουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ τὴν δευτέραν δεκάτην ἀπεπρατιζόμην καὶ ἐπορευόμην καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱεροσολύμοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς καθήκει. Item Vulgata; nam cum v. 6 s. primae et tertiae decumae mentio fiat, secunda quoque ponitur. Etiam Josephus AJ 4, 8. 22 tres decumas commemorat: Ταῖς δὲ δεκάταις ταῖς δυσὶν, ἃς ἔτους ἑκάστου προεῖπον τελεῖν, τὴν μὲν τοῖς Λευίταις, τὴν δ' ἑτέραν πρὸς τὰς εὐωχίας, τρίτην πρὸς αὐταῖς κατὰ τὸ ἔτος τρίτον συμφέρειν εἰς διανέμησιν τῶν σπανιζόντων γυναιξί τε χήραις καὶ παισὶν ὀρφανοῖς. Hieronymus quoque triplicem decumam distinguit; nam postquam in com-

mentario ad Ez 45, 13 s. (MSL 25, 450) de decuma a populo Levitis et de decuma a Levitis sacerdotibus praestanda egit, haec addit: „Erant et aliae decumae, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas, cum iret ad templum in urbe Jerusalem et in vestibulo templi et sacerdotes ac Levitas invitaret ad convivia. Erant autem et aliae decumae, quas pauperibus recondebant, quae Graeco sermone appellantur πτωχοδεκάδαι" (ib. 451). Theodoretus autem duplicem decumam ponit, cum alteram et tertiam exaequat (Qu. 10. 13. 33. in Dt. MSG 80, 417. 421. 433), quamquam haud ignorat Josephum locum Dt 14, 28 respicientem et consuetudinum Judaeorum peritissimum triplicem decumam distinguere (Qu. 13. in Dt. ib. 424).

Conferas G. Hoberg, Moses und der Pentateuch 61—66 (BSt X, 4). — Rabbinorum de decumis praecepta videas in tract. *Maaseroth* et *Maaser scheni* (M I, 7. 8).

[1] Velut Graecos plerumque Apollini decumas consecrasse et Romanos interdum quibusdam diis vel ex lucro mercaturae aliisque acceptis vel ex voto decumas solvisse ostendit J. Selden in disputatione de decumis, quam ex lingua Britannica in Latinam redditam in extrema parte commentarii J. Clerici in Pentateuchum legimus (Ed. Amstelod. 1001—1019).

[2] Frugum et pomorum decuma facile separabatur. — Animalia singula dominum praeteribant, qui ea numerabat et decimum quodque baculo, quem manu tenebat, signabat. Quare Lv 27, 32 pecudes decumandae תַּחַת הַשָּׁבֶט *sub virga* pastoris transire dicuntur. Cf. M. Bechoroth 9, 7. Ad quem morem ex nonnullorum opinione verba Jeremiae 33, 13 respiciunt: „Transibunt pecudes עַל־יְדֵי מוֹנֶה *sub manu numerantis*". Alii tamen existimant iis verbis numerationem indicari, quam pastor domino praesente instituit, cum pecudes caulas ingrediuntur. — Quodsi animali signato postea aliud substituebatur idque deprehendebatur, utrumque Jahvae sacrum erat (Lv 27, 33).

[3] Quam decumam deus ipse מְעַשֵּׂר מִן־הַמַּעֲשֵׂר *decumam de decuma* appellat (Nm 18, 26. cf. Neh 10, 39. II Chr 31, 6).

[4] Decumam pauperibus reddendam talmudistae מַעֲשֵׂר עָנִי *decumam pauperis* appellant (Pea 5, 4 s; 8, 2 s. 5 s. Demai 4, 3 s. Maaser scheni 5, 6. 9 s.).

Adnotatio. — De decumarum solutione in sacra historia haud multa legimus. Hiskia ad sacerdotum et Levitarum victum decumas et frugum terrae et animalium Hierosolymis pendendas a populo exegit (II Chr 31, 4—12), sed ex ipso textu apparet ante regem Hiskia decumas aut nullas aut neglegentius pendi consuevisse. Maleachi 3, 8. 10 dicit de solis decumis, quae „in horreum" (Vulg.) inferri solebant atque earum solutionem plerumque neglectam esse indicat. Jdth 11, 13 (secundum LXX tantum) decumae vini et olei et Neh 13,5 (cf. 10, 32—39; 12, 43—46) decumae frumenti, musti, olei mentio fit. Qui loci omnes (ad hoc Mt 23, 23. Lc 11, 42; 18,

12) significant tum ex solis terrae frugibus, non ex animalibus decumas pensas esse. Atque quod iam supra diximus, verisimile est legem de decumis a Mose latam tempore procedente mutatam esse, quia Hebraei terrâ Canaan occupatâ relictâque pastorum vitâ imprimis agrorum culturae vacabant. Ita etiam aliae complures leges Mosaicae tempore procedente, vel approbante aliquo propheta vel per consuetudinem legi contrariam, mutatae sunt.

Caput septimum

De unctione sacra

Conferas F. Steinmetzer, Das heilige Salböl des alten Bundes (BZ VII, 1909, 17—29).

Unctio (מִשְׁחָה) oleo peracta iam antiquissimis temporibus ut caerimonia sacra in libris divinis commemoratur. Velut tabernaculum Mosaicum omnisque eius supellex iussu dei sancti olei unctione dedicatum est (Ex 40, 9—11). Quae unctio quo modo facta sit, quamquam accuratius non describitur, tamen tabernaculum eiusque vasa vel oleo adspergi vel oblini existimandum est. Item vestimenta Aaron eiusque filiorum in sacerdotii Levitici institutione oleo adspersa sunt (Ex 29, 31. Lv 8, 30). Etiam Aaron ipsum eiusque filios unctos esse compluribus sacrarum litterarum locis probatur (Ex 28, 41; 30, 30; 40, 15. Lv 7, 35; 10, 7. Nm 3, 3). Prophetae quoque inungebantur (Elisa ab Elia 1 Rg 16, 16); sed id tantum in eos, qui ab aliquo alio propheta ad id munus vocabantur, non in eos, qui a deo ipso mittebantur, cadere videtur. Opinio nonnullorum, qui ad prophetas ungendos oleum sanctum adhibitum esse dixerunt, nullis testimoniis veteris testamenti confirmatur. Praeterea etiam reges ad munus suum rite obeundum inungebantur. De eorum unctione plura dicamus necesse est.

Oleum unctorium (שֶׁמֶן מִשְׁחַת־קֹדֶשׁ, LXX χρῖσμα ἅγιον) dei iussu arte unguentaria (quare מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ dictum) ex uno hin *olei olivarum* et quattuor optimis aromatibus (בְּשָׂמִים) sc. *myrrha, quae ipsa* i. e. cortice non inciso *effluit* (מָר־דְּרוֹר, LXX σμύρνα ἐκλεκτή), *cinnamomo aromatico* (קִנְמָן־בֶּשֶׂם LXX κιννάμωμον εὐώδες), *calamo aromatico* (קְנֵה־בֹשֶׂם, LXX κάλαμος εὐώδης), *casia* sive *cassia* (קִדָּה i. q. קְצִיעָה, LXX et Josephus ἴρις) confectum erat, idque ita ut myrrhae et casiae partes essent quinquagenae, cinnamomi et calami ducenae quinquagenae (Ex 30, 23—25). Omuis profanus eius usus poenâ exterminationis propositâ interdictus erat (ib. v. 30—33). Quare Jahve Ez 16, 18 illud *suum* (שֶׁמֶן) vocat.

Judaei de olei unctorii exigua copia, quae per multa saecula vi divina conservata ad plurimas unctiones suffecerit, mira narrant (Hieros. Schekalim 9^a. Babyl. Horajoth 11^b. Kerithoth 77^b.). Auctorem olei Mosen

esse dicunt, qui ex 30, 22—25 a deo iussus est aromata accipere oleumque conficere. Sed cum 37, 29 Bezaleel oleum unctorium parasse legatur, 30, 22—25 Moses iuberi videtur id conficiendum curare atque aromata a populo petere. Simili modo Moses 30, 1 altare thymiamatis conficere iubetur, quod tamen 37, 25 Bezaleel fecisse traditur. De modo, quo oleum sanctum confectum esse dicitur, videas J. H. Otho, Lex. rabb.-philolog. 486.

I. Interpretes duplicem distinguunt unctionem regiam, publicam et privatam. Publica regis unctio a summo sacerdote, teste nonnumquam propheta quodam (regis Salomo a pontifice Sadok, praesente Nathan tamquam teste divinae revelationis et promissionis de Salomo in regnum successuro I Rg 1, 34. 39. 45., regis Jehoas a Jojada pontifice et filiis eius sacerdotibus II Chr 23, 11)[1], plerumque ad fontem aliquem (velut Gihon I Rg 1, 33 s. 38 s. 45)[2] vel in templo (II Rg 11, 11 s.) peragebatur. Quod autem totus populus quosdam reges unxisse dicitur (II Sm 2, 4. 7; 5, 3. I Chr 11, 3; 29, 22. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11), id per synecdochen accipiendum est, quod per pontificem, cuius potestatis id erat, eos unxit. Unctio privata, quam interdum a prophetis peractam esse legimus (I Sm 9, 16; 10, 1; 15, 1. 17; 16, 12 s.), nihil aliud erat nisi declaratio voluntatis et electionis divinae, ut unctus suo tempore rex fieret (cf. etiam I Rg 11, 29—40). Itaque illa unctione ei *ius* quidem *ad regnum*, sed nondum ipsa potestas regis tribuebatur; unctione vero publica, quippe quae consensu et auctoritate populi fieret, subditi *ius in regno* ei tradebant, ut iuris periti dicunt[3].

[1] Abarbanel (Comm. in I Sm 16, 1) non alium ministrum unctionis permittit nisi prophetam idque eo probare conatur, quod unctio sit signum electionis divinae, quam nemo praeter prophetam scire aut pronuntiare potuerit. Idem (Praef. ad libr. Jdc) ad quaestionem: „Quis unxerit?“ respondet: „Propheta tantum, quia neque pontifex maximus neque homo quisquam alius regem ungere poterat nisi propheta“. Quod omnino falsum esse ex I Rg 1, 34. 39. 45. II Chr 23, 11 apparet. Neque a summi sacerdotis officio alienum erat divinam voluntatem promulgare, quippe cum pontifices eius interpretes essent, et ubi de rege divinitus electo iam alias constabat, nihil impedire poterat, quin pontifex ungendi officio fungeretur.

[2] Etiam ex rabbinorum opinione unctio regum prope מים חיים *aquam vivam* peragebatur (J. H. Otho, op. all. 575 s.). Nonnulli interpretes locis I Rg 1, 33. 38. 45 pro גִּחוֹן legendum esse censent גִּבְעוֹן, ita ut Salomo ante tabernaculum foederis unctus esset. Sed argumenta pro ea opinione prorsus desunt.

[3] Morem eos, qui reges constituerentur, unctione ad suam dignitatem inaugurandi iam antiquissimis temporibus apud gentes Hebraeis finitimas obtinuisse indicat fabula, qua Jotham ad Sichemitas usus est: „Iverunt ligna ungere super se regem“ (Jdc 9, 8. cf. v. 15). Fabulae enim et alle-

goricae locutiones ex eo plerumque sumuntur, quod magis usitatum et notum est.

II. Probabile est in *regno Juda* unumquemque regem unctum esse [1], etsi id de iis solis memoriae traditur, qui aut primi ex aliqua familia dignitatem regiam obtinuerunt (quales erant Saul et David, qui ter unctus est, primo a Samuel in aedibus paternis I Sm 16, 1—13. dein post mortem regis Saul in Hebron ut rex tribus Juda II Sm 2, 4. 7. postremo interfecto Isboseth ut rex universi Israel II Sm 5, 3. I Chr 11, 3) [2], aut de quorum proximo iure ad regnum aliqua lis moveri potuit (quales erant Salomo I Rg 1, 34. 39. 45; 5, 1. I Chr 29, 22. Jehoas II Rg 11, 12. II Chr 23, 11. Joahas II Rg 23, 30). Ut autem Judaei tradunt, unctio, quam auctor familiae regiae receperat, ceteris regibus ex eadem familia oriundis sufficere putabatur [3]. Fortasse unctio non legitima de Absalom traditur (II Sm 19, 11).

In historia *regni decem tribuum* nulla mentio fit unctionis publicae inaugurationi regum adhibitae. Jehu a discipulo quodam prophetarum unctus esse traditur (II Rg 9, 1—6) [4]. Alii reges a prophetis uncti non sunt; fortasse autem adulterinam unctionem ab aliquo sacerdote locorum excelsorum receperunt.

[1] Respiciendum est loquendi formulas *alicui regnum deferre* et *aliquem regem ungere* in sacris litteris idem valere (cf. Jdc 9, 8. 15. II Sm 19, 11). Etiam Graeci Alexandrini II Sm 3, 39 vocabulum מָשׁוּחַ reddunt καθεσταμένος.

[2] Doctores Judaici, velut *Abarbanel*, triplicem unctionem, qua David initiabatur, factam esse contendunt, „ut esset fundamentum, radix, principium omnium eius posterorum".

[3] Hieros. Horajoth 47c: „Rex, qui primo constituitur, ungendus erat; regis autem filius, qui in regnum succederet, ut is itidem ungeretur, necessarium non erat".

[4] I Rg 19, 15 s. memoriae proditur deum prophetae Elia mandasse, ut Hazael, regem Syriae, et Jehu, regem Israel, ungeret; eos autem re vera ab Elia unctos esse non traditur. Quare nonnulli, ut *J. Selbst*, putant Elia ipsum eos non unxisse, sed Hazael ab Elisa regem designatum (II Rg 8, 11—15), Jehu a discipulo quodam prophetae Elisa regem unctum esse (ib. 9, 1—6). Alii autem, velut *R. Kittel* et *A. Klostermann*, melius dicunt Hazael et Jehu ab Elia ipso unctos esse, quem ad modum deus mandaverat. Quod Jehu postea a discipulo quodam prophetae Elisa unctus esse dicitur, non obstat; nam David quoque ter unctus est.

Quonam oleo reges uncti sint, in controversiam cadit. At verisimillimum esse videtur ad unctiones regum, quae in vetere testamento narrantur, non oleum vulgare, sed oleum sanctum adhibitum esse, quo

pontifex quoque et sacerdotes initiabantur. Quamquam ex loco I Sm 10, 1 non cognoscitur, utrum Samuel in Saul ungendo oleo vulgari an sancto usus sit, tamen fortasse inde, quod Samuel iam die ante unctionem a Jahve Saul ungere iussus est (ib. 9, 15 s.), colligere possumus Samuel aut ex tabernaculo foederis in Silo sito aut ex Kirjath-Jearim, ubi arca foederis posita erat, oleum sanctum sibi paravisse. Neque vero probabile est Samuel, cum iussu dei David unguento illineret (I Sm 16, 1—13), oleo sancto usum esse, quod in causa erat, cur regem Saul metueret (ib. v. 2). Quodsi in Silo vel in Kirjath-Jearim a sacerdotibus oleum sanctum poposcisset, certe id non impetrasset, quin dixisset, ad quid sibi oleum opus esset; quo tamen eius consilium irritum factum esset. David vero cum primo in regem tribus Juda (II Sm 2, 4. 7), postea in regem universi Israel (ib. 5, 3) ungeretur, haud dubie pontifex unxit. Quod si ita se habet, satis constat oleum ad id adhibitum fuisse oleum sanctum. Pro argumento eius rei Ps 89, 21 afferri potest: „Inveni David servum meum, oleo sancto meo (בְּשֶׁמֶן קָדְשִׁי) unxi eum“. Nam quamquam iis verbis non efficitur id oleum sanctum idem fuisse, quo sacerdotes ungebantur, tamen respiciendum est verba שֶׁמֶן קֹדֶשׁ, quotienscumque in vetere testamento leguntur (Ex 30, 25. 31; 37, 29. Nm 35, 25. Sir 45, 15), semper id oleum sanctum significare, quod in consecratione sacerdotum adhibebatur. Salomo oleo sancto unctum esse ut demonstretur, dici potest Sadok pontificem Salomo unxisse eumque oleum unctionis de tabernaculo i. e de loco sancto sumpsisse (I Rg 1, 39). Contra id recte dici non potest tantum cornu, in quo Sadok oleum apportavit, in tabernaculo servatum fuisse idque propterea, quod idem fuisset, quo Samuel in ungendo David usus esset. Neque enim id cum verbis loci I Rg 1, 39 coniungi potest, quoniam manifestum est iis significari Sadok utrumque, cornu et oleum, de tabernaculo sumpsisse. Neque contra dici potest tabernaculum, unde Sadok oleum sumpsit, non tabernaculum foederis in Gibeon positum, sed tabernaculum a David in monte Sion pro arca foederis exstructum fuisse, quod verisimillimum est, cum arca foederis a Gibeon in montem Sion transportaretur, oleum sanctum, quod instar thesauri pretiosi habebatur, eodem transportatum esse. De ceteris unctionibus regum, quarum in vetere testamento mentio fit, ex coniectura tantum dicere possumus. Atque Jehoas a pontifice Jojada in domo Jahvae unctus est (II Rg 11, 12—14), oleo igitur sancto, ut videtur. Joahas mortuo Josia a populo rex constitutus atque unctus est (ib. 23, 30), a pontifice quoque et in templo, ut videtur, oleo igitur sancto. De unctione regis Jehu (ib. 9, 1—6), cum in vetere testamento nihil accuratius memoriae prodatur, nihil ne conici quidem potest. Num II Sm 19, 11 re vera de unctione agatur, dubium est.

Ex sententia rabbinorum reges ex domo David oriundi *oleo sancto* et quidem ex קֶרֶן הַשֶּׁמֶן *cornu olei* (I Sm 16, 1, 13. I Rg I, 39), reliquos alio quodam oleo, ut *oleo balsami*, et quidem ex פַּךְ הַשֶּׁמֶן *lenticula olei* (I Sm 10, 1. II Rg 9, 1. 3) ungebantur. Cf. J. H. Otho, op. all. 486. 575.

Ut I Sm 10, 1 et II Rg 9, 3. 6 memoriae proditur, reges oleo in caput effuso inaugurabantur. Oleo autem effuso etiam caput inunctum esse nusquam legimus; immo vero sacrae litterae in eadem re promiscue modo de effusione olei modo de unctione dicunt. Velut Gn 28, 18 traditur Jacob super lapidem, quem pro monumento erexerat, oleum effudisse et ib. 31, 13 eundem lapidem a Jacob unctum esse. Unde intellegitur in ritu unctionis regum non duplicem caerimoniam, et effusionem olei et inunctionem capitis, distinguendam esse.

Judaei autem tradunt paulum olei capiti inditum digito in formam litterae Graecae X aut coronae (○) circumductum esse. Cf. J. H. Otho, op. all. 776. J. Buxtorf, Lex. talm. 1268.

III. Unctio erat symbolum electionis sive consecrationis divinae, ex qua rex munere suo fungebatur, et praecipue effusionis gratiarum רוּחַ יְהוָה *spiritus Jahvae*, quibus armatus et repletus iuste, digne, fortiter populum regeret. Velut Saul, ubi unctus est, spiritu Jahvae correptus vaticinatus est et quasi in alium virum mutatus (I Sm 10, 6. 10). In David quoque ab eo tempore, quo unctus erat, spiritus dei descendisse dicitur (ib. 16, 13. Jos. A J 6, 8. 2: πρὸς τὸν Δαβίδην sc. unctum μεταβαίνει τὸ θεῖον καταλιπὸν Σαοῦλον)[1]. Quare rex מָשִׁיחַ, LXX χριστός, *unctus* vocabatur (II Sm 3, 39), et quia erat vicarius Jahvae (I Chr 28, 5; 29, 23) et a Jahve designatus (Dt 17, 15), etiam מְשִׁיחַ יְהוָה, LXX ὁ χριστὸς κυρίου, *a Jahve unctus* sive inauguratus (cf. I Sm 2, 10. 35; 12, 3. 5; 16, 6; 24, 7. 11; 26, 9. 11. 16. 23. II Sm 1, 14. 16; 19, 22; 23, 1. Ps 2, 2; 18, 51; 20, 7; 84, 10; 89, 39. 52; 132, 17. Thrn 4, 20). Apud Jes 45, 1 Jahve etiam Cyrum מְשִׁיחוֹ *unctum suum* i. e. regem a se constitutum, ad consilia et decreta sua exsequenda destinatum vocat[2]. Ceterum unctio regum typicam quoque relationem habebat, quippe cum reges uncti Christum sive unctum κατ' ἐξοχήν significarent (cf. Ps 2, 2; 45, 8).

[1] Etiam in novo testamento vocabula χρίειν et χρῖσμα de effusione spiritus sancti usurpantur (Act 4, 27; 10, 38. II Cor 1, 21 s. Jac 5, 14. I Jo 2, 20. 27).

[2] Ps 105, 15 (cf. I Chr 16, 22) poeta tres primos Hebraeorum patriarchas, etsi numquam uncti erant, משיחים vocat idque ex more aetatis suae. Ut supra diximus, sacerdotes ad munus suum inungebantur, et cum psalmista dicere vellet patriarchas *sacerdotes* veri dei ideoque sacrosanctos

fuisse, eos unctos vocat. Ex aliorum opinione patriarchae uncti appellantur, quod ab aequalibus suis *principes* existimati essent (Gn 23, 6).

Hab 3, 13 populus Israeliticus nomine משיח ornatur. Etiamsi enim vere unctus non erat, tamen propterea recte unctus dici poterat, quod ex universa populorum multitudine a deo electus eique dicatus et consecratus erat. Cum autem consecratio ab antiquissimis temporibus ungendo peragi soleret, facile fieri potuit, ut vocabula *sacri* atque *uncti* permutarentur et hoc de iis quoque usurparetur, qui sacri et essent et haberentur, etiamsi unctionis sollemnitati locus non fuerat. Sunt quidem nonnulli interpretes, qui loco allato nomine משיח Jesum, [salutis nostrae auctorem, significari existiment. Quod tamen ab universi cantici Habacuc ratione et argumento plane alienum est; nam nihil in eo legimus, quod talem sententiam iuvare et commendare posset. — Etiam Ps 28, 8 vocabulum משיח de ipso populo Israelitico aeque ac de populi rege intellegere possumus. — Verba Hebr 11, 26: τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ idem significare quod verba: τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ λαοῦ τοῦ θεοῦ (cf. v. 25) complures iique praeclari interpretes affirmarunt et haec significatio loco illi omnino maxime conveniens habenda est.

Sectio quarta

De variis cultibus lege prohibitis, quibus Hebraei progrediente tempore dediti erant

Hîc primum historiam cultus Jahvae lege Mosaica praescripti paucis complectimur, deinde de cultu Jahvae lege Mosaica prohibito, denique de cultu commenticiorum deorum ab Hebraeis exercitato agimus.

Cultus divinus a Mose praescriptus operâ sacerdotum et Levitarum, quorum erat eum administrare, in populum introductus semperque conservatus est. Nam quamquam aetate iudicum „unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat“ (Jdc 17, 6; 21, 25) et „sermo Jahvae pretiosus erat“ (I Sm 3, 1), tamen cultus divinus apud tabernaculum foederis in Silo exstructum ex praecepto legis exercitabatur et populus quotannis ad sacrarium conveniebat, ut sacrificia offerret festaque celebraret (Jdc 21, 19. I Sm c. 1—3). Postea quoque, cum arca foederis in manus Philistaeorum incidisset (I Sm 4, 11), tamen legitimus Jahvae cultus in Nob, quo tabernaculum sacrum latum erat, exercitabatur (ib. 21, 1—7; 22, 17 s.) atque David et Salomo regnantibus in loco excelso, qui erat in Gibeon (I Chr 16, 39; 21, 29. II Chr 1, 3. I Rg 3, 4). Postquam autem templum a Salomo Hierosolymis exaedificatum dedicatum est, publicus Jahvae cultus ibi magnificentissime celebrabatur, quamquam pietati regum sensim tantum ac pedetemptim contigit, ut cultus divinus in locis excelsis exercitatus, cum populo acceptus esset, tolleretur et praeceptum

unius loci cultus (Dt c. 12) observaretur. Neque Jehoram et Ahasja regnantibus, quamvis idololatriae se dedissent (II Rg 8, 18 = II Chr 21, 6. II Rg 8, 27 = II Chr 22, 3 s.), legitimus Jahvae in templo cultus impeditus est, cum Jojada summus sacerdos ei praeesset. Ahas demum, rex maxime impius, portas porticus templi clausit, ut cultus in sanctuario iam exerceri non posset (II Chr 29. 7: „Et holocausta non obtulerunt in sanctuario deo Israel“) [1]. Postremo rex Menasse templum Jahvae in templum deorum fictorum immutavit, ut cultus legitimus exerceri prorsus desineret, dum Josia eum restitueret (II Rg 21, 3—7 = II Chr 33, 1—9. II Rg 23, 4—14 = II Chr 34, 3—7). Neque ita multo post a Chaldaeis regno Juda everso et templo combusto etiam publico Jahvae cultui finis factus est. Sed ubi primum populus ex exsilio Babylonio revertit, cultus divinus in templo denuo exstructo restitutus atque intermissione trium annorum aetate Antiochi Epiphanis excepta (I Mcc 1, 54. coll. 4, 52) semper exercitatus est, dum Romani Hierosolyma deleverunt.

Quamdiu sacrificia lege praescripta offerebantur, sabbata quoque et festa agebantur ceteraque cultus praecepta observabantur. Quotiens autem sacrificia neglegebantur, sabbata quoque et festa profanabantur, ita tamen, ut non omnino celebrari desinerent. Id inde colligere possumus, quod omnibus prophetarum de sabbatis et festis profanatis criminationibus celebratio eorum ponitur (Jes 1, 13 s; 56, 2; 58, 13. Jer 17, 21. 24. Ez 20, 16; 22, 8) et quod Jeremia in lamentationibus de Hierosolymis temploque deletis Jahven in Sion festivitatem et sabbatum oblivioni tradidisse queritur (Thrn 2, 6). Vel in regno decem tribuum sabbata et neomeniae celebrari desita non sunt (II Rg 4, 23) [2]. Quod autem de festo paschatis sub rege Josia acto memoriae traditur simile pascha celebratum non esse a diebus iudicum neque a quoquam omnium regum (II Rg 23, 22 = II Chr 35, 18), non negatur pascha prioribus temporibus factum esse, sed tantum praedicatur de nullo festorum paschatis antea celebratorum omnia praecepta legis tam religiose observata esse quam de paschate sub Josia facto. Idem cadit in ea, quae de festo tabernaculorum sub Esra et Nehemia celebrato memoriae tradita sunt: „Non fecerant a diebus Josua filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum“ (Neh 8, 17) i. e. eo festo non in tabernaculis ad id ipsum exstructis habitaverant. Et quod in vetere testamento argumenta nihil dubii relinquentia, quibus annos sabbaticos et iubilaeos ante exsilium observatos esse demonstretur, non reperimus, idcirco eos celebratos esse omnino negari non oportet. Sed ex ipso loco II Chr 36, 21., ubi vastatio terrae septuaginta annorum poena celebrationis anni sabbatici omissae esse dicitur, concludere possumus

eam celebrationem sub regibus posterioribus, cum idololatria convalesceret, illam quidem crebro neglectam, sed non omnino omissam esse. Post exsilium vero leges de anno sabbatico diligenter observatas esse certis testimoniis confirmatur, quae iam supra attulimus. Item ex loco Ez 7, 12 s. colligendum est leges de anno iubilaeo haud prorsus neglectas esse, cum earum abolitio hîc ita describatur, ut populus eam imprimis dolere videatur.

[1] Verbis allatis non significatur omnia sacra fieri desita esse, sed tantum negatur Jahvae holocausta oblata esse, cum Chronista ea sacra, quae in altari holocaustorum modo gentilium exstructo fiebant, Jahvae oblata esse non agnoscat.

[2] Celebrationem festorum anniversariorum multitudini caram acceptamque fuisse inde quoque elucet, quod Jerobeam I iis, qui ipsius imperio subiecti erant, festum septimi mensis (festum tabernaculorum) in quintum decimum diem mensis octavi transtulit (I Rg 12, 32), ut separationem a regno Juda etiam differentiis ad cultum pertinentibus confirmaret.

Caput primum

De cultu Jahvae lege Mosaica prohibito

I

De cultu in locis excelsis exercitato

I. Praeter legitimum in tabernaculo foederis et in templo Hierosolymitano Jahvae cultum a primis temporibus iudicum usque ad exsilium eius cultus in locis excelsis (בָּמוֹת, Assyr. *bamâti*) [1] vel naturâ vel arte factis numquam fere exerceri desitus est.

Iam patriarchae, cum proprius cultus divini locus deesset, libenter in locis dei aliquâ praesentiâ consecratis, imprimis in collibus et montibus (Gn 22, 2. 9; 31, 54) sacra faciebant, eadem illa opinione adducti, qua aliae gentes antiquae, sacra quo propius fierent caelo, eo esse praestantiora deoque magis accepta. At promulgatâ lege divinâ Hebraei alio loco sacra facere vetiti erant nisi eo, quem sibi ipse Jahve elegerat (Dt 12, 2 ss.). Cuius praecepti ratio erat, ut populus ab aliorum deorum cultu servaretur; unitas enim loci sacrificiorum ei continuo unitatem dei in memoriam revocabat. Diserte quidem Deuteronomii auctor non explicat, qua de causa uno illo loco Jahvae sacra facere liceat, sed nefas esse extra sacrarium rem divinam facere adeo persuasum habet, ut talem Jahvae cultum gentilium sacris parem faciat, qui idolis suis in quovis monte alto et sub omni arbore frondente hostias immo-

laverint. Nihilo minus Hebraei, etiam temporibus post templum Hierosolymis conditum, a cultu locorum excelsorum non plane desistebant, id quod facile explicatur. Primum enim ipsi Cananaei, cum ab Hebraeis male parentibus exstirpati non essent, eo cultu victores corrumpebant; deinde plurimi incolae a sacrario procul aberant; denique saepius, idque praesertim turbulentis iudicum temporibus, etiam a prophetis aliisque viris pietate insignibus sacra ut in aliis locis, ita in excelsis peragi videbant (cf. Dt 27, 5—7 = Jos 8, 30 s. Jdc 2, 5; 6, 11—24; 13, 16—23. I Sm 7, 9 s. 17; 9, 12—14; 10, 8; 11, 15; 16, 2—5. II Sm 24, 25), ex quo concludebant cultum illum, dummodo Jahvae dicatum esset, esse licitum. Atque Hebraei quidem praeceptum illud Dt 12, 2 ss. promulgatum ita intellexisse videntur, ut apud solum sacrarium liceret sacra lege praescripta facere i. e. cultu publico operari, alibi autem sacrificia sponte allata i. e. cultum privatum procurare. Quam interpretationem Jahve ipse portentis quibusdam in sacris faciendis editis saepius approbavit (Jdc 6, 11—24; 13, 16—23. I Sm 7, 9 s. I Rg 18, 21—39).

Ceterum praeter loca excelsa, in quibus Hebraei sine ulla superstitione cultui Jahvae vacabant (cf. II Chr 33, 17), alia quoque erant, ubi idolis cum peregrino cultu sacra fiebant (I Rg 11, 7. II Rg 17, 9—11; 21, 3; 23, 5. 13. al.). Haec manifesto erant illicita, quoniam cum veri dei iniuria falsis diis dicata. Unde prophetae omni tempore gravissime in ea invehuntur, velut Hosea, qui 10, 8 אָוֶן בָּמוֹת loca *excelsa inanitatis* sive idoli cum pondere quodam חַטַּאת יִשְׂרָאֵל *peccatum Israel* dicit, quandoquidem Israelitae in iis exstruendis et frequentandis praecipue peccarunt (cf. Jer 7, 31. Ez 6, 3). Sed etiam priora, quamvis vero deo dicata essent, in sacris litteris minime laudantur idque ob magnum superstitionis periculum [2].

[1] Vocabulum בָּמָה vel a radice בום derivandum est, quae tamen hodie neque in lingua Hebraica neque in dialectis cognatis superest, vel originis est peregrinae. In universum aliquid *excelsum* et *elatum* significat; singillatim usurpatur de *ara* in sublime exstructa, quae nisi per gradus conscendi non potest, velut Jer 32, 35. II Chr 28, 25. Graecum quoque vocabulum βωμός, sono haud multum diversum a במה, aram celsam et sublimem, quae gradibus conscendatur, significat (opp. ἐσχάρα). Graeci Alexandrini במות plerumque reddunt τὰ ὑψηλά vel τὰ ὕψη. Vulgata vertit *excelsa* vel *fana*. Rabbini vocabulo במות aras tantum in locis editis exstructas intellegunt. Id quod omnino falsum est; nam eius modi arae a במות compluribus locis diserte distinguuntur (II Rg 18, 22; 23, 15. Jes 36, 7. II Chr 14, 2; 31, 1).

[2] Hebraeorum במות erant loca excelsa, ubi sacellum quoddam cum ara exstructum erat. Quare saepius invenitur nomen בֵּית בָּמָה (I Rg 12, 31;

13, 32. II Rg 17, 29. 32; 23, 19) et במה haud raro pro בית במה usurpatur (I Rg 11, 7; 14, 23. II Rg 21, 3; 23, 8. Jer 7, 31; 19, 5. II Ch 33, 3. 19). Ipsi Graeci Alexandrini, etsi במות plerumque vocabulo τὰ ὑψηλά vel τὰ ὕψη reddunt, tamen במה aedificium esse censebant; nam verba בָּנָה במה vertunt οἰκοδομεῖν ὑψηλόν (Jer 19, 5. II Chr 33, 3. 19). Ceterum ea sacella maximam partem non aedium instar ex muris constitisse, sed tentoria sacra fuisse videntur, pariter atque tentorium Mosaicum e ligno confecta et aulaeis ornata (cf. II Rg 23, 7). Unde intellegitur, cur Ez 16, 16 sacella e vestibus consui dicuntur. In quibus tentoriis idola colentes impudicitiae servire solebant. במה in urbe Rama exstructam plura aedificia complexam esse ex eo verisimile fit, quod cellam separatam, in qua Samuel cum nobilibus (triginta fere hominibus) epulas sacrificales agebat, continebat (I Sm 9, 22—24).

Multae במות in collibus aedificatae erant, velut במה urbis Rama; quare de ea dicebant: עָלָה הַבָּמָה *ascendere locum excelsum* (I Sm 9, 13 s. 19) et יָרַד מֵהַבָּמָה *descendere de loco excelso* (ib. 9, 25; 10, 5). Item et במות regnante Salomo ad fictorum deorum cultum destinatae (I Rg 11, 7) et במות in regno Judaico Rehabeam (ib. 14, 23) atque Jehoram (II Chr 21, 11) regnantibus exstructae in collibus constitutae erant. Aliae במות in locis editis arte factis, quae certe paululum tantum supra terram surgebant, aedificatae erant, velut במות in valle Ben-Hinnom (Jer 7, 31) ac במות in viis et ad portas Hierosolymorum exstructae (II Rg 23, 8). Unde explicatur, cur II Rg 16, 4 = II Chr 28, 4 במות et גְּבָעוֹת secernantur.

II. Cultus ille in locis excelsis exercitatus imprimis *in regno Israelitico* viguit ibique paucis regibus piis reluctantibus usque ad eius interitum permansit (II Rg 17, 9—12. 18). Iam Jerobeam I sacella vel delubra in locis excelsis erexit, ubi per sacerdotes non Leviticos sacra facienda curavit (I Rg 12, 31; 13, 32. II Chr 11, 15). Ex II Rg 17, 29 apparet loca excelsa, quae Israelitae temporum cursu in compluribus oppidis aedificaverant, etiam Samariâ expugnatâ populoque in exsilium deducto permansisse. Coloni enim a regibus Assyriorum in pristinum regnum decem tribuum traducti in delubris locorum excelsorum ab Israelitis quondam exstructis deos Assyrios simulque Jahven, cuius cultum sacerdos quidam Israeliticus eos docuerat, venerabantur (II Rg 17, 27—33). Sacerdotes, quos e populo eligebant quique in delubris pro eis sacra faciebant, ut sacerdotes a Jerobeam constituti, כֹּהֲנֵי הַבָּמוֹת appellabantur (ib. 17, 32. cf. II Chr 11, 15). Denique Josia, rex Juda, omnia fana locorum excelsorum, quae erant in urbibus Samariae, etsi in dicione eius non erant, combussit eorumque sacerdotes trucidavit (II Rg 23, 19 s. II Chr 34, 6 s.).

Neque vero *regnum Judaicum* integrum mansit[1], sed cultus ille non legitimus etiam tempore post templum Hierosolymis aedificatum usque ad aetatem regis Hiskia exercitabatur, imprimis sub regibus im-

piis Rehabeam (I Rg 14, 23), Abia (ib. 15, 3), Jehoram (II Chr 21, 11), Ahas (II Rg 16, 4. II Chr 28, 4). Ipsi reges legis Mosaicae alioquin observantissimi huius cultus abrogationem vel a populo vel a se ipsis impetrare non potuerunt, ut Asa (I Rg 15, 14), Josaphat (ib. 22, 44) [2], Jehoas (II Rg 12, 4), Amazja (ib. 14, 4), Asarja (ib. 15, 4), Jotham (ib. v. 35). Sed Hiskia loca excelsa acriter neque frustra impugnavisse constat, cum Judaeos ad unam aram deum adorare cogeret (II Rg 18, 4. II Chr 30, 13—15; 31, 1. cf. II Rg 18, 22. II Chr 32, 12. Jes 36, 7). Menasse autem filius loca excelsa, quae pater deleverat, restituit (II Rg 21, 3. II Chr 33, 3. 19. cf. v. 17) atque etiam sub Amon cultus ille non legitimus permansit (II Rg 21, 20—22. II Chr 33, 22 s.). Regi Josia demum contigit, ut loca excelsa in perpetuum aboleret (II Rg 23, 8. 13. II Chr 34, 3) [3].

[1] I Rg 3, 2 s. ipse Salomo tempore, quo templum Jahvae nondum aedificatum erat, in locis excelsis sacra celebrasse dicitur. At locus allatus pro suppositicio habendus est.

[2] Chronista cum iam Asa et Josaphat loca excelsa delevisse tradat (II Chr 14, 2; 17, 6), non solum a libro Regum discrepare, sed etiam secum dissentire videtur. Aliis enim locis (II Chr 15, 17; 20, 33) iisdem fere verbis, quae in libro Regum legimus (I Rg 15, 14; 22, 44), Asa et Josaphat regnantibus loca excelsa finem non cepisse narrat. Quae discrepantia enodari nequit, ut alteris locis sacraria vero deo erecta, alteris deorum alienorum honoris causâ exstructa significari contendas. Etenim utrisque Chronicorum locis simpliciter במות commemorantur, ut ubique eadem sacraria significari pateat. Praeterea ipsa discrepantiae res minime sublata esset. Nam si Asa pater loca excelsa fictis diis sacra re vera delevit (II Chr 14, 2), Josaphat filius, qui successit, ea iterum delere non potuit (II Chr 17, 6). At regi Asa non contigit, ut sacraria, de quibus agitur, deleret; itaque Chronista Josaphat patris conata denuo suscepisse dicit (II Chr 17, 6), sed etiam hic omnem operam hac in re perdidit.

[3] Itaque tres tantum e regni Judaici regibus maiore apud Judaeos fama et laude pietatis cultusque dei exornati et restituti florebant: David, Hiskia, Josia (cf. Sir 49, 4 s.).

Cf. G. Fellner, Du culte sur les haut-lieux chez les anciens Hébreux. Strasbourg 1836; W. Baudissin, Studien zur semitischen Religionsgeschichte II, 231—261 (RE[3] VIII, 177—195); M. Vernes, Les plus anciens sanctuaires des Israélites (Revue de l'histoire des religions V, 1882, 22—48); Ch. Piepenbring, Histoire des lieux de culte et du sacerdoce en Israel (ib. XIV, 1891, 1—60. 133—186); F. v. Andrian, Der Höhenkultus asiatischer und europäischer Völker. Eine ethnologische Studie. Wien 1891 (cf. R. Beer, Heilige Höhen der alten Griechen und Römer. ib. 1891); Neue kirchliche Zeitschrift VIII, 1897, 48—77. 228—253. 298—328. 353—383; A. v. Gall, Altisraelitische Kultstätten (III. Beiheft zur ZAW) Gießen 1898.

II.

De cultu imaginum

Cultui in locis excelsis exercitato proxime accedit atque cognatus est cultus imaginum i. e. cultus Jahvae sub imaginibus, quo Hebraeis severe erat interdictum (Ex 20, 4. Dt 4, 16; 5, 8; 27, 15), quia simulacris illis vis quaedam et efficacia inesse credebatur (Ex 32, 4. I Rg 12, 28).

I. 1) Iam ad montem Sinai, Mose per plurimos dies absente et populo instigante, Aaron עֵגֶל מַסֵּכָה *vitulum conflatilem* ex inauribus aureis formandum curavit, quem Hebraei pro simulacro ipsius Jahvae, qui eos ex Aegypto eduxerat, venerabantur (Ex 32, 1—8. Neh 9, 18. cf. Dt 9, 21. Ps 106, 19. Act 7, 39—41). Quod scelus rabbini in homines peregrinos, qui se cum Hebraeis Aegyptum relinquentibus iunxerant (Ex 12, 38. Nm 11, 4), transferunt. Veri autem simillimum est sacerdotes, qui ante Mosen instituti erant, ne sacro ministerio, quo in Aegypto functi erant, privarentur, illius sceleris fuisse auctores. Moses vero Levitas armatos per media castra misit, qui istos seditiosos sacerdotes circa vetus tabernaculum ebrios recubantes districtis gladiis ceciderunt; quo impetu ad tria milia virorum perempta traduntur (Ex 32, 26—28).

Si populus ab Aaron postulavit: „Surge! fac nobis אֱלֹהִים אֲשֶׁר יֵלְכוּ לְפָנֵינוּ (Ex 32, 1. 23), sub vocabulo אלהים non plures dii intellegendi sunt; Aaron enim unum vitulum, non plures fecit. Nec verbum in plurali numero vocabulo אלהים adiectum (ילכו) postulat, ut plures dii intellegantur; nam אלהים etiam iis locis, ubi de uno vero deo usurpatur, ob terminationem pluralem haud raro cum verbo plurali coniungitur, ut Gn 20, 13; 35, 7. Ex 22, 8; 32, 4. 8. II Sm 7, 23. II Rg 19, 2. Ps 58, 12. Immo vero Hebraei Jahven aliquo simulacro effingere voluerunt neque ipsum simulacrum pro deo habebant aut ei tribuebant, quod e servitute Aegyptia educti essent; Jahvae enim, quem Hebraeis in vitulo tamquam adesse persuasum erat, non vitulo ipsi sacra facta sunt, id quod ex loco Ex 32, 5 s. apparet, ubi Aaron per praeconem sollemnitatem Jahvae cum convivio celebrandam indicit: „Atque immolaverunt holocausta et adduxerunt hostias pacificas. Dein populus sedit ad convivandum et surrexit ad ludendum“ i. e. ut orbem saltatorium versaret ludicrisque oblectaretur (cf. v. 25. BZ V, 1907, 352—358). Itaque festum vituli aurei eodem fere modo agebatur, quo festum Jahvae; nam etiam id epulis sacrificalibus et saltationibus celebrari solebat idque ex communi antiquarum gentium more. Peccabant igitur Hebraei eo tantum, quod legem illam de deo nequaquam sub imagine aliqua adorando (Ex 20, 4) violabant.

2) Tempore posteriore vituli cultus in regno decem tribuum revixit, ubi Jerobeam I vitulum aureum i. e. ex aere fusum auroque

obductum in urbe Bethel constituit, ne populus Hierosolyma sacrorum causa proficisceretur atque hac ratione ad domum David reversus a se deficeret (I Rg 12, 28 s.)[1]. Qui cultus usque ad regni interitum (praecipue sub regibus Nadab I Rg 15, 26. Baësa ib. 15, 34; 16, 2. 7. Ela ib. 16, 13. Simri ib. 16, 19. Omri ib. 16, 25 s. Ahab ib. 16, 31. Ahasja ib. 22, 53. Jehoram II Rg 3, 2 s. Jehu ib. 10, 29. 31. Jehoahas ib. 13, 2, 6. Jehoas ib. 13, 11. Jerobeam II ib. 14, 24. Sacharja ib. 15, 9. Menahem ib. 15, 18. Pekahja ib. 15, 24. Pekah ib. 15, 28) viguit causaque exstitit deportationis incolarum eius (I Rg 14, 15 s. II Rg 17, 22 s. Jer 48, 13. Jos. AJ 8, 8. 4)[2].

[1] Cum Graeci Alexandrini III (I) Rg 12, 28 καὶ ἐβουλεύσατο ὁ βασιλεύς (Luc. Ἱεροβοάμ pro ὁ βασιλεύς) καὶ ἐπορεύθη vertant, post המלך verbum וילך inserendum eique nomen loci ביתאל (v. 29) addendum est. Pro שני adverbium שם *ibi* et pro plurali עגלים singularis עגל legatur necesse est; neque enim ulla causa cognosci potest, propter quam Jerobeam duos vitulos erexerit; procul dubio textus masorethicus ex interpretatione perversa ortus est (cf. v. 28 et II Rg 17, 16., ubi מסכה [LXX χώνευμα, Luc. χωνευτά, quod ex χώνευμα ortum est] legitur et verba שנים עגלים interpretatio aliena habenda sunt). אליהם est mendum pro אל־העם *ad populum* (LXX et Luc. πρὸς τὸν λαόν). אלהיך non *dii tui*, sed *deus tuus* significat; quare etiam non העלוך, sed העלך legendum est. Ibidem v. 29 verba את־האחד *unum* (vitulum) supposita sunt et pro ואת־האחר *et alterum* (vitulum) ואת־האפר legendum est. Etiam v. 32 pro לעגלים lege לעגל *vitulo*. Et quod II Chr 11, 15 memoriae proditur Jerobeam לעגלים *vitulis* sacerdotes constituisse, id parum diligenter traditum esse existimandum est. Atque ib. 13, 8 עגל זהב pro עגלי זהב legendum esse ex Pešîṭta apparet. Cf. N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige 119 s. Die Bücher der Chronik 144. 148.

[2] Etiam cultus vituli a Jerobeam institutus ab idololatria, quae proprie dicitur, in sacris litteris (in libris Regum, a prophetis Amos et Hosea) semper diserte distinguitur. Sunt quidem qui existiment eum cultum ab idololatria diversum non esse. Quod ut comprobent, imprimis locum I Rg 14, 9 afferunt, ubi Ahija propheta dei iussu Jerobeam ita compellat: „Tu pessime fecisti omnium, qui fuerunt ante te; ivisti enim ac fecisti tibi deos alios (et quidem) simulacra fusa, ut irritares me, et proiecisti me post tergum tuum“. At Ahija id unum dicit Jahven in imagine tauri venerari idololatriae ipsi verisimile esse, id quod sic fere accipiendum est, ut Christus ipsum adspectum libidinosum adulterium appellat (Mt 5, 28) neque tamen dicere vult eum aequandum esse vero adulterio. Ad hoc bene observandum est Jerobeam, cum cultu vituli instituto eos, qui sub eius regno erant, templum Hierosolymitanum invisere prohibere vellet, id tantum magnificentiore Jahvae cultu assequi potuisse; nam alieno cultu apud Ephraimitas, qua erant pietate, contrarium eius, quod consectabatur, effecisset. Quare dicendum est Jerobeam tantummodo cultum a multitudine iam prius exercitatum, cultum Jahvae in imagine vituli, restituisse.

Licet autem Israelitae non proprie vitulum, sed Jahven sub specie vituli coluerint, tamen hic cultus non legitimus tamquam *peccatum* Israelitarum κατ' ἐξοχήν (Dt 9, 21. Am 3, 14. Mich 1, 5. 13), *peccatum magnum* (Ex 32, 21. 30 s. cf. Neh 9, 18). *peccatum Jerobeam, quo peccare fecit Israel* (I Rg 15, 26. 30. 34; 16, 2. 19. 26), *delictum Samariae* (Am 8, 14) carpebatur et Israelitae pietate insignes vitulos ut *deos alienos* (I Rg 14, 9), *non deos* (II Chr 13, 9), *vanitates* (I Rg 16, 13. 26), pure *vitulos* (I Rg 13, 32. II Rg 10, 29; 17, 16. Hos 13, 2. II Chr 13, 8) detestabantur. Quare cultus vituli tamquam aversio a Jahve considerabatur (II Ch. 13, 9 s.) et urbi בֵּית־אֵל (= *domus dei*) ei cultui deditae impositum est nomen בֵּית־אָוֶן (= *domus vanitatis* i. e. idoli Hos 4, 15; 5, 8; 10, 5) vel simpliciter אָוֶן (Hos 10, 8. Am 5, 5), quia pro vero deo inane et nihilum, mendacium et vanitatem sibi elegerat.

3) De origine cultus vitulorum multa pro opinione eorum, qui Hebraeos eum in Aegypto cognosse dicunt, proferri possunt. Scriptores quidem veteris testamenti memoriae produnt Hebraeos paulo post profectionem ex Aegypto huic se cultui dedisse (Ex c. 32) et Jerobeam I, qui eum in regnum decem tribuum induxit, aliquantum temporis apud Sisak, regem Aegyptiorum, fuisse (I Rg 11, 40). Praeterea variis locis queruntur simulacra deorum Aegyptiorum religioni ac moribus gentis Hebraicae vehementer nocuisse. Velut Josua 24, 14 populum exhortatur ad Jahven sincere colendum verbis: „Timete (reveremini) Jahven et colite eum cum integritate et veritate et *removete deos, quos coluerunt patres vestri* in terra trans fluvium (in Mesopotamia) et *in Aegypto*". Peccatum illud in Aegypto commissum commemorat etiam Ezechiel 20, 7 s. 10: „Singuli detestationes oculorum suorum (i. e. idola) abicite et *in idolis Aegyptiorum* ne polluamini. Ego Jahve (sum) deus vester, Sed rebellarunt contra me noluerunt que audire ad me neque abiecerunt singuli detestationes oculorum suorum neque reliquerunt *idola Aegyptiorum* . . . Eduxi itaque eos de terra Aegypti et introduxi eos in desertum". Et 23, 3: „Et scortatae sunt (duae mulieres i. e. duae gentes, Juda et Israel, quibus propheta nomina Oholiba et Ohola tribuit) *in Aegypto*, in adulescentia sua scortatae sunt" i. e. deos fictos venerabantur, cultu unius veri dei relicto, quod crimen prophetae saepius cum scortatione sive adulterio comparant, velut Jer 3, 1. 6. 8 s; 5, 7; 9, 1. 11; 23, 14. Ez 6, 9; 23, 37. Hos 4, 15; 7, 4. Atque Hebraeos in Aegypto commorantes deorum cultui se tradidisse, ni fallor, etiam verbis Hos 11, 1 s. confirmatur, ubi deus loquitur: „Cum puer (i. e. prima quasi ac tenera aetate) esset Israel, dilexi eum (ita ut omnibus gentibus eum praeferrem) et ex Aegypto vocavi filium meum. Prout vocaverunt eos (Moses et Aaron ad cultum et obsequium meum), sic abierunt ab eis (LXX: οὕτως ἀπῴχοντο ἐκ προσώπου

μου), Baalim sacra fecerunt et sculptilibus adolerunt suffitum“ i. e. idola coluerunt. At omnibus iis locis non plane de cultu vitulorum vel taurorum agitur. Atque si respicimus urbem On, ubi taurus Mnevis colebatur, in terra Gosen aut in eius finibus sitam fuisse, certe notabile est, quod Hebraei Aegypto vix egressi iam cultui vitulorum se dederunt. Neque tamen verisimile est Hebraeos modo a vexatoribus liberatos ipsum simulacrum dei vexatorum symbolum eius dei, qui se liberasset, elegisse. Ceterum Aegyptii, quamquam taurorum imagines in pompis circumferebantur, tamen vivos tauros ipsos, velut Apim, colebant. Quibus rebus adducimur, ut Hebraeos sibi ipsos vitulum symbolum dei elegisse existimemus. Si cogitamus, et quam prompto animo in deserto vitulum aureum, quem Aaron fingendum curavit, pro symbolo Jahvae, qui eos ex Aegypto eduxerat, amplexi sint et quanta facilitate Jerobeam Jahven sub imagine vituli cultum in regnum decem tribuum induxerit, vix erramus, si cum multis viris doctis recentioris aetatis taurum propter robur et utilitatem in toto oriente, imprimis apud gentes Semiticas, pro imagine dei habitum esse iudicamus. Contra dici potest in historia patriarcharum nullum vestigium reperiri, unde appareat dei sub imagine vituli vel tauri cultum ex religione ante patriarcharum aetatem exercitata reliquum esse, quamquam penates (Teraphim) commemorantur. At quod Abraham in mediis idololatris habitabat, quod in oriente antiquo tauro vulgo symbolo dei utebantur, quod denique Hebraei Jahven imagine vituli fictum promptissimo animo amplexi sunt, multis rebus admonemur, ut sicut apud alias gentes, ita apud Hebraeos deum imagine vituli exprimere patrium fuisse statuamus. Ceterum ea opinio longe distat ab iis criticis nostrae aetatis, qui cultum tauri et Mosis aetate et postea legitimam fuisse venerationem Jahvae docent. Neque enim qui statuunt vel Hebraeos cultum vituli ab Aegyptiis mutuatos esse vel deum imagine tauri fingere apud Hebraeos patrium fuisse, veteri testamento adversantur, quoniam ibi idololatriae Hebraeorum in Aegypto commorantium saepius mentio fit et iam aetate Abraham antecedente „patres“ Hebraeorum aliis diis servisse diserte memoriae traditur; dicere vero cultum vituli vel partem Jahvae cultus legitimi vel eundem esse ac Jahvae cultum, et a prophetis et a rerum scriptoribus veteris testamenti prorsus alienum est.

Complures viri docti recentioris aetatis (velut *D. Nielsen, J. Benzinger, S. Landersdorfer*) putant Aaron simulacro Jahvae ex auro facto taurorum capita (symbola dei lunae Wâdd), quae incolae eius partis Arabiae, quae ad meridiem spectat, venerabantur, imitatum esse; quare Hebraeos cultu vituli aurei in religionem earum Arabiae gentium recidisse, quae (exceptis sacerdotibus et initiatis) ea aetate in simulacro non iam

symbolum dei, sed deum ipsum coluisse dicuntur. Quae opinio parum verisimilis esse videtur.

II. Loco Jdc 17, 3—5 Micha Ephraimita suadente matre ex argento פֶּסֶל וּמַסֵּכָה *sculptile et fusile* (simulacrum)[1] fecisse et in quadam domus parte, tamquam sacrario ei destinata, reposuisse dicitur. Cultui ei simulacro instituto vir Levita quidam (qui ib. 18, 30 Jonathan vocatur) praefectus est, cui Micha praeter annuum decem siclorum salarium et pecuniam ad victum vestitumque comparandum necessariam promisit (ib. 17, 7—12). Etsi Levita ille sacerdotio fungi non poterat, tamen Micha, cum hominem sacerdotalis ordinis assequi non posset, satis habuit, quod e Levitico saltem ordine ministrum nactus esset (v. 13). Ex eo, quod mater pro Micha filio fausta a Jahve precatur (v. 2), apparet matrem et filium non alium nisi deum verum coluisse (cf. v. 13), sed vel ignorantiâ recti vel superstitione corruptos contra legis Mosaicae praescriptum, quem ad modum Jerobeam Jahven sub vituli imagine coli voluit. Ceterum ib. 18, 2—6. 15—31 illud simulacrum diserte Jahvae tribuitur[2].

[1] Sunt qui existiment his vocabulis duo significari simulacra, unum lapideum vel ligneum, alterum e metallo fusum, idque propterea, quod Jdc 18, 14. 17 s. פֶּסֶל et מַסֵּכָה manifesto distinguuntur. Respiciendum tamen est simulacra pretiosa apud Hebraeos ita confici consuevisse, ut et opus sculptile ex ligno et opus ex vili metallo fusum laminis aureis argenteisve contegeretur (Jes 40, 19. Jer 10, 3 s.). Quare verisimiliter פֶּסֶל ipsum simulacrum, quod ligneum fuisse putandum est, מַסֵּכָה eius tegumentum argenteum significat.

[2] Postea Danitae coloniam ducentes, ubi domum Michae venerunt, eius simulacrum unâ cum sacerdote deprehenderunt secumque in novas sedes, urbem Lais sive Dan, abduxerunt (Jdc 18, 13—31).

Complures interpretes אֵפוֹד *ephod*, quod Gideon iudex ex inauribus, quas sibi e praeda in bello contra Midianitas facta delegerat, confecisse dicitur (Jdc 8, 27), simulacrum dei (imaginem tauri) fuisse existimant. Quae opinio nullo argumento confirmari potest. G. Gesenius quidem (Thes. I, 135[b]) vocabulo אֵפוֹד loco allato *statuam* sive *simulacrum* dei alicuius denotari contendit, ab amictu aureo argenteove dictum (cf. אָפַד *accinxit, amicivit*). Eadem fuit interpretis Syri sententia, qui אֵפוֹד reddidit *lufro* i. e. idolum parvum. Etiam Ephraem Syrus (Explan. ad l. c.) *salmo* i. e. imaginem intellexit. Arabicus quoque interpres *tamthala* i. e. simulacrum vertit. Sed cum אֵפוֹד aliis locis constanter vestimentum aliquod valeat et a nominibus simulacrum significantibus (תְּרָפִים, פֶּסֶל, מַסֵּכָה Jdc 17, 5; 18, 14. 17. 20) diversum sit, dubitandum non est, quin etiam loco allato vestimentum (sacerdotale) valeat. He-

braei autem illud ephod superstitioso cultu afficiebant, quia ex oraculis per illud editis divini aliquid ei inesse credebant; qua re Gideon eiusque domui causa perniciei factum est.

Similiter *ephod,* quod *Micha* Ephraimita confecisse traditur (Jdc 17, 5), imaginem dei (tauri) fuisse nulla re significatur.

III. Probabiliter etiam נְחֹשֶׁת *serpens aeneus* huc spectat, quem Moses in deserto pro signo facere et suspendere iussus est, ut ii, qui cum fiducia eum adspicerent, ex morsu serpentium ignitorum sani fierent (Nm 21, 4—9). Quod simulacrum Hebraei primo tamquam illustre beneficii eximii monumentum secum duxerunt reverenterque servarunt, postea tamen ut divinum aliquid (symbolum Jahvae) amplexi sunt eique honores tribuerunt divinos. Quam superstitionem populi ut funditus tolleret, II Rg 18, 4 memoriae proditur Hiskia regem serpentem comminuisse eique nomen נְחֻשְׁתָּן imposuisse.

In Arabia ad meridiem spectante, ubi serpens pro symbolo dei lunae habebatur, fragmenta serpentium aeneorum inventa sunt, qui ad suspendendum destinati erant, id quod capite perforato demonstratur. Sunt qui existiment formâ Arabicâ nominis נחשתן originem serpentis aenei Hebraeorum significari (cf. S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung 64). At ea derivatio parum verisimilis est; immo vero vocabulum נחשתן ex נָחַשׁ אֵתָן compositum esse et *serpentem aeterni* i. e. serpentem aeterno dicatum valere videtur. Nomine Phoenicio summi dei *Ithân* (ut nominibus Baal, Melech, Adonai) de antiquo Semitarum monotheismo admonemur. Etiam libri Danielis auctor ad id nomen respicere videtur, cum deum, qui ad iudicium habendum sedet, *veterem dierum* sive *diebus* appellat (Dn 7, 9. 13. 22).

Caput secundum

De cultu commenticiorum deorum ab Hebraeis exercitato

Auctoritate gentium deorum cultui deditarum Hebraei non solum pellecti sunt, ut Jahven et imaginibus et in locis excelsis colerent, id quod lege Mosaica prohibebatur, sed etiam eo descenderunt, ut deos alienos adorarent, quamquam singuli poenâ lapidationis propositâ (Ex 22, 19. Dt 17, 2—5. cf. 13, 2—11), populus universus dispersione inter gentes ac deletione denuntiatâ diis praeterquam Jahvae soli servire vetitus erat (Lv 19, 4. Dt 6, 14 s; 8, 19 s; 11, 16 s; 28, 15 ss; 30, 17 s; 31, 16 s. cf. Jos 23, 16. I Rg 9, 6 s.), quippe cum fictorum deorum cultus nihil aliud esset nisi defectio a legitimo rege, scelus

foedissimum, turpissima violatio foederis, quod Jahve cum gente Hebraica inierat. Dii autem commenticii, quorum se cultui Hebraei saepius dederunt, partim *Canaanaei,* partim *Assyrii-Babylonii* erant, quos posteriores tum demum cognoverunt, cum Assyrii et Babylonii incursiones in Palaestinam facere coeperant.

I. Atque a Cananaeis profecti sunt innumerabiles Baalim et Ascherim sive Astaroth. Unum idemque numen בַּעַל *Baal,* item אֲשֵׁרָה *Aschera* sive עַשְׁתֹּרֶת *Astarte,* pro variis regionum vel civitatum moribus etiam sub variis nominibus ac formis colebatur. Quare Jeremia 2, 28; 11, 13 exclamat: „Pro numero urbium tuarum sunt dii tui, o Juda!“ i. e. quot sunt tibi urbes, tot dii.

Hebraei, iam antequam terram Canaan ingrederentur, per mulieres Moabiticas et Midianitides seducti, idolum *Baal-Peor* coluerunt (Nm 25, 1—9; 31, 16. Jos 22, 17. Hos 9, 10. Ps 106, 28), quem cultum postea quoque retinuerunt (Jdc 10, 6). Terrâ autem Canaan expugnatâ sacra Cananaeorum apud Hebraeos plus valere coeperunt. Iam aetate iudicum populus cultui *Baal* deditus erat (Jdc 2, 11. 13; 3, 7; 6, 25; 10, 6. 10; 13, 1. I Sm 7, 3 s. cf. 12, 10). Postea in regno Israelitico hic cultus maxime divulgabatur sub regibus Ahab (I Rg 16, 31 s; 18, 18 ss. II Rg 3, 2), Ahasja (II Rg 1, 2), Jehoram (ib. 9, 22). Jehu quidem sacerdotes Baal exterminavit eiusque fanum in urbe Samaria destruxit (ib. 10, 18—28). Nihilo minus Israelitae etiam posterioribus temporibus cultui Baal se dederunt, ut colligi potest ex historia regis Josia (II Chr 34, 6 s.) et ex II Rg 17, 16. 18. Hos 13, 1., quibus locis interitus regni ad hanc idololatriam refertur. Etiam incolae regni Judaici praecipue regnantibus Jehoram et Athalja (II Rg 8. 18. 27. II Chr 21, 6; 24, 7. cf. II Rg 11, 18. II Chr 23, 17), Ahas (II Rg 16, 3. II Chr 28, 2 s.), Menasse (II Rg 21, 3. 6 = II Chr 33, 3. 6), Amon (II Rg 21, 21. II Chr 33, 22) cultûs Baal studiosi erant. Qui cultus detestandus etsi postea ab Josia, rege piissimo, sublatus erat (II Rg 23, 4 ss. II Chr 34, 4. 8), tamen ab aliis regibus restitutus aut certe toleratus et multitudinis superstitione usque ad regni interitum pertinaciter retentus est (II Rg 23, 32. 37; 24, 9. 19. Jer 2, 8; 7, 9; 11, 13; 32, 29. Ez 6, 4. 6. Zeph 1, 4 s. II Chr 36, 5. 8 s. 12).

Sunt qui cultum Baal ab Hebraeis exercitatum continuationem vel restitutionem cultus a Cananaeis exercitati fuisse negaverint et eum ut novum genus idololatriae a Tyro translatum esse dixerint. Quod utrumque falsum est. Nam quamquam pater reginae Izebel, quae Ahab ad idololatriam pellexit, non modo rex Sidoniorum, sed etiam rex Tyriorum appellatur (Jos. AJ 8, 13. 1; 9, 6. 6), quamquam Josephus locis allatis Baal et Astarten deos Izebel et Baal ab Ahab inductum Τυρίων θεόν appellat,

tamen inde colligendum non est Ahab cultum Baal instituentem Tyrium cultum esse imitatum, cum I Rg 21, 26 clare dicitur deos ab Ahab cultos eosdem fuisse quos Amoritarum i. e. Cananaeorum.

Item Hebraei *Ascherae (Astartes)* cultui iam aetate iudicum (Jdc 2, 13; 3, 7; 6, 25; 10, 6. I Sm 7, 3 s; 12, 10) et regis Salomo (II Rg 23, 13. cf. I Rg 11, 5. 33), dein in regno decem tribuum imprimis sub regibus Jerobeam I (I Rg 14, 15) et Ahab (ib. 16, 33; 18, 19) dediti erant. Jeremia quidem auctor est Israelitas in omni colle altiore et sub omni arbore patula scortatos esse (2, 20. cf. 3, 6. II Rg 17. 10. 12). Quare etiam interitus regni ad hanc idololatriam refertur (II Rg 17, 10—18. cf. I Rg 11, 33; 14, 15). Etiam regni Judaici incolae obsceno illi cultui sub regibus Rehabeam (I Rg 14, 23) et Abia (ib. 15, 3), verisimiliter etiam regnantibus Jehoram (II Rg 8, 18. II Chr 21, 6. 11. 13) et Ahasja (II Chr 22, 3 s.), porro sub Jehoas (post mortem pontificis Jojada II Chr 24, 17 s.), Ahas (II Rg 16, 4 = II Chr 28, 4), Menasse (II Rg 21, 3. 7 = Chr 33, 3. 7. 19), Amon (II Rg 21, 21 = II Chr 33, 22) pertinaciter adhaerebant. Tandem Josia non solum simulacrum Ascherae (a Menasse rege in domo Jahvae erectum II Rg 21, 7), sed etiam aediculas virorum effeminatorum, qui deae servitio addicti erant, e templo eici et extra urbem concremari et comminui iussit (II Rg 23, 6 s. II Chr 34, 3 s.). Sub regibus tamen, qui ei successerunt, deorum signa templo rursus illata esse iam ex Ez 8, 3. 5 manifestum est (ubi verba „imago zeli zelum provocantis“ ex complurium interpretum sententia simulacrum Ascherae significant), quamquam in historicis veteris testamenti libris id non commemoratur.

Sunt qui existiment cultum Baal et Ascherae (Astartes) ab antiquis Hebraeis originem ducere. Cui opinioni haec repugnant: Primum Debora (Jdc 5, 8) eos deos ut Moses (Dt 32, 17) novos appellat contra patrium Jahven et Jeremia (2, 7—13) negat adhuc umquam esse factum, ut Israel suum deum, fontem aquae vivae, desereret et vanis diis immutaret, quo id scelus esse detestabilius. Deinde prophetae et pii reges eum cultum impugnaverunt, quo factum est, ut quibusdam temporibus paene exstirparetur et tolleretur, cum cultus Jahvae semper exercitaretur. Tum vis et cultus Baal naturae Jahvae et cultui a Mose instituto adeo contraria sunt, ut explicari non possit, quo modo una eademque gens religionem suam progrediente tempore in tam diversa direxerit. Porro deae ab Hebraeorum sensu religionis adeo alienae erant, ut in eorum lingua ne vocabulum quidem deae exstet. Denique impudicus cultus Ascherae semper nefas et quod a maiorum religione abhorreret habebatur, id quod vulgo agnoscitur.

Etiam cultus idoli *Moloch* (מֹלֶךְ, rectius מִלְכֹּם sive מַלְכָּם) apud Hebraeos viguit idque non solum in regno Israelitico (II Rg 17, 16 s. Ez 23, 37 s.), sed etiam in regno Judaico, ubi iam Salomo eius honoris causâ

fanum in monte olivarum dedicaverat (I Rg 11, 5. 7. 33. II Rg 23, 13). Inde ab aetate regis Ahas in valle filiorum Hinnom, in loco, qui תֹּפֶת vocabatur, a regibus impiis ignis ad liberos idolo comburendos alebatur (II Rg 16, 3. II Chr 28, 3. II Rg 21, 6. II Chr 33, 6. cf. Jer 7, 31 s; 19, 6. 13). Josia quidem illum locum contaminavit (II Rg 23, 10); sed nihilo minus Judaei cultûs Moloch usque ad regni interitum studiosissimi erant (Ez 20, 31).

Ealso dictum est regem Ahas Moloch colentem cultum ignis deorum Assyriorum *Adar-malik* et *Anu-malik* imitatum esse; nam et iis quoque diis infantes sacrificabantur (II Rg 17, 31) et auctore Ezechiel non solum Israelitae (23, 5—10), sed etiam Judaei (ib. v. 11—13) commercium cum Assyriis, quo ad idololatriam pellicerentur, habebant. Sed tamen et Israelitae et Judaei, multo ante quam commercium cum Assyriis haberent, Moloch venerabantur; nam vestigia infantium mactatorum iam aetate iudicum (Ps 106, 36—38) atque eo tempore, quo in solitudine Arabiae morabantur (Ez 20, 26), deprehenduntur. Praeterea idoli Moloch cultus cum Hebraeorum aetatis iudicum (Ps 106, 38) tum regis Ahas (II Rg 16, 3 = II Chr 28, 3) imitatio cultus Cananaeorum appellatur.

Item *Chamos* (כְּמוֹשׁ) ab Hebraeis colebatur. Eius cultum Salomo in monte olivarum instituit, בָּמָה ibidem aedificatâ (I Rg 11, 7. 33), quam postea rex Josia, probabiliter ossibus mortuorum, contaminavit (II Rg 23, 13).

II. Posterioribus temporibus, quod Hebraeis cum Assyriorum et Babyloniorum regnis mutuae rationes intercesserunt, et horum populorum sacra in Hebraeos se insinuarunt.

Inter causas, quibus excidium regni decem tribuum effectum est, ea quoque affertur, quod Israelitae כָּל־צְבָא הַשָּׁמַיִם *cunctum exercitum caeli* adorabant (II Rg 17, 16), quibus verbis Assyriorum cultus siderum significatur. Ezechiel quidem (23, 5—7) Samariae, cui nomen Ohola tribuit, exprobrat, quod impudico amore in Assyriorum principes purpurâ indutos, in iuvenes elegantes, equis insidentes exarserit; quorum se libidinibus permisisse simulque cultu deorum eorum se maculari passam esse. Amos (5, 26 s.) incolis regni decem tribuum minatur eos *Sakkût* et *Kaivân*, quos colant, deos siderum, quos sibi finxerint, in exsilium secum ducturos, in quod eos Jahve per Assyrios mittat. Sakkût autem et Kaivân sunt Assyriorum dii siderum.

Samariâ expugnatâ populoque in exsilium deducto operâ colonorum a regibus Assyriorum in pristinum regnum decem tribuum missorum varii dii Assyrii et Babylonii inducti sunt *(Nergal, Nibchaz, Thartak, Anammelech, Adrammelech, Asima, Sukkôth-Benôth)*, quorum cultus cum veneratione Jahvae coniungebatur (II Rg 17, 30—32).

Ex regno Israelitico cultus deorum Assyriorum et Babyloniorum etiam in regnum Judaicum tralati sunt, ubi eos maioris fuisse momenti quam in regno Israelitico Ezechiel (23, 14) auctor est, quod et libris historicis et scriptis aliorum prophetarum confirmatur. Imprimis Menasse, qui omne genus idololatriae amplectebatur, „adoravit *omnem exercitum caeli* et coluit eum exstruxitque aras in domo Jahvae et exstruxit altaria *universo exercitui caeli* in duobus atriis domus Jahvae“ (II Rg 21, 3—5. cf. II Chr 33, 3. 5), quod exemplum aequales quoque prophetae Jeremia sedulo imitati sunt. In aedium tectis (quae pro locis excelsis usurpabantur, quod ibi caeli conspectus liber erat) *astris* aras aedificabant eaque adorabant (Zeph 1, 5), tura adolebant (II Rg 23, 5) et sacrificiis venerabantur (II Rg 23, 12. Jer 19, 13). Ezechiel (8, 16) vidit in interiore atrio templi viginti quinque viros stantes dorsaque vertentes contra sanctuarium (quod ad occidentem versus erat collocatum) et solem orientem adorantes. Mulieres Hebraicae, quae sibi persuaserant se abundantiam omnium rerum idolis, quae colerent, debere, מְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם *reginae caeli* placentas, quae formam cornutam habebant, ac libamina dare solebant (Jer 7, 18; 44, 17—19. 25). Ex Syria cultus *Tammuz* sive Adonidis Hierosolyma tralatus est (Ez 8, 14).

Etiam Judaei in exsilium Babylonium abducti magnam partem idololatriae se dederunt. Quae cuius modi fuerit, certe demonstrari non potest. Nam Jesaia in universum tantum de idolis loquitur, quibus ii, qui a Jahve defecerant, confidebant (42, 17; 46, 5 ss; 48, 5 ss.); idem mysteria, dapes ex carne impurorum animalium paratas, victimas infantium commemorat (57, 5 ss; 65, 4 s; 66, 17); semel exsulantes graviter increpat, quod veri dei obliti atque nefarios gentium idola colentium ritus, secuti לַגָּד *pro Gad* lectisternia parent et לַמְנִי *pro Meni* libamina impleant (65, 11). Exsulantes *Bêl Babylonium* veneratos esse illud quidem demonstrari non potest, nam Jesaia 46, 1 Babylonios, non Judaeos alloquitur; sed verisimillimum est eos praeter ceteros summum deum Babyloniorum coluisse. Haud meliores erant exsulantes, qui ad flumen Kebar habitabant, id quod ex Ez 14, 3; 20, 30 s. 39 cognoscitur.

Ex quarto saeculo Graecorum quoque cultus a Judaeis recepti sunt. Per senem quendam Atheniensem, cuius nomen non traditur, Antiochus Epiphanes non solum templum Hierosolymitanum *Jovi Olympio*, sed etiam fanum, quod in monte Garizim exstructum erat, Samaritanis petentibus *Jovi Hospitali* dicari iussit (II Mcc 6, 1 s.).

Postremum in sacris litteris idololatriae a Judaeis exercitatae II Mcc 12, 40 mentio fit, ubi memoriae proditur, cum spolia legerentur, milites quosdam Hebraicos in certamine necatos inventos esse, qui dona quaedam idolorum, quae ex templis urbis Jamnia abstulerant, sub vestimentis celata secum portabant.

III. Cum deorum commenticiorum cultu artissime cohaerebant quam plurimae divinationes et artes magicae, id quod II Rg 9, 22; 23, 24. II Chr 33, 6 diserte testatur. Harioli et magi, qui nominibus *sapientium* (חֲכָמִים) et *scientium* (יְדַעֹנִים) ornari solebant, quia scientiâ, maxime futurorum et praeteritorum, aliis praecellere credebantur, summo florebant honore.

Praecipua superstitionum genera, quae, ut sollemnibus praeceptis Ex 22, 17. Lv 19, 26. 31; 20, 6. 27. Dt 18, 10. 12. al. severissime condemnantur, ita nihilo minus apud Hebraeos, maxime posterioribus reipublicae temporibus (I Sm 28, 3. 9. II Rg 17, 17; 21, 6; 23, 24. Jes 2, 6; 8, 19; 57, 3. Jer 29, 8. Mich 5, 11. II Chr 33, 6. al.) atque etiam temporibus post exsilium (Sach 10, 2. Mal 3, 5. Act 8, 9; 13, 6) in usu erant, haec sunt:

1) *Augurium* ex variorum factorum observatione petitum, quod litterae sacrae verbo נָחַשׁ (= *augurando cognovit, divinavit*) significant. Plerique veteres interpretes id verbum ad auguria ex avibus capta referunt, alia ad omina ex serpentibus petita, quod divinandi genus apud complures gentes antiquas haud insolitum erat.

2) *Somniorum interpretatio.* Somnia res futuras portendentia etiam in sacris litteris agnosci (cf. Nm 12, 6. I Sm 28, 6. Dn 2, 1) atque imprimis in patriarcharum rebus gestis probatum occupare locum (cf. Gn 31, 10; 37, 19; 40, 8; 41, 1; 42, 9) omnibus est notum. Quare haud mirum, si superstitio iis perverse utebatur atque apud omnes antiquas gentes facultas visa et somnia interpretandi (פִּתֹּר, Assyr. *paṭâru*) magni aestimabatur.

Nonnulli vocabulum מְעוֹנֵן de eo, qui somnia interpretatur, intellegunt, quod tamen rectius cum עָנָן (= *nubes*) conectimus et de divinatione ex nubium adspectu intellegimus. Fortasse ad id divinandi genus etiam Jer 10, 2 respicitur, ubi propheta Hebraeos vetat אֹתוֹת הַשָּׁמַיִם *signis caelestibus* i. e. vario astrorum statu vel prodigiis caelestibus terreri, ut eorum metu affici solent gentiles. Graeci Alexandrini vocabulum מעונן modo ad omina ex sonis quibusdam petita (Dt 18, 14. 18. IV Rg 21, 6. II Chr 33, 6) modo ad auguria ex avibus capta (Lv 19, 26. Jer 27, 9) referunt. Alii incantamentum sive fascinum ope עַיִן רָע *oculi maligni* effectum intellegunt (cf. verbum Arabicum *ʿana* = oculo maligno petit).

3) *Consultatio per* תְּרָפִים i. e. per simulacra magica, quae tamquam lares sive penates plerumque ad aedium ianuas posita erant, quae et ii, qui domum ingrediebantur et qui domo egrediebantur, venerari solebant, faustum felicemque ingressum et egressum ab iis poscentes. Atque penatium cultui Hebraei iam antiquissimis temporibus dediti erant (cf.

Gn 31, 19 ss; 35, 4. Jdc 17, 5. I Sm 19, 13—16); imprimis tum, cum sub bonis regibus commenticiorum deorum cultui in publico operam dare prohiberentur, in interioribus domorum conclavibus vel imagunculas divinatorias sive Teraphim vel alias imagines ritu superstitioso cultas habere solebant. Tandem Josia omnes Teraphim e regno removit (II Rg 23, 24). Quamquam paulo post Judaei eorum cultui rursus se dedisse videntur; nam Sach 10, 2 Teraphim inter causas interitus regni apparent.

Teraphim simulacra specie humana praedita fuisse ex I Sm 19, 13—16 concludere licet. Neque vero ex hoc apparet, utrum totam corporis humani staturam habuerint an pectore tenus efficta fuerint, neque accepimus, utrum magnitudine corpus hominis aequare an diversâ esse mensurâ putarentur. Ut enim loco allato de simulacro maioris modi agitur, ut homini esset simile, ita rursus Gn 31, 34 simulacra minora indicari videntur, utpote quae in sella camelina reposita Rahel in iis considens occultaverit. In eius modi simulacris formandis et caelandis plurimum artis fuisse adhibitum haud pauci ex Jes 2, 8; 17, 8 colligere volunt. Nonnulli rabbini tradunt Teraphim fuisse caput hominis (primogeniti) mactati, sale variisque aromatibus conditi, ne putresceret, cuius linguae lamina aurea cuiuspiam spiritus immundi nomine inscripta subiceretur.

Teraphim de rebus dubiis et occultis consulentibus responsa reddere credebantur. Quod ex compluribus sacrarum litterarum locis, quibus eorum fit mentio, colligi potest, velut ex II Rg 23, 24., ubi necromantiis et hariolis iunguntur Teraphim; ex Ez 21, 26., ubi rex Babylonis praeter sortilegia et extispicia Teraphim sciscitatur, quid sibi agendum esset; ex Sach 10, 2,, ubi Teraphim vana loqui dicuntur i. e. talia, quibus cultores suos deludunt, imprimis vanas pollicitationes, quarum eventus frustra exspectatur.

4) *Necromantia* sive evocatio mortuorum. Necromantii (אבות), qui pythone i. e. daemone fatidico (אוב) instructi esse credebantur, incantamentorum et carminum magicorum vi manes evocare de rebusque futuris vel dubiis consilium dare perhibebantur. Graeci Alexandrini אבות omnibus fere locis reddunt ἐγγαστριμύθους, *ventriloquos*, et recte quidem, quoniam ventriloqui apud veteres plerumque illa intus loquendi arte ad praestigias utebantur et homines credulos inducebant, ut vel intus daemonem loqui vel vocem mortui e terra escendentis audire putarent. Atque ut ne minimum quidem dubium superesset, multitudinem docebant magum manes evocatos videre quidem, sed nihil audire, eum vero, cuius gratiâ anima reduceretur, audire quidem, sed nihil videre. Quod regi Saul quoque accidit (I Sm c. 28).

Hebraei poenâ exstirpationis propositâ (Lv 20, 6) necromantios consultum adire vetiti erant (ib. 19, 31. Dt 18, 10 s.). Nihilo minus haud paucos, qui se inferorum animos elicere posse profitebantur, inter Hebraeos versatos esse constat; Saul enim, cum regnare coepisset, omnes

necromantios eiecisse dicitur (I Sm 28, 3. 9). Ipse tamen, postquam omnes vias consuetas et permissas, quibus ante bellum contra Philistaeos exortum dei voluntatem et temporis futuri arcana cognosceret, frustra tentaverat, vestibus, ne agnosceretur, mutatis mulierem quandam pythonissam in urbe Endor habitantem adiit, ut Samuel mortuum arte magica evocaret et ex eo divinum eliceret responsum. Mulier autem, ob regis interdictum capitis timens periculum, primo renuit, dum Saul eam poenae immunem fore promisit. Statim vero Samuel, antequam pythonissa eum vocaret, ipso dei nutu e tumulo apparuit et regi eiusque filiis mortem proxime imminentem denuntiavit (ib. v. 6—19). Etiam aetate prophetae Jesaia Hebraei saepe de rebus futuris necromantios consulebant ac propheta dementiam esse ait in rebus vivorum mortuos consulere (Jes 8, 19). Imprimis rex Menasse artem magicam divinationemque exercuisse et necromantios divinatoresque constituisse dicitur (II Rg 21, 6 = II Chr 33, 6). Josia autem eos removit (II Rg 23, 24).

De cultu falsorum deorum ab Hebraeis exercitato conferas librum, quem inscriptum „De polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis" Oeniponte 1908 edidi, ubi multa praesidia doctrinae, quae ad eam rem pertinent, allata sunt. Praeterea videas A. Lemonnyer, Le culte des dieux étrangers en Israël (Revue des sciences philosophiques et theologiques IV, 82—103. 271—282. VI, 32—48. VII, 432—466). — De diis Babyloniorum et Assyriorum, quorum in sacris litteris saepe mentio fit, conferas M. Jastrow, Die Religion Babyloniens und Assyriens. Zwei Bände in drei Teilen. Gießen 1902—12; Bildermappe, ib. 1912. A. Deimel, Pantheon Babylonicum. Nomina deorum e textibus cuneiformibus excerpta. Romae 1914.

Appendix

De sectis Judaeorum

Praesidia doctrinae. — Bl. Ugolini Thes. XXII. — J. Wellhausen, Die Pharisäer und die Sadducäer. Eine Untersuchung zur inneren jüdischen Geschichte. Greifswald 1874. — E. Baneth, Über den Ursprung der Sadokäer und Boëthosäer. Leipzig 1882. — G. Hölscher, Der Sadduzäismus. Eine kritische Untersuchung zur späteren jüdischen Religionsgeschichte. Leipzig 1906. — A. E. F. Sieffert, Pharisäer und Sadducäer (RE³ XV, 264—292). — E. Schürer, GJV II⁴, 447—489. — W. Caspari, Die Pharisäer bis an die Schwelle des neuen Testaments (BZSF V, 7), Gr.-Lichterfelde-Berlin 1909. — R. Leszynsky, Die Sadduzäer. Berlin 1912. — R. T. Herford, Pharisaism, its aim and its method. London 1912. J. Z. Lauterbach, The Sadducees and Pharisees (Studies in Jewish literature 176—198. Berlin 1913).

Ante exsilium Babylonium nullis in religione Mosaica dissensionibus populus caritate arte coniunctus dividebatur. Nam ea aetate, qua prophetae verba cum populo communicanda caelitus accipiebant, disceptationes de praeceptis divinis oriri non poterant, quod semper ii, qui omnes haesitationes et dubitationes resecarent, praesto erant. Sed post exsilium alius erat rerum status, cum contiones prophetarum, Maleachi mortuo, cessarent. Nam cum non amplius essent interpretes legis divinitus instructi, quorum verbis populus summam tribuebat fidem, facile variae controversiae de sacris litteris oriri poterant atque ex ea aetate origo sectarum Judaicarum repetenda est. Judaei enim, qui maximas crebrae defectionis a patria religione ad deos commenticios poenas in captivitate Babylonia dederant, in patriam reversi studiosius quam antea religioni et cultui Jahvae dediti erant, ut populus, quo minus auctoritate et splendore floreret, eo magis pietate praestaret. Imprimis synagogis studium legis promovebatur. Cum autem earum praefecti auctoritate divina carerent, hanc certe magnâ doctrinâ et optimis moribus compensare studebant, initio laudabiliter quidem, brevi tamen nimio fervore iustos fines egressi legem explicationibus et doctrinis subtilibus circumsaepiebant, quo facilius cultum atque humanitatem Graecorum eo tempore Palaestinam invadentem arcerent. Ex illis litterarum studiis, quae iusto pluris aestimabantur, atque illâ vitâ nimis durâ cum iis arte coniunctâ non solum secta Pharisaeorum, sed etiam secta contraria profecta est eaque eodem tempore. Nam cum multi Judaei ex commercio cum aliis gentibus, quae scientiâ, mercaturâ, variis artibus excellebant, ingenium et mores earum imitarentur, Pharisaei hanc inclinationem voluntatum legibus severis frangere studebant. His alii, libertatis et Graecorum humanitatis amantes ac nimiae eorum orthodoxiae pertaesi, se opposuerunt, Sadducaei et Esseni, quorum priores licentiae voluptatum sensibus perceptarum, posteriores libertati animi ac vitae in contemplatione positae operam dabant.

Vetustissimam de iis sectis mentionem apud Josephum invenimus, qui AJ 13, 5. 9 diserte dicit regnante Jonathan principe (161—143 a. Ch.) tres illas sectas fuisse (κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν) et ib. 18, 1. 2 eas diu (ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου) cognitas fuisse contendit. In duobus canonicis libris Maccabaeorum non memorantur; sed ex locis allatis apparet eas illa aetate certe fuisse. Ceterum vix errabimus, si iudicabimus Chasidaeos (Ἀσιδαίους = חסידים i. e. *pios* cultores dei), quorum I Mcc 2, 42; 7, 13. II Mcc 14, 6 mentio fit, eosdem fuisse, quibus postea nomen Pharisaeorum inditum est. Nam Chasidaei ii appellabantur, qui aetate Maccabaeorum contra cultum atque humanitatem Graecorum obnisi diligentem legis Mosaicae observationem

tuebantur et propagabant; I Mcc 2, 42 Ἀσιδαῖοι vocantur ἑκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ i. e. qui prompti ac parati sunt, se ipsi offerunt, ut legem tueantur, ut pro lege pugnent et patiantur. Atque cum Maccabaei mores patrios et cultum unius veri dei contra Antiochum IV Epiphanem defenderent, etiam Chasidaei se cum iis coniunxerunt (I Mcc 2, 42., ubi συναγωγὴ Ἀσιδαίων, non συναγωγὴ Ἰουδαίων legendum est), sed tantum tam diu cum Maccabaeis fecerunt, dum ii re vera pro fide ipsa et integritate legis Mosaicae pugnabant. Postea vero, cum Maccabaei imprimis eo consilio bellum gererent, ut gens Judaica suae potestatis fieret, eos reliquerunt (I Mcc 7, 13). Quare de iis iam nihil cognoscimus usque ad aetatem principis Joannis Hyrcani (135—104 a. Ch.), qua Pharisaei appellati iterum exsistunt, sed ita, ut non a Maccabaeis stent, sed eos impugnent.

Nonnulli sectas Pharisaeorum et Sadducaeorum non ad religionem, sed ad rempublicam pertinuisse censent, ut Sadducaei optimates, Pharisaei populares fuerint. Neque profecto Pharisaei non talis secta existimari possunt, quae se capitibus doctrinae sacrae vulgo probatis opponat; neque enim Pharisaei quidquam aliud egerunt, nisi ut veram religionem et fide et vita diligentissime observarent. Josephus autem, si certas quasdam de fide sententias commemorat, quae a Pharisaeis teneantur, eos ita a Sadducaeis distinguere vult, qui sententias a ceterorum religione alienas sequebantur, ut re vera secta, quae ad religionem pertineat, existimandi sint. Josephus tres Judaeorum sectas modo αἱρέσεις (A J 13, 5. 9. Vit. § 2. cf. Act 15, 5; 26, 5), modo φιλοσοφίας (A J 18, 1, 2) appellat. Judaei eas כִּתּוֹת *coetus* sive *collegia* vocant.

Cum tantum Pharisaei et Sadducaei in sacris litteris commemorentur, Esseni non commemorentur, ad hunc librum nihil amplius pertinet nisi ut de iis agamus. At Samaritani quoque breviter memorandi sunt.

Caput primum

De Pharisaeis

I. Notissima et potentissima sectarum Judaicarum erat secta Pharisaeorum (פְּרוּשִׁים = *separati*, Aram. פְּרִישִׁין, stat. emph. פְּרִישָׁא, unde Graec. Φαρισαῖοι), qui id nomen acceperunt, quia a communi populo duriore vitae instituto ac singulari sanctitatis studio, vestitu quoque et habitu distincti erant (cf. Epiphan. Haer. 16, 1. M S G 41, 429. Suid. Lex II, 2, 1419). Pharisaei igitur ii sunt, qui in lege Mosaica inter-

pretanda et observanda imprimis diligenter fuerint neque vel laboribus vel impensis pepercerint, ut legem diligentissime sequerentur (Jos. AJ 17, 2. 4. BJ 1, 5. 2; 2, 8. 14. Vit. § 38. cf. Act 22, 3; 26, 5. Phil 3. 5). Quia plebs atque imprimis feminae nobiles iis adhaerebant (AJ 13, 10. 5; 13, 15. 5; 13, 16. 1; 17, 2. 4; 18, 1. 3. BJ 1, 5. 2), potentissimi indeque audaces, ad tumultus propensi et ipsis regibus summisque sacerdotibus terrori erant (AJ 13, 10. 6; 13, 16. 2; 17, 2. 4). In tribunalibus quoque et synedrio magno plurimum valebant (cf. Act 5, 34; 23, 6. BJ 2, 17. 3). Amicitiam atque familiaritatem vel maxime inter se colebant; nam cum ex vetere testamento appareat unumquemque Hebraeum חָבֵר *socium* alterius esse, Pharisaei eum solum socium agnoscebant, qui legem diligenter observaret. Quaestio igitur: Τίς ἐστί μου πλησίον; (Lc 10, 29) prorsus seria fuit; nam vere quaestio magni momenti erat, quis חבר agnoscendus esset. Neque dissensiones, quae etiam inter Pharisaeos non deerant, ut scholae Schammai et Hillel, mutuam concordiam turbabant. Ceterum Judaei septem Pharisaeorum genera valde dissimilia numerant. Aetate Herodis Magni numerus eorum sex milia superabat (AJ 17, 2. 4).

II. Pharisaei praeter sacros libros legem non scriptam sive traditiones veterum admittebant easque partim a Mose partim a sententiis antiquorum ducebant. Josephus quidem AJ 13, 10. 6 diserte tradit Pharisaeos multitudini ἐκ πατέρων διαδοχῆς multas leges iniunxisse, quae non ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις scriptae sint. Joannes Hyrcanus, cum animum a Pharisaeis avertisset, praecepta quoque abolevit, quae hi κατὰ τὴν πατρῴαν παράδοσιν instituerant, Alexandra autem, cum Pharisaeis faveret, ea restituit (AJ 13, 16. 2). Etiam in novo testamento testimoniis confirmatur Pharisaeos παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων magni aestimasse (Mt 15, 2. Mc 7, 3). Atque eam neglegere vel poenâ dignius esse affirmaverunt quam legem scriptam violare (M. Sanhedrin 11, 3), quod ad illius ipsius normam, cum vera interpretatio legis esset, actiones dirigendae essent.

Praecipuae doctrinae, quas Pharisaei a Sadducaeis dissentientes fovebant, in novo testamento et a Josepho hae praedicantur:

1) Docebant, cum quidquid fieret, providentiâ divinâ fieret, deum in hominum quoque actionibus et bonis et malis interesse existimandum esse, ita ut providentia divina unâ cum iis operaretur eaeque nequaquam arbitrio hominis penitus permissae essent (BJ 2, 8. 14. AJ 13, 5. 9; 8. 1. 3). Pharisaei igitur, ut hominum quoque actiones et bonas et malas a deo effici cogitabant, ita iidem hominibus rationem

actionum reddendam esse contendebant: homines ipsos et culpam et poenam contrahere, si male egerint, meritum et mercedem assequi, si bene egerint.

2) Docebant animos hominum esse immortales atque in receptaculo quodam subterraneo (שְׁאוֹל) asservari; animos improborum poenis aeternis excruciari, proborum praemiis frui (BJ 2, 8. 14; 3, 8. 5. AJ 18, 1. 3). Resurrectionem corporum etsi Josephus non memorat, tamen a Pharisaeis creditam esse ex novo testamento apparet (Mt 22, 23. Mc 12, 18. Lc 20, 27. Act 23, 8).

Josephum iis verbis μεταβαίνειν (ψυχήν) εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην Pharisaeis doctrinam illam animos ab aliis post mortem ad alios transire non adscribere ex loco AJ 18, 1. 3 apparet.

3) Docebant esse angelos sive spiritus eminentiores eosque bonos et malos (cf. Act 23, 8), qui potestatem haud parvam in homines habeant.

4) Docebant deum in Judaeos, imprimis in se ipsos, benigne beneficia conferre eosque omnes in regnum messianum recipere, iustificare et in aeternum beatos reddere debere neque quemquam damnare posse; rationes autem iustificationis ex meritis patriarchae Abraham, ex cognitione dei, ex circumcisione, ex sacrificiis oblatis repetebant (AJ 17, 2. 4. M. Pirke aboth, passim).

III. Initio Pharisaei morum probitati studebant, brevi tamen, ardore animi veraque virtute evanescentibus (cf. Rom 10, 2), in rebus externis haerebant idque ostentationis causâ, ut famam pietatis sanctitatisque acquirerent (Mt 23, 5). Atque singulis hebdomadibus bis ieiunabant (Lc 18, 12. cf. 5, 33. Mt 9, 14); preces in conspectu omnium persolvebant (Mt 6, 5. Lc 18, 11); stipem in publico spargebant (Mt 6, 2); fimbrias superindumenti magnas faciebant et phylacteria dilatabant (ib. 23, 5); omnium fructuum, etiam minimarum herbarum hortensium, quae in lege Mosis non memorantur, decumam dabant (ib. v. 23. Lc 11, 42; 18, 12); sepulcra prophetarum ornare solebant (Mt 23, 29); de munditia plerique adeo anxii erant, ut non solum apud gentiles, sed etiam apud eos Judaeos, qui negotium invisum tractabant (velut apud telonarios), accubare recusarent et more philosophorum omnes, qui Pharisaei non erant, spernerent et inter peccatores numerarent, quorum aditum sermonemque fugiebant, ne contaminarentur (cf. Mt 9, 11. Lc 7, 39). At veram iustitiam et virtutes animi sequi penitus neglegebant, velut iram et cupiditates libidinosas parvi faciebant (Mt 5, 21 s. 27 s. coll. v. 20); felicitatem huius vitae et divitias maximi aestimantes opes per fas et

nefas corradebant (ib. 23, 14); proselytos facere studebant, parum curantes, ut eorum mores emendarent (ib. v. 15); nonnullas leges Mosaicas ad litteram premebant atque ad suam philosophiam contorquebant, velut legem amoris proximi de solo amore amici interpretabantur et odium inimici licitum esse docebant (ib. v. 43); iureiurando, quo nomen dei non exprimeretur, quemquam teneri negabant aut parvi pendebant (ib. 23, 16—22. cf. 5, 33—36); complura, quae a Mose tantummodo maioris mali evitandi causâ permissa erant, fas esse iudicabant, ut repudium uxoris (ib. 19, 7. cf. Dt 24, 1); leges naturae, quas Moses nullâ poenâ sanxerat, inter praecepta minoris momenti numerabant, alia, quae nequaquam praescripta erant, commendabant; quare merito a Christo appellabantur hypocritae, inanis gloriae cupidi, sepulcra dealbata, extrinsecus quidem iusti apparentes, sed re vera iniquitatis pleni, serpentes et genimina viperarum, duces caeci (Mt 23, 13—15. 23—29. 33. Mc 12, 38 s. Lc 11, 43).

Pharisaei igitur corruptum genus hominum erant. At id non de omnibus ad unum dici debet; nam haud paucos inter eos invenimus, qui animi sinceritate et virtutis studio excellebant, ut Nicodemus (Jo 3, 1 ss.), Gamaliel (Act 5, 34 ss.), multi alii, quorum nomina memoriae prodita non sunt (ib. 15, 5).

Adnotatio. — In historia evangelica Pharisaeis plerumque scribae (סוֹפְרִים proprie *homines litterati*, γραμματεῖς, apud Josephum ἱερογραμματεῖς BJ 6, 5. 3. σοφισταί ib. 1, 33. 2; 2, 17. 8 s. πατρίων ἐξηγηταὶ νόμων AJ 17, 6. 2) adiungi solent (Mt 5, 20; 12, 38; 15, 1; 23, 2. Mc 2, 16. Lc 5, 30), qui maximam partem doctrinis Pharisaeorum addicti ac potius eorum duces in studium legis eorumque, quae a patribus tradita erant, incumbebant. Ex quibus alii in scholis, Hierosolymis etiam in templo, de lege Mosaica verba faciebant (cf. Mt 21, 23; 26, 55. Mc 14, 49. Lc 2, 46; 20, 1; 21, 37. Jo 18, 20), alii in iudiciis, praecipue in synedrio magno variis causis diiudicandis quaestionibusque solvendis operam dabant (cf. Mt 2, 4; 16, 21; 20, 18; 21, 15; 27, 41. Mc 8, 31; 11, 18. 27; 14, 1. 43; 15, 1. Lc 9, 22; 20, 1; 22, 66. Act 4, 5; 6, 12. al.). Illi νομοδιδάσκαλοι, *doctores legis* (Lc 5, 17. Act 5, 34), hi νομικοί, *legis periti* (Mt 22, 35. Lc 7, 30; 10, 25; 11, 45 s. 52; 14, 3) appellabantur. Ceterum complures utroque munere fungebantur; velut Gamaliel et doctor legis et assessor synedrii erat (Act 5, 34; 22, 3). Quidquid „scribae" agebant, sive docebant sive iudicabant, gratuitum esse oportebat, ut iis victus manibus quaeritandus esset. Constat etiam Paulum apostolum in sordida arte versatum esse (Act 18, 3; 20, 34. I Cor 4, 12; 9, 18. I Thess 2, 9. II Thess 3, 8). Multi quoque ex rabbinis quaestum aliquem exercebant, ne aliis graves essent.

Quanta auctoritate „scribae", apud multitudinem floruerint, ex titulis, quibus ornabantur, cognoscitur. Atque plerumque רַבִּי, Graece ῥαββί, compellabantur (Mt 23, 7. al.). Ex ea appellatione honorifica paulatim titulus

„Rabbi“ (cf. Monsieur) exstitit, ut Rabbi Josua, Rabbi Elieser, Rabbi Akiba. Ante Christi aetatem is titulus non erat in usu; Hillel et Schammai numquam eo titulo honorabantur; in novo quoque testamento ῥαββί tantum appellandi causâ usurpatur. Nonnulli „scribae“ egregii in Mischna titulo רַבָּן (= Aram. רִבּוֹן) significantur: Rabban Gamaliel I, Rabban Jochanan ben Sakkai, Rabban Gamaliel II, Rabban Simon ben Gamaliel II, Rabban Gamaliel III, filius Rabbi Juda ha-Nasi. In novo testamento ῥαββουνί sive ῥαββονί (= רִבּוֹן sive רִבּוֹן c. suff.) usurpatur, ut Christus verecunde appelletur (Mc 10, 51. Jo 20, 16). Praeterea „scribae“ titulis quoque πατήρ (= Aram. אַבָּא) et καθηγητής (= מוֹרֶה, *doctor*) ornabantur (Mt 23, 9 s.).

Clarorum legum doctorum usque ad interitum civitatis Judaicae quinque paria commemorantur: 1) *Jose ben Joeser* et *Jose ben Jochanan*, qui aetate bellorum Syrorum fuerunt; 2) *Josua ben Perachja* et *Nittai ex Arbela*, qui ad extrema tempora Joannis Hyrcani pertinent; 3) *Simon ben Schetach* et *Juda ben Tabbai*, qui regina Alexandra eiusque filiis regnantibus docuerunt; 4) *Schemaja* et *Abtaljon* (Samaias et Pollion), qui filii vel posteri proselytorum sub Hyrcano II et Antipatre auctoritate floruerunt; 5) *Hillel* et *Schammai*, qui aetate Herodis Magni illustribus scholis praefuerunt et non solum de singulis capitibus legis, velut de causis divortii, sed etiam de tota lege interpretanda inter se ita dissenserunt, ut Hillel lenius, Schammai severius postularet, ut legi pareatur. Ex schola Hillel cum alii tum Gamaliel eius nepos gloriam assecuti sunt, cuius scholam Saulus Pharisaeus, qui postea Paulus apostolus factus est, frequentavit (Act 22, 3).

Usque ad annum p. Ch. n. septuagesimum „scribae“, quamquam imprimis in Judaea (Hierosolymis) munere suo fungebantur (cf. Mt 15, 1. Mc 3, 22; 7, 1), tamen et in Galilaea (Lc 5, 17) et extra Palaestinam inveniuntur. Velut in inscriptionibus sepulcralibus Judaeorum, quae inter secundum et quartum p. Ch. n. saeculum Romae ortae sunt, crebro commemorantur et „scribae“ Babylonii quinti et sexti saeculi Talmud conscripserunt.

Cf. V. Ryssel, Die Anfänge der jüdischen Schriftgelehrsamkeit (St Kr 1887, 149—182); M. Stark, Die Schriftgelehrten. Prag 1892; E. Schürer, GJV II⁴, 372—389. 414—447; A. Marmorstein, Die Schriftgelehrten (Religionsgeschichtliche Studien II) Skotschau 1912.

Caput secundum

De Sadducaeis

I. Pharisaeis opposita erat secta Sadducaeorum (צְדוּקִים, Σαδδουκαῖοι). Pauci erant numero, sed omnes fere opulentiores ac tales, in quibus summa auctoritas esset atque amplitudo (Jos. AJ 13, 10. 6; 18, 1. 4). Plerique igitur sacerdotes erant; nam sacerdotes ex initio aetatis Graecae atque iam ex initio aetatis Persicae civitatem Judaicam gubernabant et nobiles populi Judaici erant. Etiam novum testamentum

et Josephus clare testantur familias summorum sacerdotum sectae Sadducaeorum fuisse (Act 5, 17; 23, 6. AJ 20, 9. 1). Neque vero inde colligendum est aut Pharisaeos sacerdotibus ipsis aut omnes sacerdotes Pharisaeis adversantes fuisse; sed adversarii Pharisaeorum nobiles sacerdotes soli erant, qui iidem divitiis ac magistratibus etiam in civitate magna auctoritate florebant. Apud multitudinem Sadducaei ob ingenium ferox et asperum (BJ 2, 8. 14) nullâ erant gratiâ (AJ 13, 10. 6); sed apud principes gentis multum valebant, quorum favore adiuti ad varios dignitatis gradus adscendebant atque etiam ad synedrium et dignitatem pontificalem admissi sunt (Act 4, 1. 6; 5, 17; 23. 6. AJ 20, 9. 1). Cum Pharisaeis persaepe in Christum conspirarunt, quem subdolis interrogationibus temptarunt (Mt 16, 1. 6. 11 s; 22, 23. 34).

Pro explorato haberi potest nomen צדוקים, Σαδδουκαῖοι non ab adiectivo צדיק, sed a nomine proprio צָדוֹק ducendum esse; nam si id nomen ab adiectivo צדיק ducitur, mutatio sonus *i* in sonum *u* explicari non potest, sed de nomine proprio צדוק pronuntiatio Sadduk (Σαδδούκ, צדוק) testimoniis versionis Graecae Alexandrinae (quae quinquaginta tribus locis formam Σαδδούκ habet), Josephi (Σάδδουκος AJ 18, 1. 1), codicis cuiusdam Mischnae, ubi vocales scriptae sunt (cod. de Rossi 138), confirmatur. Neque vero constat, a quo Sadok Sadducaei nomen acceperint. Atque falso quidem dicitur nomen Sadducaeorum a discipulo quodam Antigoni Sochaei, nomine Sadok, derivandum esse (Aboth de-Rabbi Nathan c. 5); sed verisimillima est opinio eorum, qui id nomen ad familiam sacerdotalem צדוק, quae ex temporibus regis Salomo pontificatum obtinebat (I Rg 2, 35), revocandum esse censent. Nam quae secta nobiles sacerdotes Hierosolymitanos, בְּנֵי־צָדוֹק *filios Sadok* (Ez 40, 46; 43, 19; 44, 15; 48, 11), sequebatur, ea haud immerito nomine צדוקים se appellare poterat.

G. Hölscher (op. cit.) de Sadducaeis novam sententiam defendit. Sadducaeos non prius exstitisse quam Romani in Palaestina dominari coeperint; quo nomine eos Judaeos nobiles, qui Romanis favebant, appellatos esse; id cum ex aliis rebus tum inde apparere, quod Sadducaei, quotienscumque cum Pharisaeis litigaverint, ius Romanum defenderint et quod postremi summi sacerdotes, qui Sadducaei erant, se Romanis deditos praebuerint; Sadducaeos aetate Hasmonaeorum fuisse opinionem vanam esse.

II. Doctrinae Sadducaeorum ex epicureismo, materialismo, deismo sumptae sunt. Praecipuae eorum sententiae erant hae:

1) Reiciebant παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων sive „legem ore traditam nec fidem habebant nisi ei, quod in lege scriptum erat“ (Elias Levita, Lex. s. v. צדוק). Quod autem nonnulli (velut Tertullianus, Lib. de praescript. adv. haer. 45. MSL 2, 61. Origenes, C. Cels. 1, 49. MSG 11, 754. Hieronymus, Comm. in Mt 12, 31. MSL 26, 165) existimant Sadducaeos praeter Pentateuchum nullum alium librum canonicum rece-

pisse, id falsum est, nisi quod Sadducaei libros Mosis normam et regulam fidei et morum completam et perfectam esse iudicabant.

Ex iis, quae Josephus AJ 13, 10. 6 memoriae prodit: Νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ'ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν, id unum constat, quae Pharisaei tradebant et explicabant, ea Sadducaeos reiecisse. Quapropter in Talmud ex aliis quoque sacrarum litterarum libris non solum oppugnantur, sed etiam ipsi pro suis sententiis argumenta depromunt. Nec vero quod Mt 22, 31 s. Christus ex libris Mosis tantum adversus eos disputabat, idcirco Sadducaei ex libris divinis solum Pentateuchum receperunt, quippe cum Christus eos dumtaxat ex iisdem libris refutare vellet, ex quibus ipsi argumenta petierant. Illud quoque respiciendum est Josephum CAp 1, 8 diserte dicere viginti duos libros veteris testamenti ab omnibus Judaeis pro divinis haberi. Ceterum Pharisaei numquam passi essent Sadducaeos assessores synedrii esse atque summo sacerdotio fungi, si praeter Pentateuchum nullum alium librum divinum agnovissent.

2) Docebant homines de actionibus suis suae voluntati soli parere neque deum ullo modo ad eas pertinere; homines ipsos actionum et bonarum et malarum esse auctores (Jos. BJ 2, 8. AJ 13, 5. 9). Quare etiam in delictis puniendis Pharisaeis severiores erant (AJ 13, 10. 6; 20, 9. 1). Nam cum Sadducaei ipsa verba legis diligentissime sequerentur, Pharisaei nitebantur, ut interpretando acerbitatibus legis mederentur.

3) Docebant praeter deum nullos esse spiritus a corpore seiunctos, ne angelos quidem (Act 23, 8).

Hoc loco quae traduntur, etsi aliis testimoniis confirmari non possunt, tamen prorsus credibilia sunt; nam plane congruunt cum iis, quae alibi de Sadducaeis accepimus.

4) Docebant animos hominum unâ cum corporibus interire (AJ 18, 1. 4) neque exspectandam esse futuram hominum resurrectionem (μὴ εἶναι ἀνάστασιν Mt 22, 23. Mc 12, 18. Lc 20, 27. Act 23, 8. cf. 4, 1 s.) ideoque in altera vita nec praemia dari nec supplicia irrogari (BJ 2, 8. 14).

Ceterum Sadducaei alias quoque opiniones minus rectas fovebant, sed non tam vehementer propugnabant. Quare inter Sadducaeos et Pharisaeos perpetua erant discidia (cf. Act 23, 7 s.).

III. Quibus doctrinis etiam mores respondebant. Vitâ futurâ negatâ Sadducaei ut Epicurei omnem felicitatem in hac vita quaerebant,

divitias et vitae commoda magni ducebant; promissum autem messiam cum ceteris Judaeis sperabant et vehementer desiderabant tamquam virum fortissimum et regem, qui excusso alienae dicionis iugo omnes gentes in Judaeorum potestatem redacturus et gentem Judaicam potentissimam et felicissimam in orbe terrarum redditurus esset.

Adnotatio. — Nonnulli viri docti existimant Karaeos (Karaitas), sectam Judaeorum saeculo septimo vel octavo ortam, pro propagine Sadducaeorum habendos esse. Quod a vero prorsus abhorrere iudicandum est, cum illi a praecipuis Sadducaeorum erroribus liberi essent. Reiciebant quidem, aeque ac Sadducaei, quae maiores tradiderant et soli sensui literali librorum divinorum inhaerebant (quare etiam nomen קְרָאִין *scripturarii* acceperunt), ceteris autem in rebus opiniones multitudinis sequebantur. Nulla eorum apud antiquos Judaeorum scriptores fit mentio.

Boethosaei (בּוֵיתוֹסִים), quorum etiam in Mischna semel mentio fit (Menachoth 10, 3), nomen a Boethos, una ex iis familiis, unde extremis temporibus civitatis Judaicae summi sacerdotes sumebantur, traxerunt. Procul dubio pro peculiari quadam sectae Sadducaeorum parte habendi sunt.

Caput tertium

De Samaritanis

Samaritani e libris sacris unum Pentateuchum agnoscebant [1]. Habebant etiam librum Josua, qui tamen solo fere titulo cum libro canonico eius nominis convenit neque quidquam aliud est nisi chronicum quoddam, identidem auctum, quod res gestas a morte Mosis usque ad tempora imperatoris Hadriani complectitur. Credebant esse angelos bonos et malos, deum omnes iudicaturum, corpora resurrectura, respuebant autem quae Judaei a maioribus voce accepisse affirmabant. Praeterea credebant messiam (תּתהב, חשׁהב = *conversor*), qui tamen Mose non esset superior, sex milibus annis post orbem terrae conditum venturum, qui omnes gentes ad veram fidem perduceret (cf. Jo 4, 25). Asseverabant denique locum adorationis non templum Hierosolymitanum, sed montem Garizim esse (ib. v. 20. Jos. AJ 13, 3. 4), ubi septem festa biblica agebant et sacra paschalia faciebant [2]. Odium inter Samaritanos et Judaeos notum est [3].

[1] „Pentateuchus Samaritanus" in charta pergamena litteris Samaritanis sive antiquis Hebraicis scriptus, in synagoga Samaritanorum (Kenîset es-Sâmire) in urbe Nâbulus asservatur. Samaritani tradunt eum a nepote vel pronepote summi sacerdotis Aaron, postquam Hebraei in terram Canaan immigraverunt, conscriptum esse. Quod ab omnibus viris doctis repudiatur. Quorum alii eum inter ea Pentateuchi exemplaria numerandum esse pu-

tant, quae post scissionem regnorum Juda et Israel incolae regni decem tribuum secum retinuerint; alii eum ab eo sacerdote Israelitico ad Samaritanos allatum esse, qui a rege Assyriorum missus eos doceret, quo modo Jahven colerent (II Rg 17, 26—28); alii Samaritanos eum aetate Nehemiae a Manasse accepisse, qui sacerdos Hierosolymitanus ob legem violatam a suis electus ad Samaritanos transiit eorumque templum in monte Garizim exstruxit; alii denique eum temporibus post Christum natum conscriptum esse. — E Pentateucho Samaritano versio confecta est eaque non solum litteris Samaritanis, sed etiam lingua Samaritana. Quam versionem *Nathanael* sacerdos circa vicesimum a. Ch. n. annum confecisse dicitur. Quod a vero abhorrere non videtur.

[2] Hodie quoque Samaritani in monte Garizim festum paschatis agere solent. Ab antiquis enim temporibus ad Dt 27, 4 provocant, quo loco in Pentateucho Samaritano Garizim pro Ebal legitur. Plerique autem critici existimant Samaritanos textum eo consilio mutasse, ut auctoritatem sui templi contra Judaeos defenderent. Perperam quoque Samaritani montem Moria, ubi Abraham filium Isaac holocaustum oblaturus erat, Garizim esse affirmarunt.

[3] Conferas Lc 9, 52 s. Jo 4, 9; 8, 48. Atque Josephus saepius narrat, quam varie Samaritani odium in Judaeos ostenderint: velut eos festo paschatis noctu ossa humana per porticus templi disiecisse et ea contaminatione festum turbasse (AJ 18, 2. 2); Galilaeos, cum diebus festis Hierosolyma euntes per Samariam iter facerent, ab iis occisos esse (ib. 20, 6. 1).

Adnotatio. — Quidam viri docti recentioris aetatis (velut *J. A. Montgomery, G. Hölscher*) existimant „civitatem Samaritanam" non ex colonis ab Assyriorum regibus in Samariam deductis profectam esse, sed sectam esse, quae post exsilium inter Judaeos exstiterit et postea ab iis alienata sit. Contra eos autem, qui Neh 13, 28 ss. de Samaritanis prorsus a Judaeis separatis agi putant, dicunt Josephum AJ 11, 7. 2; 11, 8. 2. expulsionem Manasse sacerdotis, quae re vera circa annum 330 fuit, falso cum Neh 13, 28 ss. coniunxisse.

Immerito Galilaei quoque in Samaritanis numerati sunt. Neque enim quod II Rg 15, 29 (cf. I Chr 5, 26) Tiglat-Pileser III (*Tukulti-apil-ešarra*, idem qui *Pûl* sive *Pûlu*, 745—728 rex Assyriae et 729—728 etiam rex Babyloniae) incolas Galilaeae abduxisse dicitur, idcirco postea coloni Babylonii eo venerunt; nam in vetere testamento solas urbes Samariae a colonis Babyloniis occupatas esse narratur (II Rg 17, 24. 26. Esr 4, 10). Ceterum Galilaei templum Hierosolymitanum caput cultus considerare numquam desierunt.

Cf. E. Kautzsch, Samaritaner (RE[3] XVII, 428—445 et *G. Hölscher* XXIV, 449 s.); J. A. Montgomery, The Samaritans, the earliest jewish sect. Philadelphia 1907; S. J. Rubinstein, Zur Geschichte der Entstehung der samaritanischen Gemeinde. Bern 1906; J. W. Rothstein, Juden und Samaritaner. Die grundlegende Scheidung von Judentum und

Heidentum. Eine kritische Studie zum Buche Haggai und zur jüdischen Geschichte im ersten nachexilischen Jahrhundert. Leipzig 1908; A. Merx, Der Messias oder Ta'eb der Samaritaner (XVII. Beiheft zur ZAW). Gießen 1909 (cf. *H. J. Elhorst* in TthT VIII, 1910, 533—545).

*

Breviter Herodiani (Ἡρῳδιανοί) memorandi sunt, de quibus Mt 22, 16. Mc 3, 6; 12, 13 mentio fit. Eorum origo valde obscura est, quamquam satis constat eos recentioris aetatis esse neque ante Herodem Magnum fuisse. Complures viri docti existimant eos ideo Herodianos appellatos esse, quod in Herode (Antipa) messiam a prophetis praenuntiatum agnoscerent. Alii putant eos rebus Romanorum favisse. Rursus alii censent eos minime a Romanis stetisse, sed id appetivisse, ut tota regio Palaestinensis et gens Judaica sub imperium potestatemque Herodis subiungeretur. Id unum certum est eos fautores familiae Herodis fuisse, qui familiam illam alienigenam et moribus gentilium imbutam in populo Judaico dominari volebant, ut hostes Romanorum dici possint, quamquam ex altera parte, cum penes Romanos esset, utrum Herodes Antipas regnum Herodis Magni acciperet necne. certe etiam parati erant Romanos adulari, si adulatione et simulata subiectione ad id, quod desiderabant, pervenire possent.

Pars secunda

De antiquitatibus privatis

In describendis antiquitatibus privatis agendum est primum de iis rebus, quae ad vitam necessariae sunt: de domiciliis, de vestimentis, de alimentis; deinde de iis, quibus Hebraei ea, quae ad vitam necessaria sunt, sibi comparabant: de agricultura, de pecuaria (venatione, piscatu), de mercatura, de opificiis; denique de vita familiari et sociali: de societate domestica, de urbanitate, de litteris et studiis altioribus, de artibus liberalibus, de mensuris, ponderibus, nummis, de temporum computandorum ratione, de morbis et morte, de sepultura et luctu.

Praesidia doctrinae. — W. Nowack, Die sozialen Probleme in Israel und deren Bedeutung für die religiöse Entwicklung dieses Volkes. Straßburg 1892; F. Buhl, Die sozialen Verhältnisse der Israeliten. Berlin 1899; G. M. Mackie, Bible manners and customs[2]. London 1903; G. R. Lees, Village life in Palestine. A description of the religion, home life, manners, customs, characteristics and superstitions of the peasants of the holy land, with reference tho the Bible. New edition. London 1905; M. B. Schwalm, La vie privée du peuple juif a l'époque de Jésus-Christ. Paris 1910. — Praeterea F. Walter, Die Propheten in ihrem sozialen Beruf. Berlin 1900; P. Kleinert, Die Propheten Israels in sozialer Beziehung. Leipzig 1905; J. Herrmann, Die soziale Predigt der Propheten (BZSF IV, 12) Berlin-Lichterfelde 1911. — Denique opera, quae de *iure Mosaico* agunt.

Alia opera suis locis allata sunt.

I

De iis rebus, quae ad vitam necessariae sunt

In describendis iis rebus, quae ad vitam necessariae sunt, primum de *domiciliis* agendum est; deinde de *vestimentis, ornamentis, corporis cultu*; denique de *alimentis*.

Sectio prima

De domiciliis

Primi homines, omnium artium ignari, sub divo commorabantur; contra aëris iniurias autem sub arboribus frondosis vel in specubus (חֹרִים, מְעָרוֹת) latibula quaerebant (*Hôrîm,* Vulg. *Choritae* = troglodytae i. e. absconditi in cavernis). Cum vero non ubique locorum specus reperirentur neque raro difficillimum esset eos excavare, homines suis manibus domicilia construere coeperunt, primo tabernacula (סֻכּוֹת), postea tentoria (אֹהָלִים), denique domos (בָּתִּים). Ex complurium tabernaculorum vel domuum plus minusve inter se distantium coniunctione vici (חַצֵרוֹת) et urbes (עָרִים) ortae sunt.

Caput primum

De specubus, tabernaculis, tentoriis

I. Specus, in oriente frequentes, sicci et multi etiam tam spatiosi, ut non solum familiae minores (Gn 19, 30), sed centum vel mille homines ibi habitare possint (cf. Jdc 20, 47. Jos. BJ 1, 16. 4), habitationes praestabant commodas, quippe cum hieme calidi, aestate frigidi sint. Quam ob rem etiam, postquam meliora domicilia inventa sunt, multi eos retinuerunt atque novos quoque excavaverunt[1]. Quare posteriore quoque aetate non pauci troglodytae erant, qui plerumque praedones evaserunt. In bellis aliisque periculis profugis tutum praebebant asylum (Gn 19, 30. Jos 10, 16 ss. Jdc 6, 2; 15, 8 ss; 20, 47. I Sm 13, 6; 14, 11; 22, 1; 24, 1. I Rg 18, 4; 19, 9. Ez 33, 27. I Mcc 1, 56; 2, 31. II Mcc 6, 11; 10, 6. cf. Mt 24, 16. Mc 13, 14. Lc 21, 21). Ipse deus saepius in vetere testamento nomine rupis significatur, quod cultoribus praesidium et auxilium praestat, quem ad modum unusquisque in rupe alta et inaccessa tutus ab hostium impetu morari potest (Dt 32, 37. Jes 26, 4; 30, 29. Ps 18, 3. 32. 47; 19, 15; 28, 1). Nonnulli specus progrediente tempore incolis destituti in domicilia mortuorum sive sepulcra (Gn 23, 9. 19; 25, 9; 49, 29; 50, 13. Jes 22, 16)[2] et in latibula praedonum (Jer 7, 11. Mt 21, 13. Jos. BJ 1, 16. 4) conversi sunt. Necromantibus quoque aptum praestabant locum (I Sm c. 28). Denique ferae latebras in illis quaerebant (Nah 2, 12. Ps 10, 9. al.).

[1] Montes calcarii Palaestinae speluncis abundant. Hôrîm specus in montanis Seʿîr sitos incolebant (Gn 14, 6. Dt 2, 12. 22). Memoratu

dignissimae sunt speluncae apud vicum Bêt Dschibrîn sitae. Constant ex cellis rotundis, diametri 6 usque ad 15, etiam 30 m, altitudinis 9 usque ad 12 m, quae ut campanula concameratae sunt et ex parte pilis ex saxo vivo fulciuntur. Lux foraminibus superne admittitur. Multae inter se cohaerent. Neque dubium est, quin iam antiquissimis temporibus loco domiciliorum fuerint. Etiam in Dêr el-Butûm, qui locus a Tell eṣ-Ṣâfije ad meridiem et orientem spectat, in Dêr ed-Dibbân, in Chirbet Dakar, multis aliis locis speluncae exstant, nonnullae maxime notandae. Item effossionibus in Dschezer factis confirmatum est antiquissimis temporibus (iam triginta saeculis a. Ch. n.) speluncas habitatas esse. Notae sunt amplae speluncae habitabiles, quae urbem Petra circumdant. Imprimis multae speluncae in terra Ḥaurân (velut in antiqua urbe Edreʿi, quae hodie Edreʿât, brevius Derʿât vel Derʿâ nominatur) incolebantur. Hebraei autem ipsi numquam speluncas incolebant.

[2] Iam temporibus omnem rerum gestarum memoriam antecedentibus orientalium moris fuisse cavernis ad sepelienda corpora mortuorum uti ex speluncis sepulcralibus, quae aetate recentiore effossae sunt, constat.

II. Ad tabernacula construenda crassiores arborum stipites in terram infixi sunt et omnia intervalla praeter aditum primo frondibus, postea pellibus obtecta sunt. Haec *mapalia* (prout a Romanis, qui id nomen ab Afris mutuati erant, appellabantur, Sall. Jug. 18, 8. Liv. Hist. 29, 31. Tacit. Hist. 4, 50. Vergil. Georg. 3, 340) initio parva et humilia fuerunt, sed paulatim altius assurexerunt. Etiam melioribus domiciliis inventis non statim obsoleverunt, sed etiam tum ad usus peculiares (modo ex necessitate, modo ex commoditate, modo ex voluptate) erigi solebant (Jes 1, 8. Jon 4, 5. Mt 17, 4). Plura tabernacula coniuncta vocabantur טִירָה = Arab. *duwâr,* Syr. *ṭajârâ* (Gn 25, 16. Nm 31, 10. Ez 25, 4. I Chr 6, 39) et חַוָּה cf. Arab. *ḥiwâ'un* (Nm 32, 41. Dt 3, 14. Jos 13, 30. Jdc 10, 4. I Rg 4, 13, I Chr 2, 23), e quibus postea oppida exstiterunt.

III. Cum tabernacula non facile de loco in locum transferri neque omnibus locis deficiente materia construi possent, nomades domicilia mobilia sive tentoria facere coeperunt (Gn 13, 3; 18, 1; 26, 25; 33, 19), plerumque ex nigris pellibus caprarum [1], nonnumquam etiam ex pannis e lana linove confectis (יְרִיעוֹת Jes 54, 2. Jer 4, 20; 10, 20; 49, 29. Hab 3, 7), quae circa perticam extendebantur. Quorum inventor Jabal fuisse dicitur (Gn 4, 20. Jos. A J 1, 2. 2). Prima tentoria procul dubio rotunda et parva fuerunt, postea maiora et oblonga facta sunt. Plerumque velis in tres partes dividebantur. Servis et famulis pars ad introitum sita destinata erat ibique noctu etiam nonnulla animalia recipiebantur; in parte media viri commorabantur, in postrema (חֶדֶר, Arab.

el-kubbatu) feminae. Quo modo etiam nunc tentoria Arabum nomadum distincta sunt. Potentiores autem separata habebant tentoria cum feminarum (Gn 24, 67; 31, 33) tum famulorum. Supellex haud magna nec splendida erat; constabat imprimis ex iis rebus, quae ad vitam victumque omnino necessariae erant. Spatium circulo tentoriorum comprehensum vocabatur חָצֵר (Gn 25, 16. Jes 42, 11), in quo noctu greges collecti a canibus et pastoribus custodiebantur (cf. Jes 56, 9—11. Job 30, 1. Lc 2, 8).

Non solum patriarchae Hebraeorum (Gn 13, 3. 12; 18, 1; 24, 67; 26, 25; 31, 33; 33, 19), sed etiam multae gentes orientis antiquitus in tentoriis degebant (ut gentes Arabiae Jdc 6, 5. Jes 13, 20. Hab 3, 7. Plin. Hist. nat. 6, 32), quem morem Rechabitae constanter retinuerunt (Jer 35, 7. 10). Kenitae quoque diutissime in tentoriis vixerunt (Jdc 4, 17).

In Hebraeorum lingua haud paucas locutiones invenimus, quae inde repetitae sunt, quod aliquantum temporis sub tentoriis vixerant, velut נָסַע *profectus est, discessit*, proprie = evellit tentorii paxillos ad castra movenda; הָלַךְ לְאָהֳלֹ *abiit in tentorium* = domum iit, etiamsi iam de tentoriis ipsis cogitari non potest (Jos 22, 4. 7. Jdc 7, 8; 19, 9. I Rg 12, 16); locutionem illam, quae proverbii locum obtinet: לְאָהָלֶיךָ יִשְׂרָאֵל *In tentoria tua, Israel!* (II Sm 20, 1. I Rg 12, 16). Nec minus crebro vocabulum אֹהֶל translate usurpatur (Jes 22, 23; 33, 20; 38, 12. Jer 10, 20. Esr 9, 8. al.).

[1] Hinc explicanda sunt verba Ct 1, 5., ubi de nigris Kedarenorum tentoriis sermo est.

Caput secundum

De domibus

Conferas E. Hora, Die hebräische Bauweise im alten Testament. Eine biblisch-archäologische Studie. (Gymnasial-Progr.) Karlsbad 1902—04; K. Jäger, Das Bauernhaus in Palästina. Mit Rücksicht auf das biblische Wohnhaus untersucht und dargestellt. Göttingen 1912.

1. Primae domus *e terra umefacta* vel *luto* et *ligno* conficiebantur. Quare facile perfodiebantur (Ez 12, 5. 7. Mt 6, 19) et, cum fundamento solido impositae non essent, impetum graviorum tempestatum minime sustinebant (Ez 13, 11 s. Mt 7, 26 s.). Iam brevi post diluvium homines aedificia construebant *ex lateribus* (לְבֵנִים) igni coctis (Gn 11, 3) [1] aut aestu solis obduratis [2], postea etiam *ex lapidibus* (Lv

14, 40—45). Atque effossionibus recentibus ostenditur antiquissimis temporibus sicut in aliis regionibus ita etiam in Canaan aedificia ex terra contusa et silicibus collectis, deinde ex lateribus confecta esse; haud raro inferiores ordines aedificiorum imprimis maiorum ex lapidibus rudibus factos in iisque lateres coctiles structos esse ex effossionibus in Tell el-Mutesellim factis apparet. Sola aedificia publica ex caesis lapidibus exstructa esse videntur. Atque quamquam plerumque lapides minus duri *(nâri)* ad aedificia construenda adhibebantur, tamen constructionibus cyclopicis fere in Tell Ta'annek effossis probatur iam sexto decimo et quinto decimo a. Ch. n. saeculo duriores quoque lapides calcarios *(mizzi)* usurpatos esse. Domus opulentiorum Hebraeorum *e saxis quadris* (אַבְנֵי גָזִית et simpliciter גָּזִית) aedificabantur (I Rg 7, 9—12. Jes 9, 9. Am 5, 11. Jos. AJ 8, 5. 2). David ad templum aedificandum cum alia multa tum *marmora* (אַבְנֵי שַׁיִשׁ) abundantissime providisse dicitur (I Chr 29, 2) [3]. Atque teste Josepho AJ 8, 3. 2 Salomo e saxo candido (ἐκ λευκοῦ λίθου) et lapidibus dolatis (ἐκ λίθων ἀκροτόμων) templum exstruxit et in porticibus columnas e vivo saxo (ἐκ λίθου αὐτοφυοῦς ib. 8, 3. 9) posuit. Mensura magnorum lapidum in regia Salomonis aedificanda indicatur decem vel octo cubitorum in longitudinem (I Rg 7, 10). Quod reliquiis aedificiorum aetatis Salomonis in Palaestina (velut in Tell el-Ḥasî, Tell el-Mutesellim) effossis comprobatur. Ex temporibus posterioribus, quibus Graeci et Romani in cultu humanitateque Palaestinensi multum valebant, atque etiam e tempore Byzantino reliquiae operum marmoreorum, columnarum, statuarum per totam terram dispersae inveniuntur. Josephus AJ 15, 11. 3 memoriae prodit templum Herodis e lapidibus candidis viginti quinque cubita longis, octo altis, duodecim latis, alio autem loco (BJ 5, 4. 4) id e secto marmore candido, saxis viginti cubita longis, decem latis, quinque altis constructum esse; ac nonnullos lapides quadraginta quinque cubitorum in longitudinem fuisse affirmat (ib. 5, 5. 6). At ex mea opinione iis numeris Josephi fides habenda non est [4].

Ad lateres coagmentandos primo procul dubio tantummodo *luto* (חֹמֶר Gn 11, 3), in aedificiis solidioribus etiam *bitumine* (חֵמָר, Assyr. *amaru,* Gn 11, 3) [5] utebantur; aetate posteriore *calx* (שִׁיד, Arab. *šîdun,* Dt 27, 2. 4. Jes 33, 12. גִּר, Arab. *ǵairun,* Jes 27, 9) cum arena mixta vel *arenatum* (מֶלֶט Jer 43, 9. cf. Copt. *melôt,* Graec. μάλθη, Lat. *maltha,* Ital. *malta*) [6] usurpabantur. Lapides quadri praeterea *uncis ferreis* coniungebantur (Jos. AJ 15, 11. 3). Muri intus, nonnumquam etiam extra, *tectorio* (תָּפַל) e calce parato obducebantur (Ez 13, 10—15; 22, 28), quod et ad soliditatem et ad ornamentum aedium pertinebat. Aedes *sinopide* (שָׁשַׁר LXX μίλτος) coloratae Jer 22, 14 commemorantur.

Ligna ad domos aedificandas non adhibebantur, nisi ad eas partes, ad quas lateres et lapides minus idonei habebantur, velut ad ianuas et fores, ad cancellos fenestrarum, ad tabulationes. quibus parietes ornabantur. Atque ligna imprimis usitata erant ligna *sycomori* (שִׁקְמָה I Rg 10, 27. Jes 9, 9) et *cupressi* (בְּרוֹשׁ, Assyr. *burâšu*, Vulg. falso *abies*), cuius lignum potissimum in templis, palatiis, navibus exornandis usurpabatur (I Rg 5, 22. 24; 6, 15. 34. II Chr 2, 7; 3, 5. Ez 27, 5); pretiosiora habebantur *ligna cedrina* (עֲצֵי אַרְזִים I Rg 6, 9. 18; 7, 2 s. Jes 9, 9. Jer 22, 14. Ct 1, 17. II Chr 2, 7); pretiosissimum autem lignum aetate Salomonis erat *sandalinum* (אַלְגּוּמִּים I Rg 10, 11 s. אַלְמֻגִּים II Chr 2, 7; 9, 10 s. Arab. *ṣandal 'ahmar*), quod ex Ophir mari advehebatur, secundum II Chr 2, 7 autem in Libano quoque crescebat; id praecipue ad ornamenta templi et regiae adhibebatur.

[1] Vocabulum מַלְבֵּן Nah 3, 14 *officinam laterariam* vel *fornacem laterariam* significare ex Jer 43, 9 apparet, ubi propheta magnos lapides in מלבן abdere iubetur. Cf. etiam II Sm 12, 31 Q^e^rê.

[2] Muri ex talibus lateribus constructi tamquam ex lapidibus albis aedificati videntur. Eodem modo etiam nunc pleraque aedificia in Aegypto, Palaestina, Persia exstruuntur.

[3] Quo loco LXX et Vulgata legunt λίθον Πάριον, *marmor Parium*, quibus verbis marmor quoddam candidum et pretiosum significari videtur, cum de marmore ex insula Paros allato cogitandum vix sit.

[4] Insignis in marmore luxus praecipue apud Persas invaluit, ut ex Esth 1, 6 apparet, ubi tres marmoris species commemorantur: בַּהַט LXX et Vulg. σμαραγδίτης = *marmor laconicum*, coloris viridis, ex quo pavimenta fiebant; דַּר (cf. Aeth. *dar*) proprie *margarita*, fortasse species marmoris, quae margaritarum similis est, LXX πίννινος λίθος = Perlenstein; סֹחֶרֶת (cf. Assyr. *siḫru* et Aeg. *sḥre*), marmor maculis rotundis insignitum vel species marmoris nigri. Sed dubium est, nominane allata re vera varias species marmoris significent.

[5] Bitumen ad lapides aedificiorum coniungendos adhibitum in monumentis antiquis saepe commemoratur. Eius usum imprimis in Babylonia viguisse ex inscriptionibus cuneatis (*Nabopolassar* de templo Marduk col. 2, 11 s. de canali Sippar col. 2, 10 s. *Nabuchodonosor* II. Inscr. East-India-Off. col. 4, 11 s. 23. 33. 42. col. 5, 2 s. 29. col. 6, 2. 31. 60. col. 7, 63. col. 8, 50. 56. al.), ex scriptoribus antiquis (Herod. Hist. 1, 179. Plin. Hist. nat. 35, 51), ex ruinis, quae supersunt, omnino constat.

[6] Sine iusta ratione nonnulli מלט non calcem vel arenatum, sed lapides calcarios in calcem urendos (marmor rude) intellegunt.

II. Initio domus privatae erant parvae et perquam simplices, aetate posteriore magis amplae et ornatae, nonnumquam plurium con-

tignationum (I Rg 7, 2—4. Act 20, 9)[1] atque in tetragonum exstructae cum amplo impluvio medio. Qualia aedificia nomine Persico *bâru* בִּירָה, βάρις (cf. Assyr. *birtu* a radice *barû*) significabantur. Domos insigni architectura et eleganti symmetria constructas Jeremia 22, 14 memorat easque בָּתֵּי מִדּוֹת *domos mensurarum* vocat. Inde ab aetate Hasmonaeorum domus nobiliorum plerumque ad regulam architecturae Graecae aedificabantur (cf. Jos. AJ 15, 8. 1; 15, 9. 4. 6; 15, 10. 3. BJ 1, 21. 1; 7, 8. 3).

Aditus domûs ex platea *ianuâ* (פֶּתַח vel דֶּלֶת Assyr. *daltu,* cstr. *dalat,* pl. *dalâti*) patebat, quae in media fronte aedificii sita et haud raro inscriptione quadam ex libro legis deprompta ornata erat[2]. Valvae ianuae intus pessulo vel vecte ligneo (בְּרִיחַ, מַנְעוּל, מַנְעָל) claudebantur; qui intrabat, uncino sive clave (מַפְתֵּחַ) per foramen immissa pessulum ex rastro sublevabat (cf. Jdc 3, 25. Jes 22, 22). De forma clavium in sacris litteris nihil traditur. Nonnumquam proprii famuli (vel etiam famulae) ad ianuam aperiendam destinati erant (ὁ et ἡ θυρωρός LXX II Sm 4, 6. II Rg 7, 11. Jo 18, 16. Jos. AJ 17, 5. 2). Qui intrare cupiebat, fores pulsare solebat (Jdc 19, 22. Lc 12, 36; 13, 25. Act 12, 13. cf. II Rg 5, 9). Per ianuam in *vestibulum* (חָצֵר, προαύλιον, πρόθυρον, πυλών, αὐλή Jer 32, 2. Mc 14, 68. Lc 16, 20. Jo 18, 16. Act 10, 17) veniebat sive spatium quadratum, quod *impluvium* (חָצֵר II Sm 17, 18. Neh 8, 16. cf. Esth 1, 5; 5, 1. αὐλή Mt 26, 69) sive area quattuor parietibus aedificii cincta, plerumque vario marmore strata, aqua saliente (II Sm 17, 18) balneisque (ib. 11, 2) instructa excipiebat, ubi hospites salutabantur et sollemnia celebrabantur (Esth 1, 5 s; 5, 1; 6, 4). Ex vestibulo autem *scalis* (מְסִלּוֹת II Chr 9, 11. לוּלִים = scalae cochleatae, LXX ἑλικτὴ ἀνάβασις I Rg 6, 8) in superiores contignationes usque ad tectum adscendebatur. Secundum quattuor aedificii parietes aut saltem secundum unum erat *porticus* et in altera contignatione *ambitus*, qui columnis (ex marmore Ct 5, 15) affabre factis sustentabatur[3] et, ne quid decideret, cancellis munitus erat. In posteriore parte aedificii, fronti opposita, feminae habitabant, quarum domicilium nisi marito nemini patebat, cui non ab eo aditus datus erat[4]. Potentiores autem pro feminis singularia aedificia (בֵּית הַנָּשִׁים Esth 2, 3. 9. cf. I Rg 7, 8. II Chr 8, 11) habebant, quae ab eunuchis custodiebantur (II Rg 24, 15. Jer 29, 2. Esth 2, 3. 14 s; 4, 4 s. Jos. AJ 15, 7. 4). Inde ab aetate regum in domibus maioribus et splendidioribus praecipua conclavia condecorabantur tabulationibus et laquearibus eleganter fabricatis (hinc memorantur domus סְפוּנִים *contabulatae* Hagg 1, 4. cf. I Rg 7, 3. 7. Jer 22, 14), nonnumquam etiam auro, argento, gemmis, ebore ornatis (בָּתֵּי הַשֵּׁן *domus dentis* i. e. elephanti Am 3, 15,

qualem Ahab rex aedificavit I Rg 22, 39). Nobiliores haud raro habebant alia cubicula (et integra quoque palatia) aestiva (בֵּית הַקַּיִץ *domus aestatis* Am 3, 15. עֲלִיַּת הַמְּקֵרָה *cenaculum refrigerii* i. e. aestivum Jdc 3, 20), ad septentriones versus sita, alia hiemalia (בֵּית הַחֹרֶף *domus hiemis* Jer 36, 22. Am 3, 15), soli meridiano exposita, quae carbonibus candentibus calefiebant (Jer 36, 22 s.). In plerisque aedibus locus quidam ad cibos parandos destinatus erat; Ez 46, 23 diserte memorantur מְבֻשָּׁלוֹת *culinae*, e quibus fumus per quaedam foramina maiora (quale Hos 13, 3 אֲרֻבָּה vocatur) emittebatur. *Fenestrae* (חַלּוֹנִים et חַלּוֹנוֹת, Aram. כְּוִין Dn 6, 11), quae in aream interiorem sive impluvium, ex gynaeceo in hortum (interdum tamen in plateas cf. Jdc 5, 28. II Sm 6, 16. II Rg 9, 30) spectabant, clathris vel cancellis (חֲרַכִּים Ct 2, 9. אַשְׁנָב Jdc 5, 28. Prov 7, 6. אֲרֻבּוֹת Koh 12, 3) et hieme velis pellucidis vel valvis, quibus foramen ad lumen et aërem immittendum incisum erat, claudebantur. *Vitrum* (זְכוֹכִית), etsi iam antiquissimis temporibus cognitum, tamen ob raritatem numquam ad fenestras adhibebatur [5]. *Tectum* (גַּג Jos 2, 6. 8. I Sm 9, 25. Prov 21, 9. στέγη Mt 8, 8. δῶμα Act 10, 9) planum erat et modo terrâ aggestâ et compactâ, modo duriore pavimento constratum, in quo crescens herba brevi arescebat (II Rg 19, 26. Jes 37, 27. Ps 129, 6). Ubi Hebraei persaepe versabantur, vel ut aërem puriorem captarent (II Sm 11, 2), vel ut colloquerentur, praecipue de rebus gravioribus (Jos 2, 6. 8—14. I Sm 9, 25), vel ut aliquid inde pronuntiarent (Mt 10, 27. Lc 12, 3. Jos. BJ 2, 21. 5), vel ut liberius dolerent (Jes 15, 3. Jer 48, 38), vel ut dormirent (I Sm 9, 25), vel ut res ad agriculturam pertinentes curarent (Jos 2, 6. Jos. AJ 5, 1. 2), vel ut cultui privato vacarent (Jdth 8, 5; 9, 1 ss. Act 10, 9. — cultui deorum II Rg 23, 12. Jer 19, 13; 32, 29. Zeph 1, 5) [6], vel ut diebus festi tabernaculorum sub tuguriis morarentur (Neh 8, 16). Sed continenter in tecto versari, caeli iniuriis, vento, imbribus, aestui vel frigori expositus, est imago vitae infelicis (cf. Prov 21, 9; 25, 24). Moris quoque fuisse orientalium, quotiens hostes irrumpebant, tecta conscendere, partim ut inde exercitum hostium eiusque motus spectarent, partim ut securitati et incolumitati suae consulerent, partim ut se ex iis contra oppugnantes defenderent, ex Jdc 9, 51. Jes 22, 1. II Mcc 5, 12. Jos. AJ 14, 15. 12. BJ 4, 1. 4 apparet. Ne quis imprudenter e tecto decideret, loricâ (מַעֲקֶה LXX στεφάνη) cingi solebat, quam consuetudinem Moses in legem vertit (Dt 22, 8). Ad aquam pluvialem traducendam canales serviebant, ad quos Prov 19, 13; 27, 15 respicitur. In superiore aedium parte (in tecto) erat singulare *conclave* (עֲלִיָּה LXX ὑπερῷον Jdc 3, 23. 25. I Rg 17, 19. 23. II Rg 4, 10. in novo testamento ὑπερῷον Act 1, 13; 9, 37. 39; 20, 8.

ἀνάγαιον Mc 14, 15. Lc 22, 12), quo varie utebantur; ibi enim hospites excipiebant, precibus vacabant, somnum meridianum capiebant, nonnumquam mortuum usque ad sepulturam deponebant (Jdc 3, 20—25. I Rg 17, 19. 23. II Rg 1, 2; 4, 10. Act 1, 13; 9, 37. 39; 20, 8). De *sellis familiaricis* in sacris litteris nihil reperimus; eae extra domum fuisse videntur (cf. Dt 23, 13 s.). *Foricae* (מִחֲרָאוֹת) II Rg 10, 27 memorantur; Masorethae מוֹצָאוֹת (Q^{e}rê) legendum esse censent.

[1] Ars plures contignationes exstruendi antiquissima est (Gn 11, 4) atque iam ante diluvium interdum tres contignationes exstructas esse ex Gn 6, 16 colligi potest.

[2] Unde orta est מְזוּזָה Judaeorum posteriorum sive illa membrana, quae locos Dt 6, 4—9; 11, 13—21 inscriptos exhibet et fistulae ligneae inserta posti ianuae affigitur. Quae fistula ab iis, qui vel introeunt vel exeunt, tangitur, id quod non solum viri, sed etiam mulieres et liberi facere debent (M. Berachoth 3, 3). Praecepta rabbinica de Mesusa videas in tractatu *Mesusa* (ed. R. Kirchheim, Septem libri talmudici parvi Hierosolymitani. Francofurti a. M. 1851).

Ceterum mos postes inscriptionibus ornandi quin vetus sit, dubium non est. Quem iam apud Aegyptios antiquos invenimus. Etiam hodie in toto oriente pervulgatus est.

[3] Quare saepissime in sacris litteris ad columnas respicitur, velut Ps 75, 4. Prov 9, 1. Gal 2, 9. I Tim 3, 15.

[4] Ct 3, 4 legimus virginem sponsum in matris domum introducere voluisse. Quod a veterum Hebraeorum et orientalium nostrae aetatis moribus omnino abhorret. Unde satis apparet id allegorice intellegendum esse.

[5] Phoenices artem vitri conficiendi invenisse dicuntur. Quod utut est, id constat iam antiquissimis temporibus Phoenices, Aegyptios, Assyrios vitrum novisse et vasa vitrea habuisse. Velut in monumentis Aegyptiis (Thebis) vitrarii, qui spiritu vitrum in species plurimas formant, cernuntur. Quare omnino verisimile esse videtur Hebraeis quoque vitrum notum fuisse atque Job 28, 17 Hebraicum זכוכית vocabulo ὕαλος (LXX), *vitrum* (Vulg.) vertendum esse, quod apud gentes antiquas inter res ad luxum et cultum delicatiorem pertinentes numerabatur. Prov 23, 31 Vulgata quidem vertit: „Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit *in vitro* color eius“; sed in textu Hebraico legitur בַּכּוֹס *in calice*.

[6] Fortasse locus quoque Jes 65, 3 eodem pertinet, ubi nonnulli vocabulo לִבְנִים tecta lateribus tegulisve strata significari existimant et in tectis super tegulis eos sacra facere consuesse dicunt, qui magicis artibus studerent, imprimis mulieres, quae ob eam causam *tegulariae* vocatae sint.

Adnotatio. — Antiquorum Aegyptiorum aedium usibus vitae privatae vel publicae destinatarum nihil remansit. Inventus quidem est sarcophagus Pharaonis Menkaurê (quartae domus regiae), in quo figuram domus descriptam conspicimus, cuius haud absimiles sunt formae domorum Aegyp-

tiarum minus antiquarum. Neque Babyloniorum et Assyriorum aedificia, quae exstant, ad antiquissima tempora pertingunt. Desunt imagines quoque antiquissimarum apud Babylonios domorum, ut contentionem facere non possimus.

Consuetudinem illam apud Cananaeos aliasque gentes antiquas haud raram homines fundamentis aedificii alicuius inserendi etiam Hebraeos observasse recentibus effossionibus comprobatum est. Nam in Tell el-Mutesellim, Tell el-Dschezer, Tell Ta'annek saepissime sub domibus et portis urbis corpus infantis in magno vase fictili inclusum, quod idem lampades et patellas continet, inventum est. Qua re eam interpretationem loci I Rg 16, 34., quae eius modi victimam ponit, recte se habere demonstratum est (cf. N. Peters, Hiels Opfer seiner Söhne beim Wiederaufbau Jerichos. Theologie und Glaube I, 1909, 21—32). Neque dubium est, quin complura genera eius modi sacrificiorum infantium usitata fuerint. Atque dicunt infantes initio vivos fundamentis domorum insertos esse; deinde infantes, postquam interfecti sint, vasi (quod vel in angulis vel sub postibus ponebatur) inclusos et iuxta aliud vas cum cibis collocatum esse; postremo cum homines immolari destitissent. pro vase cum infante interfecto urnam, in qua vel sanguis vel pro sanguine uvae sucus fuerit, et iuxta lucernam positas esse; sanguine sacrificium, lucernâ ignem sacrificalem significari. Sunt tamen qui opinionem in iis urnis ossa infantium immolatorum agnoscenda esse improbent, velut W. H. Wood, Jar-burial customs and the question of infant sacrifice in Palestine (BW XXXVI, 166—175. 227—234).

III. Supellex domestica antiquis temporibus valde exigua fuisse videtur eaque tantum complectebatur, quae ad usum cottidianum necessaria erant. Quod ex II Rg 4, 10 apparet, ubi *mensa, sella, lectus, lucerna* commemorantur. *Mola manuaria* et simplex *furnus* certe deese non poterant (cf. Lv 26, 26. Dt 24, 6). Postea, imprimis crescentibus gentis opibus, maior opulentia maiorque luxus invaluit.

Mensas (שֻׁלְחָנוֹת) non nostris similes, sed humiliores atque haud magni ambitus fuisse ex more orientis certe conicimus. Antiquissimis autem temporibus non alius mos Hebraeorum fuisse videtur nisi qui hodie apud Arabes reperitur, qui saepe cibos corio vel storeae e foliis palmae contextae vel linteo terrae superstrato imponunt ex eoque more loquendi formula עָרַךְ הַשֻּׁלְחָן *stravit* vel *exstruxit mensam* (Jes 21, 5. Ps 23, 5; 78, 19. Prov 9, 2) bene intellegitur.

Ex descriptione mensae sacrae in tabernaculo foederis positae (Ex 25, 23) et ex eius imagine in arcu Titi conspicua fortasse colligi potest mensam formam quadratam habere solitam esse. Quod Adonibezek, rex urbis Canaanaeae Bezek, captus: „Septuaginta reges — inquit — amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias“ (Jdc 1, 7), iis verbis mensa altis neque coniunctis pedibus ponitur. Talem ostendit prostypon (Basrelief) quoddam Assyrium. Mensas et alia instrumenta domus ex auro vel argento confecta in aulis principum

invenimus. In Salomonis aula omnis apparatus ac supellex ex auro erant; argentum pro nihilo putabatur (I Rg 10, 21).

Loco *sedilium* plerumque serviebant culcitae in pavimento ad parietem stratae (Ez 13, 18. 20), in quibus pro more orientis pedibus sub corpore inter se iunctis sedebant. Crescente luxu divites et nobiles etiam distincta sedilia usurpabant, interdum auro, argento, ebore insignita (cf. I Rg 10, 18. Esth 1, 6) et stragulis purpureis instrata (Ct 3, 10). De forma sellarum ab Hebraeis usitatarum nihil accepimus. Verisimile autem est eas sellis Aegyptiorum similes fuisse.

In monumentis Aegyptiis et Assyriis cum aliae tum sellae duarum sedium vel marito maritaeque vel duobus viris destinatae conspiciuntur. Cf. P. E. Botta et E. N. Flandin, Monuments de Ninive pl. 64: duo viri in una sella sedentes, magnifico ornatu, pateras manibus tenentes, inter eos mensa; sellae tam altae sunt, ut pedes sedentium solum non tangant (cf. pl. 65). Humilia quoque scabella conspicua sunt, quae tamen non servis destinata sunt, quia flos loti, quem sedentes in manibus habent, semper liberi viri et liberae feminae est.

Lecti variis nominibus significantur: מִטָּה est lectus dormientium et aegrotantium Gn 47, 31; 48, 2; 49, 33. Ex 7, 28. lecticula lucubratoria Am 3, 12; 6, 4. — עֶרֶשׂ est lectus (proprie velo pensili coopertus cf. Ct 1, 16) sive dormitorius Prov 7, 16. sive aegroti Ps 6, 7; 41, 4. Job 7, 13. sive otiosi Am 3, 12; 6, 4. Hebraei num iam antiquis temporibus conopium (κωνωπεῖον Jdth 10, 21; 16, 19), hodie in Aegypto usitatissimum, usurpaverint, incertum est. Id enim locis I Sm 19, 13 et II Rg 8, 15 parum confirmatur. — מִשְׁכָּב est lectus, in quo quis se quieti dabat II Sm 11, 2. dormientis Ex 7, 28. Lv 15, 4—6. II Sm 17, 28. Job 33, 15. Prov 22, 27. Ct 3, 1. et aegrotantis I Rg 1, 47. Job 33, 19. — מָלוּגָה est lectus pensilis, ex altis arboribus suspensus, quem sibi in oriente non solum custodes hortorum et camporum, sed etiam iter facientes metu bestiarum rapacium parare solent (Jes 1, 8; 24, 20). — Κλίνη Mt 9, 2. 6. Lc 5, 18. Act 5, 15. κλινίδιον Lc 5, 19. 24 est lectulus apud orientales etiam nunc ad portandum usitatus, ex duobus stragulis constans, quorum uno dormiens tegitur, alterum ei substernitur. — Κράβαττος sive κραββάτος est lectus quidam vilior, qui facile portari potest, ex sponda simplici constans, super quam stragulum expandebatur (Mc 2, 4—12; 6, 55. Jo 5, 8—12. Act 5, 15; 9, 33). Vulgata autem Am 3, 12 id vocabulum ad lectum maiore luxu instructum significandum adhibet.

Lecti plerumque e culcitis et stragulis, haud raro magni pretii, constabant (Ez 13, 18. 20. Am 3, 12. Prov 7, 16), quas luxuriosae mulieres suavissimis odoribus imbuebant (Prov 7, 17). Etiam fulcra lectorum,

nonnumquam ebore ornata (Am 6, 4), Hebraeis nota erant. Pauperes vero (et olim, cum simplicior vitae ratio vigebat, etiam divites iter facientes) pallio induti et lapide capiti supposito humi dormiebant (Gn 28, 11. Ex 22, 26. Dt 24, 13).

Etiam in monumentis Assyriis et Aegyptiis ebur inter res pretiosissimas numeratur et variae res ex ebore factae vel ebore ornatae commemorantur (solium, lectus, varia supellex).

Lucernarum (מְנוֹרָה II Rg 4, 10. נֵר Zeph 1, 12), quae apud divites pretiosae esse solebant, permagnus erat usus. Earum lumen oleo alebatur. Tropice a scriptoribus veteris testamenti lucerna saepe ut symbolum laetitiae et felicitatis usurpatur (Job 18, 5 s; 21, 17. Prov 13, 9; 20, 20; 24, 20; 31, 18).

A lucernis diversae erant *faces* (לַפִּידִים Jdc 7, 16), maiore humine ardentes, quibus interdum noctu extra aedes utebantur.

Magnus numerus lucernarum bene servatarum nostra aetate in Palaestina effossus est. Omnes sunt eadem forma: vasa fictilia, patentia et plana, quae linamenti causâ rostro ornata sunt. Spectantium animos imprimis attrahunt lucernae septem rostrorum in Tell Taʿannek, Tell el-Mutesellim atque in Palaestina ad meridiem vergente inventae, quae ad Israelitarum aetatem pertinent. Posterioribus temporibus Graecorum auctoritate effectum est, ut lucerna maximam partem clausa usu reciperetur, ipsa quoque fictilis et plerumque ornamentis distincta.

Quattuor rebus supellectilis, quas modo commemoravimus, *olla* quoque *carbonum* (אַח, Aeg. *ʿaḥ*) addenda est, qua cubicula hieme calefiebant, saltem apud nobiles posterioris temporis (Jer 36, 22 s.). Num in cubiculis *tapeta* strata fuerint, non constat, quia indicia desunt, sed vix est dubium, quia pavimentum non ex ligno, sed ex lapide vel terra bene occulcata constabat, id quod hieme frigidum et insalubre est. Ex textu Graeco Jdth 12, 15 in tentorio Holofernis serva, quae Judith comitabatur, κώδια i. e. pelles ovillas humi stravit, ubi sederet et cibos sibi paratos sumeret.

Caput tertium

De urbibus

I. Iam antiquissimis temporibus urbes fuisse ex Gn 4, 17 constat, ubi memoriae proditur Kain urbem (i. e. fixum quoddam domicilium, ex rudibus aedificiis constans et fossa vallove cinctum) nomine filii sui Henoch condidisse. Fuerunt qui existimarent, cum loco allato

vocabulo עִיר non urbs, sed spelunca significaretur, Kain troglodytam fuisse; quod vel inde parum verisimile est, quod scriptor verbo בָּנָה utitur. Praeterea ex v. 3 apparet Kain iam agriculturae studuisse et ex v. 20—22 complures ex eius familia artes invenisse. Historia autem omnium temporum docet homines, qui ad eum culturae gradum adscenderunt, ut terram colerent et varias artes exercitarent, non in speluncis commorari, sed in societatem coalescere et plura domicilia in uno loco figere. Babyloniorum quoque carmine epico de procreatione mundi aedificatio urbium a primordiis rerum repetitur. Atque apud gentes ethnicas orientis antiqui fama obtinuit deum Ea (-Oannes) homines artem urbium aedificandarum docuisse.

Aetate patriarcharum in terra Canaan iam multae erant urbes, quarum singulae totidem civitates constituebant (cf. Gn 14, 2), numerosiores aetate Josua, haud paucae magno ambitu et multitudine incolarum insignes (cf. Jos 8, 16 s; 10, 2). Complures urbes validissimis munitionibus cinctas fuisse sacrae litterae diserte testantur (Nm 13, 29. Dt 1, 28; 9, 1).

Index urbium Syrorum a Pharaone Thutmosis III (1501—1447) captarum, qui in templo Hammonis in Karnak sito conspicitur, 118 nomina comprehendit. Papyrus Anastasi I (descriptio itineris ab Aegyptio quodam nobili aetate Pharaonis Ramses II 1292—1225 confecta) 56 urbes munitas enumerat, ex quibus 18 a Tyro ad septentriones sitae sunt. Etiam indices Pharaonum Seti I et Ramses II multa locorum nomina continent. In tabulis fictilibus, quae in Tell el-ʿAmârna effossae sunt, memorantur Ajalûna vel Jalûna (Ajalon), Akka (Akko), Aškalûna (Askalon), Gimti vel Ginti (Gath), Giti-rimuni (Gath Rimmon), Urusalim (Hierosolyma), Lakiša (Lachis), Magidda vel Makida (Megiddo), Šakmi (Sichem), Ṣidûnu (Sidon), aliae urbes. In indice Pharaonis Šošenk I (945—924) circiter 200 nomina urbium Palaestinensium reperiuntur.

Plurimas urbes, quas Hebraei in Palaestina incolebant, a Cananaeis receperunt. Neque vero dubium est, quin et ipsi nonnullas urbes condiderunt; saepe autem ubi de urbibus aedificandis sermo est (Jos 19, 50. Jdc 18, 28. I Rg 12, 25; 15, 17. 21 s. al.), tantum de iis amplificandis aut muniendis agitur. Posteriore aetate crebrius urbes conditae sunt (ut Anthedon, Apollonia, Gadara), imprimis a principibus domus Herodis (velut Phasaëlis, Alexandreion, Hyrkania, Tiberias).

Ad nomen urbis haud raro eius situs pertinebat. Velut commemorantur urbes prope fontem (*ʿÊn Gedî*, hodie ruinae *ʿAin Dschidî*, Jos 15, 62. I Sm 24, 1 s. Ez 47, 10. Ct 1, 14. II Chr 20, 2. — *ʿÊn Gannîm* in planitie Juda, hodie ruinae *Umm Dschîna*, Jos 15, 34. et in tribu Issachar, hodie *Dschenîn*, Jos 19, 21; 21, 29. — *ʿÉn ʿEglaim* prope litus maris mortui Ez 47, 10. — cf. *Ḥini-anabi* = *ʿÊn ʿAnâb* Ep.ʿAmârna 237, 26),

apud puteum (*Beêr Šebaʿ*, hodie *Biʾr-es-sabaʿ*, Gn 21, 31 ss; 22, 19; 26, 23. al.), in colle (*Miṣpâ* in Gilead Gn 31, 49. Jdc 10, 17; 11, 11. 34. Hos 5, 1. et in tribu Beniamin Jdc 20, 1. 3; 21, 1. — *Gebaʿ*, hodie *Dschebaʿ*, Jos 18, 24. Jdc 20, 33. I Sm 13, 16; 14, 5. Jes 10, 29. — *Gibʿaʿ* in tribu Beniamin, hodie *Tulêl-el-Fûl*, Jos 18, 28. Jdc 19, 12—16. — *Har Ḥeres* in tribu Dan Jdc 1, 35. — *Har Jeʿarîm* in tribu Juda Jos 15, 10), in valle (*ʿEmek Kaṣîṣ* in tribu Beniamin Jos 18, 21), prope silvas (*Kirjat Jeʿarîm* hodie *Karjat el-ʿinab*, Jer 26, 20. Esr 2, 25) vel vineas (*Bêt Hakkerem* in tribu Juda Jer 6, 1 Neh 3, 14. — *Âbêl Keramîm*, vicus Ammonitarum, Jdc 11, 33. — *Âbêl Meḥôlâ* in tribu Issachar, hodie *Ḥammâm el-Mâliḥ*, Jdc 7, 22. I Rg 4, 12; 19, 16). Aliis nominibus significatur urbem ex complurium tabernaculorum coniunctione ortam esse (*Maḥanaim* in tribu Gad, hodie *Maḥnâ?*, Jos 13, 26. 30; 21, 38. al. cf. Gn 32, 3. — *Maḥanê Dân* prope *Kir'jat Jeʿarîm* Jdc 13, 25; 18, 12), vel ex vico, qui ex tabernaculis constabat (*Ḥaṣar Addâr* in tribu Juda Nm 34, 4. — *Ḥaṣar Susâ* in tribu Simeon, hodie ruinae *Sûsîje*, Jos 19, 5. — *Ḥaṣar Gaddâ* in tribu Juda Jos 15, 27) vel ex turribus arcibusque (*Migdal Êl* in tribu Naphtali Jos 19, 38. — *Migdal Gâd* in tribu Juda, hodie *el-Mêgdel?*, Jos 15, 37. — *Migdal ʿÊder* Gn 35, 21). Alia loca nomina ab arboribus, quae prope crescebant, acceperunt (*Bêt Leḥem* in tribu Juda, hodie *Bêt laḥm*, Mich 5, 1. al. et in tribu Sebulon Jos 19, 15. *Bêt Tappûaḥ* in tribu Juda, hodie *Teffûḥ*, Jos 15, 53. — *ʿÊn Rimmôn* in tribu Simeon, hodie *Umm-er-rammâmîn*, Jos 19, 7. I Chr 4, 32. — *ʿAnâb* in tribu Juda Jos 11, 21; 15, 30. — *Abel Haššiṭṭîm* in terra Moabitarum Nm 33, 49). Alia loca nominibus veteres sedes cultus alicuius dei designantur (ea locorum nomina, quae cum nomine *Baʿal* composita sunt; *Bêt Dagôn* in tribu Juda Jos 15, 41. et in tribu Ascher Jos 19, 29.; *ʿAštârôt* in Basan Dt 1, 4. Jos 9, 10. I Chr 6, 56. al.). Nonnulla urbium nomina ex incolis primo ibi habitantibus explicantur (velut *Šômerôn* a Semer I Rg 16, 24. *Ḥebrôn* a Ḥeber I Chr 8, 17). Si complures urbes idem nomen habebant, crebro nomen eius tribus additum est, in cuius finibus urbs sita erat, ut *Bêt Leḥem Jehûdâ*. Saepius loco duo nomina erant, quorum unum Canaanaeum, alter Hebraicum erat (*Lajiš* = Dan, *Kirjat Arbaʿ* = Ḥebrôn, *Kirjat Sepher* = Debîr, *Ḥaṣâṣôn Tâmâr* = ʿÊn Gedî). Posteriore tempore nomina locorum creberrime mutata sunt (*Bêt Šeân* = Scythopolis, *Rabbat ʿAmmôn* = Philadelphia, *Lydda* = Diospolis, *Hierosolyma* = Aelia Capitolina al.).

Conferas S. Krauss, Städtenamen u. Bauwesen (ZAW XXVIII, 1909, 241—270).

II. Ad *portas* (שְׁעָרִים) urbium, plerumque intra muros, nonnumquam extra (Job 29, 7. Neh 8, 1. 3, 16) erat *forum* (רְחוֹב et רְחֹב II Sm 21, 12. Jes 59, 14. II Chr 32, 6) i. e. amplius quoddam spatium, ubi contiones habebantur (Jer 11, 6; 17, 19. Prov 1, 21; 8, 3. II Chr 32, 6 ss.) et ius dicebatur (quare בַּשַּׁעַר *in porta* idem est quod *in foro, in iudicio* Dt 25, 7. Jes 29, 21. Am 5, 10. 12. 15. Sach 8, 16. Job 5, 4; 31, 21. Prov 22, 22) eoque cives partim ad negotiandum con-

venire (II Rg 7, 1), partim ibi otiosi ad spectandum et confabulandum considere (Gn 19, 1. Ps 69, 13. Prov 31, 31) solebant. Aetate posteriore fora erant plateae fornicatae et portis instructae, in quibus tabernae mercatorum et officinae artificum ex utraque domuum serie patebant (Bazars), quales etiam nunc in oriente conspiciuntur. Talia erant fora Beryti et Tyri ab Herode exstructa ac simile illud quoque forum fuisse videtur, quod Cestius Gallus, praeses Syriae, Hierosolymis combussit (Jes. BJ 2, 19. 4).

Plateae (חוּצוֹת II Sm 1, 20. Jes 51, 23. Jer 5, 1; 14, 16; 37, 21. al. שְׁוָקִים [sgl. שׁוּק cf. Assyr. *sûḳu*] Prov 7, 8. Koh 12, 4 s. Ct 3, 2. πλατεῖαι Mt 6, 5; 12, 19. Act 5, 15) aliae erant latiores, aliae angustiores, ut frequentiore umbra aestus arceretur. Initio non erant lapidibus stratae; tempore autem Herodis Magni (Jos. AJ 16, 5. 3. BJ 1, 21. 11) et Agrippae II (AJ 20, 9. 7) plateas lapidibus (marmore) sternere usitatum erat. De luto et stercore viarum in libris sacris saepe sermo est (Jes 10, 6. Mich 7. 10. al.), quia viles reliquiae et purgamenta ex domibus sicut hodie simpliciter in viam abiciebantur, ubi canes multa comedebant (Ex 22, 30. Jes 5, 25. Ps 59, 7. al.).

Etiam *aquaeductus*, posteriore tempore supra terram aedificati et per valles columnis et arcubus sustentati, non deerant. Hierosolymis quidem erant (II Rg 18, 17; 20, 20. Jes 7, 3; 36, 2. Jos. AJ 18, 3. 2. BJ 2, 17. 9). Pleraeque autem domus ad usus privatos *cisternas* habebant, imprimis Hierosolymis (cf. Jes 36, 16. Prov 5, 15. Inscr. Mesae l. 25). Effossionibus in Gezer, Thaanach, Megiddo demonstratum est solum saxeum omnium earum urbium cisternis perforatum fuisse. Koh 12, 6 memoratur גַּלְגַּל *trochlea* sive machina ad aquam ex cisternis hauriendam, quae ex rotula et axiculo per rotulam traiecto, circa quem rotula versatur, atque fune ductorio, qui circa eam currit, constabat.

Domus raro coniunctae erant et plerumque *hortos* amplos annexos habebant. Urbibus maioribus *pascua* ad pecus alendum destinata addita erant (Nm 35, 3—5).

III. Pleraeque urbes terrae Canaan, cum in locis editioribus sitae essent, naturâ ipsâ munitae erant. Nihilo minus complures reges Hebraeorum maxime operam dabant, ut quam plurimas urbes arte quoque munirent, velut David (II Sm 5, 9. I Chr 11, 7 s.), Salomo (I Rg 3, 1; 9, 15. 17—19; 11, 27. II Chr 8, 4—6), Rehabeam (II Chr 11, 5—12), Asa (I Rg 15, 22 s.), Hiskia (II Chr 32, 5). Menasse (ib. 33, 14) atque in regno decem tribuum Jerobeam I (I Rg 12, 25), Baësa (ib. 15, 17). Aetate quoque Maccabaeorum haud paucae urbes firmiter muniebantur (I Mcc 4, 60 s; 12, 38; 13, 33; 14, 33 s.).

Urbes autem muniebantur (cf. II Chr 14, 7): 1) *moenibus* (חוֹמוֹת) altis et latis, ne facile transcendi vel perforari possent, atque introrsus sinuatis (II Chr 26, 15), ut latera oppugnantium ad ictus paterent, et denticulatis, ut per incisuras tela mitti possent[1]. Nonnullae urbes duplicibus moenibus munitae erant (ib. 32, 5). Hinc loquendi formula בֵּין הַחוֹמוֹתַיִם *inter duo moenia* Hierosolymorum (II Rg 25, 4. Jes 22, 11. Jer 39, 4)[2]. — 2) *fossa* (cum antemurali, חֵיל et חֵל, LXX προτειχισμα, περίτειχος Jes 26, 1. Thrn 2, 8), quae plerumque aquâ implebatur (cf. Nah 3, 8); — 3) *portis* (שְׁעָרִים), quarum fores primo ligneae erant et parvae (Jdc 16, 3) et vectibus ligneis claudebantur, postea maiores et validiores ac, ne incendi possent, plerumque laminis aeneis vel ferreis obductae (Jes 45, 2. Ps 107, 16), quod idem in vectibus fiebat (I Rg 4, 13. Jes 45, 2. Ps 107, 16; 147, 13); — 4) *turribus* (מִגְדָּלִים LXX πύργοι), quae certum spatium inter se distantes super muros alte eminebant, tecto plano opertae, quod loricâ denticulatâ cinctum erat (II Chr 14, 7; 32, 5. I Mcc 5, 65). Descriptionem turrium, quibus moenia Hierosolymorum munita erant, videas apud Jos. B J 5, 4. 3. Eius modi turres etiam supra portas aedificari solebant (II Sm 18, 24. II Chr 26, 9). Aetate regum in iis perpetuo *vigiles* erant, qui incolas de imminentibus periculis mature admonerent (II Sm 13, 34. II Rg 9, 17. Jes 62, 6)[3]. Nocte vero custodes per urbem aut in muris obambulabant exploratum, num omnia intra moenia recte se haberent aut extrinsecus quid metuendum esset (Ct 3, 3; 5, 7). Apud portas etiam collocati erant, qui eas custodirent (Neh 13, 19). In mediis urbibus quoque turres exstructae erant, quo se cives, cum hostes irrupissent, cum pretiosissima supellectili recipiebant (Jdc 9, 51. cf. Prov 18, 10)[4].

Conferas A. Billerbeck, Der Festungsbau im alten Orient (A O I, 4) Leipzig 1903.

[1] Veteres muros non rectâ lineâ ducere solebant, quo magis ictus arietis impedirentur, sed sinuosis anfractibus urbes claudere ac multas turres in angulis murorum exstruere, ut, si quis ad murum ita constructum vel scalas vel machinas admoveret, non solum a fronte, sed etiam a lateribus et a tergo opprimi posset (Vegetius, De re militari 4, 2). Unde etiam Tacitus Hist. 5, 11, 5 muros Hierosolymorum vocat „per partem obliquos et introrsum sinuatos, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent".

[2] Quo modo antiquis temporibus moenia urbium aedificatae sint, effossionibus recentiore aetate in Palaestina factis monstratur. Prima moenia urbis Dschezer ex aggere, cuius et exterior et interior pars muro lapideo vestita erat, constabant. In urbe Megiddo is agger muro latericio vestitus et in fundamentis ex saxis magnis factis positus erat; ad hoc in eo murus ex saxis non caesis exstructus usque ad 2·5 m eductus erat. Quae moenia latissima, 2 m in Dschezer, 8·5 m in Megiddo, esse solebant. Ubi lapides

abunde erant, postea moenia plerumque ex lapidibus magnis et certe extrinsecus caesis exstructa sunt eaque et ipsa latissima, ut defensoribus et machinis bellicis locum praeberent. Moenibus solito firmioribus temporibus immigrationis Hebraeorum in terram Canaan urbs Jericho nuper effossa circumdata erat.

[3] Iis vigilibus, qui futura tamquam e specula praevideront populoque diligenter annuntiant eumque de imminenti periculo admonent, saepius munus prophetarum apte comparatur (Jes 52, 8; 62, 6. Jer 6, 17. Ez 3, 17; 33, 2. 6 s.). Prophetae falsi speculatores caeci vocantur (Jes 56, 10).

[4] Ceterum in aliis quoque locis, imprimis celsioribus, eius modi turres exstructae erant — *arces* aut *castella* (מִגְדַּל נְצָרִים II Rg 17, 9; 18, 8. בִּירָנִיּוֹת II Chr 17, 12; 27, 4).

Praeter urbes moenibus cinctas portisque clausas, quae in Talmud כרכים, in novo testamento πόλεις appellantur (ut Nazareth Lc 1, 26. Capharnaum ib. 4, 31. Naim ib. 7, 11). erant oppida minora, vici et pagi haud exiguo numero (cf. Jos. BJ 3, 3. 2. Vit. § 45), qui significantur nomine κῶμαι, talmud. כפרים = pagi muris carentes (ut Bethphage Mt 21, 2. Emmaus Lc 24, 13. Bethlehem Jo 7, 42. Bethania ib. 11, 1) vel κωμοπόλεις, talmud. עירות = vici maiores, amplitudine ambitûs et multitudine incolarum urbium similes, partim muris muniti, partim muris carentes (Mc 1, 38) i. e. עָרֵי הַפְּרָזוֹת Dt 3, 5 sive ע׳ הַפְּרָזוֹת Esth 9, 19 *urbes planitiei* sive *campestres,* quas nos quoque „die Landstädte“ vocare solemus.

IV. Urbes זִקְנֵי הָעִיר *praefecti civitatis* administrabant, qui apud portas congregari solebant et magna apud cives auctoritate pollebant (cf. Dt 19, 12; 21, 3 ss; 22, 15 ss; 25, 7 ss. Jos 20, 4. Jdc 8, 14. I Sm 11, 3; 16, 4; 30, 26 ss. I Rg 21, 8. 11. Rth 4, 2 ss.). Eorum numerus raro indicatur, sed nonnumquam magnus fuisse videtur, quod ex numero septuaginta septem praefectorum urbis Succoth (Jdc 8, 14) colligi potest. Aetate quoque posteriore praefectorum civitatis saepius mentio fit, ut Esr 10, 4. LXX Jdth 6, 16. 21; 7, 23; 8, 10; 10, 6; 13, 12 (πρεσβύτεροι vel ἄρχοντες τῆς πόλεως). A Josepho memorantur βουλαί (Vit. § 12 s. 34. 61. 68), quibus praerat ἄρχων (ib. § 27. BJ 2, 21. 3) i. e. שַׂר־הָעִיר *praefectus urbis* (I Rg 22, 26. II Rg 23, 8). Praeter praefectos etiam שֹׁפְטִים *iudices* et שֹׁטְרִים *scribae* nominantur (Dt 16, 18: 21, 2. Esr 10, 14. II Chr 19, 5 s.).

In libro Josua saepius *urbes et villae earum* (הֶעָרִים וְחַצְרֵיהֶן) memorantur (15, 32. 36. 41. 44—47. 51. 54. 57. 59 s. 62; 19, 6 s. 15 s. 22 s. 30 s. 38 s. 48). Aliis locis de *urbe* quadam *et filiis eius* (בְּנוֹתֶיהָ) sermo est (Nm 21, 25. 32; 32, 42. Jos 15, 45. 47; 17, 11, Jdc 11,

26. Ez 16, 46 ss; 26, 6; 30, 18. Neh 11, 25 ss. I Chr 2, 23; 5, 16; 7, 28 s; 8, 12; 18, 1. II Chr 13, 19; 28, 18. I Mcc 5, 8. 65) et caput regni nomen אם *mater* habet congruens notioni filiae (II Sm 20, 19). Unde apparet vicos non sui iuris fuisse, sed urbibus paruisse. Verisimillimum autem est etiam urbes minores maioribus paruisse, cum dubium non sit, quin filiae nonnullis locis (Nm 21, 25. Jos 15, 45. 47. I Chr 2, 23) urbes intellegendae sint. Quod etiam undecim *toparchiis* (τοπαρχίαι vel κληρουχίαι), in quas Judaea teste Josepho (BJ 3, 3. 5) divisa erat, probatur. Quarum nomina sunt: Hierosolyma, Gophna, Akrabatta, Thamna, Lydda, Ammaus, Pella, Idumaea, Engaddi, Herodeion, Jericho. Plinius (Hist. nat. 5, 15) decem toparchias enumerat: „Hiericuntem ..., Lyddam, Joppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Bethleptephenen, Orinen, in qua fuere Hierosolyma ..., Herodium". Perperam a Josepho nominatur Pella, a Plinio Joppe; nam eae urbes suis legibus utebantur neque in Judaea sitae erant. Alio autem loco etiam Josephus Bethletepha caput toparchiae nominat (BJ 4, 8. 1). Itaque Bethletephâ loco Pellae positâ et ordine geographico servato undecim toparchiae hae esse videntur: *Hierosolyma;* ad septentriones versus *Gophna* et *Akrabatta;* inter septentriones et occasum solis *Thamna* et *Lydda*; ad occasum versus *Emmaus;* inter occasum brumalem et meridiem *Bethletepha;* ad meridiem *Idumaea;* inter ortum brumalem et meridiem *Engaddi* et *Herodeion;* ad orientem versus *Jericho.* Quae divisio sine dubio Romana demum aetate orta est, cum antea nullum eius vestigium deprehendatur.

Loco I Mcc 11, 28 τοπαρχίαι eae tres urbes Samariae appellantur, quae a regibus Syriae Demetrio I (162—150 a. Ch.) et Demetrio II (145—138 et iterum 128—125 vel 124 a. Ch.) Jonathae Maccabaeo traditae ac Judaeae attributae sunt. Locis I Mcc 10, 30. 38; 11, 34. 57 nomine νομοί significantur. Erant illae urbes *Aphairema, Lydda, Ramatha* (I Mcc 11, 34), quae I Mcc 11, 57 et iis quattuor urbibus comprehenduntur, quarum posessionem Antiochus VI Dionysos (145—142 a. Ch.) confirmavit. Quae autem quarta urbs fuerit, nescimus.

V. Ut ceteri orientales, ita Hebraei urbes tamquam feminas cogitare solebant easque vocabant modo *matres* incolarum, qui quasi ex iis et in iis nati et nutriti sunt (II Sm 20, 19. Jes 66, 8. Jer 50, 12. Ps 87, 5), modo etiam *virgines* (II Rg 19, 21. Jes 23, 12; 37, 22. Thrn 2, 13), quae prostituuntur et vestimentis retectis (munitionibus eversis) nudatae relinquuntur (Jes 22, 8. Ez 16, 37 ss; 23, 10. 29. Thrn 1, 8). Etiam gens Hebraica nonnumquam *virgo* appellatur (Jer 18, 13. Am 5, 2)[1]. Respublica quoque Hebraeorum ut *mater,* cives ut eius *liberi* considerantur (Jes 51, 18). Atque Ezechiel c. 16 civitatem theo-

craticam describit imagine *mulieris*, quam a partu in summam miseriam proiectam Jahve benignissime suscepit, educavit, ornavit atque adultam sibi desponsavit (v. 2—14), quae tamen pulchritudine sua superbiens, turpissima libidine incensa, corpus suum omnium cupiditati permisit et in effrenati animi impotentia eo usque progressa est, ut omnia, quae a marito accepta possidebat, amatoribus suis effunderet (v. 15—33). Ut supra diximus, oppida minora saepius *filiae matris* i. e. filiae urbium maiorum vel capitis regni appellantur (ll. cc.)[2]. Loco Jes 1, 21 Hierosolyma, olim urbs fidelis, quae instar castae uxoris Jahvae, marito suo, fidem praestiterat, ut *meretrix* describitur, quae fidem deo debitam violavit, cum idola secuta est. Urbs incolis destituta cogitatur tamquam *femina* marito et liberis, honore et bonis *orbata* humique sedens, ut gravitatem calamitatis suae deploret (cf. Jes 3, 26; 23, 4; 47, 5. 8 s; 49, 21; 54, 4. Thrn 1, 1)[3].

[1] Quidam putant gentem Hebraicam *virginem* appellari, quia instar virginis deo copulata sit. Quod tamen ex tribus rationibus admitti non potest: primum quia Israel respectu dei *uxor* appellatur, et cum ab eo descivit, *meretrix;* deinde quia Israel iis quoque locis *virgo* vocatur, ubi ob falsorum deorum cultum castigatur aut poenae ei denuntiantur (ut Am 5, 2. Jer 18, 13); denique quia etiam Babylon (Jes 47, 1) et Aegyptus (Jer 46, 11) *virgines* appellantur, quamquam idolorum cultui deditae erant. Alii gentem Hebraicam *virginem* nominari putant ante exsilium, quia nondum ab aliquo subacta erat. Cui opinioni locus Jer 18, 13 obstat, ubi propheta de decem tribubus iam ex parte in exsilium abductis loquitur et tamen eas „virginem Israel" vocat, multo magis autem locus Thrn 2, 13., ubi Hierosolyma post devastationem a Babyloniis factam „virgo filia Sion", appellatur.

[2] Etiam Jes 4, 4 complures interpretes *filias Sion* oppida minora intellegunt. Ex mea opinione propheta mulieres Hierosolymitanas intellegit, quarum fastum et luxuriam 3, 16—24 descripsit.

[3] In nummo argenteo Vespasiani, qui in memoriam devictae Judaeae excusus est, conspicitur mulier in terra sedens, dorsum in palmam reclinans, cum inscriptione: *Judaea capta.*

Sectio secunda

De vestimentis, ornamentis, corporis cultu

Praesidia doctrinae. — Vestem Hebraeorum, cum in sacris litteris veteris testamenti nusquam describatur, ex solis imaginibus variorum generum vestitus, quas monumenta antiqua continent, cognoscere possumus.

Ceterum conferas N. G. Schroeder, Commentarius philologico-criticus de vestitu mulierum Hebraearum. Ultrajecti 1776. — A. Th. Hartmann, Die Hebräerin am Putztische und als Braut. 3 vol. Amsterdam 1809—10. — H. Weiss, Handbuch der Tracht, des Baues und der Geräte der Völker des Altertums. I. Die Völker des Ostens. Stuttgart 1860. — J. Benzinger, Kleider und Geschmeide bei den Hebräern (RE^3 X, 514—526). — S. Rubin, Die Kleidung der Israeliten in biblischer Zeit. Warschau 1910.

Caput primum

De materia et colore vestimentorum

I. Antiquissimum vestimentum erat *lumbare* (חֲגוֹרָה Gn 3, 7. אֵזוֹר Jer 13, 1 ss.), quo iam primi homines in paradiso ad verecundiam velati erant (Gn 3, 7. 21). Apud Aegyptios omnibus temporibus vestimentum usitatissimum mansit et etiam hodie in vestimento sacro (*'iḥrâm*) exstat, quod a Mohammedanis in urbe Mekka gestatur. Initio ex foliis (Gn 3, 7) vel pellibus (ib. v. 21), postea ex panno (Jer 13, 1) vel corio (II Rg 1, 8) conficiebatur.

Aetate posteriore Hebraei, etsi usus vestimentorum pelliceorum non penitus obsolevit (cf. Lv 15, 17. Nm 31, 20)[1], tamen plerumque *lanam* (צֶמֶר)[2] et *linum* (פִּשְׁתָּה et פִּשְׁתָּה)[3] in filos et pannos texebant atque ad varia vestimenta conficienda adhibebant. *Lana arboraria* (פִּשְׁתֵּי הָעֵץ *lina ligni* Jos 2, 6), nisi prorsus inusitata erat, certe rarius usurpabatur. *Sericum* apud antiquos Hebraeos non in usu fuisse videtur[4].

[1] Saepius in sacris litteris אַדֶּרֶת שֵׂעָר *pallium pilosum* memoratur idque sive rudius simpliciusque i. e. ex pilis caprinis vel camelinis factum, quo pauperes et prophetae (I Rg 19, 13. 19. II Rg 2, 8, 13 s. Mt 3, 4. Hebr 11, 37., etiam falsi prophetae, ut habitu verorum prophetarum fidem sibi conciliarent, Sach 13, 4) utebantur, sive mollius et splendidius, quo reges virique illustres induti erant. Quale vestimentum Jos 7, 21 intellegendum est, ubi אַדֶּרֶת שִׁנְעָר *pallium Babylonium* memoratur i. e. picturis variatum vel intextas habens variis coloribus hominum bestiarumque figuras (cf. Plin. Hist. nat. 8, 74) et Jon 3, 6., ubi vocabulum אַדֶּרֶת de pallio regis Assyriae usurpatur. Cf. etiam Jos. BJ 7, 5. 5., quo loco de triumpho Vespasiani et Titi narrat: καὶ τὰ μὲν ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπανιωτάτης φερόμενα, τὰ δ' εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ Βαβυλωνίων τέχνῃ.

[2] Dubium non est, quin ex eo tempore, quo oves alebantur, earum lana ad vestimenta conficienda saepe adhibita sit. Iam Gn 31, 19; 38, 12 s. de tonsura ovium sermo est, cum linum Mosis demum aetate (Ex 9, 31) in Aegypto commemoretur. Apud Graecos quoque aetate Homeri ad vestem virorum sola lana, ad mulierum raro tenue linteum (Iliad. 18, 595) adhibebatur.

[3] Quod ad שֵׁשׁ (et בּוּץ) attinet, inter viros doctos in controversia versatur, utrum iis nominibus lana arboraria an linum significetur. Quae controversia ex sacris litteris diiudicari non potest. Ex mea autem opinione plura lino quam lanae arborariae favent. Nam vestimenta ex בַּד, quae ex sententia omnium interpretum linea sunt, etiam ex שׁשׁ constare dicuntur (Ex 39, 28. cf. 28, 42) et vestimenta ex שׁשׁ facta בִּגְדֵי פִשְׁתִּים *vestimenta lintea* vocantur (Ez 44, 17). Praeterea in praeceptis de lepra vestimentorum (Lv 13, 47—59) et de vestimentis ex diversa materia contextis (Dt 22, 11. cf. Lv 19, 19) tantummodo lanae, lini pelliumque animalium mentio fit, ita ut lanae arborariae nullus relinquatur locus.

[4] Prima serici mentio Ez 16, 10. 13 fit, sed valde obscura; nam vocabulo מֶשִׁי sericum significare alii affirmant (velut Abulwalīd: *harîrun* = species serici), alii negant (v. 10: *subtilia* Vulg. τρίχαπτον LXX; v. 13: *polymitum* Vulg. τρίχαπτα LXX). In Vulgata tres invenimus locos, ubi sericum memoratur; at ex iis colligi non potest apud Hebraeos usum serici fuisse; nam Ez 27, 16 „sericum" legitur pro vocabulo Hebraico רָאמוֹת, Esth 8, 15 vestis byssina (בּוּץ) Mardochai „pallium sericum" appellatur, Apc 18, 12 „sericum" inter merces Babylonis magnae commemoratur.

II. Vestimenta exteriora colorari solebant. Atque praecipui vestimentorum colores erant *albus, purpureus, coccineus, hyacinthinus*, qui etiam in vestimentis ministrorum sacrorum apparent.

Pannus linteus albi coloris byssus (שֵׁשׁ, Aeg. *šs*, Copt. *šens*, בַּד, in libris posterioris aetatis בּוּץ, LXX βύσσος, λίνος) appellatur, qua praeter sacerdotes et Levitas imprimis reges, proceres, divites (Gn 41, 42. I Chr 15, 27. Lc 16, 19) atque nobiles mulieres (Prov 31, 22) utebantur.

Pretiosissima byssus nonnumquam colore purpureo (אַרְגָּמָן, Assyr. *argamannu*) tingebatur, qui olim regum et principum proprius, postea magis communis, semper maximi aestimatus erat (Jdc 8, 26. Ct 3, 10; 7, 6. Esth 1, 6; 8, 15. I Mcc 10, 20. 62. 64; 11, 58; 14, 43. II Mcc 4, 38. Lc 16, 19. Apc 18, 12). Vocabulo autem ארגמן purpuram significari constat. Ita enim veteres omnes id vertunt. Atque purpura rubra intellegenda est, quae est sucus sive sanguis muricis, qui a Graecis πορφύρα (I Mcc 4, 23 πορφύρα θαλασσία), a Latinis *purpura* vocatur et in mari mediterraneo, praecipue in litore Phoenices invenitur.

Magni quoque pretii erat color coccineus (שָׁנִי, cf. Arab. *sana'* = luxit, splenduit, κόκκινος) ex vermiculo quodam paratus, qui in specie quadam quercus (*Quercus coccifera* L.) in Graecia, Asia minore, Syria, Palaestina vicinisque regionibus vivit, in cuius foliis et ramis cutis animalis mortui eo colore repleta remanet et ab incolis avide conquiritur. Qui vermiculus Hebraice vocatur תּוֹלַעַת = *vermis*, nomine, quod in artibus versatur, *Lecanium ilicis*, olim *Coccus ilicis*, Francogallice *cochenille*. Vocabulum כַּרְמִיל (II Chr 2, 6. 13; 3, 14) est nomen Persicum (*kirm*) eiusdem coloris. Conferas Arab. *ḳermes*, Germ. *Karmesin*, Francogall. *cramoisi*. Aquila Ex 25, 4 et Symmachus Ex 28, 5; 35, 23 vocabulum שני δίβαφον *bis tinctum* significare existimant; at solae vestes purpureae bis tingebantur,

numquam coccineae, nisi quod cocco interdum purpura addebatur, quem colorem mixtum *hysginum* vocabant (Plin. Hist. nat. 9, 65; 35, 26).

Etiam vestimenta colore תְּכֵלֶת (Assyr. *takiltu*) tincta magni aestimabantur. Atque eo nomine quin color quidam significetur, non est dubium; sed interpretes non consentiunt, quis color significetur. Certe falsum est id, quod Ibn ʿEsra, S. Jarchi, Luther existimant *sericum flavum* intellegendum esse. Graeci Alexandrini, Josephus, Philo, Aquila, Symmachus, Theodotion, Hieronymus ὑάκινθον, ὑακίνθινον, *hyacinthum* vertunt, quod nomen non a flore, sed a gemma eiusdem nominis, quae est colore caeruleo sive violaceo, petitum est. Atque Josephus et Philo, qui quattuor colores in tabernaculo Mosaico et in vestimentis sacris ad quattuor elementa referunt, hyacinthum *aëra* i. e. caelum serenum significare contendunt. Josephus quidem opinionem suam dat verbis: Τὸν δὲ ἀέρα βούλεται δηλοῦν ὁ ὑάκινθος (AJ 3, 7. 7). Philo autem de tunica summi pontificis tradit: Οὗτος ὁ χιτὼν σύμπας ἐστὶν ὑακίνθινος, ἀέρος ἐκμαγεῖον (De vita Mosis l. 3. opp. II, 153). Quos Origenes quoque, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Theodoretus, alii secuti sunt. Sed respiciendum est eum colorem, quem Hebraei e cochlea quadam purpuraria in mari mediterraneo frequenti (quae a Graecis κήρυξ, a Latinis *bucinum*, a Ps. Jonathan ad Dt 33, 19 חִלְזוֹן, Germ. *Posaunenschnecke*, *Meer-* oder *Seetrompete* vocatur) sumptum esse memoriae produnt, caelo sereno similem dici, ut indicaretur non fuisse colorem subcaeruleum, sed violaceum; nam quo serenius est caelum, eo magis nigricat.

Color niger (חוּם) nisi in vestimentis vilioribus usurpabatur.

Caput secundum

De vestimentis virorum et mulierum

I. Vestimenta Hebraeorum erant haec:

1) Tunica (כֻּתֹּנֶת, cf. Assyr. *kitinnû* = linteum, LXX χιτών, Jo 21, 7 ἐπενδύτης) ex lana aut lino confecta, manicis brevioribus longioribusve instructa, a collo usque ad genua (postea usque ad talos) descendens, super nudum corpus gestata.

Tunicane semper manicas habuerit, dubitari potest. Κιθών sive χιτών Graecorum antiquorum, imprimis Dorum, tantum brevis tunica lanea erat cum foraminibus bracchiorum causâ relictis et postea demum manicis ornabatur. In imagine quadam, quae in palatio regis Sanherib in Kujundschik inventa est, Judaei captivi tunicâ usque ad talos descendente et manicis brevibus instructâ induti apparent. In alia imagine breviore tunicâ induti sunt. In obelisco Salmanassar legati regis Jehu, qui tributum conferunt, vestimentis Assyriis induti conspiciuntur.

Qui solâ tunicâ indutus incedit, in sacris litteris *nudus* (עָרוֹם, γυμνός) vocatur (I Sm 19, 24. Jes 20, 2. Jo 21, 7). Quo nomine nonnumquam etiam male vestitus significatur (Jes 58, 7. Job 22, 6; 24, 7. 10. Mt 25,

36. 38. 43 s. Act 19, 16. Jac 2, 15). Cf. Senec. De benefic. 5, 13: „Quaedam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt . . . Sic *illiteratum* non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum; sic qui male vestitum et pannosum vidit, *nudum* se vidisse dicit".

Verba כְּתֹנֶת פַּסִּים (Gn 37, 3. 23. 32. II Sm 13, 18 s.) tunicam a pueris puellisque nobilioribus et regiis gestatam eamque amplam et longam significant. Duobus modis explicantur: aut tunica versicolor i. e. tunica e frustis pannorum varii coloris consuta (LXX Gn ll. cc. χιτὼν ποικίλος) aut tunica manicata et talaris (LXX et Aquila, qui II Sm l. c. χιτῶνα καρπωτόν vertunt; nam χιτὼν καρπωτός Graecorum est tunica, quae manicas usque ad carpum demissas habet. Jos. AJ 7, 8. 1: Ἐφόρουν αἱ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειριδωτοὺς ἄχρι τῶν σφυρῶν πρὸς τὸ μὴ βλέπεσθαι χιτῶνας). Ceterum videas R. Eisler in OrLz XI, 1908, 368—371. J. Linder in ZkTh XXXIV, 1910, 752 s. — Vocabulum מְעִיל significat tunicam ampliorem (et talarem), non manicatam, qualem super tunicam vulgarem gestabant puellae (II Sm 13, 18), reges et proceres (I Sm 15, 27; 18, 4; 24, 5. 12. Ez 26, 16. I Chr 15, 27), alii viri nobiles (I Sm 28, 14. Job 1, 20; 2, 12. Esr 9, 3. 5), Levitae arcam foederis portantes et cantores (I Chr 15, 27), maxime summus sacerdos (Ex 28, 31—34. Lv 8, 7). — Vocabulum מַעֲטָפֶת (Jes 3, 22) significat tunicam ampliorem, vulgari superindutam, talarem et manicatam.

Sunt qui existiment Hebraeos in nudo corpore sindonem (סָדִין LXX σινδών) i. e. indusium, vestem amplam et linteam gestasse (cf. Jdc 14, 12 s. Jes 3, 23. Prov 31, 24). Alii putant sindonem operimentum tenue fuisse, quo Hebraei maxime aestate et nocte uti solebant quoque etiam mortuorum corpora involvebantur (Mt 27, 59. Mc 15, 46. Lc 23, 53). Feminalia autem, quibus sacerdotes utebantur (Ex 28, 42 s.), ceteri non gestasse videntur, ut ne hodie quidem eorum usus vulgaris est.

De vocabulo סדין (Assyr. *sudinnu*, in tabulis in Tell el-'Amârna inventis *satinnu*, cf. Copt. *štên*) videas S. Fränkel, Die aramäischen Fremdwörter im Arabischen (Leiden 1886) 48. H. Lewy, Die semitischen Fremdwörter im Griechischen (Berlin 1895) 84 s. Significatio vocabuli Hebraici secundum usum talmudicum (סְדִינָה) est *velamen linteum* (J. Levy, Chaldäisches Wörterbuch[3] II, 146[a]).

Adnotatio. — Vocabulum פְּשֵׁשׁ (Dn 3, 21) ex nonnullorum opinione interulam Chaldaeorum significat et κιθῶνι ποδηνεκεῖ λινέῳ (Herod. Hist. 1, 195) respondet. Vocabulum סַרְבָּלִין (Dn 3, 21. 27. Gr. σαράβαρα, σαράβαλλα) fortasse bracas laxas et talares significat, quales apud Persas (cf. voc. Pers. *šalwâr*) in usu erant (Herod. Hist. 5, 49. Xenoph. Cyrop. 8, 3, 13) atque etiam nunc in oriente gestantur. Alii calceamenta intellegunt (E. König WB 592[a]. Cf. Aram. סַרְבְּלָא apud G. Dalman, Aramäisch-neuhebräisches Wörterbuch 287).

2) Tunicam circa lumbos cingulo adstringebant, quotiens ad iter (I Rg 18, 46. II Rg 4, 29; 9, 1) vel ad aliquod negotium (Jer 1, 17.

Lc 12, 35; 17, 8) se parabant, ut incessus expeditior esset nec tunicâ huc illuc defluente impediretur. Atque cingulum vulgare ex corio confectum erat (II Rg 1, 8. Mt 3, 4. Mc 1, 6), pro divitibus autem ex materia magis pretiosa (ex lino Jer 13, 1 vel bysso Ez 16, 10) maioreque artificio (Dn 10, 5. I Mcc 10, 89; 11, 58; 14, 44), in quam rem imprimis feminae nobiles magnum sumptum faciebant (Jes 3, 20. Jer 2, 32. Ez 16, 10. Prov 31, 24). Etiam nunc populi orientis cingula aurata st saepe etiam gemmata inter praecipua vestimentorum ornamenta habent. In cingulo gerebant pugionem (Jdc 3, 16), pecuniam (Mt 10, 9. Mc 6, 8. cf. II Sm 18, 11), atramentarium cum calamis (Ez 9, 2 s.).

Nomen commune cingulorum est חֲגוֹר (I Sm 18, 4. II Sm 20, 8. Prov 31, 24) sive חֲגוֹרָה (II Sm 18, 11. I Rg 2, 5. II Rg 3, 21. Jes 3, 24). Vocabulum אֵזוֹר significat cingulum virorum (Jes 5, 27; 11, 5. Jer 13, 1 s. 4. 6 s. 10 s. Ez 23, 15), קִשָּׂרִים cingulum mulierum (Jes 3, 20), imprimis sponsae (Jer 2, 32), אַבְנֵט cingulum, quale sacerdotes (Ex 28, 4. 39 s; 29, 9; 39, 29. Lv 8, 7. 13; 16, 4) et nobiles (Jes 22, 21) gestabant.

3) Pallium super tunicam indutum erat pannus quadratus et amplus, quo corpus variis modis cooperiebatur quoque etiam facile aliquid tamquam in gremio portari poterat (II Rg 4, 39. Rth 3, 15. cf. Ps 79, 12. Lc 6, 38)[1]. Pauperes nocte se pallio involvebant; quare pallium oppigneratum per noctem retineri lege vetitum erat (Ex 22, 26 s. Dt 24, 13)[2]. In quattuor pallii angulis ex dei iussu Hebraei *fimbrias* comatas (גְּדִילִים Dt 22, 12. ציצִיּוֹת Nm 15, 38 s. LXX στρεπτά, κράσπεδα, Onkelos כרוספדין) gestabant, quae ex compluribus filis albis (symbolis puritatis), inter quae unum hyacinthinum (symbolum originis caelestis mandatorum) texendum erat, conficiebantur, ut se a gentilibus distinguerent atque ex earum adspectu legum divinarum memores essent (Nm 15, 38—40. Dt 22, 12)[3]. Ex Mt 23, 5 constat Pharisaeos in fimbriis illis producendis sibi valde placuisse, ut singulare studium legis prae se ferre viderentur.

[1] Pallium appellatur שִׂמְלָה (Gn 9, 23. Jdc 8, 25. I Sm 21, 10), שַׂלְמָה (I Rg 11, 29 s. Ps 104, 2), בֶּגֶד (Gn 24, 53. Am 2, 8), כְּסוּת (Dt 22, 12), LXX et NT ἱμάτιον, στολή. Palla mulierum מִטְפַּחַת appellatur (Jes 3, 22. Rth 3, 15). Verisimiliter etiam פְּתִיגִיל (Jes 3, 24) pallium amplum a mulieribus gestatum significat (LXX χιτὼν μεσοπόρφυρος). — Χλαμύς II Mcc 12, 35 est nomen pallii, quo apud Graecos adulescentes et viri in itinere et in bello utebantur; usque a genua pertinebat et in pectore vel ad dexteram pectoris partem conectebatur. Χλαμὺς κοκκίνη Mt 27, 28., quae Mc 15, 17 πορφύρα et Jo 19, 2 ἱμάτιον πορφυροῦν appellatur, est pallium rubrum militum Romanorum, *paludamentum*. — Φελόνης sive φαιλόνης II Tim 4, 13 est pallium pluviale et itinerarium

Romanorum, *paénula*. Interpres Syrius id vocabulum thecam vel capsulam librariam intellexit atque ita a nonnullis intellegi iam Chrysostomus (MSG 62, 656) tradit, qui ipse interpretatur τὸ ἱμάτιον (τινὲς δέ φασιν γλωσσόκομον, ἔνθα τὰ βιβλία ἔκειτο). At φελόνην ita explicari non posse ex eo apparet, quod apostolus diserte addit τὰ βιβλία quoque, μάλιστα τὰς μεμβράνας afferenda esse. De capsula libraria si ageretur, evidens esset eam non vacuam apportandam esse.

[2] Quia coniuges sub eodem tegmine dormire solent, cum vir „oram pallii super mulierem expandere" dicitur, id eam in torum genialem recipere significat. Velut Ruth cum venereo complexu cum Boas coniungi concupiscat, eum compellat verbis: „Expandas alam tuam (i. e. oram pallii tui) super ancillam tuam" i. e. sociam lecti genialis me assumas. Similiter Ez 16, 8: „Expandi oras (vestis meae) super te" i. e. te uxorem duxi.

[3] *Zizith* Judaeorum nostrae aetatis albo colore sunt neque cum veste superiore (טלית, ἱμάτιον) coniunguntur, sed cum iis duobus pannis laneis, quorum unus semper ipso corpore gestatur, alter tantum, cum oratur, capiti circumdatur. Et iis pannis nomen est *Tallith*, priori טלית קטן vel ארבע כנפות, posteriori טלית גדול. — Praecepta Judaeorum de iis fimbriis vide in tractatu *Zizith* (ed. R. Kirchheim, Septem libri talmudici parvi Hierosolymitani. Francofurti a. M. 1851).

II. *Vestimenta dierum sollemnium* plerumque erant alba (מַחֲלָצוֹת *vestes splendidae* Jes 3, 22. Sach 3, 4. cf. Koh 9, 8) atque imprimis florente reipublicae statu in iis vestimentis magnus sumptus ponebatur (II Sm 1, 24. Jes 3, 18—24. Jer 4, 30. Ez 16, 10. Zeph 1, 8. Mt 11, 8. Lc 16, 19. cf. I Tim 2, 9. Jac 5, 2. I Ptr 3, 3), ut ad ea conficienda etiam auro et argento uterentur (Ps 45, 10. Thrn 4, 2. Jos. AJ 19, 8. 2). Iam ab antiquissima aetate vestimenta splendidiora etiam variorum odorum suavitatibus perfusa esse videntur (Gn 27, 27. Ps 45, 9), ut etiam nunc incolae orientis vestem liquoribus bene olentibus conspergere solent. Vestem saepius mutare (חָלַף) Hebraeos in deliciis habuisse ex Gn 45, 22. Jdc 14, 12 s. II Sm 12, 20. II Rg 5, 5. 22 s, cf. 10, 22; 22, 14 apparet. Etiam in inscriptione quadam Assyria, qua vestimenta enumerantur, vestimenta mutatoria commemorantur. Ex aliorum opinione חֲלִיפוֹת בְּגָדִים *mutationes vestium* i. e. vestimenta mutatoria (εἵματα ἐξημοιβά Hom. Odyss. 8, 249. χιτῶνες ἐπημοιβοί ib. 14, 513) appellantur vestimenta pretiosiora, quae diebus festis cum cottidianis permutantur. Novum vestimentum alteri dare signum singularis amoris et favoris erat (Gn 37, 3), quo haud raro ii quoque ornabantur, quibus princeps novum idque grave munus demandabat (ib. 41, 42). Vestimenta in viam sternere pedibusque incedentis subicere signum venerationis et subiectionis habebatur (II Rg 9, 13. Mt 21, 8).

Vestimentum lugentium (Gn 37, 34. II Sm 3, 31. Joel 1, 8. Esth 4, 1. Neh 9, 1) erat *saccus* (שַׂק, Assyr. *šaḳḳu*, Aeg. *sag*, Copt. *sok*, LXX σάκκος) i. e. tunica villosa sive cilicina, ex pilis (praecipue nigris) caprarum texta (quare Apc 6, 12 σάκκος τρίχινος, qui ib. 11, 3 simpliciter σάκκος appellatur) eaque arta et talaris, quae ne nocte quidem deponebatur (I Rg 21, 27); balteo eiusdem materiae cuti adstringebatur, quod ex Jes 20, 2 apparet, ubi propheta saccum *a lumbis solvere* iubetur, atque ex II Sm 3, 31 et I Rg 20, 31 s., ubi *lumbi accingi* dicuntur. Ceterum non solum lugentes, sed etiam prophetas saccum sibi induisse ex II Rg 1, 8 elucet, ubi Elia אִישׁ בַּעַל שֵׂעָר *vir pilosus* vocatur, non respectu barbae, ut nonnulli existimant, sed vestimenti pilosi, quod ex eo apparet, quod alter Elia, Joannes Baptista, ἔνδυμα e pilis camelinis gestasse dicitur (Mt 3, 4). Cf. etiam Sach 13, 4.

Quidam ex Mal 3, 14., ubi Judaei conqueruntur se frustra קְדֹרְנִית *sordidate* ambulasse, et ex Ps 35, 14; 38, 7. Job 5, 11., ubi verbum קָדַר de lugentibus usurpatur, collegerunt Hebraeos lugentes vestem coloris nigri aut pulli sive fusci induisse. Sed cum locis allatis diserta vestimentorum mentio non fiat, verba „sordidate incedere" verisimiliter idem significant quod „vultu obscuro et tristi incedere", qua significatione קדר etiam Jer 8, 21 usurpatur.

Vestimentorum confectio duplex erat: aut acu consuebantur et ex variis partibus componebantur aut sine ulla sutura contexebantur. Atque vestes consuere praecipue mulierum (Ex 35, 25. I Sm 2, 19. Prov 31, 21 s. III Esr 4, 17. Act 9, 39), aetate posteriore etiam sarcinatorum (M. Schabbath 1, 3. Pesachim 4, 6), vestes texere virorum (Ex 35, 35; 38, 23. cf. I Chr 4, 21), nonnumquam etiam mulierum (Jos. BJ 1, 24. 3) erat. Imprimis autem mulierum erat lanam et linum nere (Ex 35, 25. Prov 31, 13), quod viris ingenuis indignum habebatur (cf. II Sm 3, 29., ubi verba מַחֲזִיק בַּפָּלֶךְ ex nonnullorum opinione „fusum versantem" significant; aliter Graeci Alexandrini et interpres Chaldaicus). A nendo apud veteres ne nobiles quidem feminae abhorrebant (cf. Plin. Hist. nat. 8, 74) atque in monumentis Aegyptiis saepius repraesentantur tam viri quam mulieres stamina nentes. Iam aetate iudicum vestes quoque versicolori ornatu contextae (בִּגְדֵי רִקְמָה) cognitae erant, quales tamen tantum divites et principes gestare solebant (Jdc 5, 30. Ez 16, 13. 18; 27, 16. Ps 45, 15).

Inter vestimenta utriusque sexus *nullum* erat *discrimen*, nisi quod vestimenta mulierum longiora et ampliora, plerumque etiam ex subtiliore materia confecta erant. Ut omnis libido atque impudicitia caveretur, lege Dt 22, 5 viri muliebrem vestem, feminae virilem gestare vetiti erant[1]. Neque veste leprosa (Lv 13, 47—59) et peregrina

(Zeph 1, 8)[2] uti licebat. Vestis quoque ex duobus filorum generibus, lino et lanâ, contexta illicita erat (Lv 19, 19. Dt 22, 11). Ceterum variae quoque hominum condiciones vestimentis cognosci poterant. Velut Prov 7, 10 habitus meretricis mentio fit et Judith 10, 3 (Vulg v. 2 s) vestimenta viduitatis exuisse atque vestimenta iucunditatis induisse dicitur.

[1] Quod praeceptum non ita intellegendum est, ut ad nullam aliam rem spectet, nisi ut vestis propria civili more utrique sexui constituta conservetur. Nam si ita esset, qui in ea re peccaverat, non „detestatio Jahvae" appellari posset (l. c.), quae appellatio aliis locis nisi de peccatis gravibus, praecipue de deorum commenticiorum cultu (Dt 18, 12), non usurpatur.

[2] Complures interpretes existimant verba „vestis peregrina" homines fastuosos significare, qui ex animi levitate patrium vestitum spernunt et aliarum gentium vestimenta assumunt aut ipsi nova vestimentorum genera inveniunt, ut luxui satisfacere possint. Alii eas vestes intellegunt, quibus idololatrae in cultu deorum utebantur. Alii rursus vestem virilem a feminis et muliebrem a viris usurpatam indicari affirmant.

Adnotatio. — Sudarium (σουδάριον) erat linteolum ad sudorem vultus abstergendum (Lc 19, 20. Act 19, 12), quo etiam ad caput mortui involvendum utebantur (Jo 11, 44; 20, 7). Interdum res maioris pretii in eo recondebantur (Lc l. c.). — Semicinctium (σιμικίνθιον Act 19, 12) erat tegimentum linteum, quo opifices adversas corporis partes tegere solebant (= praecinctorium, Schürze). — Digitabulum (δακτυλήθρα, Handschuh) memoratur M. Kelim 16, 6; 24, 15; 26, 3. Targ. Rth 4, 7.

Caput tertium

De tegimentis capitis et pedum

I. Antiqui Hebraei nullum capitis tegimentum habuisse et capillos (פֶּרַע, Assyr, *pirtu*) solo funiculo capiti alligasse videntur, ne diffluerent. In monumentis Aegyptiis Syros ita fictos invenimus, ut circa capillos dependentes restem gestent, qui mos etiam hodie in Arabia exstat.

Atque *viri Hebraei* capillos diligenter alebant (Jer 7, 29. Ez 8, 3. Ct 5, 11. Jos. AJ 8, 7. 3; 14, 9. 4)[1], interdum tamen novaculâ (מוֹרָה, תַּעַר) succidebant (II Sm 14, 26. cf. Ez 44, 20), exceptis naziraeis, qui, dum votum permanebat, capillos detondere vetiti erant (Nm 6, 5). Diebus festis et in conviviis capillos generosissimo oleo olivarum cum odoribus, imprimis cum nardo genuina (νάρδος πιστική Mc 14, 3. Jo 12, 3. נֵרְד Ct 1, 12; 4, 13 s. Sanscr. *naladâ*, Pers, *nârdîn*)

mixto ungebant (Am 6, 6. Ps 23, 5. Koh 9, 8. Mt 6, 17. Lc 7, 46. Jos. AJ 19, 4. 1). Interdum capillos scobe auri adspergebant, ut collustrati radiis solis niterent. Velut Josephus AJ 8, 7. 3, cum ornatum equitum Salomonis describit, memoriae prodit: Ψῆγμα δὲ χρυσοῦ καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηδον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσοῦ πρὸς τὸν ἥλιον ἀνταναλωμένης [2]. Nonnumquam etiam capillos in nodum collectos gestabant (מַחְלָפוֹת capillorum plexus, Zöpfe, Jdc 16, 13. 19). Prohibitum autem erat פְּאַת רֹאשׁ *extremitatem capitis* i. e. extremos capillos in orbem praecidere (Lev 19, 27), id quod Arabes nomades cuiusdam numinis honoris causâ (Oratal), quod Graeci cum Baccho comparant, facere solebant; quare Jer 9, 25; 25, 23; 49, 32 קְצוּצֵי פֵאָה *abscissi extremis crinibus* sive cincinnis appellantur (cf. etiam Jos. CAp 1, 22). Pulchra caesaries etiam viris decori erat (II Sm 14, 26. Ct 5, 11. Jos. AJ 8, 7. 3), calvo autem capite esse (קָרֵחַ *calvus in occipite* Lv 13, 40. II Rg 2, 23. גִּבֵּחַ *anteriore capitis parte calvus* sive *recalvus* Lv 13, 41) facile contemptum afferebat (cf. II Rg l. c. et Jes 3, 17. 24, ubi omne genus ignominiae in delicatis Hebraeorum mulieribus inferendum vocabulo calvitii comprehenditur). Crines flavi, quamquam de lepra suspecti erant (cf. Lv 13, 30), singulare decus habebantur (cf. Ct 7, 5); pulcherrimi nigri habebantur (Ct 4, 1; 5, 11). Sacerdotes nec raso nec capillato capite incedere iubebantur (Ez 44, 20); quare etiam votum naziraeatus suscipere vetiti erant, quippe cum naziraeis capillos detondere non liceret. Ob luctum capilli evellebantur (Esr 9, 3). Cum de lepra iudicandum erat, capillorum colorisque eorum mutati ratio habenda erat (Lv 13, 10. 30 s.); si leprosus convaluerat, capillos radere debebat (ib. 14, 9).

[1] Apud Judaeos posterioris aetatis vir comatus tamquam effeminatus despiciebatur (I Cor 11, 14). Aegyptii autem non, ut Hebraei, capillos promittere solebant, sed eos tondebant nisi in captivitate (cf. Gn 41, 14) et luctu (Herod. Hist. 2, 36) erant.

[2] Quo modo Romani quoque capillos ornare solebant. Velut Trebellius Pollio in vita Lampridii imperatoris narrat: „crinibus suis auri scobem adspersit".

Etiam barba (זָקָן, שָׂפָם = mystax) omni tempore in oriente insigne viri decus habebatur (Ez 5, 1. Ps 133, 2); quare Hebraei eam diligenter alebant. Amici inter se obvii barbam manu mento supposita mutuo osculabantur (II Sm 20, 9). Alteri pilos barbae evellere summa ignominia habebatur (II Sm 10, 4. Jes 50, 6. I Chr 19, 4. cf. Jes 7, 20., ubi clades, quam respublica Judaica armis Assyriorum accipiet, imagine barbae tondendae exprimitur). Barbam neglegere vel succidere non licebat praeterquam in luctu (II Sm 19, 24. Jes 15, 2. Jer 41, 5;

48, 37. Esr 9, 3). Radere פְּאַת הַזָּקָן *angulum barbae* i. e. crines in malis et ante aures crescentes (Backenbart) Hebraei vetiti erant (Lv 19, 27; 21, 5), quia id fortasse mos superstitiosus alicuius finitimae gentis erat. Quid a leproso sanato de barba observandum sit, Lv 14, 9 dicitur.

Cum ceterae gentes orientis antiqui barbam decus viri considerarent eamque colerent, Aegyptii barbam non promittebant, sed tondebant, nisi in luctu (Herod. Hist. 2, 36). Etiam in monumentis sine barba apparent; soli captivi barbati sunt. Cf. Gn 41, 14. A. Jeremias, Das AT im Lichte des AO[2] 389.

Quanto in honore et pretio etiam nunc apud Arabes est barbae decus, iter facientes, qui mores Arabum nomadum describunt, docent.

Mulieres Hebraeae capillos non modo artificiose crispare (Jes 3, 24) et eleganter in gradus formare (II Rg 9, 30. Jdth 10, 3. Jos. BJ 4, 9. 10), sed etiam variis rebus pretiosis ornare solebant[1]. Mulieres lugentes passis crinibus incedebant (III Mcc 1, 9. cf. Lc 7, 38). De coma pendula (דַּלָּה) puellarum rusticarum conferas Ct 7, 6. Pectines crinales in vetere testamento non memorantur[2].

[1] Paulus apostolus I Cor 11, 15 dicit: Γυνὴ ἐὰν κομᾷ, δόξα αὐτῇ ἐστίν. At idem I Tim 2, 9 mulieres monet, ut ab ornatu exquisitiore abstineant: μὴ ἐν πλέγμασιν. Item Petrus apostolus I Ptr 3, 3 mulieribus artificiosa crinium in nodos collectione interdicit: μὴ ἔστω ὁ ἐμπλοκῆς τριχῶν κόσμος.

[2] Quamquam neque *pectines* neque *acus discriminales* in vetere testamento commemorantur, tamen usus pectinum iam antiquissimis Aegypti monumentis ostenditur, ut Hebraeos quoque eum ibi cognovisse verisimile sit. Etiam *capillorum concinnatrices* (Haarkräuslerinnen) iam antiquioribus temporibus fuisse videntur.

Contra ardores solis et frigora Hebraei primo caput extremo pallio protegebant, postea linteo vel panno cingebant[1], qui interiecto tempore in varias mitras conversus est. Memorantur 1) צָנִיפוֹת (virorum Job 29, 14. mulierum Jes 3, 23. summi pontificis Sach 3, 5. regis Jes 62, 3 Qerê) i. e. fasciae, quae pro more orientalium antiquissimo neminique ignoto capiti circumvolvuntur et in formam rotundam circumducuntur. 2) פְּאֵרִים (sacerdotum Ex 39, 28. Ez 44, 18. sponsi Jes 61, 3. 10. mulierum ib. 3, 20) sunt diademata capiti ita alligata, ut forma sublimior et fastigata exsisteret, quod ex loco Ex 39, 28 apparet, ubi tiarae sacerdotum פַּאֲרֵי הַמִּגְבָּעוֹת tiarae collis formam habentes i. e. fastigatae appellantur. Quem ornatum capitis apud feminas Arabum etiam nunc usitatum esse ex itinerariis patet. 3) טְבוּלִים (Ez 23, 15) ex nonnullorum opinione sunt tiarae prolixe a tergo pendentes ac pretiosis colo-

ribus tinctae, quales apud Chaldaeos in usu ersnt[2]. Alii fascias capiti circumvolutas significari existimant. De linteo, quo orientales mitram involvere solent, ante exsilium Babylonium diserta mentio non fit. At Josephus AJ 3, 7. 3 id memorat. Unde colligitur eius usum post exsilium demum invaluisse. Ceterum viri non minus quam feminae caput numquam aperiebant, sed semper (etiam in templo) tecto erant capite, quod etiam nunc in oriente moris est.

[1] Beduini etiam nunc caput panno laneo *(keffije)* protegunt, quod funiculo laneo *(ʿŏḳâl)* circumligant.

[2] Cf. Ovid. Metam. 14, 654: „picta redimitus tempora mitra".

Peplo, quod moribus politioribus invectum erat, omnes feminae (exceptis ancillis aliisque inferioris condicionis Jes 47, 2) in publicum prodeuntes uti solebant neque domi nisi coram servis iisque consanguineis, quibuscum matrimonium contrahere non licebat, deponebant. Imprimis meretrices sese obvelasse ex iis, quae Gn 38, 14 s. de Thamar memoriae produntur, colligendum est. Nonnulli quidem negant Thamar se meretricis more velasse, sed ne agnosceretur. Quod falsum esse censeo; nam loco allato diserte dicitur Juda eam pro meretrice habuisse, quod velata esset. Ex Gn 24, 15 s. 65; 29, 9 s. apparet antiquissimis temporibus virginibus morem fuisse faciem non prius velare, quam cum viro iungendae essent (cf. formulam loquendi „nubere viro"), ut fidem marito servandam significarent.

Viros quoque Hebraeos velo usos esse, ut interdum apud Arabes viri eo uti dicuntur, ex loco Ex 34, 33—35 demonstrari non potest.

Atque varia erant *peplorum genera:* 1) רְדִיד (Jes 3, 23. Ct 5, 7) significat peplum, quod capiti, umeris, vestimentis exterioribus circumicitur; est idem quod צָעִיף Gn 24. 65 et 38, 14., ubi pro צעיף Onkelos רדיד posuit. 2) צָמָה (Jes 47, 2. Ct 4, 1. 3; 6, 7) est operimentum vultus, quo omnes feminae honestiores utebantur. 3) רְעָלוֹת (Jes 3, 19. a radice רָעַל *tremuit*) est tegimentum capitis faciem quoque velans, ita dictum, quod antica eius pars, quae vultum tegit, a tenuibus loris dependet et in incessu tremere solet. In quibus peplis mulieres Hebraeae superbiam et profusam luxuriam ostendisse videntur, cum ea vel ex pretiosissima materia confecta vel auro argentoque ornata essent.

Verba כְּסוּת עֵינַיִם *operimentum oculorum* (Gn 20, 16) complures interpretes velum significare existimant. Alii munus veniae impetrandae causâ datum intellegunt sive munus, quod alicui datur, ut in aliqua re oculos claudat i. e. coniveat. Quod ex mea opinione vero propius est.

II. Ad pedes tegendos adhibebantur soleae (du. נַעֲלַיִם, pl. נְעָלִים, semel נַעֲלוֹת Jos 9, 5. LXX σανδάλια, ὑποδήματα), quae corrigiis (שְׂרוֹךְ Gn 14, 23. Jes 5, 27. ἱμάς Mc 1, 7. Lc 3, 16) nudis pedibus alligabantur. Cum cubile ingrediebantur, soleas solvebant, egredientes rursus alligabant. Eas solvere et alligare infimorum servorum erat (Mt 3, 11. Mc 1, 7. Jo 1, 27. Act 13, 25. cf. Babyl. Kethubot 66ᵃ. Kidduschin 22ᵇ). Lugentes nonnumquam *nudis pedibus* (יָחֵף) incedebant (II Sm 15, 30. Jes 20, 2—4. Ez 24, 17. 23); alioquin id ignominiosum ac servile habebatur (cf. Dt 25, 9 s. Jes 47, 2. Jer 2, 25). Iam ab antiquissimis temporibus opinio pervulgata fuisse videtur in loco sacro pedes excalceandos esse (Ex 3, 5 = Act 7, 33. Jos 5, 15); quam ob causam sacerdotes quoque in sacrario discalceati officio fungebantur. Praeter soleas, quae tantum plantam pedis tegebant, veteres Hebraeos etiam calceos cavos gestasse ex Dt 33, 25. Jes 9, 4. Ephes 6, 15. Jos. BJ 6, 1. 8 colligi potest. Feminae calceamenta maioris artificii pretiique gestare solebant (Ct 7, 1. Jdth 10, 3; 16, 11). Atque Ez 16, 10 ea ex תַּחַשׁ confici dicuntur. Cuius vocabuli significatio non constat, quod iam supra diximus. Haud pauci colorem coccineum interpretandum esse existimant; nam calceos coccineos olim in summo honore fuisse atque a principibus et nobilibus gestatos esse multis scriptorum antiquorum testimoniis probatur.

Apud Aegyptios usum solearum temporibus demum regni medii invenimus. In monumentis Babyloniorum et Assyriorum non modo milites, sed etiam rex nudis pedibus apparent. In aliis imaginibus soleas ex corio confectas, quae corrigiis pedibus alligatae sunt, gestant. Postea apud milites Assyrios calceos quosdam ex corio factos invenimus. Chittaei et soleis et calceolis repandis (Schnabelschuhe) utebantur.

Adnotatio. — Hic notandus est mos quidam in emptione et venditione rerum iam antiquitus apud Hebraeos usitatus, cuius in sacris litteris semel mentio fit, Rth 4, 7: qui rem aliquam vendebat, coram senatu urbis calceum exuebat eumque ementi tradebat, quo conventum ratum redderet; quare etiam *proiectio calcei* in aliam regionem symbolum occupationis eius erat (Ps 60, 10), ut apud Romanos *iniectio manus* ius domini in aliqua re capienda et vindicanda, quam suam agnoscebat, significabat. Josephus autem AJ 5, 9. 4 memoriae prodit: Μαρτυράμενος ὁ Βόαζος τὴν γηρουσίαν ἐκέλευε τῇ γυναικὶ ὑπολύσαι αὐτὸν (cognatum propiorem) προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον καὶ πτύειν εἰς τὸ πρόσωπον. Miro igitur errore Josephus morem in abalienatione alicuius rei usitatum cum eo confundit, qui Dt 25, 9 observari dicitur, si quis viduam fratris sine liberis defuncti uxorem ducere renuit. Eum enim fratria excalceavit, Rth l. c. autem legimus, qui quid vendebat, eum pedes excalceavisse, ut testificaretur se ius rei venditae ementi cedere. Illi calcei detractioni caerimonia conspuendi iungebatur, non huic.

Caput quartum

De ornamentis virorum et mulierum

I. Ornamenta (עֲדִי, κόσμος) iam patriarchae habebant eaque interdum magni pretii (Gn 24, 22. 47; 35, 4). Qui Hebraeorum ardor sui exornandi neque in Aegypto (Ex 32, 2; 33, 4; 35, 22. Nm 31, 50) neque postea (II Sm 1, 24. Jes 61, 10. Jer 2, 32. Jdth 10, 3; 12, 15) imminutus est. Nonnumquam tantus erat, ut a deo vituperaretur (Jes 3, 16—24). Etiam aetate recentiore haud raro modum excessit (I Tim 2, 9. I Ptr 3, 3).

Ceterum Hebraeorum ornamenta et formâ et fabricâ exempla Babylonia et Aegyptia imitabantur. Atque magna pars eorum omnino externa erat origine. Quamquam autem Hebraei a Phoenicibus paulatim nonnulla ipsi didicerant, tamen per omne tempus multae eius modi res ex terris externis importatae esse putandae sunt, imprimis operâ Phoenicum, quorum artifices et industria et iudicio florebant.

In ornamenta imprimis *aurum* et *argentum* impensa sunt. Pauperes autem ea ex *aere* quoque fecisse putandi sunt, ut etiam hodie feminae Aegyptiae anulos ex orichalco factos et pilas vitreas circum collum gestant. Atque *gemmis* (אֶבֶן יְקָרָה) quoque ad ornamenta usos esse, ex Ex 28, 9. 17—20. II Sm 12, 30. Ez 28, 13. aliis locis cognovimus. Imprimis in anulos gemmae insumebantur et quidem eae gemmae, quas veteres scalpere solebant (cf. Ex 31, 5; 35, 33). Ex Jer 17, 1 apparet id stilo ferreo cum acumine adamantino factum esse.

In ipsa Palaestina gemmae non inveniuntur, sed ex Syria, Arabia, Aegypto, aliis regionibus finitimis facile apportari poterant. Gemmae autem, quae in vetere testamento commemorantur, hae sunt: 1) שְׁבוֹ, probabiliter *achates* (Vulg.), ἀχάτης (LXX); Ex 28, 19; 39, 12. Ez 28, 13 (LXX). Quam opinionem Josephus quoque (AJ 3, 7. 5), interpres Copticus, Graecus Venetus, rabbini sequuntur. In lingua Assyria simili nomine *šubû* aliqua gemma significatur. — 2) אַחְלָמָה ex opinione LXX interpretum et Hieronymi ἀμέθυστος, *amethystus* (Ex 28, 19; 39, 12. LXX Ez 28, 13). Quibus adstipulandum esse censeo, cum in sacris litteris de ea gemma nihil praeter nomen commemoretur neque ulla ratio contraria proferri possit. — 3) בָּרְקַת (Jes 54, 12. Ez 27, 16) nescio an *chalcedonium* significet, quae species quarzi apud antiquos crebro in gemmas et sigilla insumebatur. Hieronymus Ez 27, 16 vocabulum Hebraicum retinet, Jes 54, 12 *iaspidem* intellegit; LXX Ez 27, 16 χορχόρ (B), κορχορός (A), Jes 54, 12 ἴασπις. Cf. etiam Apc 21, 19. — 4) *Chrysolithus* fortasse = תַּרְשִׁישׁ, cf. LXX Ex 28, 20; 39, 13. Ez 28, 13., qui semel Ez 10, 9 *carbunculum* explicant et Ez 1, 16. Ct 5, 14. Dn 10, 6 vocabulum Hebraicum retinent (θαρσείς, θαρσίς); Vulgata Ct 5, 14 *hyacinthum* vertit; Josephus AJ 3, 7. 5 χρυσόλιθον intellegit. Itaque nihil certi traditum esse videtur. Cf. etiam Apc 21, 20. — 5) Κρύσταλλος Apc 4, 6; 22, 1. Fieri potest, ut etiam vocabulum

קֶרַח (Ez 1, 22) eandem vim habeat, cum antiqui crystallum esse glaciem maximo frigore duratam putarent. Certe גָּבִישׁ (Job 28, 18) crystallum significat. — 6) שָׁמִיר *adamas* (Jer 17, 1. Ez 3, 9. Sach 7, 12). Antiqui autem solis fragmentis adamantis utebantur neque eum levigare sciebant. — 7) נֹפֶךְ (Ex 28, 18; 39, 11. Ez 27, 16; 28, 13) LXX interpretes ter reddunt ἄνθραξ i. e. carbunculus. Hieronymus quoque *carbunculum* intellegit. Idem Josephus AJ 3, 7. 5 iudicat. — 8) יָשְׁפֵה (Ex 28, 20; 39, 13. Ez 28, 13) fortasse *iaspidem* significat (Syr.), Assyr. *jašupû*, *ašpû*, ʿAmârna *jašpu*; LXX et Josephus ὄνυχα intellegunt; Vulg. *beryllum* vertit. LXX et Vulg. יַהֲלֹם (Ex 28, 18; 39, 11. Ez 28, 13) *iaspidem* interpretantur, qui lapis non pellucidus varii coloris ab antiquis saepe ad gemmas et sigilla insumebatur. — 9) לֶשֶׁם (Ex 28, 19; 39, 12) λιγύριον, *ligurium* (LXX, Vulg.) significat. Cf. Aeg. *nšm*. — 10) שֹׁהַם (fortasse Assyr. *sâmtu*, Gn 2, 12. Ex 25, 7; 28, 9. 20; 35, 9. 27; 39, 6. 13. Ez 28, 13. Job 28, 16. I Chr 29, 2), quod nomen veteres interpretes varie explicant: *onychem, sardonychem, sardium, beryllum* (rectius *chrysoprasum*). — 11) אַחְלָמָה (Jes 54, 12) plerique recentiores lapides lucentes vel splendoris ignei, nonnulli *carbunculum* intellegunt. — 12) סַפִּיר, σάπφειρος, *sapphirus* sive *sappirus* (Ex 24, 10; 28, 18; 39, 11. Jes 54, 11. Job 28, 6. 16), gemma caerulea. — 13) אֹדֶם, σάρδιον, *sardius* i. e. *carneolus*, qui est alia species chalcedonis (Ex 28, 17; 39, 10. Ez 28, 13). — 14) בָּרֶקֶת (Ex 28, 17; 39, 10) et בָּרְקַת (Ez 28, 13) est σμάραγδος, *smaragdus* (LXX, Jos. Vulg.). — 15) פִּטְדָה (Ex 28, 17; 39, 10. Ez 28, 13) ex veterum interpretum opinione est *topazius* (Sanscr. *pîta* = flavus).

Cf. K. E. Kluge, Handbuch der Edelsteinkunde. Leipzig 1860. M. Bauer, Edelsteinkunde. ib. 1896.

II. Ad ornamenta utriusque sexus communia pertinent:

1) *Anuli*, qui aut ex auro, argento, alio metallo confecti erant aut ex margaritis perforatis atque inter se consertis componebantur aut ex globulis, qui rotundam et pellucidam guttarum stillantium speciem exprimebant, constabant. Gestabantur in digitis manus (טַבָּעוֹת Gn 41, 42. Jes 3, 21. Esth 3, 10. 12; 8, 2. 8. 10) atque ex lobis aurium (עֲגִילִים Nm 31, 50. Ez 16, 12. נְזָמִים Gn 35, 4. Ex 32, 2 s. Prov 25, 12. נְטִיפוֹת Jdc 8, 26. Jes 3, 19) vel ex naribus perforatis aut ex fronte dependebant naribusque imminebant (נִזְמֵי הָאַף Gn 24, 47. Jes 3, 21. Ez 16, 12. חַחִים Ex 35, 22).

Etiam nunc mulieres orientales nares perforare solent, e quibus anuli aut gemmae pendunt. — Viro ingenuo perforatio aurium ignominiosa erat; eâ enim perpetua servitus significabatur (Ex 21, 5 s. Dt 15, 16 s.). — Nonnullae aureae inaures singulari forma in Tell Dschezer inventae sunt. Complures anuli digitorum ex auro confecti in Tell Taʿannek effossi sunt.

2) *Monilia* sive catenulae aureae argenteaeve collo circumductae (רָבִיד Gn 41, 42. Ez 16, 11. חֲלִי Prov 25, 12. Ct 7, 2. חֲלָיָה Hos 2, 15.

cf. Jdc 8, 26., ubi collis camelorum principum Midianitarum torques suspensos esse legimus), nonnumquam ex globulis aureis consertis factae (cf. בּוּמֹו Ex 35, 22. Nm 31, 50) vel ex serie margaritarum coraliorumve constantes (חֲרוּזִים Ct 1, 10).

Reges Chaldaeorum et Persarum eos, quos honorare volebant, purpurâ et torque aureo condecorare solebant (Dn 5, 7. 16. 29. Xenoph. Anab. 1, 2, 27. Cyrop. 8, 5, 18). In Aegypto primus socius et administer reipublicae gerendae torque aureo ornabatur (Gn 41, 42). Apud Aegyptios etiam summus sacerdos, cum iudiciis praeerat, catenam auream cum parva veritatis imagine gestabat (Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 48. 75. Aelian. Var. hist. 14, 34).

3) *Armillae* sive vincula manuum (צְמִידִים Gn 24, 22. 30. 47. Nm 31, 50. Ez 16, 11; 23. 42. etiam אֲצָעָדָה Nm 31, 50. II Sm 1, 10., quod vocabulum proprie catenulam cruralem significat), ex ebore, auro vel argento fabricatae, qui ornatus antiquissimus est atque etiam nunc inter omnes gentes orientis invenitur.

Quod ornatûs genus olim magni aestimatum esse ex verbis Sir 21, 21 colligitur: ὡς κόσμος χρυσοῦ φρονίμῳ παιδεία καὶ ὡς χλιδὼν ἐπὶ βραχίονι δεξιῷ i. e. vir prudens doctrinam, quam audit, rem pretiosam existimat, eâ utens ipse ornatur, honoratur, prospere se habet.

4) *Amuleta* (talmud. קמעות), ornamenta superstitiosa, plerumque gemmae lapidesque pretiosi vel auri argentique laminae, quibus formulae magicae inscriptae erant quaeque ex collo vel ex auribus pendebant. Cuius modi erant effigies aureae serpentium (לְחָשִׁים), quas feminae Hebraeae gestabant (Jes 3, 20).

III. Ornamenta virorum erant:

1) *Sigillum* (חוֹתָם, Arab. *ḫâtamun*; טַבַּעַת, cf. verb. Arab. *ṭaba'a* = impressit, LXX δακτύλιον), quod haud raro anulo insculptum erat (Gn 38, 18. I Rg 21, 8), saepe pretioso et ad quendam digitum manus dexterae gestato (Jer 22, 24. Sir 49, 11., interdum etiam a feminis M. Schabbath 6, 3), quo tradito reges orientis summos regni praefectos creabant (Gn 41, 42. Esth 3, 10; 8, 2. I Mcc 6, 14 s.) [1]. Ex quo intellegitur, quid sibi velit, quod rex theocraticus quasi anulus signatorius in manu Jahvae dicitur (Jer 22, 24. Hagg 2, 24). Nonnumquam Hebraei anulum signatorium e funiculo (פְּתִיל) suspensum in pectore gestabant (Gn 38, 18. 25), ad quem morem Ct 8, 6 respicitur [2].

[1] Alexander moriens „detractum anulum digito Perdiccae tradidit" (Curt. De reb. gest. Alex. 10, 5). Quare Aristonus dixit „iudicatum ab

ipso optimum Perdiccam, cui anulum tradidisset" (ib. 10, 6). Etiam nunc imperator Osmanorum eodem ritu praefectum regni, quem Vesirum magnum vocant, constituit.

[2] Cum sigillum anulo signatorio impressum antiquis temporibus ut hodie in oriente vicem nominis subscripti expleret, talis anulus magni aestimabatur et Hebraei eo vulgo utebantur. Atque sigillo (חֹתָם חֹתָם Job 38, 14) non solum scripta (I Rg 21, 8), sed etiam libri (Jes 29, 11), sacculi (Job 14, 17), putei (Dn 6, 17), portae (Vulg. Dn 14, 10. 13) obsignabantur.

Cylindri signatorii in Babylonia usitati in Canaan quoque in usu erant, id quod effossionibus (velut in Tell Taʿannek) demonstratum est.

2) *Baculus* (מַטֶּה, מִקֵּל שֵׁבֶט), pastoribus (Lv 27, 32. Mich 7, 14. Sach 11, 7. Ps 23, 4) et itinerantibus (Gn 32, 10. Ex 12, 11. Mt 10, 10. Mc 6, 8. Lc 9, 3) necessarius, a proceribus ad pompam gestari solebat tamquam signum potestatis et dignitatis (Gn 38, 18. 25).

In Aegypto quoque personae maioris dignitatis ut sacerdotes aliique baculum ferebant (A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 283 s.). Atque Herodotus Hist. 1, 195 memoriae prodit unumquemque virum Babylonium cum anulo signatorio et baculo incessisse.

3) Viros Hebraeos (utique non omnes) *inaures* gestasse ex locis Ex 32, 2; 35, 22 apparet atque etiam ex consuetudine gentium finitimarum colligendum esse censeo. Velut Jdc 8, 24 Midianitae inaures gestasse dicuntur. Assyrios quoque iis ornatos fuisse ex monumentis effossis apparet. Beduini etiam nunc inaures gestare solent.

IV. Inter ornamenta mulierum memorantur:

1) *Parvi soles* (שְׁבִיסִים Jes 3, 18) i. e. bullulae speciem solis exprimentes et in collo gestatae, quas feminae Hebraeae unâ cum superstitioso solis cultu a gentibus finitimis mutuatae esse videntur. Haud pauci interpretes existimant eo vocabulo quoddam genus vestimentorum, tessellis vel ocellis distinctum et variatum, significari. Graeci Alexandrini vertunt ἐμπλόκια, *opera implexa* vel, ut alii putant, *reticula*.

Effossionibus in Palaestina factis multi scarabaei inventi sunt. Scarabaei sunt partim gemmae partim paene gemmae, quae *amuletorum* loco gestabantur. Quod autem eos plurimos in Palaestina ad meridiem vergente (velut in Tell Dschezer, Tell el-Ḥasī) effossi sunt, documento est Aegyptiorum cultum atque humanitatem ad eos, qui ibi habitabant, vehementer pertinuisse. Neque vero in Palaestina ad septentriones spectante desunt, id quod scarabaeo cum imagine leonis scalpta, quem *E. Sellin* in Tell Taʿannek invenit, demonstratur. Etiam in Tell el-Mutesellim scarabaei effossi sunt.

2) *Lunulae* (שַׁהֲרֹנִים, cf. Arab. *šahrun* = nova luna, Jes 3, 18), ornamenta aurea vel argentea figurâ lunae; funiculo applicata ex collo pendebant. Graeci Alexandrini vertunt μηνίσκους, quod vocabulum Hesychius (Lex. II, 595) interpretatur πέταλα περιτραχήλια *lamellas collo suspensas*, Suidas (Lex. II, 1, 833) περιτραχήλια κόσμια *ornamenta collo suspensa.*

Quod ornamentum apud alias quoque gentes orientis antiqui gestabatur (cf. Jdc 8, 21. 26) atque etiam nunc eius usum pervulgatum esse ex multis scriptorum Arabicorum locis eorumque, qui regiones orientis perlustrarunt, narrationibus apparet.

3) *Olfactoriola* (בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ *domunculae halitus* sive *odoris* Jes 3, 20), pyxidulae musco et ambrâ impletae, quae fortasse cingulo suspendebantur.

4) *Specula* (מַרְאוֹת Ex 38, 8. גִּלְיֹנִים Jes 3, 23. ἔσοπτρα Jac 1, 23) e metallo polito (cf. רְאִי Job 37, 18), imprimis ex aere facta (Ex 38, 8), quibus feminae in publicum prodeuntes se ostentabant. In qua re mulieres Hebraeae Aegyptias imitatae sunt, quas cum templum adirent, speculum manibus gestare solitas esse scriptores antiqui (Cyrillus Alexandrinus et Procopius Gazaeus) tradunt (cf. p. 61). Ex nonnullorum opinione vocabulo גלינים quaedam vestimenta superiora pellucida intellegenda sunt. Graeci Alexandrini vertunt διαφανῆ λακωνικά (ἱμάτια vel χιτώνια). Suidas (Lex. I, 1, 1320) vocabula διαφανῆ χιτώνια explicat verbis: χιτώνια οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι' ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν.

Etiam Sir 12, 11 in textu Graeco speculi mentio fit: καὶ ἔσῃ αὐτῷ ὡς ἐκμεμαχὼς ἔσοπτρον = *eris ei sicut qui absterserit speculum.* Quo loco in textu Hebraico speculum vocabulo רז, quod ex רְאִי corruptum est, significatur.

Ceterum adnotandum est Hebraeos numquam magnis speculis parieti affixis, sed solis speculis manualibus usos esse.

5) Mulieres sumptuosae in articulis pedum nonnumquam *periscelides* (עֲכָסִים, cf. Arab. *ʿakasa* = invertit, revinxit, Gr. περισφύρια) gestabant (Jes 3, 18) i. e. anulos ex argento, auro aliisve materiis factos, qui interdum catenulis (צְעָדוֹת ib. v. 20) aureis vel argenteis iuncti erant, ut minutis passibus eleganter incedere cogerentur; nam passus breviores eosque aequales mulieres delicatae in deliciis habebant.

Eius modi anuli articulorum pedum apud alias quoque gentes antiquas in usu fuisse atque etiam nunc apud complures gentes orientis in usu esse ex multis scriptorum testimoniis apparet.

6) *Marsupia* (חֲרִיטִים, cf. Arab. *ḫaraṭa* = pellem detrahere, Jes 3, 22), ex corio vel etiam ex metallo confecta et pulchre ornata, quibus pecunia recondebatur (cf. II Rg 5, 23).

Adnotatio. — Loco Jos 7, 21. 24 memoratur לְשׁוֹן זָהָב *lingua aurea*, quod ornamentum formâ linguae fuisse videtur. Ex aliorum opinione gladiolus aureus intellegendus est, quo incolae urbis Jericho aliquem deorum suorum armarunt. Cf. Gell. Noct. Attic. 10, 25., qui affirmat veteres gladiolum oblongum in speciem linguae adsimulatum *lingulam* appellasse. Vulgata vertit „regulam auream" i. e. laminam auri instar linguae. Atque aurum formâ linguae in inscriptionibus Assyriorum et Babyloniorum saepius commemoratur; unde apparet lateres aureos (Goldbarren), plerumque minam pondô, in Mesopotamia formam linguae imitantes confectos esse. Cf. B. Meissner in ZAW XXIII, 1903, 151 s.

Nonnullis locis etiam *calcei* inter ornamenta (Jes 3, 18. Ez 16, 10. Ct 7, 1. Jdth 10, 3; 16, 11), aliis inter res minimi pretii (Am 2, 6; 8, 6) numerantur.

Caput quintum

De corporis cultu

Munditiei corporis Hebraei frequentibus lavationibus providebant (cf. רָחַץ *lavit se*, Arab. *raḥaḍa*) idque in aquis vivis (Lv 15, 13. II Rg 5, 10. cf. Ex 2, 5), domi (II Sm 11, 2. Jos. AJ 14, 15. 13. BJ 5, 4. 3), in hortis (Vulg. Dn 13, 15). Imprimis lotiones ad religionem spectantes saepe commemorantur. Velut in consecrandis sacerdotibus et Levitis (Ex 29, 4. Nm 8, 7). Sacerdotes ritibus sacris functuri manus et pedes lavare debebant (Ex 30, 19; 40, 12. 31). Die expiationis summo sacerdoti lotiones praescriptae erant (Lv 16, 4. 24). Etiam ad tollendas immunditias corpus vel vestimenta lavari necesse erat (Lv 11, 25. 28; 13, 6. 34. 54. 56. 58; 14, 8 s. 47; 15, 5 ss; 16, 26. 28; 17, 15; 22, 6. Nm 19, 8 ss.). A Pharisaeis multas lotiones observatas esse in novo testamento legimus (Mt 15, 2. Mc 7, 3 s. Lc 11, 38).

Aetate posteriore balneae quoque memorantur (cf. II Rg 20, 20. Jes 22, 11. Neh 3, 15 s. Jo 5, 2; 9, 7. Jos. AJ 19, 7. 5), ubi balneatores et balneatrices viris et mulieribus seorsim lavatum euntibus supellectilem balnearem (velut gausapinam, subligaculum, spongiam) tradebant iisque serviebant (M. Schebiith 8, 5. Nedarim 5, 5. Baba bathra 4, 6).

Post lotionem etiam unctiones, quibus corporis vigor conservatur et augetur atque cutis mollis nitensque fit, saepius usurpatas esse ex sacris litteris colligitur (II Sm 12, 20. Ez 16, 9. Rth 3, 3. Jdth 10, 3). Imprimis magni aestimabatur magnique erat pretii oleum odori-

ferum, quod ex nardo (נֵרְד, νάρδος) extrahebatur (Ct 1, 12; 4, 13 s. Mc 14, 3. Jo 12, 3). Additis variis aromatibus ex illo oleo unguentum parabatur, quod minoris erat pretii. Plerumque oleo olivarum utebantur (Dt 28, 40. Ez 16, 9. Am 6, 6. Mich 6, 15. Lc 7, 46. quare שֶׁמֶן = *unguentum*), cui nonnumquam varii odores, ex longinquis quoque regionibus allati (cf. I Rg 10, 10. Ez 27, 22), admixti erant. Quae unguenta (רְקָחִים Jes 57, 9) partim ab ancillis (I Sm 8, 13), partim ab unguentariis (Neh 3, 8) parabantur.

Frequentem odorum usum apud omnes gentes orientis scriptores et monumenta totius antiquitatis testantur. Quod haud mirum est, cum odores et sensibus oblectamenta et incommodis, quae solis ardoribus efficiuntur, remedia praebeant atque in regionibus orientis magnâ abundantiâ inveniantur; quare iam antiquitus commercium odorum apud orientales permagno erat momento.

Hîc notandum est Hieronymum, Aquilam, Symmachum II Rg 20, 13 et Jes 39, 2 verba בֵּית נְכֹת *domum* sive *cellam aromatum*, τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων interpretari. Nam vocabulum נכת a נכה i. q. נכא *contundere, confringere* ducunt atque idem significare existimant quod נְכֹאת Gn 37, 25 (LXX θυμιάματα) et ib. 43, 11 (Vulg. *storax*). Graeci Alexandrini vocabulum Hebraicum non verterunt (τὸν οἶκον τοῦ νεχωθᾶ). At probabilius et contextui convenientius „domus thesauri" regii intellegitur, quae in inscriptionibus cuneatis saepius simili nomine *bît nakanti* vel *nakamâti* appellatur (a verbo *nakâmu*, cui notio accumulandi inest). Conferas Frd. Delitzsch, Prolegomena eines neuen hebr.-aram. WB zum AT 141.

Mos in oriente late patens est, ut feminae colorem fucent. Etiam mulieres Hebraeae vultum *fuco* (פּוּךְ, Gr. φῦκος, cf. Arab. *phakka* = fregit, in pulverem redegit; Aram. פֻּחְלָא, Arab. *kuḥl*) pingebant, de qua re tamen in antiquioribus veteris testamenti libris nulla mentio fit. Loco demum Sap 13, 14 μίλτος = *rubrica, minium* memoratur. Praeterea palpebras fuco (ex stibio vel plumbo facto) illinere (כָּחַל, Arab. *kaḥala*) solebant, quo oculi et splendidiores et maiores viderentur, quod decori esse opinabantur (II Rg 9, 30. Jer 4, 30. Ez 23, 40. cf. Jes 54, 11. Jos. BJ 4, 9. 10. M. Schabbath 8, 3). Mos ille, quo orientales nostrae aetatis extremos digitos et manuum et pedum cum *Alḥenna (al-ḥinna'u)* rubros tingere solent, apud Hebraeos reperiri non potest. Corpora autem notis compungere (tätowieren), quod imprimis apud Beduinos in usu est, apud antiquos quoque Hebraeos usitatum fuisse videtur, dum ratione religionis habita vetitum est (Lv 19, 28. Dt 14, 1).

De more veterum oculos fucandi conferas K. A. Hille in ZDMG V, 1851, 236—242 (Ueber den Gebrauch und die Zusammensetzung der orientalischen Augenschminke). J. G. Wilkinson-S. Birch, The manners and customs of the ancient Egyptians II, 347—349.

Sectio tertia

De alimentis

Caput primum

De cibis

I. Prima hominum alimenta erant herbae et fructus (Gn 1, 29; 2, 16). Interiecto tempore etiam carnes animalium comedere usu receptum esse nonnulli ex distinctione animalium mundorum et immundorum colligunt, de qua iam Gn 7, 2 mentio fit, ut herbae et arbores dumtaxat eo tempore, quo animalia multiplicarentur, hominibus alimenta praebuerint. Post diluvium caro diserte alimentis adnumeratur (Gn 9, 3).

Loco Gn 9, 3 non de venia primum data carnem edendi agitur, id quod saepe dicitur. Ibi tantum ea venia diserte datur aut potius confirmatur.

II. Primo frumentum sine ulla praeparatione manducabatur (cf. Dt 23, 25), quod etiam aetate Christi nondum prorsus exoleverat (Mt 12, 1. Mc 2, 23. Lc 6, 1). Invento ignis usu grana frumenti, imprimis hordei et tritici, torrebantur atque lapidibus conterebantur [1]. Tales lapides, ubicumque in Palaestina effossum est, multi inventi sunt. Aegyptios quoque frumentum lapidibus conterere solitos esse ex imaginibus ibi inventis cognoscimus. Postea ut farina [2] commodius fieret, *mortaria* (מְדֹכָה Nm 11, 8. מַכָּתֵשׁ Prov 27, 22., ubi etiam עֶלִי = Assyr. *elit urṣi* i. e. *pistillum* memoratur) inventa sunt; deinde *molae trusatiles* (רֵחַיִם pr. bini lapides Ex 11, 5. Nm 11, 8. Dt 24, 6. Jes 47, 2. Jer 25, 10. טְחוֹן Thrn 5, 13. טְחֲנָה Koh 12, 4) vel *molae manuariae*, Graece χειρόμυλαι, quales etiam nunc in oriente usurpantur [3]. Constabat autem talis mola ex duobus lapidibus rotundis ad eum usum adaptatis, quorum inferior (פֶּלַח תַּחְתִּית Job 41, 6. Graece μύλη, *meta*) pavimento fixus, superior (רֶכֶב Dt 24, 6. פֶּלַח רֶכֶב Jdc 9, 53. II Sm 11, 21. Graece ὄνος vel ἐπιμύλιον, *catillus*) mobilis erat atque ab ancillis infimis, nonnumquam etiam ab hostibus captis ope *manubrii* (יָד) circumagebatur (unde eius nomen רכב i. e. lapis vector), ut grana inter lapides tererentur [4]. Praeterea in Talmud memorantur *infundibulum*, quo frumentum in molam decurrit; *arca pollinaria* i. e. orbis ligneus circa molam inferiorem ad recipiendam farinam, ne in terram decidat, positus; *cribrum pollinarium*, cuius ope farina a furfuribus secernitur, ex pellibus asininis vel suillis confectum (multisque foraminibus instructum) vel ex lino

aut saetis equorum. Aetate posteriore molae maiores ac graviores, quarum lapis superior non manu, sed asinorum operâ versabatur, introductae sunt, quales apud Graecos quoque et Romanos in usu erant. Quare *molae asinariae* vocabantur (cf. Mt 18, 6. Mc 9, 41. Lc 17, 2: μύλος ὀνικός, in nonnullis codicibus λίθος μυλικός), quae etiam nunc in oriente conspiciuntur.

Frumentum in singulis familiis cottidie molebatur. Quare cessatio strepitus molarum signum publici infortunii est (Jer 25, 10) atque Hebraei molam pro pignore accipere vetiti erant (Dt 24, 6).

[1] Incolae Palaestinae et Arabiae etiam nunc virides frumenti aristas decerptas igni torrere et grana inter manus comminuta comedere solent.

[2] Farina Hebraice significatur vocabulo קֶמַח (Assyr. *kêmu,* Aeg. *kamaḥ*, vet. Aeg. *ḳmḥu,* species panis) Nm 5, 15. Jdc 6, 19. I Sm 1, 24; 28, 24. II Rg 4, 41. Jes 47, 2. Hos 8, 7. I Chr 12, 40.; farina purissima (polenta minutissima) vocabulo סֹלֶת (cf. Assyr. *salâtu* = conterere) I Rg 5, 2. II Rg 7, 1. 16. 18. Ez 16, 13. 19. I Chr 9, 29; 23, 29. vel קֶמַח סֹלֶת Gn 18, 6.; farina crassior vocabulo עֲרִיסָה (Syr. *'arsâna*) Nm 15, 20 s. Ez 44, 30. Neh 10, 38.; frumentum unâ cum folliculo tostum eiusque farina vocabulo קָלִי (Assyr. *ḳalû*) Lv 23, 14. I Sm 25, 18. II Sm 17, 28. Rth 2, 14. et קָלִיא I Sm 17, 17. Loco II Sm 17, 19 commemorantur רִיפוֹת (cf. Assyr. *ripitu* = genus quoddam frumenti; LXX B ἀραφώθ, A ἀραβωθώθ; Luc. et Theod. παλάθας, Aqu. et Symm. πτισάνας vertunt). Intellegendae sunt ptisanae (Germ. Gerstengrütze), quae Prov 27, 22 in pila contundi dicuntur (LXX circumlocutionem praebent). Ex coniectura, quam P. Haupt (Verhandl. d. XIII. Orient. Congr. 232) protulit, Prov 27, 22 grana aeris (Germ. Erzgraupen), sed II Sm 17, 19 τὰ ἄλφιτα (Germ. Gerstengraupen) intellegenda sunt (cf. Aram. ריפתא = panis, Arab. *raphata* = comminuit). Ceterum conferas G. H. Dalman, Die Mehlarten im alten Testament (AtlSt 61—69).

[3] Mola manuaria in Canaan prius nota erat quam in Aegypto. Quamquam falso inde colligitur iam mature farinam ex Syria in Aegyptum importatam esse. Id unum constat Aegyptios in furnaria multis vocabulis Semiticis usos esse, unde apparet Syros in ea sollertes fuisse. Atque pistores primae notae in Aegypto ex anno a. Ch. n. millesimo quingentesimo natione Syri fuisse videntur.

[4] Velut Ex 11, 5., ubi, cum viris summae dignitatis homines infimae condicionis opponantur, ancilla molae manuariae alligata nominatur. Atque Jesaia 47, 2 abiectissimam servitutem Babyloniae, quam imagine servae inducit, describens: „Virgo filia Babylon — inquit — sume molam et mole farinam". Cf. etiam Mt 24, 41. Lc 17, 35.

Simson a Philistaeis captus molae versatili alligatus esse narratur Jdc 16, 21. Servos ad commolendum frumentum, quasi ad durissimum servitutis genus, damnatos excaecare solebant, ne vertigo labori obstaret, ut ex historia Simson (loco allato) apparet. Secundum LXX Jer 52, 11 etiam Zedekia rex oculorum lumine privatus et ad durum molendi laborem

εἰς οἰκίαν μύλωνος missus est. Id quod textu Hebraico („dedit eum in domum inspectionum" i. e. in carcerem vigiliis munitum, cf. Cald. et Syr.) non commendatur et fortasse ex Thrn 5, 13 ortum est, ubi legimus: Chaldaei „iuvenes" Judaeorum „ad molendum sumpserunt" i. e. ad molas versatiles condemnarunt.

III. Panis praecipuus cibus vulgi erat; quod apparet ex modis loquendi *manducare panem* (אָכַל לֶחֶם Gn 31, 54; 37, 25; 43, 32. Jer 41, 1; 52, 33. ἄρτον ἐσθίειν Mt 15, 2. Mc 7, 2. 5. ἄρτον φαγεῖν Mc 3, 20. Lc 14, 1), *apponere panem* (שִׂים ל Gn 43, 31), *frangere panem* (פָּרַם ל Jes 58, 7. Jer 16, 7. Thrn 4, 4 quo loco pro פָּרַשׂ legendum est פָּרַם), qui idem significant quod *prandere, cenare, epulari.* Plerumque panis ex tritico parabatur, a pauperibus ex hordeo (Jdc 7, 13. II Rg 4, 42. Ez 4, 9. 12; 13, 19. Jo 6, 9. 13. Jos. BJ 5, 10. 2), premente necessitate e fabis quoque, lentibus, aliis frugibus vilioribus (Ez 4, 9. cf. Plin. Hist. nat. 18, 30).

Farina in mactra lignea (מִשְׁאֶרֶת Ex 7, 28; 12, 34. Dt 28, 5. 17) affusâ aquâ depsebatur (לוּשׁ, Assyr. *lašû*, Gn 18, 6. I Sm 28, 24. II Sm 13, 8. Jer 7, 18) et plerumque addito fermento (שְׂאֹר Ex 12, 15. 19) formabatur. Massae formatae vel in furno vel in sartagine plana vel in lebete coquebantur (cf. p. 331). Si autem panes festinanter parandi erant, sub favilla aut carbonibus *azymi* coquebantur (מַצּוֹת Gn 19, 3. עֻגוֹת מצות Ex 12, 39. לֶחֶם מצות Ex 29, 2. LXX ἐγκρυφίαι = *occultaticiae* placentae, quia, cum coquebantur, in cineribus sepultae latebant; Vulg. *panes subcinericii*), quales orientales in itinere atque urgente tempore etiam nunc parare solent. Ad ignem faciendum adhibebatur lignum aut eo deficiente fimus animalium ad solem siccatus (cf. Ez 4, 12. 15), qui mos hodie quoque in oriente in usu est.

Panes formâ rotundâ conficiebantur (cf. כִּכַּרוֹת לֶחֶם Ex 29, 23. Jdc 8, 5. I Sm 2, 36; 10, 3. Prov 6, 26. LXX κολλυρίδες ἄρτου) et subtiles erant. Quare haudquaquam cultro scindebantur, sed manu frangebantur (Mt 14, 19; 26, 26. Mc 14, 22. Lc 22, 19. Act 20, 11. I Cor 11, 24).

Ceterum placentae varii generis parari solebant. Atque magni aestimabantur placentae *mellitae* (צַפִּיחִת דְּבַשׁ Ex 16, 31) et *adipatae* (לְבִיבוֹת II Sm 13, 6. 8. 10. LXX κολλυρίδες, Vulg. *sorbitiunculae*, Syr. *lebvâtâ* = lagana, Germ. *Plinsen*; ex aliorum opinione genus quoddam operis pistorii tenue et convolutum vel quod figuram cordis exprimit) atque *uvarum* (צִמֻּקִים, Venet. *simmuchi*, I Sm 25, 18; 30, 12. II Sm 16, 1. I Chr 12, 40. אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים Hos 3, 1), quibus itinere lassi reficiebantur quaeque in sacrificiis idolorum offerri solebant (Hos l. c.). Item כַּוָּנִים (LXX καυῶνες, cf. Assyr. *kamânu*, *kawânu*) erant placentae idoli

honoris causâ paratae (Jer 7, 18; 44, 19). Etiam e ficubus aridis placentae conficiebantur (דְּבֵלִים I Sm 25, 18; 30, 12. II Rg 20, 7. Jes 38, 21. I Chr 12, 40); nonnulli putant genus quoddam marmelade fuisse [1].

Panem parare (אָפָה cf. Assyr. *epû*) aut cibos coquere (בָּשַׁל) olim erat matris familias, etiam principis, postea invalescente luxu ancillarum (Gn 18, 6; 27, 14. 17. Lv 26, 26. I Sm 8, 13; 28, 24. II Sm 6, 19; 13, 8. Mt 13, 33. cf. Jer 7, 18; 44, 19. M. Challa 2, 7), interdum famulorum (Gn 18, 7) ipsorumque dominorum (ib. 19, 3. Jdc 6, 19) [2]. In nobiliorum domibus etiam *coqui* (טַבָּחִים I Sm 9, 23 s. cf. Lc 17, 8) et *coquae* (טַבָּחוֹת I Sm 8, 13) memorantur. Quibus postea *pistores* (אֹפִים), qui in Aegypto iam aetate multo antiquiore erant (Gn 40, 1. 17; 41, 10), successerunt (Hos 7, 4. 6. Jos. AJ 15, 9. 2). Neque est causa, cur dubitemus, quin in maioribus Judaeae urbibus publicae pistorum officinae fuerint (cf. חוּץ הָאֹפִים, forum pistorium Hierosolymis Jer 37, 21).

Vasa varii generis variaeque formae ad cibos parandos saepius memorantur, ut קַלַּחַת (fortasse Aeg. *krḥt* = vas) *olla, lebes* (I Sm 2, 14. Mich 3, 3), סִיר *olla* (Ex 16, 3. Jer 1, 13. Ez 11, 3. 7. 11; 24, 3. 6), פָּרוּר *olla* (Nm 11, 8. Jdc 6, 19. I Sm 2, 14), דּוּד *olla* = Assyr. *dûdu* (I Sm 2, 14. II Chr 35, 13), צַלָּחוֹת *paropsides* (II Chr 35, 13), מַאֲכֶלוֹת *cultri* (Gn 22, 6. 10), מִזְלֵג *fuscina* ad carnem promendam et tenendam (I Sm 2, 13 s.).

[1] Opera pistoria primae notae Hebraei sine dubio iam in Aegypto cognoverunt; nam ibi artem pistoriam valde excultam fuisse monumentis antiquis comprobatur, quibus variae panum formae exhibentur.

[2] Observandum est eius modi operam hodie quoque in oriente viro nobili indignam non esse. Etiam apud Hom. Iliad. 5, 205—221 duo insignes heroes, Achilles et Patroclus, ipsi coquunt.

IV. Praeter frumentum pro cibo sumebantur *fabae* (פּוֹל II Sm 17, 28. Ez 4, 9), *lentes* (עֲדָשִׁים Gn 25, 34. II Sm 17, 28; 23, 11. Ez 4, 9), *pepones* (אַבַּטִּיחִים Nm 11, 5), varia alia legumina. *Uvarum* quoque, *ficuum, olivarum, malogranatorum, amygdalorum, malorum* aliorumque fructuum ut cibi saepe fit mentio (Gn 43, 11. Dt 24, 20. I Rg 4, 25. Joel 1, 12. Am 7, 14. Ct 2, 5. al.). Premente fame etiam *cucumeres* agrestes vel asinini (פַּקֻּעוֹת II Rg 4, 39) et *halimus* (מַלּוּחַ Job 30, 4) a pauperibus comedebantur. *Mel* (דְּבַשׁ), et quod apes domesticae conficiunt, et quod ab apibus agrestibus factum ex arboribus cavis (I Sm 14, 25) et fissuris rupium (Dt 32, 13. Ps 81, 17) defluit (= μέλι ἄγριον Mt 3, 4. Mc 1, 6), cum ad cibum (pro more orientis plerumque cum pane) tum ad dapes condiendas adhiberi solebat (Gn 43, 11. Ex

16, 31. Jdc 14, 8 s. I Sm 14, 27. II Sm 17, 29. Ez 16, 13. Ct 5, 1. Sir 39, 26. Mt 3, 4. Mc 1, 6. Lc 24, 42). Orientales enim res dulces amare solent atque apud antiquos mel ec maioris momenti erat, quod locum sacchari in parandis cibis et condiendo vino tenebat. Quare in sacris litteris mel symbolum est iucunditatis (Ps 119, 103. Prov 24, 13 s. Ct 4, 11. Sir 24, 20). Monet autem auctor Proverbiorum (25, 16), ut eo moderate utatur, ne dulcedo nauseam creet, neve quod sanitati prodest, in detrimentum vertatur.

Complures viri docti μέλι ἄγριον sucum dulcem intellegunt, qui ex quibusdam arboribus, velut palmis et ficubus, certo tempore stillat humumque decidit. At quae pro hac opinione afferuntur, iis nihil aliud probatur nisi sucum illum etiam μέλι ἄγριον appellatum esse, neque tamen efficitur id nomen suci illius ita proprium fuisse, ut nihil aliud significare posset. Velut Suidas Lex. I, 1, 179. s. v. ἀκρίς notat: μέλι ἄγριον, ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων ἐπισυναγόμενον μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται. Similiter Diodorus Sic. Bibl. hist. 19, 94 eo nomine dulcem arborum sucum significat. Ex altera autem parte ostendi non potest mel ab apibus confectum re vera μέλι ἄγριον appellatum esse. Quare ex solo nomine dici non potest, utra explicatio praeferenda sit.

Josephus BJ 4, 8. 3 memoriae prodit etiam e dactylis mel eo, quod apes conficiunt, vix inferius parari. Cum Arabes nomine *dibs,* quod Hebraico דִּבְשׁ respondet, materiam melli similem significent, quae coquendo musto uvarum paratur, multi existimant compluribus veteris testamenti locis דִּבְשׁ non mel apum, sed *dibs* Arabum intellegendum esse, imprimis ubi unâ cum aliis rebus, quae ad stirpem pertinent, memoratur (Dt 8, 8. II Chr 31, 5) vel de melle exportando sermo est (Gn 43, 11. Ez 21, 17). Atque in Tell el-Ḥasî (Lâkîś) apparatus Cananaeorum inventus est, qui melli ex uvis praeparando servisse videtur. Graecis quoque et Romanis mel ex uvis confectum notum erat; a Graecis ἕψημα, σίραιον, σίραιος sc. οἶνος, a Romanis *sapa* vel *defrutum* appellabatur. At contra eius modi mellis usum apud Hebraeos G. H. Dalman (MuNDPV 1906, 83) obicit ius rabbinicum in discussionibus de naziraeis et de votis illud quidem nosse mel e dactylis, ignorare mel ex uvis confectum. Quod cum gravissimi sit momenti, illa interpretatio mellis in vetere testamento omittenda est.

Quid verba in describenda fertilitate Palaestinae tritissima אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבַשׁ (Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3. Lv 20, 24. Nm 13, 27; 14, 8; 16, 13 s. Dt 6, 3; 11, 9; 26, 9. 15; 31, 20. Jos 5, 6. Jer 11, 5; 32, 22. Ez 20, 6. 15) significent, proximis annis multum disceptatum est. Quae verba propterea difficultatem quandam afferunt, quod Palaestina lacte et melle nequaquam abundat, ita ut tantum comparata cum deserto a nomadibus lacte et melle abundans dici possit. G. H. Dalman autem bene observat verbum זוּב non significare *redundare,* sed *fluere, diffluere, effluvium habere.* Quare illa loquendi formula non de multitudine, sed de genere fructuum intellegenda est, ut sensus sit: fructus terrae pinguedine lac, dulcedine mel aequare. Alii mythologicam vim ei tribuunt, qua cultui Dionysi coniungatur atque cibum deorum vel paradisi significet. Ita

H. Usener, B. Baentsch, B. Stade. Atque B. Stade de derivatione e mythologia Babylonia cogitat et H. Zimmern (KAT[3] 526) *dišpu u ḫêmetu* i. e. mel et butyrum (= lac coagulatum) in ritibus Babyloniis non infimum occupare locum affirmat. H. Hänsler illam formulam loquendi tantum imaginem et translationem esse docet, qua iucunditas habitandi in Palaestina exprimatur. — Cf. ZAW XXII, 1902, 321—824 *(B. Stade)*. MuNDPV 1902, 22—44 *(E. Nestle)*, 1903, 73 s. *(J. Goldziher)*, 1905, 27—29 *(G. H. Dalman)*, 1905, 65—71 *(L. Bauer)*, 1906, 81—83 *(G. H. Dalman)*, 1907, 39 s. *(D. Simonsen)*, ZDPV XXXV, 186—199 *(H. Hänsler)*.

Antiqui Hebraei carnibus vix utebantur nisi praesente hospite vel in conviviis (Gn 18, 7. II Sm 12, 4). Sed invalescente luxu divites iis cottidie vescebantur (I Rg 5, 3. Neh 5, 18). Maximi aestimabantur carnes *ferinae* (Gn 27, 3 s. I Rg 5, 3), *agnorum* (Am 6. 4. cf. Jes 53, 7), *arietum* (Gn 31, 38. Ez 39, 18), *vitulorum saginatorum* (Gn 18, 7. I Sm 28, 24. I Rg 5, 3. Am 6, 4. Prov 15, 17. Lc 15, 23), *boum* (I Sm 14, 32. I Rg 5, 3; 19, 21. Jes 22. 13. Neh 5, 18. Mt 22, 4). Etiam caro *haedina* magni fiebat et saepe inter cibos praecipuos laudatur. Velut Isaac, cum ab Esau cuppedia peteret, quibus fastidio senilis palati aliquo modo subveniret. Rebecca duos haedos paravit (Gn 27. 9. 14. 17. cf. etiam 38, 17. Jdc 6. 19; 13. 15; 15, 1. 1 Sm 16, 20. I Rg 5, 3)[1]. Ex *avibus* potissimum turtures et pulli columbarum edebantur; id in libris divinis diserte non dictum ex eo colligi potest, quod ea animalia etiam in sacrificiis usurpabantur. Salomonis mensae etiam aves saginatae (בְּרִבְרִים Luc. et LXX ὄρνιθες, Vulg. *aves*, ex rabbinorum opinione galli et capones) apponebantur (I Rg 5, 3. Vulg. 4, 23)[2]. *Ova* (בֵּיצִים) quoque quarundam avium in usu cibi erant (Lc 11. 12. cf. Dt 22. 6. Jes 10. 14; 59. 5). *Pisces* ab Hebraeis semper in cibis delicatis numerabantur (Nm 11. 5. Neh 3, 3; 13, 16. II Chr 33, 14. Mt 7, 10; 14, 17; 15, 34. 36. Lc 9, 13; 24, 42. Jo 6, 9; 21, 9). Communis pauperum cibus *locustae* assae erant (cf. Mt 3. 4. Mc 1, 6), quarum quattuor genera Lv 11. 22 numerantur: אַרְבֶּה, סָלְעָם, חַרְגֹּל, חָגָב. Sed quaenam iis nominibus significentur, plane incertum est[3]. Premente fame pauperes asinorum quoque carne, quin etiam columbarum stercore vescebantur (II Rg 6, 25)[4].

[1] Vocabulum אֶשְׁפָּר (II Sm 6, 19 = I Chr 16, 3), quod Hieronymus „carnem bubulam (bubalam)“ vertit, ignotae significationis est, fortasse idem quod Aeg. *seper* = costa (ExpT XIII, 1901—02, 190) valet.

[2] Similiter apud Aegyptios aves ad cibum et sacrificia adhibita esse monumenta passim testantur (cf. R. Lepsius, Denkmäler aus Aegypten und Aethiopien II, 9 s. 12. al.) atque etiam in inscriptionibus cuneatis variae aves ad cibum et sacrificia conferendae commemorantur (*Gudea* Inscr. G col. 4, 6 ss; 5, 20; 6, 1 ss. *Nabuchodonosor* Cyl. Grotef. col. 1, 19; 2, 29; 3, 13. al.).

[3] Ex loco Ex 10, 4 multisque aliis locis novimus ארבה (Assyr. *aribu, eribu, eribû,* ex complurium interpretum opinione *gryllus migratorius*), quam LXX et Vulg. βροῦχον, *bruchum* vocant; item ex Nm 13, 33. Jes 40, 22. Koh 12, 5. II Chr 7, 13 חגב, LXX. Vulg. ἀκρίς, *locusta.* Tantum Lv 11, 22 memorantur סלעם, LXX. Vulg. ἀττάκη, *attacus* et חרגל, LXX. Vulg. ὀφιομάχης, *ophiomachus.*

Apud Assyrios locustae pro cuppediis erant, id quod ex imagine quadam, quae in Kujundschik in domo regis Sanherib exstat, apparet, ubi praeter poma, carnem ferinam, alios cibos locustae quoque siccatae in mensa regia ponuntur (A. H. Layard, Ninive und Babylon. Leipzig 1856. 259 et tab. XIV).

Etiam Beduini Arabiae huius aetatis, item Beduini Palaestinae trans Jordanem sitae multas locustas comedunt et tostas et elixas aut in farinam molitas ad libaque absumptas. Neque iniucunde sapere dicuntur.

[4] Turpi exaggeratione Rabsaces civibus Hierosolymitanis exprobrat, quod iam ad eam miseriam redacti sint, ut stercora sua comederent (II Rg 18, 27).

Caro comedebatur vel *assata* (Ex 12, 8 s.) vel *cocta* (Ex 23, 19. Jdc 6, 19. I Sm 2, 13. 15. Ez 24, 3 ss; 46, 20 ss.) [1]. Caro coquenda in frusta minuta secabatur; ex iusculo (מָרָק Jdc 6, 19 s. Jes 65, 4 Qᵉrê, Arab. *marakun*) autem, quo orientales non utuntur, additis oleribus embamma parabatur (cf. Mt 26, 23). *Ars coquinaria* iam antiquis temporibus tam exculta erat, ut pallatum fallere posset (Gn 27, 6 ss.). *Oleum* (שֶׁמֶן. Assyr. *šamnu*; יִצְהָר oleum recens) ad cibos parandos adhibitum esse ex nonnullis sacrarum litterarum locis apparet (I Rg 17, 12. Ez 16. 13. 19. Hagg 2, 12. Sir 39, 26. cf. Ex 29, 2. Lv 8, 26) [2]. Arabes quoque huius aetatis pingues cibos eximie amant; panis recens in oleum mersus pro cibo delicato habetur. Etiam *salis* usus est antiquissimus (Job 6, 6. Sir 39, 26) [3]. Ceterum praeter salem alia quoque condimenta ciborum usurpabantur, velut cyminum, capparis, sinapis, mentha, anethum, ruta (Jes 28, 25. 27. Koh 12, 5. Mt 13, 31; 23, 23. Lc 11, 42. al.). Hebraeos autem condimenta quoque ex terris externis importata ad cibos parandos adhibuisse nusquam memoriae traditur. Herbis quidem odoratis ex Arabia importatis nisi ad unguenta, suffimenta, vinum aromatiten paranda non utebantur.

[1] Formula loquendi *carnem alicuius comedere* (Ps 27, 2. Job 19, 22) idem significat quod alicui calumniam inferre, odio infestissimo aliquem persequi. Loco autem Jer 19, 9 propheta famem et supplicium extremum minatur. Sensu prorsus alio Christus Jo 6, 54 ss. se carnem suam manducandam daturum promittit.

[2] Oleum inter optimas res, quae in terra Canaan gignuntur, et olim et nunc ducitur. Ad nundinas Tyrias oleum ex Judaea allatum esse Ezechiel 27, 17 dicit. Salomo quotannis viginti coros olei Hiram, Tyriorum regi, misisse I Rg 5, 25 traditur (cf. II Chr 2, 10). Praestantiam olei

Palaestinensis itineraria peregrinantium saepe laudant atque affirmant id iucunditate saporis omnia aliarum regionum olea superare atque etiam ei, quod in Provincia (Provence) nascitur, multo praeferendum esse.

[3] Multum sal ex mari mortuo acquirebatur, quod merito יָם הַמֶּלַח *mare salis* appellatur (Gn 14, 3. Jos 3, 16). In eius litore micae salis inveniuntur. Praeterea post inundationes in fossis et lacunis aqua salsa relinquitur, ex qua item sal acquiritur (Ez 47, 11. Zeph 2, 9). In eo litore maris, quod ad meridiem spectat, ex monte, cui nunc nomen a sale est *(Dschebel Usdum)*, sal fossilis acquiritur. Atque salem commercio quoque transmissum esse Sir 22, 13 indicatur. Ex I Mcc 10, 29; 11, 35 apparet Judaeos vectigal salis solvere debuisse, quod Demetrius rex iis remisit.

Formula loquendi „salem alicuius comedere" (Chald. מְלַח Esr 4, 14) de servis, cum dominus iis victum praebeat, usurpatur.

Caput secundum

De potu

I. Praeter aquam, communem omnium potum ad sitim explendam adhibitum (I Sm 30, 11. I Rg 19, 6. Ez 4, 11. cf. Job 15, 16; 34, 7. Prov 26, 6) [1], et lac (vaccarum, ovium, caprarum), cuius inde ab aetate patriarcharum usque ad extrema reipublicae tempora maximus erat usus (Gn 18, 8. Sir 39, 26. I Cor 9, 7) [2], Hebraei bibebant vinum (יַיִן cf. Assyr. *înu;* חָמַר cf. Arab. *ḫamara* = effervescere), quod saepe variis generibus aromatum (Jes 5, 22. Ps 75, 9), imprimis myrrha (οἶνος ἐσμυρνισμένος Mc 15, 23) condiebatur (יַיִן הָרֻקָּח *vinum conditum*, LXX οἶνος μυρεψικός Ct 8, 2. cf. M. Maaser scheni 2, 1), plerumque autem aquâ miscebatur (cf. Jes 1, 22) [3]; utrumque vinum vocabatur *mixtum* (מָזֶג Ct 7, 3. מָסָךְ Ps 75, 9), quod insciis bibentibus factum pro adulteratione habebatur (cf. Jes l. c.). In epulis vero, quae ad summam laetitiam instruebantur, vinum merum sive meracum bibebatur atque vino mero uti posse idem valebat quod rebus secundis frui (Dt 32, 14). Tempore aestivo vinum (vel etiam aqua) nive refrigerari solebat (Prov 25, 13). Cum iam antiquitus de *sanguine uvae* mentio fiat (Gn 49, 11. Dt 32, 14), concludendum est eas uvas potissimum cultas esse, e quibus *vinum rubrum* confici poterat. Ceterum vinum rubrum etiam Jes 63, 2. Prov 23, 31. Sir 50, 15. I Mcc 6, 34. Apc 14, 20 indicatur.

[1] Pro usu domestico aqua cottidie e puteis vel cisternis trahebatur idque ope situlorum, quae rotâ circumductâ modo demittebantur modo attollebantur. Iam rex Mesa in inscriptione (lin. 24 s.) praecepit, ut in sua quisque domo in Krḥh-Daibon cisternam faceret. Etiam hodie Hierosolymis in omni domo singulae vel complures cisternae sunt. Qui iter suscipiebant, aquam in utre coriaceo secum gestare solebant (Gn 21, 14).

Aqua, quo rarior erat, eo pluris apud orientales aestimabatur (Sir 29, 21; 39, 26) atque res facta est, quae solâ pecuniâ emenda erat (Nm 20, 17. 19; 21, 22. Thrn 5, 4). At sitienti haustum aquae denegare, avaritia habebatur; contra vel unus aquae haustus sitienti praebitus magni ducebatur (Gn 24, 45 s. Jes 32, 6. Job 22, 7. Prov 25, 25. Rth 2, 9. Mt 10, 42. Mc 9, 40).

[2] *Lac et vinum* saepius iunguntur (Gn 49, 12. Jes 55, 1) tamquam praecipuae deliciae, quarum hoc maerorem pellit, illud optime nutrit (Prov 31, 6).

[3] Verba Jes 1, 22 סֹבֵא מָהוּל בַּמָּיִם proprie *vinum aquâ secatum* significant. Est enim מָהַל idem quod מוּל; nam litterae ו et ה haud raro in dialectis orientis inter se commutantur. Arabes autem *vinum scindere* vel *secare* pro *aquâ miscere* dicere solent, ut etiam Germani *den Wein verschneiden*, cum vinum ignobilius nobiliori admiscetur. — Ex nonnullorum opinione Jes 5, 22 mixtura vini cum aquis odoratis indicatur. Arabes etiam hodie aquam rosarum vino miscere, ut iucunde oleat, ex peregrinantium itinerariis cognoscimus. — Dubitatur, utrum Prov 9, 2. 5 vinum aquâ temperatum an aromatibus conditum intellegendum sit. — Mos Hebraeorum vinum aquâ mixtum bibendi etiam ex M. Pesachim 7, 13 apparet.

Saepe *vina artificiosa* sive facticia potabantur i. e. vina ex granis hordei fermentatis (ζύθος, οἶνος κρίθινος) [1], ex melle (οἰνομέλι = אנומלין M. Schabbath 20, 2), ex malis (יין תפוחים M. Terumoth 11, 2), ex dactylis palmarum (οἶνος φοινικήϊος Herod. Hist. 2, 86; 3, 20) cocta vel destillata, quae omnia nomine שֵׁכָר, σίκερα, *sicera* significantur (Lv 10, 9. Dt 14, 26; 29, 5. I Sm 1, 15. Jes 5, 11. 22. Mich 2, 11. Prov 20, 1. al.). [2].

Acetum (חֹמֶץ LXX plerumque ὄξος), ex vino vel naturali vel artificioso paratum et aquâ mixtum, non modo ad potum (Nm 6, 3), sed etiam ad olera et cibos adhibebatur (Rth 2, 14). Eodem fortasse pertinet *posca* militum Romanorum (ὄξος Mt 27, 48. Mc 15, 36. Jo 19, 29) [3].

[1] Aegyptii iam antiquissimis temporibus ex hordeo potionem vini similem faciebant (Herod. Hist. 2, 77: οἴνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται. Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 34: κατασκευάζουσι δὲ καὶ ἐκ τῶν κριθῶν Αἰγύπτιοι πόμα, λειπόμενον οὐ πολὺ τῆς περὶ τὸν οἶνον εὐωδίας). Etiam Graeci Alexandrini Jes 19, 10 potum ex hordeo factum (ζύθος) apud Aegyptios in usu fuisse indicant. Praeter cerevisiam (*ḥeḳ, ḥeḳt*) Aegyptii vinum quoque bibebant (vinum commune = *ỉrp*, vinum bonum = *ỉrp nefer*, vinum dulce = *ỉrp nedem*, vinum optimum = *ỉrp nefer nefer*). In monumentis vocabulum *ỉrp*, quod Graeci vocabulo ἕρπις reddiderunt, saepe legitur et cultura vitis in variis imaginibus repraesentatur. Praeterea ex monumentis discimus Aegyptios sucum uvarum cum aqua mixtum refrigerationis causâ bibisse, qua consuetudine verba pincernae aulae Pharaonis: „Accepi uvas et expressi eas in calicem Pharaonis" (Gn 40, 11) illustrantur. Itaque verum non est apud Aegyptios ante regnum Pharaonis Psammetich I (663—609 a. Ch.) vinum, quod effervuerat, pro-

hibitum fuisse. Plutarchus De Is. et Os. § 6 contrarium dicit: Aegyptios vinum olim neque ipsos bibisse neque diis libavisse, cum a sacerdotibus edocerentur vino aliquid pestiferi inesse, a genio malo (Typhone), diis et hominibus inimico, inventum. Multitudo vinum ad libidinem potabat; reges, cum sacerdotes essent, tantum potabant, quantum iis per libros sacros licebat; postquam autem Psammetich regnare coepit, Pharaones eam continentiam omittebant.

[2] In Vulgata compluribus locis pro *sicera* legitur: *omne, quod inebriare potest; potio; ebrietas.* — Hieronymus Comm. in Jes 28, 7. MSL 24, 317: „Sicera omnem significat potionem, quae inebriare potest et statum mentis evertere . . . sive illa frumento sive hordeo sive milio pomorumque suco et palmarum fructu et alio quolibet genere conficiatur". Ep. 52. ad Nepot. ib. 22, 536: „Sicera Hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficitur, sive pomorum sucu aut cum favi decoquuntur . . . aut palmarum fructus exprimuntur". — De vocabulo שכר (cf. Assyr. *šikaru* = potus inebrians, *šakâru* = ebrium fieri, *šakkuru* = ebrius; Arab. *sakarun* = potus ebrians, vinum dactylorum), quod etiam in linguam Aegyptiam transiit, videas J. Löw, Aramaeische Pflanzennamen (Leipzig 1881) 125. n. 78; W. M. Müller, Asien und Europa nach altaegyptischen Denkmälern (Leipzig 1893) 102.

[3] Mt 27, 34 vocabulum ὄξος non acetum intellegendum est, sed vinum myrrhâ amarâ conditum, quod ex Mc 15, 23 apparet, ubi legimus: ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον.

II. Hebraei, ut complures aliae gentes antiquae, vino haud raro usque ad ebrietatem utebantur (I Sm 25, 36. I Rg 16, 9. Jes 5, 22; 56, 12. Jer 23, 9. Hos 4, 11; 7, 5. Hab 2, 15), interdum etiam mulieres (cf. I Sm 1, 13). Aetate posteriore nonnumquam vel matutinum atque etiam antelucanum tempus ad potationes et epulas impendebant (Jes 5, 11). Notandum tamen est verbum *inebriari* (שָׁכַר, in novo testamento μεθύσκειν) non semper proprio sensu sumendum esse, sed idem significare quod *bibere ad satietatem* (= רָוָה) vel *usque ad hilaritatem* (Gn 43, 34. Ct 5, 1. Jo 2, 10), ut etiam *satietas* (שָׂבַע) interdum in bonam partem accipitur (Ex 16, 3).

Vasa, e quibus bibebant, primo erant cornua (cf. Plin. Hist. nat. 11, 45. Xenoph. Anab. 7, 2, 23), postea paterae et calices variae formae et magnitudinis variique pretii. Memorantur: כּוֹס *poculum* (nomen generale, Gn 40, 11. 13. 21. II Sm 12, 3. Ps 23, 5; 116, 13), כְּפוֹר *poculum* idque operculo tectum (I Chr 28, 17. Esr 1, 10; 8, 27), גָּבִיעַ *calix, scyphus* (Gn 44, 2. 12. 16 s. Jer 35, 5), צַפַּחַת *ampulla* (I Sm 26, 11 s. 16), קְשָׂוָה *phiala* (Ex 25, 29; 37, 16. Nm 4, 7. I Chr 28, 17). Quae vasa iam aetate Mosis apud divites aurea et argentea fuisse ex Nm 7, 84 s. apparet. Alii calicibus aeneis usi esse videntur. Regem

Salomo ex solis aureis vasis potare consuesse ex I Rg 10, 21 apparet. Josephus AJ 8, 7. 2 memoriae prodit vasa potatoria Salomonis e gemmis et auro artificiosissime elaborata esse. Vasa quoque vitrea apud Hebraeos in usu fuisse probari non potest. Qui autem calix e vitro confectus auroque artificiose ornatus Job 28, 17 indicatur, is describitur ut res rarissima summique pretii.

Ne faex vel animalculum, quod ex lege Mosaica immundum habebatur, ab incautis deglutiretur, vinum linteo colare (זָקַק διυλίζειν) solebant (Jes 25, 6. Mt 23, 24).

Caput tertium

De conviviis

I. Hebraei meridie prandium (ἄριστον Lc 11, 38; 14, 12., quod vocabulum interdum de quolibet epulo usurpatur Mt 22, 4), quod plerumque e pane, fructibus, lacte constabat, sumere solebant. Cum vero hospites honoratiores excipiebantur, iam antiquitus etiam caro, aetate posteriore vinum quoque addebatur (Gn 18, 1—8; 43, 16. 25. I Rg 20, 16). Post prandium saepe somnus meridianus capiebatur (II Sm 4, 5; 11, 2).

Mane cibum sumere quasi quid inusitatum et rarum habebatur (Koh 10, 16).

Vespertino demum tempore cenabatur; nam in oriente calore meridiano ciborum appetitus minuitur animique hilaritas supprimitur. Atque ad cenam (δεῖπνον Lc 14, 12. 16 s. cf. 17, 8. Tob 8, 1) pavimentum cenaculi, quod plerumque in superiore parte aedium situm erat (I Sm 9, 13. 19. 25)[1], *corio rotundo* (שֻׁלְחָן, Arab. *sufra*) sternebatur, super quo mensa humilis patinam cum cibo ferens ponebatur. Sedes erant pavimentum ipsum tapetibus stratum, ubi cenantes cruribus inter se coniunctis et dexterâ mensae obversâ sedebant (Gn 27, 19; 37, 25; 43, 33. Ex 16, 3; 32, 6. Jdc 19. 6. I Sm 20, 5. I Rg 13, 20. Jer 16, 8. Ez 44, 3). Progrediente tempore divites et principes inter epulas *sellis* utebantur (cf. I Sm 20. 24 s.). Post exsilium Judaei more Persarum (Esth 1, 6; 7, 8. cf. etiam Tob 2, 1: ἀνέπεσα τοῦ φαγεῖν) in convivio accumbere (ἀνακεῖσθαι, κατακεῖσθαι, ἀνακλίνεσθαι, κατακλίνεσθαι) coeperunt, quod aetate posteriore apud omnes in consuetudinem veniebat (Am 6, 4. cf. 2, 8. Mt 9, 10; 26, 7. Mc 6, 22; 14, 3. Lc 5, 29; 7, 37; 14, 10; 17, 7. Jo 12, 2; 13, 23)[2]. Circa mensam *lectuli* (מִטּוֹת Ez 23, 41. Esth 1, 6; 7, 8. LXX κλίναι, Jos. κατακλίματα) ap-

positi erant, plerumque tres, pro numero hospitum etiam plures, qui ternos convivas (interdum quaternos, raro plures) recipiebant [3]. Ii autem ita discumbebant, ut in sinistro latere reclinati essent et pedes a mensa aversos versus terram demitterent. Familiarissimi ad pectus eius, qui princeps convivii erat, accumbere solebant; unde loquendi formula ἀνακεῖσθαι ἐν τῷ κόλπῳ (Jo 13, 23. cf. 21, 20). Apud Persas mulieres quoque in convivio accumbebant (Esth 7, 8), non accumbebant apud Romanos (Sueton. Claud. c. 32. Isid. Hisp. Etymol. 20, 11, 9. MSL 82, 723). Aetate Christi Judaeos magni aestimasse, cui convivae sedes honoratissimo loco daretur, et imprimis Pharisaeos, qui ubique dignissimi haberi volebant. πρωτοκλισίαν *primum locum* i. e. lectum medium mediumque in eo locum appetisse ex Mt 23, 6. Mc 12, 39. Lc 14, 7—10; 20, 46 apparet [4].

[1] Jer 22, 14 cenaculi spatiosi fit mentio, amplis fenestris instructi ventisque pervii. Cf. etiam Jos. AJ 8, 5. 2. Super tectum cenaculi interdum arae erigebantur (II Rg 23, 12). Quin etiam id tectum nonnumquam cancellos habuisse, ut lux copiosior in cenaculum penetraret, ex II Rg 1, 2 apparet. — *Domus convivii* (בֵּית מִשְׁתֵּה הַיַּיִן Esth 7, 8. בֵּית מִשְׁתֶּה Dn 5, 10) ea regiarum pars appellabatur, ubi convivia instruebantur.

[2] Sunt qui existiment Judaeos morem in conviviis accumbendi a Romanis didicisse, cum Philo (De vita contempl. opp. II, 478) affirmet totum mensae apparatum a Romanis ad Judaeos, Graecos, Aegyptios, alias gentes transisse. At Philo non de accubitu ipso, sed de eius luxu dicere videtur.

[3] Unde nomina τρίκλινον (quod etiam ipsum cenaculum significat, τρίκλινον οἶκον) et ἀρχιτρίκλινος (Jo 2, 8 s.). — II Rg 11, 2 non de „triclinio" agitur (Vulg.). Sensus est hic: Joas, filius Ahasja regis, unâ cum nutrice in cubiculo lectorum absconditus est, ut a nece servaretur. Cf. N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige 254. Die Bücher der Chronik 175. — Etiam Esth 2, 13 non de „triclinio feminarum" sermo est (Vulg.); nam verba בית הנשים *cubicula feminarum* significant, ut in eodem versu verba בית המלך *cubiculum regis*.

Aegyptios antiquos cenantes non in pulvinaribus accubuisse, id quod contra locum Gn 43, 33 dictum est, sed in sellis sedisse, multae imagines veteres testantur. In museo Britannico Londini vetus pictura Aegyptia exstat, ubi convivium, in quo complures feminae in sellis sedent, conspicitur.

[4] Qua de re in Judaeorum libris varia decreta legimus, ubi legisperiti, ubi Pharisaei sedere debeant.

Apud alias gentes alia loca in honore erant. Velut apud Persas locus medius honestissimus erat, ubi reges accubare solebant; apud Graecos primus locus medii lecti; apud Romanos imus sive ultimus locus medii lecti, quem *consularem* vocabant.



Triclinium Romanorum

a = mensa; b = infimus lectus pro domino epuli eiusque familia; c = medius lectus pro conviva maxime honorando eiusque comitibus; d = summus lectus pro aliis convivis; e = spatium vacuum ad cibos apponendos; α = summus lectus; β = medius lectus; γ = imus lectus.

II. Conviviis antiquitus casus secundi ornari solent. Quare splendida convivia instruebantur imprimis tempore messis et vindemiae (Jdc 9, 27. Jes 25, 6. Rth 3, 7), die ablactationis filiorum (Gn 21, 8), die, quo quis natus erat (Job 1, 4. praecipue in auiis principum Gn 40, 20. Mt 14, 6. cf. Jos. CAp 2, 25) [1], adventu amicorum (II Sm 3, 20. Tob 7, 9. I Mcc 16, 15. Lc 5, 29; 15, 23) aliarumque personarum, quas honorare aequum erat (II Rg 6, 23), cum nuptiae celebrabantur (Gn 29. Jdc 14, 10. Jo 2, 1—11), cum foedera fiebant (Gn 26, 30; 31, 54. II Sm 3, 20 s.), cum oves tondebantur (I Sm 25, 2. 36. II Sm 13, 23. 27). Reges etiam ad ostendendam magnificentiam convivia apparare solebant. Tale epulum, quod Salomo principibus regni sui dedit, I Rg 3, 15 commemoratur. Item Susis Ahasver, rex Persarum, suis principibus ingens epulum dedisse Esth 1, 3. cf. v. 9 dicitur. Neque apud imperatores Romanorum eius modi convivia inusitata erant.

In his epulis magna saepe erat ciborum copia et varietas, imprimis apud reges vel viros principes aut luxuriae deditos (I Rg 1, 25; 4, 22 s. Am 6, 4. Neh 5, 18. Mt 22, 4). Quo splendidiores epulae instruebantur, eo largiora pocula bibi solebant (cf. Ps 23, 5. Jo 2,

1—11). Quare convivium apud Hebraeos vocabatur מִשְׁתֶּה (proprie *potio, potus* a שָׁתָה *bibit,* ut Graecum συμπόσιον a συμπίνω, Gn 19, 3; 21, 8; 26, 30; 29, 22; 40, 20. Jdc 14, 10. 12. 17. I Sm 25, 36. II Sm 3, 20. I Rg 3, 15. Job 1, 4. Esth 1, 3. 5. 9; 2, 18; 5, 4. 8. 12. 14; 8, 17; 9, 17—19. 22). Aetate recentiore eius modi convivia γάμοι vocabantur (Mt 22, 2. Lc 12, 36; 14, 8), saepius etiam κῶμοι i. e. *comissationes* per vicos (κώμας) parari solitae. quae Rom 13, 13. Gal 5, 21. I Ptr 4, 3 merito damnantur [2].

Mulieres in conviviis virorum modo ob singulares causas admittebantur (Dt 16, 11. 14. I Sm 1, 8. Job 1, 4. Rth 2, 14. Jo 2, 1 ss. cf. 12. 2 s. Mc 14, 3 ss.), modo excludebantur (I Sm 25, 18 ss. coll. 36) [3].

[1] Disputant interpretes, utrum Mt 14, 6 vocabulum γενέσια diem recepti imperii an diem natalem significet (cf. Hos 7, 5: יוֹם מַלְכֵּנוּ *dies regis nostri* — dies inaugurationis aut natalis regis?). Posterior sententia praeferenda esse videtur. — II Mcc 6, 7 memoriae proditur Judaeos ad natalem Antiochi Epiphanis singulis mensibus celebrandum compulsos esse. — Nonnulli interpretes existimant Hebraeos diem natalem celebrasse vetere testamento non probari; neque Job 1, 4 neque Hos 7, 5 certa eius rei testimonia esse; Gn 40, 20 de natali regis Aegyptiorum, Mt 14, 6 de natali Herodis Antipae agi.

[2] Vocabulo *comissationes* proprie significantur pompae nocturnae hominum ebriorum lascivorumque, qui post copiosa epula cum taedis instrumentisque musicis Bacchi aut alterius dei honoris causâ temulenta agmina per plateas ducebant aut ante fores amicorum amicarumve tibiis vocibusque canebant. Quam significationem vocabulum κῶμος etiam Sap 14, 23 habet, ubi κῶμοι a Vulgata quidem redduntur *vigiliae,* quia epulae in multam noctem producebantur, sed unâ cum τελεταῖς τεκνοφόνοις (initiationibus, quae puerorum occisorum sanguine fiebant) et κρυφίοις μυστηρίοις (occultis mysteriis) memorantur.

[3] Apud Persas feminae in gynaeceo convivia instruebant (Esth 1, 9), Babylone a mensa virorum exclusae non erant (Dn 5, 2) et testibus scriptoribus antiquis haud raro limites modestiae excedebant (Curt. De reb. gest. Alex. 5, 1. Xenoph. Cyrop. 5, 2, 28). Etiam in monumentis effossis cernuntur rex et regina in convivio accubantes et pocula manibus tenentes.

In conviviis omnia ad hilaritatem spectabant. Ut apud omnes fere orientis gentes, ita etiam apud Hebraeos proponebantur aenigmata, agebantur ioci iucundaque colloquia, vocibus et fidibus canebatur (Jdc 14, 12 ss. Jes 5, 12. Am 6, 5. Ps 69, 13. Mt 14, 6) [1]. Quare admissio ad convivium in sacris litteris ut imago felicitatis (Jes 5, 12), exclusio a convivio ut symbolum miseriae (ib. 24, 7—11) usurpatur. Atque etiam prosperitas regni messiani et ipsa voluptas dei fruendi, quae beatis in caelo tribuitur, imagine convivii describitur (Jes 25, 6.

Ps 23, 5; 36, 9. Prov 9, 2—5. Mt 8, 11; 26, 29. Lc 13, 29). Quae translationes adeo notae erant, ut scriptores antiqui verba *laetari* et *laetitia* ac *convivari* et *convivium* promiscue usurpaverint. Velut מִשְׁתֶּה *convivium* Esth 9, 18 s. a LXX vertitur vocabulo χαρά *gaudium*, *laelitia* et verbum יִשְׂמְחוּ Ps 68, 4 Vulgata vertit *epulentur*. Etiam in novo testamento χαρά pro *convivio, epulo laeto* legitur (Mt 25, 21. 23).

Erat veterum consuetudo, ut e convivis unum eligerent *rectorem* (LXX ἡγούμενον) convivii, qui convivalem laetitiam regeret et suo arbitrio leges, imprimis potandi, praescriberet, quas violare nemini licebat. Is a Graecis συμποσίαρχος, apud Romanos *magister bibendi, modimperator, rex convivii, cenae arbiter* vocabatur. Eius munus Siracides 35, 1—6 describit [2].

[1] Siracides 49, 1 s. μνημόσυνον Ἰωσίου *memoriam Josia* cum μουσικαῖς ἐν συμποσίῳ οἴνου *musica in convivio vini* comparat. Homerus Odyss. 21, 430 μολπὴν καὶ φόρμιγγα *canticum et citharam* ἀναθήματα δαιτός *additamenta convivii* vocat.

Gentiles inter convivia etiam laudes deorum canere solebant. Velut cum Belsazar, rex Chaldaeorum, uxoribus, paelicibus, nobilibus splendidum convivium comparavisset, „bibebant (convivae) vinum et laudabant deos suos aureos, argenteos, aeneos, ferreos, ligneos, lapideos“ (Dn 5, 4). Apud Vergilium Euandri convivium laudibus personabat Herculis (Aeneid. 8, 273 ss.).

[2] A rectore convivii distinguendus est ἀρχιτρίκλινος *praefectus triclinii* (Jo 2, 8 s.), qui triclinium instruere et ornare, mensas lectulosque collocare, dapes disponere, cibos et vina praegustare debet. Est igitur primus minister convivarum. Perperam J. Lightfoot (Hor. Hebr. 975) existimat nihil aliud eius fuisse nisi benedictiones pronuntiare, velut benedictiones sponsi, benedictiones super poculum vini.

Convivae iusto tempore invitabantur omnibusque rebus paratis haud raro a famulis domini cenae commonebantur (Prov 9, 3. Mt 22, 3 ss. Lc 14, 16 s.). Invitati, qui omnes vestimentis festis (albis) induti veniebant (Koh 9, 8. Mt 22, 11)[1], osculo, amoris signo, excipiebantur (Lc 7, 45) eorumque pedes aquâ abluebantur (Gn 18, 4; 24, 32; 43, 24. Jdc 19, 21. 1 Sm 25, 41. Lc 7, 44); honoris causâ nonnumquam eorum capita atque etiam pedes balsamo aliisque unguentis fragrantibus conspergebantur (Am 6, 6. Ps 23, 5. Koh 9, 8. cf. Lc. 7, 38. Jo 12, 3); deinde iis pro dignitate vel aetate locus assignabatur (Gn 43, 33. I Sm 9, 22; 20, 5. 25. Jos. AJ 15, 2. 4) [2].

Hebraeî cibos e patina digitis manus dexterae in os inferebant (Prov 26, 15. Jo 13, 26). Cultri, fuscinae, cochlearia non aderant. Unde orta est *consuetudo manuum ante cenam et post lavandarum*

(cf. Mt 15, 2. 20. Mc 7, 3. Lc 11, 38), ad quod vasa aquae plena in cenaculo disposita erant (Jo 2, 6) [3]. Quamdiu prisca morum simplicitas durabat, cibi in patinis ligneis aut fictilibus apponebantur, invalescente autem luxu etiam in argenteis aureisve (II Sm 17, 28. II Tim 2, 20). Aetate antiquiore sua cuique portio apponebatur (I Sm 1, 4; 9, 24. II Sm 6, 19. I Chr 16, 3); qui vero duas aut plures portiones recipiebat, is magis honoratus censebatur (Gn 43, 34); aetate recentiore omnes convivae e communi patina manducabant (Mt 26, 23), quem morem orientales etiam nunc tenent. Potus quoque in suo cuique calice praebebatur, quo factum est, ut vocabulum *calicis* tropice pro sorte hominis sive praeclara sive dura usurparetur (Jes 51, 17. 22. Jer 25, 15. Ps 11, 6; 16, 5; 23, 5. Mt 20, 22; 26, 39).

Cenantibus ministeria faciebant servi succincti, ad nutum domini quaelibet officia praestare parati (Lc 12, 35—37; 17, 7 s.). Quare verba *stare coram aliquo* (עָמַד לִפְנֵי = Assyr. *nazâzu ina pân* Gn 41, 46. Dt 1, 38. I Sm 16, 21 s. I Rg 1, 2. Jer 52, 12. Sach 3, 4. Dn 1, 5. יִתְיַצֵּב עַל II Chr 11, 13) idem significant quod *alicui servire* sive *ministrare,* quod etiam ad cultum dei refertur (Dt 10, 8. I Rg 17, 1; 18, 15. II Rg 3, 14; 5, 16. Jer 15, 19).

Ante cibum *preces fundere* (I Sm 9, 13) et post cibum deo *gratias agere* solebant (Dt 8, 10). Aetate Christi ante cenam et post a patre familias benedictio et gratiarum actio (בְּרָכָה, εὐλογία, εὐχαριστία) dicebatur (cf. Mt 14, 19; 15, 36; 26, 26. Mc 8, 6; 14, 26. Lc 22, 19. Jo 6, 11. Act 27, 35. I Cor 11, 24. I Tim 4, 4 s.).

[1] Apud alias quoque gentes antiquas, cum convivia celebrabantur, et diebus festis vestimenta coloris albi indui solebant, velut apud Romanos (Horat. Sat. 2, 2, 60 s.).

[2] Hebraeos antiquos coronas floreas in conviviis gestare aut triclinia sertis florum exornare solitos esse certis testimoniis non constat (cf. tamen Jes 28, 1—5). Sed Graecis et Romanis (Aegyptiis quoque, ut videtur) id usitatissimum fuisse nemo ignorat. Ab his autem aetate Seleucidarum et Ptolemaeorum multae nobiliores divitioresque familiae Judaicae patriâ lege despectâ (cf. I Mcc 1, 12 ss.) cum alios mores ethnicos tum illam conviviorum celebrandorum consuetudinem receperunt. Quare mirum non est, quod Sap 2, 8 impii, qui doctrinam philosophorum Graecorum sequebantur, florum quoque pulchritudine suavique odore in conviviis frui voluerunt. Calicibus autem rosarum (ῥόδων κάλυξιν) capita coronari desiderant, quia rosae plane apertae cito marcescunt, calices autem, cum sensim folia explicent, diutius durant ac suaviorem quoque densioremque odorem spirant. Cf. R. Cornely-F. Zorell, Comm. in Sap. 86 s.

[3] Consuetudo manuum et ante cenam et post lavandarum, quamquam ex vetere testamento demonstrari non potest, tamen propter id ipsum

semper in usu erat, quod cibi digitis in os inserebantur. Quare Graecis quoque et Romanis ille mos erat, orientales autem etiam hodie id observant. — Ceterum conferas J. Döller, Das rituelle Händewaschen bei den Juden (ThprQS LXIV, 1911, 748—758).

II

De iis rebus, quibus Hebraei quae ad vitam necessaria sunt sibi comparabant

Sacrae litterae memoriae produnt primos homines agriculturâ et pecuariâ victum sibi comparasse (Gn 3, 23; 4, 2). Neque dubium est, quin iam antiquissimis temporibus venatione quoque et piscatu vitam sustentaverint. Quibus postea mercatura et varia opificia accedebant.

Sectio prima

De cultura agrorum, vitium, hortorum

Praesidia doctrinae. — Bl. Ugolini Thes. XXIX, 1—520. — H. Ch. Paulsen, Zuverlässige Nachrichten vom Ackerbau der Morgenländer. Helmstadt 1748. — J. L. A. Reynier, De l'économie politique et rurale des Arabes et des Juifs. Genève et Paris 1820. — L. Anderlind, Ackerbau und Tierzucht in Syrien, insbesondere in Palästina (ZDPV IX, 1886, 1—54). — J. Benzinger, Ackerbau bei den Israeliten (RE^3 I, 130—139). — M. Salomonski, Gemüsebau und -gewächse in Palästina zur Zeit der Mischnah. Tübingen 1911.

Caput primum

De agricultura

I. Hominem etiam in statu innocentiae terram colere necesse erat, labore non molesto, sed iucundo (Gn 2, 15); post vero peccatum in sudore vultus sui id faciebat (ib. 3, 17. 19). Kain agriculturam exercuisse in sacris litteris diserte traditur (ib. 4, 2). Progenies Seth vitam nomadicam praetulisse videtur. Post diluvium Noah ad agros colendos revertit (ib. 9, 20)[1]. Patriarchae quoque Hebraeorum, quamquam vitâ nomadum oblectabantur, agriculturam eo tempore iam multum pro-

gressam minime neglegebant (ib. 26, 12; 33, 19; 37, 7). Etiam Hebraei in Aegypto commorantes non solum pecuariam faciebant (ib. 46, 34), sed in agris quoque et hortis colendis versabantur. Quod iam ex eo ipso apparet, quod iis non in regione aliqua infecunda, quae tantum pascua habebat, sed in fecundissima parte terrae domicilia attributa sunt et quod regionem sibi attributam propriam habebant. Utrumque dictum est Gn 47, 11: „Assignavit Joseph patri suo et fratribus suis, ubi habitarent, et dedit iis possessionem (אֲחֻזָּה) in terra Aegypti, in optima parte (בְּמֵיטַב) terrae, in terra Ramses“, et ib. v. 27: „Habitavit Israel in terra Aegypti, in terra Gosen, et apprehensi (sive detenti) sunt in ea (וַיֵּאָחֲזוּ בָהּ i. e. eius possessionem adierunt), et creverunt et multiplicati sunt“. Frustra studetur vocabulo מיטב aliam vim, velut pascuum, tribuere; frustra vim vocabulorum אחזה et ויאחזו infirmare, nam utrumque semper perpetuam et propriam possessionem significat. Magnam autem partem Hebraeorum in Aegypto agros coluisse ex verbis quoque gentis in deserto commorantis apparet: „In mentem nobis veniunt pisces, quos in Aegypto gratis comedebamus, et cucumeres et pepones et porrum et caepae et allia“ (Nm 11, 5). Etiam ex Nm 20, 5 colligendum est Hebraeos in Aegypto olera, fruges, vinum, poma coluisse. Idem cognoscitur ex Dt 11, 10., ubi Moses ad populum dicit: „Terra, ad quam tu proficisceris, ut occupes eam, non est ut terra Aegypti (quae fluviis et fontibus fere destituta est), quam a te consitam pedibus irrigare debebas“. Quo modo Hebraei hîc agros irrigasse dicuntur, eodem Aegyptii ipsi per milia annorum utebantur. Ex quibus omnibus et illud facile intellegitur Hebraeos ab Aegyptiis ad varia opera rustica facere cogi potuisse (Ex 1, 14)[2].

[1] Qui recentioribus temporibus navigationes et itinera per orbem terrarum instituerunt, narrant gentes, quae nondum ex feritate exierint, venando et piscando vivere; quae primam feritatem deposuerint, eas vitam pastoriciam agere; cultiores his eas esse, quae agros colere soleant.

[2] Apud Aegyptios et Babylonios agriculturam iam antiquissimis temporibus floruisse monumentis antiquis confirmatur.

Lege Mosaica constituitur, ut praecipuus Hebraeorum labor in terra Canaan sit agricultura. Qua in re sapientiam legislatoris, sive societas civilis sive vita religiosa spectatur, nemo est qui non miretur.

Atque Moses 1) unicuique civi fundum determinatum assignavit, quem coleret suisque heredibus relinqueret neque umquam in perpetuum, sed tantum usque ad annum iubilaeum proximum sequentem alienare posset (Lv 25, 13—16. 23[a]). Cui legi, qua sapientissime cavit, ne divites magnam agrorum multitudinem coëmerent, deinde pauperibus

elocarent (cf. Jes 5, 8. Mich 2, 2), addidit 2) ut venditor vel proximus eius consanguineus fundum venditum quovis tempore, pretio frugum usque ad annum iubilaeum numerato, redimere posset (Lv 25, 25—28). 3) Decrevit, ut Hebraei, sicut Aegyptii ab aetate Joseph vicarii regis (Gn 47, 24—26), tantum hereditarii praediorum suorum conductores et coloni regis Jahvae essent, domini universae regionis (Lv 25, 23b), cui semper decumam tribuere deberent. 4) Ut uniuscuiusque ius hereditariae suae portionis integre retinendae inviolabile appareret, lapides in agris positos transponere severe prohibuit (Dt 19, 14. cf. 27, 17. Prov 22, 28; 23, 10)[1].

Quibus legibus effectum est, ut agricultura apud Hebraeos omni tempore magni aestimaretur. Quare non modo incolae pagorum, verum etiam urbium ei operam dabant, neque divitiores et honoratiores quidem agrum colere manumque ad aratrum ponere dedignabantur (cf. Jdc 6, 11. I Sm 11, 5. I Rg 19, 19. Prov 31, 16. Rth 2, 4; 3, 7. I Chr 21, 20; 27, 26. II Chr 26, 10); colebant enim fundum a deo-rege sibi datum. Qui agriculturae honos, etsi postea invalescente luxu imminutus est, tamen numquam prorsus desiit. Etiam post exsilium, cum multi Judaei mercaturae variisque artibus et opificiis studerent, continuabat, imprimis sub imperio Persarum, qui religione ducti agriculturam maximi faciebant[2].

[1] Mirum est poenas iis, qui terminos transtulerint, non esse additas. Etiam Josephus AJ 4, 8. 18., ubi hanc legem profert, nullam poenae mentionem facit.

[2] Constat veteres omnes agriculturam ad deos vel ad homines divino ingenio praeditos rettulisse. Teste Jesaia 28, 26 deus agricolam instituit i. e. hominem docuit terram arare et subigere, commodissima arandi et serendi tempora observare, occare, sarire, alia eius modi. Γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην dicit Siracides 7, 15.

II. Solum terrae Canaan uberrimum est variorumque frumentorum magnâ abundans copiâ[1], nisi deest ros (טַל, Arab. *ṭallun*) ac pluvia autumnalis (יוֹרֶה, מוֹרֶה) et vernalis (מַלְקוֹשׁ)[2]. Quam fertilitatem Hebraei etiam suâ sollertiâ augebant, agros a spinis et vepribus sive per evulsionem sive per combustionem purgantes (Jes 5, 24; 47, 14. Jer 4, 3. Joel 2, 5), elapidantes (cf. Jes 5, 2), divisis in canales rivis rigantes (Prov 21, 1. cf. Ps 1, 3)[3], stercora apportantes (II Rg 9, 37. Jer 9, 22; 25, 33. Ps 83, 11. Lc 13, 8; 14, 35)[4].

[1] Quod ex compluribus sacrarum litterarum locis apparet (Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3. Lv 20, 24. Nm 13, 27 s; 14, 8; 16, 13 s. Dt 6, 3; 8, 7 s; 11, 9; 26, 9. 15; 31, 20; 32, 13 s. Jos 5, 6. Jer 11, 5; 32, 22.

Ez 20, 6. 15. Neh 9, 25. 35. Mt 13, 8). Josephus BJ 3, 3. 2 de Galilaea scribit: Γαλιλαία πίων πᾶσα καὶ εὔβοτος καὶ δένδρεσι παντοίοις κατάφυτος, ὡς ὑπὸ τῆς εὐπετείας προσκαλέσασθαι καὶ τὸν ἥκιστα γῆς φιλόπονον. Et ib. 4 de Samaria et Judaea: Ἀμφότεραι γὰρ ὀρειναί . . . εἴς τε γεωργίαν μαλθακαὶ καὶ πολύφοροι κατάδενδροί τε καὶ ὀπώρας ὀρεινῆς καὶ ἡμέρου μεσταί. Hecateus Abderita (apud *Jos.* CAp 1, 22) Judaeam παμφορωτάτην χώραν appellat. Tacitus Hist. 5, 6 de Palaestina memoriae prodit: „Uber solum; fruges nostrum ad morem, praeterque eas balsamum et palmae. Palmetis proceritas et decor".

Nihilo minus non defuerunt anni, quibus magna fames in Palaestina oriretur, cum sive cessante pluvia sive locustis omnia vorantibus sive hostibus omnia vastantibus sive ob aliam causam messis non provenerat. Tunc Palaestinenses ex regionibus finitimis, imprimis ex Aegypto frumentum sibi comparare cogebantur, quod iam Jacob eiusque filiis accidisse Gn c. 42 s. legimus.

[2] Pluvia autumnalis vel prima (πρώιμος ὑετός) cadit post consituram, sub finem Octobris perque Novembrem et Decembrem. Per totam enim aestatem non pluit usque ad Septembrem, quo per paucos dies aridum solum pluviâ recreatur. Post Decembrem imbres desinunt usque ad finem Martii, quo tempore rursus magna vis imbrium effunditur. Quae pluvia vocatur vernalis vel serotina (ὄψιμος ὑετός). Tempore messis nullus aut rarissimus cadit imber, quod iure inter maximas Palaestinae laudes ponendum est, cum in aliis regionibus eo tempore saepius multae aquae defluant. — Cf. H. Hilderscheid in ZDPV XXV, 1902, 1—105.

Nomine *roris* nonnumquam omnia bona comprehenduntur, quae ex aëre et caelo in terram descendunt (Gn 27, 28. 39. Dt 33, 13. 28. Sach 8, 12). In imprecationibus et minis cessatio roris et pluviae legitur (II Sm 1, 21. Hagg 1, 10).

[3] Quare scaturigines, fontes, rivi agricolis aeque cari erant atque nomadibus (Dt 8, 7. Jdc 1, 15).

[4] Ad stercorationem etiam stramen in sterquilinio a iumentis conculcatum servisse, ex ea comparatione, quam Jes 25, 10 legimus, apparet.

III. Praecipuae frumenti (בָּר sive בַּר, דָּגָן, שִׁבֳּר, Graece σῖτος et σιτίον) species, quas Hebraei serebant, erant *triticum* (חִטָּה, Arab. *ḥinṭatun*, Dt 8, 8; 32, 14. Jdc 6, 11. I Sm 6, 13. II Sm 4, 6; 17, 28. Ps 81, 17. II Chr 2, 10. Graece πυρός, etiam σῖτος)[1], *hordeum* (שְׂעֹרָה, Arab. *šaʿîrun*, Lv 27, 16. Dt 8, 8. II Sm 14, 30. Jes 28, 25. Jer 41, 8. Rth 2, 17. II Chr 2, 9. Graece κριθή)[2], *far* sive *spelta* (כֻּסֶּמֶת Ex 9, 32. Jes 28, 25. Ez 4, 9. Graece ὀλύρα vel ζειά)[3], *milium* (דֹּחַן, Arab. *duḫnun*, Ez 4, 9. Graece κέγχρος)[4]. Quid vocabulum שׂוֹרָה (Jes 28, 25) significet, quod etiam in inscriptione quadam in Zenǧîrlî inventa legimus, non constat; nonnulli *milium* intellegunt. *Secali* et *avenâ* (Arab. *šûfân*) Hebraei carebant. Quorum cultura populis orientis neque

antiquitus cognita erat neque nunc accepta est. Quare hordeo, quod cum confracto stramine (תֶּבֶן, Assyr. *tibnu*) permixtum erat, pro pabulo iumentorum utebantur (I Rg 5, 8). *Oryza* quoque, quae nunc in oriente frequenter colitur, incolis antiquis ignota erat.

Cf. J. J. Clément Mullet, Les noms des céréales chez les anciens. Paris 1865.

[1] Imprimis magni aestimabatur חִטֵּי מִנִּית *triticum Minnith* (Ez 27, 17), quae est urbs in finibus Ammonitarum (Jdc 11, 33), quos tritici optimi feraces fuisse ex eo apparet, quod Ammonitae a Jotham rege devicti praeter centum talenta argenti etiam decem milia cororum tritici pendere debuerunt (II Chr 27, 5). Ceterum lectio masorethica חטי מנית valde dubia est, cum nemo ex antiquis interpretibus eam probare videatur. C. H. Cornill emendat (ונכאת) חטים ונכת *triticum et storax*, quam coniecturam J. Knabenbauer (Comm. in Ez 277) haud improbabilem esse censet.

In sepulcris Aegyptiis grana tritici inventa sunt, quibus species antiquis temporibus notissimae cognosci possunt, inter quas *Tr. sativum* sive *vulgare* Vill., *Tr. turgidum* L., *Tr. durum* Desf. Varias species, quae hodie in campis cis et trans Jordanem sitis atque in Syria crescunt, L. Anderlind (op. all.) enumerat.

[2] Quaenam ex variis hordei culti speciebus in sacris litteris potissimum significentur, non constat. Quodsi ex iis speciebus, quae hodie in Palaestina et Syria coluntur, de antiquis coniecturam facere licet, *H. distichum* L., *H. vulgare* L. (tetrastichum), *H. hexastichum* L. nominandae sunt. Quae species etiam antiquis cognitae erant (Plin. Hist. nat. 18, 18). Hordeum tetrastichum et hexastichum in monumentis quoque Aegyptiis frequenter inveniuntur.

[3] Dubium non est, quin vocabulum כסמת speciem quandam tritici significet, probabiliter eam, quam interpretes antiqui intellexerunt, *Tr. speltam* L. Sed id nonnulli propterea in dubitationem vocant, quod spelta tantum frigidiori caelo apta esse videtur neque aut in sepulcris monumentisque antiquis Aegypti aut in antiquissimis constructionibus subliciis (Pfahlbauten) ulla indicia antiquam eius culturam testantur. Quare *Tr. monococcum* L. significari existimant, quod tamen vix probes. Potius כסמת *Tr. dicoccum* Schrank significare videtur, cum ea species et speltae propinqua et in monumentis Aegyptiis atque in constructionibus subliciis inventa sit.

[4] Vocabulum Hebraicum דחן milium vulgare, *Panicum miliaceum* L. significat. Alii minus recte sorghum (*Sorghum vulgare* Pers. die Moorhirse) intellegunt.

Magnâ diligentiâ Hebraei in lino et xylino colendis utebantur. Linum (פִּשְׁתָּה et פִּשְׁתָּה, Graece λίνον) Hebraeis magni erat momenti, cum ex eo praeter lanam vestimenta conficere solerent. Ex lino praesertim operâ mulierum (Jos 2, 6. Hos 2, 5. Prov 31, 13) tegimenta corporis

(Lv 13, 47. 59. I Sm 2, 18. al.), cingula et lumbaria (Jer 13, 1), funiculi (Jdc 15, 13 s. Ez 40, 3), ellychnia (Jes 42, 3; 43, 17. Mt 12, 20), linteamina (Lc 24, 12. Jo 19, 40) contexebantur. Vestimenta autem lintea imprimis sacerdotibus et Levitis tribuuntur (Ex 28, 42; 29, 5. 8; 39, 27. Lv 6, 3; 8, 13. al. I Sm 2, 18; 22, 18. II Sm 6, 14. al.). Cum in Aegypto antiquitus (ut hodie) species *Linum humile* Miller, non *L. angustifolium* Hudson neque *L. usitatissimum* L. coleretur, verisimile est in Canaan quoque eam speciem cultam esse. Quo tempore frutex xylini sive lanae arborariae (*Gossypium arboreum* L.) in Canaan coli coeptus sit, dici non potest. Ex complurium hominum eruditorum opinione id unum constat, vocabula Hebraica שֵׁשׁ et בּוּץ non lintea sola significare, id quod rabbini dicunt, sed etiam de pannis ex xylino usurpata esse, ut Graeci quoque vocabulo βύσσος pro utraque re utebantur. Loco Esth 1, 6 xylinum vocabulo peregrino כַּרְפַּס (Gr. κάρπασος, Lat. *carbasus*) significatur.

Inter ceteras fruges terrae memorantur *fabae, lentes, cucumeres, melones, caepae, porrum, allium,* de quibus infra dicemus.

IV. Instrumenta, quibus Hebraei ad agros colendos utebantur, semper simplicissima fuerunt, qualia hodie quoque in oriente sunt. Primo terra acutis *scipionibus,* deinde *palis* relaxabatur; tandem *aratrum* et *occa* excogitabantur. Prima aratri forma ignoratur. Aetate posteriore e quattuor partibus componebatur: temone, iugo (i. e. ligno incurvo, quod temoni alligatum et iumentorum collo impositum erat), stiva, vomere (מַחֲרֵשֶׁת I Sm 13, 20). Qui arabat, is stivam aratri, quod rotis carebat, perpetuo manibus firmiter tenere, et ne ulla loca intacta manerent, pronus incedere oculosque in aratrum defigere debebat, ad quod Christus Lc 9, 62 respicit. Occa autem (cf. יִשַּׂד Jes 28, 24. Hos 10, 11. Job 39, 10) nihil aliud fuisse videtur nisi asser crassus, pondere aliquo vel viro insidente gravatus et a iumentis super arvum aratum tractus, quo grandiores glebae frangerentur et arvum complanaretur.

Saepius etiam אֵת memoratur (I Sm 13, 20 s. Jes 2, 4. Joel 4, 10. Mich 4, 3 et [?] II Rg 6, 5), quo vocabulo ex opinione plurimorum interpretum antiquorum vomer aratri significatur; sed I Sm l. c. vocabulum מחרשת cum eo coniungitur. Fortasse nihil aliud significat nisi dolabram (Haue, Hacke).

Iumenta, quorum ope labor agriculturae sublevabatur, erant *boves* (I Rg 19, 19 s. Am 6, 12. Job 1, 14), *vaccae* (Jdc 14, 18), rarius *asini* (Jes 30, 24. cf. 32, 20). Asinum unâ cum bove aratro

alligare nefas erat (Dt 22, 10). Ut autem boves lentius incedentes incitarent, Hebraei utebantur *rullâ* (מַלְמָד vel מִלְמָד, Graece βουπλήξ, βούκεντρον), i. e. pertica lignea, cuius uni eique crassiori extremae parti rutrum ferreum affixum erat, quo glebae a vomere abigerentur, altera in *stimulum ferreum* (דָּרְבָן) desinebat, quo boves incitarentur (Jdc 3, 31. I Sm 13, 21. Koh 12, 11). Iumentum contra stimulum recalcitrans facile vulnerabatur; unde locus Act 9, 5 explicatur. Ceterum etiam *flagellum* (שׁוֹט) ad iumenta incitanda adhibebatur (Prov 26, 3).

V. Ager praeparatus conserebatur (זָרַע, Gn 47, 23. Ex 23, 10. Lv 25, 3. Jer 2, 2. al. מָשַׁךְ הַזֶּרַע *semen traxit* i. e. tractim sparsit per sulcos Am 9, 13. cf. Ps 126, 6). Qua in re Hebraei agrum duplici semine conserere lege vetiti erant (Lv 19, 19. Jos. AJ 4, 8. 20). Eius modi seges tamquam sacra sacerdotibus cedebat (Dt 22, 9).

Altero dimidio Octobris et mense Novembri, nonnumquam etiam Decembri, triticum terrae mandabatur, hordeum autem Januario et Februario; deinde occatione vel calcantibus capris et ovibus efficiebatur, ut terra semen reciperet. Haud raro segetes, praesertim adultae et spicis ornatae (Gn 41, 6. 23. 27), vento, qui ab oriente exit (קָדִים sc. רוּחַ, *Chamsîn*) tanguntur et flavescunt neque grana ferunt, quod segetis vitium שִׁדָּפוֹן appellatur (Dt 28, 22. I Rg 8, 37 = II Chr 6, 28. Am 4, 9. Hagg 2, 17). Saepius culmi triticei et hordeacei fungis minimis, qui *Puccinia graminis* Persoon vocantur, ita laeduntur, ut nullas spicas concipiant, qui morbus יֵרָקוֹן appellatur (ll. cc.)[1]. Segetes maturescentes a vigilibus custodiebantur (Jer 4, 17), qui tuguria ex levi materia compingere solebant, qualia etiam in nostris hortis maturescentibus fructibus conspiciuntur[2]. Viatoribus autem lege permissum erat, ut spicas de alieno agro vellerent et grana manducarent, modo ne falce (מַגָּל, חֶרְמֵשׁ) uterentur (Dt 23, 26)[3].

[1] In Vulgata שדפון vel *aerugo* explicatur (II Chr 6, 28. LXX ἀνεμοφθορία) vel *aer corruptus* (Dt 28, 22. LXX ἀνεμοφθορία, I Rg 8, 37. LXX ἐμπυρισμός) vel *ventus urens* (Am 4, 9. LXX πύρωσις, Hagg 2, 17. LXX ἀφορία); ירקון autem explicatur *aerugo* (I Rg 8, 37) vel *aurugo* (Am 4, 9 [cod. Amiatin. *aurigo*]. II Chr 6, 28. LXX ἴκτερος. Hagg 2, 17. LXX ἀνεμοφθορία) vel *rubigo* (Dt 28, 22. LXX ὄχρα).

[2] Quae tuguria messe facta vel diruuntur vel negleguntur vel pluviâ facile corruunt, ad quod Jes 1, 8 et Job 27, 18 respicitur.

[3] Quam legem nonnulli de solis operariis interpretantur, sed procul dubio ad omnes spectat. Quare Mt 12, 1. Mc 2, 23. Lc 6, 1 discipuli Christi a Pharisaeis non ideo reprehensi sunt, quod spicas vellerent et grana comederent, sed quod sabbato id facerent.

Messis (קָצִיר) secundo die paschae i. e. sexto decimo mensis Nisan ritu quodam religioso (primo manipulo hordei in sacrario oblato Lv 23, 10—14. Jos. AJ 3, 10. 5) incipiebat et usque ad pentecosten durabat (Dt 16, 9). Primo hordeum metebatur (II Sm 21, 9. Rth 1, 22; 2, 23. Jdth 8, 2), ut in Aegypto (Ex 9, 31 s.), deinde triticum (Gn 30, 14. Jdc 15, 1. I Sm 6, 13; 12, 17. Rth 2, 23), postremo alia frumentorum genera. Antiquissimis temporibus culmi radicitus evellebantur vel solae spicae decerpebantur, sed Hebraei falce iam utebantur (Dt 23, 26). Messores erant domini eorumque liberi, ancillae et mercennarii, qui labori, quamvis arduo, magna cum laetitia cantilenisque resonantibus incumbebant (Ps 126, 6) [1]. Qui praeteribant, iis de messe opima gratulabantur (Ps 129, 8), quae pro magno beneficio dei habebatur, cum sterilitas agrorum in poenis divinis referretur (cf. Lv 26, 4. Dt 11, 14 s; 28, 12. 24. Hagg 1, 5—11. Mal 3, 10—12) [2]. Demessae segetes in manipulos (עֹמֶר Lv 23, 10—12. Dt 24, 19. Job 24, 10. Rth 2, 7. 15. אֲלֻמָּה Gn 37, 7. Ps 126, 6) colligabantur, qui manibus hominum (Ps 129. 7) vel ope iumentorum aut etiam plaustris (Am 2, 13) in aream (גֹּרֶן LXX ἅλων) [3] comportabantur ibique in cumulum (עֲרֵמָה Jer 50, 26. Hagg 2, 16. Ct 7, 3. Rth 3, 7. Neh 13, 15. דָּיִשׁ Ex 22, 5. Jdc 15, 5. Job 5, 26) exaggerabantur [4]. Manipuli temere in agris relicti, segetes in angulis agrorum (teste M. Pea 1, 2 sexagesima pars agri), spicae manibus metentium elapsae a viduis et pupillis, pauperibus et peregrinis colligi poterant (Lv 19, 9; 23, 22. Dt 24, 19. Rth 2, 2).

[1] Qui messores paene sequebantur et quaecumque eorum manibus elapsa erant, in fasciculos colligebant, ne quid periret, מְאַסְּפִים vocabantur (Jes 62, 9. Jer 9, 21). Quare etiam ea militum manus, quae agmen aegre procedens iussu imperatoris sequebatur, מְאַסֵּף vocari solebat (Nm 10, 25. Jos 6, 9. 13. LXX οὐραγοῦντες vel ἔσχατοι πασῶν τῶν παρεμβολῶν, Xenoph. Anab. passim ὀπισθοφύλακες), quippe cum eam videre necesse esset, ne agmen extremum difflueret aut quid detrimenti caperet.

[2] Tropice messis haud raro de poenis divinis usurpatur, quibus mali demetuntur (Jes 17, 5. Jer 51, 33. Hos 6, 11. Joel 3, 13). Metentium de messe opima laetitia ad summum gaudium describendum adhibetur (Jes 9, 2. Ps 4, 8); nam ubertate messis a gente malum maxime metuendum, inopia et fames, depellitur.

[3] Area apud Hebraeos sub divo in elatiore parte agri ipsius esse solebat, ut etiam nunc in oriente. Nonnullae areae singularibus nominibus significantur, velut גֹּרֶן הָאָטָד i. e. *area rhamni*, LXX ἅλων Ἀτάδ, trans Jordanem (Gn 50, 10 s.); גֹּ כִּידוֹן *area Chidon*, LXX A ἅλων Χειλών, Luc. Χεδών (I Chr 13, 9), quae etiam גֹּ נָכוֹן *area Nachon*, LXX ἅλων Ναχώρ vocatur (II Sm 6, 6), prope Kirjath-Jearim; גֹּ אָרְנָן *area Ornan* Jebusitae,

LXX ἄλων Ὀρνά, prope Hierosolyma (I Chr 21, 15), in qua Salomo templum exstruxit (II Chr 3, 1).

[4] Manipulos in area ad triturationem exaggerare tropice ad futuras clades servare significat (Jes 21, 10. Jer 51, 33. Mich 4, 13).

Manipuli in area dispositi triturabantur (דוּשׁ et דִּישׁ, Assyr. *dâšu*). Atque apud Hebraeos tres triturandi modi usitati erant, quod adhuc in oriente permansit. 1) Legumina aliaque semina minora, nonnumquam etiam frumentum, virgis excutiebantur (חָבַט, quod verbum quamlibet excussionem significare videtur, LXX tamen de excussione virgis vel baculis facta explicant, cum vertant ῥαβδίζειν σῖτον, cf. Jdc 6, 11. Rth 2, 17). 2) Plerumque pedibus boum (et vaccarum, rarius equorum et asinorum) grana aristis excuti solebant (Dt 25, 4. Jes 28, 28. Hos 10, 11. Mich 4, 13. M. Schebiith 5, 8)[1] vel 3) tribulo (τρίβολον, talmud. טרבל, טורביל), cuius duo erant genera: a) unum erat tabula lignea, e pluribus gravissimis asseribus composita, infra vel lapidibus acutis vel ferramentis vel incisuris asperata, quae imposito auriga aut gravi pondere a iumentis super fruges dispositas trahebatur, ut grana extererentur, glumae frangerentur, stramen in minutissimas particulas secaretur (מוֹרַג חָרוּץ *tribulum acutum* Jes 41, 15., simpliciter חָרוּץ ib. 28, 27. Job 41, 22., ex nonnullorum opinione etiam בִּרְקָנִים Jdc 8, 7. 16., apud Romanos *traha* et *trahea*); b) alterum erat carpentum cylindris rotisve instructum, quae ferramentis lapidibusve in modum serrarum asperatae erant (עֲגָלָה Jes 28, 27 s., apud Romanos *plostellum Punicum*); quod cum super fruges in area trahebatur, in granis conterendis atque glumis et stramine frangendis scindendisque idem efficiebat, quod prius illud instrumentum[2].

[1] Ne boves triturantes de frumento ederent, complures gentes antiquae ori eorum capistrum inicere solebant. Qua re Moses Hebraeis interdixit, quia bovem in mediis frugibus laborantem ab iis pasci prohibere non iustum videtur (Dt 25, 4. Jos. AJ 4, 8. 21. cf. I Cor 9, 9. I Tim 5, 18). Nonnulli existimant hanc legem latius patere, ut nulli laboris socii, sive animalia sive homines mercennarii, eos fructus, in quibus laborent, edere prohibendi sint.

In Aegypto iam antiquitus spicae boum ungulis exterebantur (Herod. Hist. 2, 14). Quod etiam nunc in Aegypto, Arabia, Syria moris est. Bovibus, ne vertigine corripiantur, oculi obligantur.

[2] Triturationem apud Hebraeos ad strages transferri, quibus copiae hostium quasi conterantur et comminuantur, notum est, et si tribulum vocatur novum (חָדָשׁ) i. e. tale, ut eius cacumina usu nondum sint obtusa, clades maiores significantur (Jes 21, 10; 41, 15. Jer 51, 33. Mich 4, 12 s.). Quia bovi trituranti os ligari vetitum erat, iumenta machinam

trahentia de spicis ad saturitatem comedebant; quare trituratio etiam lautiorem victum significat (Hos 10, 11).

Trituratione facta grana *ventilabro* (מִזְרֶה, Assyr. *mazruttu*, Jes 30, 24. Jer 15, 7) ita a gluma separabantur, ut unâ agitarentur vel in altum proicerentur [1]. Frumenta autem plerumque pervesperi ventilabantur (Rth 3, 2), quia tunc ventilatores aestu minus fatigabantur atque aura lenior oriri solet (cf. Gn 3, 8), cum interdiu ventorum flatus in oriente rari sint. Frumentum purgatum in *horreis* vel etiam in *granariis subterraneis* (אֲסָמִים Dt 28, 8. Prov 3, 10. מַאֲבֻסִים Jer 50, 26. אוֹצָרוֹת [מִמְגֵרוֹת?] Joel 1, 17. מִסְכְּנוֹת II Chr 32, 28. ἀποθήκαι Mt 3, 12; 13, 30. Lc 3, 17) asservabatur [2]. Urbes ad servandam annonam destinatae (עָרֵי מִסְכְּנוֹת *oppida promptuariorum*) memorantur I Rg 9, 19. II Chr 8 4. 6; 17, 12. cf. Ex 1, 11. II Chr 32, 28 s. I Mcc 14, 10. Frumentum abundans exportatum esse ex Ez 27, 17 apparet [3].

[1] Imago ab hac operatione petita poetis Hebraicis tam apta visa est ad subitam rerum conversionem significandam, qua improbus redditur infelix, ut eam saepius usurpent. Velut Ps 1, 4., ubi impii et scelerati homines cum paleis comparantur, quarum levitas flatui ventorum exposita iactatur et abripitur. Ps 35, 5., ubi poeta Jahven orat, ut inimicos exagitet et disiciat, ut fiant instar glumae ventis expositae. Et Hosea 13, 3 dicit Ephraimitas dispersos esse similes glumae ab area turbine abreptae. Cf. etiam Jes 41, 16. Am 9, 9.

[2] Arabes talia granaria subterranea hodie *matmûrath* vocant.

[3] Fructus sementis valde erat diversus. Atque agri modo cum tricesimo modo cum sexagesimo modo cum centesimo fundebant frumentum (Gn 26, 12. Mt 13, 8). Hodie multo minus demetitur. In sola regione Haurân cum sexagesima vel centesima fruge agricolis fenus reddit terra.

Adnotatio. — A. S. Macalister anno 1908 in Tell Dschezer parvam tabulam ex lapide calcario cum inscriptione litteris antiquorum Hebraeorum scripta effodit, quae inscriptio circiter sexto a. Ch. n. saeculo orta est et indicem continere videtur, ubi opera agricolarum, quae per singulos annos facienda sunt, enumerantur. Cf. H. Vincent, Un calendrier agricole israélite (RB N. S. VI, 1909, 243—269). K. Marti, Ein altpalästinensischer landwirtschaftlicher Kalender (ZAW XXIX, 1909, 222—229).

Caput secundum

De cultura vitium

I. Primam vineam (כֶּרֶם) [1] Noah plantasse sacrae litterae tradunt (Gn 9, 20). Terra Canaan praecipuarum vinearum ferax erat (Nm

16, 14. Dt 6, 11; 7, 13; 8, 8; 32, 14. Jos 24, 13. Jer 5, 17; 39, 10. Hos 2, 22). Quare inter fructus ab exploratoribus ad populum Israeliticum portatos fuit uva (Nm 13, 24) atque inter donaria templi Hierosolymitani vitis aurea [2]. Imprimis propter vineas celebrantur montana Engedi (Ct 1, 14) et vallis Eškol, hodie Wâdi bît iskâhil (Nm 13, 23 s; 32, 9. Dt 1, 24), apud Josephum etiam litora lacus Genezareth (BJ 3, 10. 8), in Talmud planities Šârôn (M. Nidda 2, 7) et plures aliae regiones, quae nobis ignotae sunt (M. Menachoth 8, 6). Vineae Salomonis, quae in Baʿal-hamon in finibus regni decem tribuum sitae erant, generosissimis vitibus obsitae, Ct 8, 11 mentio fit (cf. Koh 2, 4). Praeterea in sacris litteris laudantur vinum vallis Sorek (Jdc 16, 4) i. e. vallis, cui ruinae Sûrîk imminent (hodie Wâdi Serâr), Libani (Hos 14, 8), Carmeli (II Chr 26, 10). Vineae colebantur in regionibus quoque terrae Canaan finitimis, velut in urbe Syriae Helbôn, hodie Helbûn, in inscriptionibus cuneiformibus Ḫilbûnu (Ez 27, 18), in urbe Sebâm sive Sibma, in finibus tribus Ruben sita, hodie Sûmia (Jes 16, 8 s. Jer 48, 32), in terra Ammonitarum (Jdc 11, 33), Philistaeorum (ib. 15, 5), Idumaeorum (Nm 20, 17), Amoritarum (ib. 21, 22), in Aegypto (Gn 40, 9) [3].

Cf. L. Anderlind, Die Rebe in Syrien, insbesondere in Palästina (ZDPV XI, 1888, 160—177).

[1] Vocabulum כרם initio, ut in lingua Arabica et Aethiopica, vitem significasse videtur, *nobilem* stirpem κατ' ἐξοχήν (cf. Arab. *karuma* = generosus fuit).

[2] Iam Sinuhe Aegyptius, qui circa annum a. Ch. n. bis millesimum in terram Canaan venerat, memorat, quantopere haec terra vino et oleo, fructibus et melle abundet (H. Gressmann, Altorientalische Texte und Bilder zum alten Testament I, 213). Tum etiam apud Megiddo (hodie Tell el-Mutesellim) vineae et palmae fuerunt, id quod ex annalibus Pharaonis Thutmosis III, qui circa annum a. Ch. n. millesimum quingentesimum regnavit, cognoscimus (ib. 239).

[3] Ex monumentis discimus Aegyptios iam aetate quartae domus regiae vitem coluisse. Cf. A. Erman, Aegypten uud aegyptisches Leben im Altertum 276—279. H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I, 179—188.

Hebraei in vineas colendas magnam conferebant operam (cf. Jes 5, 2) easque per declive collium et montium plantare solebant (Jes 5, 1. Jer 31, 5. Hos 14, 8. Am 9, 13. Ps 80, 9. 11. II Chr 26, 10). Sed ne in palustribus aut irriguis quidem regionibus vites deerant (Nm 13, 24. Jdc 9, 27. I Rg 21, 1. Ez 17, 8). Plerumque sustentaculis innitebantur aut arboribus, imprimis ficubus, se coniungebant [1]; unde formulae loquendi, quae proverbiorum locum obtinent: „sedere sub vite

sua et sub ficu sua“ (I Rg 5, 5. Mich 4, 4. Sach 3, 10. I Mcc 14, 12) et „comedere de vinea sua et de ficu sua“ (II Rg 18, 31. Jes 36, 16) i. e. vitâ tutâ et prosperâ frui [2]. Vineae cinctae erant saepe veprium et spinarum (מְשׂוּכָה Jes 5, 5. φραγμός Mt 21, 33) vel maceria (גָּדֵר Nm 22, 24. Jes 5, 5. Hos 2, 8. Prov 24, 31. Ps 80, 13) et praeditae turri (מִגְדָּל Jes 5, 2. πύργος Mt 21, 33) sive specula custodum (Ct 8, 11), qui fures et feras arcerent (Ps 80, 14), imprimis vulpes parvas, quae maxime uvis delectantur (Ct 2, 15). Praetereuntibus autem uvas decerpere et manducare licebat (Dt 23, 24).

Vineam frumento conseri vetitum erat; qua lege neglecta vindemia et segetes sacrae erant i. e. in usum sacerdotum cedebant (Dt 22, 9. Jos. AJ 4, 8. 20). Cum in nova vinea tribus primis annis vindemiam facere non liceret et uvae anni quarti sacrae essent, ii, qui novam vineam plantaverant, per quadriennium ab officio militari liberi erant (Dt 20, 6. I Mcc 3, 56).

[1] Apud Aegyptios vites ad palos vel sudes alligabantur et saepe in porticus formabantur. Quod in variis imaginibus effossis repraesentatur.

[2] Saepius *vitis et ficus* omnes alios fructus significant, qui vel potum gratum vel cibum suavem praebent, velut Hos 2, 14.

II. Vindemia (קָצִיר), quae a medio Septembri usque ad medium Octobrem durabat, erat tempus laetissimum ac canticis omnibus locis celebrabatur (Jdc 9, 27. Jes 16, 10; 24, 7. Jer 25, 30; 48, 33). Racematio pauperibus et peregrinis relinquenda erat (Lv 19, 10. Dt 24, 21). Tropice vindemia et racematio vastationem terrae ab hostibus expilatae significat (Jes 17, 6. Jer 49, 9. Obad v. 5. Ps 80, 13. Thrn 1, 12. 22. Apc 14, 19).

Ut Hebraei peractâ vindemiâ festo tabernaculorum ad sacrarium confluebant, ut Jahvae gratias agerent (Dt 16, 13), ita idololatrae suis diis gratos se praestabant. Velut Sichemitae ob vindemiam prospere peractam idolo Baʿal-berît gratias persolvebant epulasque cum sacrificiis instituebant (Jdc 9, 27).

Uvae vindemiatae ad torcular (פּוּרָה LXX ληνός) portabantur, quod plerumque in ipso vineto exstructum erat atque ex duobus receptaculis constabat, quae in saxo excidi solebant, nonnumquam autem ex lateribus confecta erant. Atque uvae in receptaculum superius sive cupam (גַּת) congerebantur ibique pro more apud omnes gentes, quae terras vitiferas incolebant, recepto *pedibus calcabantur* (דָּרַךְ Jdc 9, 27. Jer 25, 30; 48, 33. ד׳ גַּת Thrn 1, 15. Neh 13, 15. ד׳ בְּגַת Jes 63, 2. ד׳ פּוּרָה ib. v. 3), ut mustum expressum per foramen, quod in inferiore

cupae parte erat, in receptaculum infra positum (יְקֶב Jes 5, 2. Jer 48, 33. Joel 2, 24; 4, 13. Hagg 2, 16. Prov 3, 10. LXX ὑπολήνιον, apud Romanos *lacus vinarius*) defluerent [1]. Quae calcatio, quamvis molesta et squalida esset (Jes 63, 1 s.), laete tamen cum cantu peragebatur (Jes 16, 9 s. Jer 25, 30; 48, 33) [2]. Tropice verba „torcular calcare“ de magna caede usurpantur (Jes 63, 1—3. Thrn 1, 15. Apc 14, 20; 19, 15).

[1] Nonnulla torcularia vini et olei in Palaestina inventa antiquissimi temporis sunt. Constant ex receptaculo quadrato (vel rotundo) summum 4 m longo, 1 m alto, ubi uvae et olivae ita calcabantur, ut sucus inde foramine in cupam 1 m fere altam defluueret. Torcularia Canaanaea multo diligentius quam Hebraica ex lapide caesa sunt.

Apud Aegyptios uvae maturae in corbibus ponebantur et ad torcular portabantur, ubi primum in ligneo lacu a viris funiculis se sustinentes calcabantur, deinde in panno collocatae perfectius exprimebantur. Quod saepius in monumentis effossis repraesentatur.

[2] Psalmos quosdam, qui inscripti sunt: עַל־הַגִּתִּית, LXX ὑπὲρ τῶν ληνῶν, Vulg. *pro torcularibus* (8, 1; 81, 1; 84, 1), compositos esse nonnulli dicunt, ut in uvis colligendis vel in torculari premendis cantarentur, ut Graecos quoque apud torcularia ὕμνους ἐπιληνίους decantasse tradunt scriptores antiqui, velut Anacreon Od. 52. At hominum rusticorum litteras ignorantium potius morem fuisse videtur, ut voces inconditas proferrent, quod ex Jer 48, 33 colligitur: „Vinum de torcularibus sustuli; nequaquam calcator uvae solitum celeuma cantabit“ (Vulg.), quo loco Syrus ultima verba ita vertit: „non ultra calcantes torcular dicentes: Eia, eia!“ In textu Hebraico est vocabulum, quod nihil significat nisi interiectionem cohortantium inter se: הֵידָד (deriv. a הדד, Arab. *haddatun* = fragor, vel הוד, Arab. *hîda* = inclamare aliquem), quod etiam Jes 16, 9 s. Jer 25, 30; 51, 14 legimus. Omnino constat apud omnes fere gentes socios eiusdem laboris, imprimis difficilis, eius modi voces emittere, quibus se ipsi ad laborem alacres reddant.

Mustum (תִּירוֹשׁ cf. Assyr. *sirâšu*, *širêsu;* עָסִיס) in cellas vinarias deportabatur, ut effervesceret. Quae cellae non erant subterraneae, sed super terram aedificatae, ibique vinum non in doliis, sed in magnis amphoris, quae infossae erant vel humi stabant, asservabatur, interdum etiam in utribus (Jos 9, 4. I Sm 16, 20; 25, 18), qui novi erant, ne rumperentur, cum vinum effervesceret (Mt 9, 17. Mc 2, 22). Eius modi utres ex pellibus caprinis (extrinsecus pilosis, intus purgatis) confectos orientales hodie quoque usurpant. Nonnumquam vinum diutius in amphora super faeces (שְׁמָרִים) conservabatur, qua re melius ac suavius fiebat (Jer 48, 11. Zeph 1, 12. cf. Jes 25, 6). Haud raro mustum coquebatur, ut syrupus fieret, qui et ipse nomine mellis (דְּבַשׁ, Arab. *dibs,* Assyr. *dašpu* = vinum mulsum, Graec. ἕψημα) significatur (Gn

43, 11. Ez 27, 17) atque etiam nunc ex Palaestina, imprimis ex locis urbi Hebron propinquis, in Aegyptum exportatur.

Caput tertium

De hortorum cultura

I. Praeter agros et vineas ab antiquissimis temporibus sedulo colebantur horti (גַּנִּים et פַּרְדֵּס)[1], non modo quia fructus delicatiores ferunt, verum etiam quia umbram gratissimam praebent ibique aura aquis, quae in canalibus ad singulas areolas (עֲרֻגוֹת Ct 5, 13; 6, 2) derivabantur, refrigeratur (cf. Nm 24, 6. Jes 58, 11. Jer 31, 12. Ct 4, 15)[2]. Hebraei posterioris aetatis ad culturam hortorum praecipue exemplo Syrorum, quos Plinius (Hist. nat. 20, 16) propter eam culturam magnis laudibus celebrat, excitabantur. Imprimis reges et principes ex hortis, quos iuxta aedes plantabant, magnam famam capiebant (II Rg 9, 27; 21, 18. 26; 25, 4. Jer 39, 4; 52, 7. Koh 2, 5. Neh 3, 15. cf. Esth 1, 5). Nonnumquam in hortis cultui privato vacabant (Mt 26, 39. Jo 18, 1. etiam cultui idolorum I Rg 14, 23. II Rg 16, 4. Jes 1, 29; 65, 3; 66, 17) atque post mortem quoque ibi quiescere solebant (II Rg 21, 18. 26. Jo 19, 41). Nemora voluptatis causâ comparata, in quibus ferae nutriuntur, Koh 2, 6 memorari videntur.

[1] Vocabulo גנים (sgl. גַּן, Assyr. *gannatu*) hortos florum et herbarum significari nonnulli ex Dt 11, 10 et I Rg 21, 2 (גַּן הַיָּרָק) colligunt. Vocabulum פרדס, quod peregrinae originis est (Zend. *pairidaéza*, παράδεισος, etiam in lingua Assyria posterioris aetatis *pardisu*) arboretum intellegendum esse inde verisimile est, quod Neh 2, 8 ex פרדס ligna ad contignationes faciendas petuntur, Ct 4, 13 idem vocabulum de horto malorum Punicorum usurpatur, Koh 2, 5 in פרדס arbores plantatas esse dicitur.

[2] Salomonis piscinae cum aquaeductibus, quibus agri hortique irrigabantur (Koh 2, 6), etiam nunc haud procul ab horto Salomonis clauso (Ct 4, 12), qui prope Bethlehem intra montes asperrimos in valle amoenissima situs erat, ostenduntur.

II. Arbores ordine in hortis plantabantur, ut inter eas ambulacra relinquerentur atque quoquoversus aditus ad eas pateret. Propagabantur autem non solum ex nucleis, sed etiam insitione sarmentorum (Rom 11, 17). Earum fertilitatem Hebraei stercore allato, terrâ relaxatâ, surculis et ramis luxuriantibus resectis adiuvabant (Lc 13, 8. Jos 15, 2).

Imprimis colebantur: **1)** Olea (זַיִת, ἐλαία, *Olea europaea* L.), arbor adspectu iucunda et hieme quoque virescens. Cum ramos latissime ex-

plicet, symbolum est multorum liberorum, qui pro singulari dei favore habebantur (Jer 11, 16. Hos 14, 7. Ps 52, 10; 128, 3). Ramus oleae iam Gn 8, 11., postea apud omnes gentes symbolum pacis et prosperitatis erat. Baccae olearum, antequam prorsus maturae sint, manibus decerpuntur vel leniter decutiuntur (Jes 17, 6; 24, 13) atque oleum generosissimum, quod שֶׁמֶן רַעֲנָן *oleum viride* i. e. recens appellatur (Ps 92, 11), praebent. Erant etiam torcularia ad oleum exprimendum, quae גַּת שֶׁמֶן (M. Pea 7, 1. cf. דָּרַךְ זֵית Mich 6, 15) vocantur, unde nomen Γεθσημανῆ (Mt 26, 36. Mc 14, 32) ducitur. Oleum ad sacrificia (Ex 29, 40. Lv 2, 1 ss; 6, 8. 14; 7, 10. 12; 8, 26; 14, 10 ss. Nm 6, 15. al.), ad candelabrum aureum alendum (Ex 25, 6; 27, 20; 35, 8. 14. 28. Lv 24, 2. Nm 4, 16), ad cibos condiendos (I Rg 17, 12. Ez 16, 13. 19. Hagg 2, 12) adhibebatur. Praeterea frequens erat olei usus in unctionibus, ut שֶׁמֶן *unguentum* quoque significet i. e. oleum variis odoribus conditum (II Sm 14, 2. II Rg 9, 6. Jes 61, 3. Ps 23, 5; 45, 8; 141, 5. Prov 27, 9. Ct 1, 3. Koh 9, 8). Salomo oleo etiam loco pecuniae usus est, cum Hiram, regi Tyriorum, pro lignis cedrinis et abiegnis praeter alia oleum praebuit (I Rg 5, 25. II Chr 2, 9). Eodem modo Esra operariis Sidoniis Tyriisque oleum loco mercedis dedit (Esr 3, 7) atque Esrae ipsi ab Artaxerxe rege concessum est, ut a custodibus arcae publicae cum alia tum oleum ei daretur (ib. 7, 22). Oleum etiam in commercio cum exteris gentibus inter merces numeratur. Velut mercatores Hebraici oleum Tyrum (Ez 27, 17) et in Aegyptum (Hos 12, 1) exportabant. In regiones quoque Assyriorum et Babyloniorum oleum ex Palaestina allatum esse ex Ez 16, 18 s. colligi potest. Conferas F. Goldmann, Der Ölbaum in Palästina zur Zeit der Mišnâh. Diss. Freiburg 1907. — **2)** Oleaster sive olea agrestis (עֵץ־שֶׁמֶן I Rg 6, 23. 31 s. Jes 41, 19. Neh 8, 15. ἀγριέλαιος Rom 11, 17. 24) vocatur *Olea oleaster* L. et ab oleastro recentiorum, quae *Eleagnus angustifolia* L., ab Arabibus *zaḳḳum* appellatur, distinguenda est. Est olea sine cultura, cuius ramusculi sterilibus oleis cultis inseruntur, ut earum fertilitas augeatur (cf. Rom 11, 17—24). Hodie quoque in monte Libano, qua in septentriones spectat, invenitur. — **3)** Nux (*Juglans regia* L.) ex Perside oriunda, cuius fructus (אֱגוֹז, Arab. *gauzun*) loco Ct 6, 11 memoratur. Graeci autem Alexandrini (ib. v. 10) non fructum (τὸ κάρυον), sed arborem (ἡ καρύα) expresserunt. Aetate Josephi (BJ 3, 10. 8) nuces in planitie Genezareth abundabant. Hodie in Syria, praesertim in regione Libani, coluntur. — **4)** Pistacia, terebinthi similis (*Pistacia vera* L.). Eius fructus (בָּטְנָה Gn 43, 11. Assyr. *buṭnu*) est generosissima nucum species nucleumque habet subviridem saporis gratissimi. Secundum textum Graecum et Latinum vocabulum בָּטְנִים nuces terebinthi vel resinam terebinthinam significat. Recentiores autem unâ cum textu Samaritano et Arabico Erpenii fructus pistaciae intellegunt. — **5)** Malum granatum sive Punicum (רִמּוֹן, Arab. *rummân,* Aeth. *rômân,* Copt. *(h)erman,* LXX ῥόα, ῥοιά, *Punica granatum* L.). Quam arborem ex Perside et regionibus finitimis oriundam iam antiquissimis temporibus et in Assyria et in Aegypto pervulgatam fuisse monumenta ostendunt. Brevi in omnes regiones circa mare mediterraneum sitas introducta esse videtur. Hodie in Palaestina passim invenitur. In sacris litteris frequens eius mentio fit: arboris Nm 20, 5. Dt 8, 8. I Sm 14, 2. Joel 1, 12. Hagg 2, 19. Ct 4, 13., florum Ct 6,

11; 7, 13., fructus, qui Ct 4, 3; 6, 7 ad comparationes adhibetur. Ex malis granatis mustum parabatur (Ct 8, 2), quod etiam nomine urbis נת־רמון (ep. ʿAmârna 164, 45 *Giti-rimuni* KAT^3 450) = torcular mali granati significatur (Jos 19, 45; 21, 24. I Chr 6, 54). — **6)** Amygdalus (לוז cf. Aeth. *lawez,* Gn 30, 37. etiam שָׁקֵד cf. Assyr. *šiḳdu,* Jer 1, 11. quia omnium arborum prima e somno hiberno expergiscitur). Loco Gn 30, 37 variae amygdali species respondere possunt: *A. communis* L., *A. orientalis* Acton, *A. lycioides* Spach, *A. spartioides* Spach. Fortasse a frequentia huius arboris ea urbs, quae postea בֵּיתְאֵל vocabatur, olim לוז Vulg. *Luza* appellabatur (Gn 28, 19; 35, 6; 48, 3. Jos 16, 2; 18, 13. Jdc 1, 23); item alia urbs nomine לוז in terra Chittaeorum sita (Jdc 1, 26). Amygdalus olim in Palaestina frequens erat atque etiam nunc et culta et silvestris in tota regione invenitur. Contra amygdali in Aegypto, quamquam fortasse cultae sunt, tamen rarae fuisse videntur, quia neque reliquiae fructuum aut ligni in sepulcris inventae sunt neque scriptores antiqui de amygdalo in Aegypto crescente loquuntur neque amygdalus in Aegypto sua sponte nata invenitur. — **7)** Ficus (תְּאֵנָה, Arab. *tin,* Graec. συκῆ et σῦκον, *Ficus carica* L.), quae arbor alta et frondosa peramoenam umbram praebet (I Rg 5, 5. Mich 4, 4). Eius fructus sunt triplicis generis: a) *ficus praecox* (בִּכּוּרָה, Hisp. *albacora,* LXX πρόδρομος σύκου), quae mense Junio maturescit et magni aestimatur (Jes 28, 4. Jer 24, 2. Hos 9, 10. Mich 7, 1. Nah 3, 12); b) *ficus aestiva* sive *carica* (תְּאֵנָה), quae mense Augusto maturescit (Nm 13, 23; 20, 5. Dt 8, 8. II Rg 18, 31. Jes 36, 16. al.). Quatenus Luther non ita prave II Sm 16, 1 et Jer 40, 10 vocabulum Hebraicum קַיִץ (= poma aestiva, θέρος) ficos interpretatur. c) *ficus hiemalis* (פג Ct 2, 13), quae non aestate, sed sequente demum vere stirpibus denuo virescentibus matura fit; quare etiam in arboribus foliis nudatis invenitur. Ex his explicanda sunt verba Christi de ficu, quae foliis neque fructibus abundavit (Mt 21, 19. Mc 11, 13). Fructus fici remedium habebatur (II Rg 20, 7 = Jes 38, 21) atque etiam nunc pro medicamento vulgo usurpatur. Folia ficulnea arida et decidua inconstantiam felicitatis humanae et finem universitatis rerum significant (Jes 34, 4). Multis aliis quoque locis ficus ad comparationem adhibetur (ut Jer 24, 1—8; 29, 17. Mt 7, 16; 24, 32. Mc 13, 28. Lc 6, 44; 21, 29. Jac 3, 12. Apc 6, 13). — **8)** Sycomorus (שִׁקְמָה, Graec. συκόμορος, συκάμινος, *Ficus sycomorus vera* Forsk.), arbor in depressioribus regionibus Palaestinae (I Rg 10, 27. II Chr 1, 15) et in Aegypto (Ps 78, 47) frequens, foliis et magnitudine mori similis. Fructus praedulces ex ipso trunci et ramorum ligno proveniunt et artificiosa quadam vellicatione maturantur (Am 7, 14). Eius ligno nigricante, cum in milia annorum perduret, potissimum in aedificiis exstruendis utebantur (I Rg 10, 27. Jes 9, 9. II Chr 1, 15). Loco Ps 78 (77), 47 Vulgata שקמותם minus accurate interpretatur *moros eorum,* sed Graeci Alexandrini recte vertunt: τὰς συκαμίνους αὐτῶν. In locis urbi Jericho propinquis sycomoros fuisse ex Lc 19, 4 (ἐπὶ συκομορέαν) apparet. De eadem arbore Lc 17, 6 (τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ) agitur, non de moro, ut Vulgata vertit. — **9)** Palma (תָּמָר a rad. inusit. תָּמַר *prominuit, in altum exstitit,* cf. Arab. *itma'arra,* LXX φοινιξ, *Phoenix dactylifera* L.), arbor pulcherrima, perpetuo virens, olim et in Jordanis ripis et in regionibus ad maris mortui litora sitis

frequens erat. Plinius Hist. nat. 13, 6: „Judaea inclita palmis“. Josephus BJ 3, 10. 8 palmas planitiei Genezareth et AJ 15, 4. 2 palmas locorum urbem Jericho ambientium laudat. Jericho a palmarum multitudine (cf. Plin. 5, 14. Tacit. Hist. 5, 6) עִיר הַתְּמָרִים *urbs palmarum* appellabatur (Dt 34, 3. Jdc 1, 16; 3, 13. II Chr 28, 15). H. Winckler (Geschichte Israels II, 103 s. 120) ille quidem pro עיר התמרים *Baʿal-Tamar* vel *Baʿalat-Tamar* (= Baʿal est Tamar, Baʿalat est Tamar) legendum esse iisque verbis caput tribus Beniamin significari existimat. Cui lectioni ipse locus Dt 34, 3 repugnat, ubi verba עיר התמרים nomini יִרְחוֹ apposita sunt. Ceterum hodie loca, quae Jericho circumiacent, palmis omnino fere carent. Nam agri solum quamquam mutatum non est, tamen vastationibus multorum bellorum, continuis Beduinorum rapinis, pigritiâ incolarum sterile factum est. Etiam flos ille humilis, qui *Anastatica Hierichuntica* L. appellatur, nisi valde exiguum exemplum illius ῥόδου ἐν Ἰεριχώ, quod Sir 24, 18 celebratur, haberi non potest. In sacris litteris palma saepius ad comparationes adhibetur. Velut Ps 92, 13 homo iustus et pius palmae virescenti comparatur; Ct 7, 7 palma imago staturae pulchrae est. Nummi Judaeorum et Romanorum palmam aeque ac manipulum tritici et uvam tamquam symbola Judaeae exhibent. — **10)** Balsamum, arbor et frutex (*Amyris gileadensis* L.) in hortis Judaeae olim frequens erat (Ct 5, 1. 13; 6, 2; 8, 14. Jos. AJ 14, 4. 1; 15, 4. 2. BJ 1, 6. 6. Tacit. Hist. 5, 6. Plin. Hist. nat. 12, 54) atque etiam nunc colitur. Vocabula Hebraica בֹּשֶׂם, בֶּשֶׂם, בָּשָׂם licet plerumque sensu latius patenti aroma significent (cf. Assyr. *bašama* = odor suavis), tamen plerique iis significationem quoque stirpis balsamiferae tribuunt, quae etiam vocabulo Arabico *bašam* subiecta est. — **11)** Myrtus (הֲדַס, μυρσίνη), arbustum odoriferum ac semper viride, quod ob foliorum densitatem saepe laudatur (Jes 41, 19; 55, 13. Sach 1, 8. 10 s. Neh 8, 15). Nomen הדס idem est ac nomen Arabicum *hadaṣ*, quod cum Assyrio *ḫadaššatu* cohaeret. *Myrtus communis* L. iam ab antiquis temporibus notissima erat et magni aestimabatur. Hodie ad litora maris mediterranei, in vallibus circa Hierosolyma, Bethlehem, Hebron sitis, aliis Palaestinae locis crescit. — **12)** Malus (תַּפּוּחַ, Arab. *tuffâḥ*, LXX μῆλον Joel 1, 12. Ct 2, 3; 8, 5. ex nonnullorum opinione *Armeniaca vulgaris* Lam. = die Aprikose), cuius fructus Ct 2, 5; 7, 9. Prov 25, 11 (ubi תַּפּוּחֵי זָהָב nonnulli mala aurantia intellegunt) memorantur. Hodie per omnes Palaestinae partes invenitur. — **13)** Arbor siliquarum (Arab. *ḫarrûb*, *Ceratonia siliqua* L.). Siliquae (κεράτια), fructus dulces in modum cornuum curvati et valvulis inclusi, de quibus Lc 15, 16 mentio fit, sunt pabulum animalium et alimentum egenorum. Medicamenta quoque ex iis parantur. Secundum famam Christianorum Joannes Baptista in deserto siliquis ceratoniae vescebatur; unde media aetate exorta sunt nomina *Pain de S. Jean, Johannisbrot, Johannisbrotbaum*.

Nonnumquam horti a quibusdam arborum speciebus denominabantur, velut *hortus malorum Punicorum* (Ct 4, 13), *hortus nucum* (ib. 6, 11), *olivetum* i. e. ager in horti modum olivis consitus (Jdc 15, 5).

Cf. L. Anderlind, Die Fruchtbäume in Syrien, insbesondere in Palästina (ZDPV XI, 1888, 69—104). Praeterea videas M. Hagen, Realia biblica (II. Naturalia s. v.) Parisiis 1914.

III. Horti autem variis quoque floribus, oleribus, aliis herbis consiti erant (Dt 11, 10. I Rg 21, 2),

Ex floribus imprimis memoratur lilium (שׁוֹשַׁן, Aeg. *s(š)šn,* Copt. *šôšen* i. e. lotus) *album* a Salomo saepius laudatum (Ct 2, 16; 4, 5; 6, 2 s; 7, 3. cf. etiam Sir 50, 8. Mt 6, 28. Lc 12, 27) et *rubrum* (Ct 5, 12., ubi labia sponsae cum liliis comparantur), de quo Plinius Hist. nat. 21, 5: „Est et rubens lilium, quod Graeci crinon (al. crinon agrion) vocant, alii florem eius cynorrhodon (al. crinorrhodon); laudatissimum in Antiochia et Laodicea Syriae ... Sunt et purpurea lilia". Rosae antiquis Hebraeis ignotae erant. Quae aliquanto post demum in Palaestinam pervenerunt neque prius commemorantur quam Sir 24, 14; 39, 13; 50, 8. Sap 2, 8.

Ex herbis, quibus cibi condiebantur, in vetere testamento nominantur: cuminum (כַּמּוֹן Jes 28, 25. 27. LXX et Mt 23, 23 κύμινον, Aram. כְּמוּנָא, Arab. *kamûn,* Assyr. *kamûnu,* Pun. χαμάν), *Cuminum cyminum* L., quo Hebraei unâ cum sale pro condimento utebantur; nigella (קֶצַח Jes 28, 25. 27. Aram. קִצְּחָא, LXX μελάνθιον), *Nigella sativa* L., semen cumino simile, notissimum ciborum condimentum; coriandrum (גַּד Ex 16, 31. Nm 11, 7. Onkelos גִּדָּא, LXX κόριον, Graec. Venet. κορίανον), *Coriandrum sativum* L. Praeterea in novo testamento memorantur: anethum, ἄνηθον (Mt 23, 23), *Anethum graveolens* L.; mentha. ἡδύοσμον (Mt 23, 23. Lc 11, 42), *Mentha sativa* L.; ruta, πήγανον (Lc 11, 42. Jos. BJ 7, 6. 3. in Talmud פִּיגָם) *Ruta graveolens* L. vel *Ruta Chalepensis* L., quae in Syria frequentissime colitur: sinapi, σίναπι (Mt 13, 31; 17, 20. Mc 4, 31. Lc 13, 19; 17, 6. in Talmud חַרְדָּל); hodie in Palaestina imprimis sinapi nigrum (*Brassica nigra* Koch) colitur.

Ex leguminibus imprimis fabae et lentes colebantur. Hebraicum vocabulum fabae פּוֹל (II Sm 17, 28. Ez 4, 9) ita permansit (Arab. *fûl*), ut hodie fabam vulgarem (*Vicia faba* L.) significet, cum species phaseli, quae ipsae quoque hodie in Palaestina exstant, nomina *lûbije* et *mâš* habeant. Judaei posteriorum temporum Aegyptiam quoque fabam (פּוֹלָא מִצְרָיָא) norant. Quo modo apparatae fabae edi solitae sint, non accepimus. Lentes (עֲדָשִׁים, Arab. *ʿadas,* Gn 25, 34. II Sm 17, 28; 23, 11. Ez 4, 9. *Ervum lens* L.) secundum Gn 25, 29—34 coquebantur et obsonii loco unâ cum pane edebantur. Cum inopia et caritas rei frumentariae exstiterat, fabae et lentes molebantur et cum alia farina mixtae ad panem coquendum insumebantur (Ez 4, 9).

Ex herbis reptantibus imprimis cucumeres et melones Hebraeis accepti erant. Qui etiam inter olera appellantur, quae gens in deserto commorans desiderabat (Nm 11, 5). Ex cucumeribus (קִשְּׁאִים, Arab. *qiṭṭâʾun*), qui hodie quoque in cuppediis orientis esse ex multis testimoniis peregrinatorum recentiorum apparet, imprimis *C. sativus* L. et *C. Chate* L. in Palaestina coluntur. Eos antiquis temporibus olus usitatissimum fuisse apparet ex Jes 1, 8., ubi *cucumerarii* (מִקְשָׁה) i. e. horti cucumeribus consiti mentio fit, et ex Vulg. Bar 6, 69., ubi *formido in cucumerario* (Gr. προβασκάνιον ἐν σικυηράτῳ) memoratur. Monumenta quoque antiqua et Assyria et Aegyptia cucumeres saepe commemorant eorumque imagines repraesentant. Ex melonibus (אֲבַטִּחִים, Arab. *baṭṭîḫun*) *Cucurbita citrullus*

L. et *Cucumis melo* L. antiquitus in Palaestina colebantur. Loco II Rg 4, 39 memoratur פַּקּוּעָה (quod vocabulum fortasse etiam in Assyrio *pikkûti* invenitur) colocynthis (*Cucumis colocynthis* L. = *Citrullus colocynthis* Schrader). Minus probabiliter alii alias species ex ordine cucurbitecearum intellegunt, *Cucumerem prophetarum* L. vel *Ecballium elaterium* Richard (= *Momordica elaterium* L. *Spring- oder Eselsgurke*). Hedera (κισσός, *Hedera helix* L.) II Mcc 6, 7 memoratur, ubi memoriae proditur Antiochum Epiphanen die festo Dionysi Judaeos coronis hederaceis ornatos pompis interesse coegisse (cf. III Mcc 2, 29 s.).

Ex plantis tuberosis Hebraei omnibus temporibus caepis, porro, allio condimentis cenae utebantur (Nm 11, 5). Atque caepae (בָּצָל pl. בְּצָלִים, Arab. *baṣalun, Allium cepa* L.) imprimis in Philistaea colebantur; celeberrimae erant caepae Ascaloniae (= échalottes = Schalotten). Porrum interpretes vocabulum Hebraicum חָצִיר (cf. Arab. *ḥaḍira* = viride esse) intellexerunt. Verisimile est eo vocabulo *Allium porrum* L. significari; alii autem dicunt *Allium schoenoprasum* L. (Schnittlauch) significari. Allium sativum (Knoblauch, שׁוּם, Arab. *ṯûmun*, Syr. *tûma*) quantopere Judaeis acceptum fuerit, ludibrio Romanorum demonstratur, qui eos propter odorem nucleorum allii „foetentes" appellabant (Amm. Marc. Rer. gest. 22, 5). Ex testimonio talmudistarum et in hortis et in agris saepe colebatur crocus (כַּרְכֹּם Ct 4, 14. *Crocus sativus* L.), quo vulgo ad cibos et potus condiendos utebantur. Etiam Aegyptiis crocum notum fuisse ex papyro Ebers apparet. De Assyrio croci vel nomine vel usu non satis constat.

De arboribus et herbis, quarum in sacris litteris mentio fit, videas O. Celsius, Hierobotanicon. 2 vol. Upsaliae 1745—47; J. Young, Trees an flowers in Scripture. London 1848; A. Pratt, Plants and trees of Scripture. ib. 1851; J. H. Balfour, The plants of the Bible. Edinburgh 1857; P. Cultrera, Flora biblica. Palermo 1861. Botanique biblique. Genève 1861; G. Blessner, Flora sacra. New York 1864; V. Cesati, Piante di terra santa. Vercelli 1866; H. B. Tristram, The Fauna and Flora of Palestine. London 1884; G. E. Post, Flora of Syria, Palestine and Sinai. Beirut s. a. n. (1896); L. Fonck, Streifzüge durch die biblische Flora (BSt V, 1) Freiburg 1900; J. Wimmer, Palästinas Boden mit seiner Pflanzen- und Tierwelt vom Beginn der biblischen Zeiten bis zur Gegenwart. Köln 1902; A. Kinzler. Biblische Naturgeschichte [10]. Calw-Stuttgart 1902; A. A. Temple, Flowers and trees of Palestine. London 1907. — Praeterea L. Cl. Fillion, Atlas d'histoire naturelle de la Bible. Lyon et Paris 1884.

Sectio secunda

De pecuaria, venatione, piscatu

Praesidia doctrinae. — L. Anderlind, Ackerbau und Tierzucht in Syrien, insbesondere in Palästina (ZDPV IX, 1886, 55—73). — J. Benzinger, Viehzucht bei den Hebräern (RE [3] XX, 619—625). — B. Meiss-

ner, Assyrische Jagden. Auf Grund alter Berichte und Darstellungen geschildert (AO XIII, 2) Leipzig 1911.

Caput primum

De pecuaria

I. Ut agriculturam, ita pecuariam homines iam ab antiquissimis temporibus faciebant (Gn 4, 2). Patriarchae Hebraeorum in cura gregum maiorem operam ponebant quam in agricultura, quia, cum propriam terram non possiderent, libere divagabantur et tentoria, sub quibus degebant, pro pascuorum ratione in alia atque alia loca transferebant (ib. 12, 16; 18, 7; 24, 35; 32, 5; 34, 28. cf. 13, 5). Etiam in regione Aegyptiaca Gosen ad greges pascendos aptissima Hebraei priscum morem retinuerunt (ib. 46, 32. 34. Ex 10, 9. 24; 12, 32), et quamquam in terra Canaan potissimum agriculturae studebant, tamen pecuariam minime neglegebant; aetate quoque Davidica quo quis maiorem habebat multitudinem pecudis, eo opulentior censebatur (I Sm 25, 2. cf. II Rg 3, 4).

Omnibus temporibus apud Hebraeos, ut apud alias gentes antiquas[1], vita pastoricia honori ducebatur, in qua postea quoque, cum agricultura pecuariae iungeretur, primores populi elaborabant, velut Moses (Ex 3, 1), David (I Sm 16, 11; 17, 34), Absalom (II Sm 13, 23)[2]. Hinc similitudo illa apud antiquos crebro usitata, ex qua rectores et administratores rerum publicarum cum pastoribus comparari solebant, quia quae ratio pastori cum grege, ea regi cum populo intercedit. Conferas illud apud Homerum totiens repetitum ποιμὴν λαῶν, ut Iliad. 2, 243; 4, 296; 5, 144. Xenophon, Cyrop. 8, 2, 14 de Cyro: Καὶ λόγος δὲ αὐτοῦ ἀπομνημονεύεται, ὡς λέγοι, παραπλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ. τόν τε γὰρ νομέα χρῆναι ἄρα ἔφη εὐδαίμονα τὰ κτήνη ποιοῦντα, χρῆσθαι αὐτοῖς, (ἢ δὴ προβάτων εὐδαιμονία) τόν τε βασιλέα ὡσαύτως εὐδαίμονας πόλεις καὶ ἀνθρώπους ποιοῦντα, χρῆσθαι αὐτοῖς. In vetere quoque testamento saepius reges populos suos pascere dicuntur, ut cum Ps 78, 71 s. de David dicitur: Jahve „adduxit eum de lactantibus ovibus, ut pasceret Jacob, populum eius, et Israel, peculium eius, et pavit eos secundum integritatem cordis sui et duxit eos manibus suis prudentissimis“. Et ipsi David Jahve II Sm 5, 2 dicit: „Tu pasce populum meum“ Israel. Cf. II Sm 7, 7. Jer 23, 2 ss. Ez 34, 23. Quare boni ac mali reges bonis ac malis pastoribus saepe comparantur (Jer 2, 8; 23, 1. Ez 34, 23. Sach 11, 15. 17). Sed et ipse deus pastor populi nominatur et describitur

(Gn 48, 15; 49, 24. Jes 40, 11. Hos 4, 16. Ps 23, 1; 28, 9; 80, 2. cf. Jo 10, 11—16). Nonnumquam sacerdotes quoque et prophetae, quorum est populum recte ducere et in veri dei cultu servare, pastores vocantur (ut Jer 50, 6).

[1] Aegyptii nequaquam excipiendi sunt, cum ex loco Gn 46, 34: „Abominatio Aegypti est omnis pastor pecoris" colligendum non sit Aegyptios omnes pastores ovium et caprarum aspernatos esse. Nam inter septem hominum genera, in quae tota Aegyptiorum gens divisa erat (Herod. Hist. 2, 164), pastores quoque memorantur. Mendesii autem non solum omnes hircos et capras venerabantur, sed etiam eorum pastoribus summos habebant honores (ib. 2, 46). Aegyptios solos subulcos et societate hominum et communione sacrorum indignos habuisse constat (ib. 2, 47). In monumentis Aegyptiis praeter imagines, quae ad curam boum spectant, imagines quoque, quae in cura caprarum et ovium versantur, conspicimus; caprae, oves, arietes per agros consitos aguntur, ut semina in humum inculcent; carne caprina et vervecina Aegyptii libenter vescebantur. Ceterum ipse Aegyptiorum rex quosdam ex Israelitis gregibus suis pastores praeficere cogitabat (Gn 47, 6). Quae cum ita sint, loco allato nihil aliud dici potest nisi Aegyptios propterea pastores contempsisse, quod postremum septem illorum generum erant. F. Zimmermann (Aegyptische Randglossen zum alten Testament. Theologie und Glaube V, 357—361) incuriam corporis causam fuisse existimat, ex qua Aegyptii pastores contemnerent.

[2] Etiam Rahel (Gn 29, 9) et filiae Jithro, principis et sacerdotis Midianitarum (Ex 2, 16), paternos greges pascebant, quod etiam nunc apud Arabes filiae emirorum pudori sibi esse nequaquam arbitrantur.

II. Apud antiquos pecuaria maxima erat. Quod Hebraei e Midianitis sescenta septuaginta quinque milia ovium et ex Hagraeis ducenta quinquaginta milia ovium capiunt (Nm 31, 32. I Chr 5, 21) vel quod Salomo templum Hierosolymitanum dedicans centum viginti milia ovium immolat (I Rg 8, 63), ii quidem numeri haud dubie summatim comprehenduntur. Sed haud improbabile est Job septem milia ovium et mille boum (Job 1, 3), Nabal tria milia ovium et mille caprarum possessisse (I Sm 25, 2), Mesa, regem Moabitarum, Hebraeis quotannis centum milia agnorum et lanam centum milium arietum (fortasse vertendum est: centum milia pellium arietum; Vulg. „centum milia arietum cum velleribus suis") tributi loco contulisse (II Rg 3, 4).

Quia prisci homines, ut etiam nunc Arabes nomades, opes suas praecipue in re pecuaria positas habebant, ideo pro pecudibus maioribus minoribusque plerumque vocabulum מִקְנֶה (a קָנָה *comparavit* sibi) usurpatur, cui prorsus simile est Graecum κτῆνος (i. q. κτῆμα *possessio*), quod pro eo Graeci Alexandrini reddiderunt.

Gregum possessores antiquitus vagabantur (cf. Gn 4, 20; 25, 27. Nm 14, 33); nam pascua eorum erant vasti terrae tractus, omnium pastorum communes, nisi quis singulare ius de iis acquisivisset. In his pascuis nomades cum gregibus easdem fere quotannis vias tenebant, ita ut aestate in eas regiones, quae ad septentriones spectabant, vel montanas, hieme in eas, quae ad meridiem vergebant, vel planas commigrarent. Cum autem in iis tractibus, quos singulis annis peragrabant, fontes et rivi ad greges potandos haud raro deessent, paribus fere spatiis puteos et cisternas effodiebant, quos inde migrantes occultabant, ut alios, qui supervenirent, laterent. De quibus puteis interdum magnae inter pastores rixae exortae sunt (Gn 21, 25—32; 26, 15—22).

Pastorum (רָעָה a רָעָה *pavit,* cf. Aeth. *reʿja*, Arab. *raʿa[j]*, Assyr. *reʾû;* נָקַד, Assyr. *nâḳidu,* pastor ovium, cf. Arab. *naḳadun;* בּוֹקֵר pastor boum) erat greges regere et custodire; imprimis cavere debebant, ne quid fures aut ferae auferrent (I Sm 17, 34. Jes 31, 4. Am 3, 12. Nah 3, 18. Lc 2, 8; 15, 4 s. Jo 10, 11—13). Pedo (שֵׁבֶט, מַקֵּל) et perâ (צְקָלוֹן), saepe etiam armis, velut funda et lapidibus, instructi erant (Lv 27, 32. I Sm 17, 40. Mich 7, 14). Plerumque erant servi aut mercennarii (Jo 10, 12 s.), quorum unus ceteris praeerat (שַׂר מִקְנֶה Gn 47, 6. אַבִּיר הָרֹעִים I Sm 21, 8. cf. ἀρχιποιμήν I Ptr 5, 4). Job 30, 1 etiam canes gregis (כַּלְבֵי צֹאן) memorantur atque Jes 56, 10 respicitur ad canes, custodes pecudum, qui pastores latratu suo de lupis aliisque feris gregi insidiantibus monent.

Sach 11, 12 de pecunia pastoribus solvenda agitur. Ex Gn 30, 28 ss. fortasse colligere licet eos interdum partem agnorum gregis accepisse. Codex Ḫammurapi (§ 261) pastori (praeter victum) octo gur frumenti reddi iubet i. e. totidem quot satori (§ 257), cum bubulcus tantum sex gur acciperet (§ 258).

Greges noctu vel saeptis, quae ex cratibus textis confecta erant, concludebantur vel in locum muro circumdatum (interdum etiam superne tectum) et ostio clausum (Jo 10, 1) colligebantur (cf. גְּדֵרֹת צֹאן Nm 32, 16. 24. 36. I Sm 24, 4. Zeph 2, 6). Talia stabula, sed in duas partes (pro pecoribus et armentis) divisa, vocabulis formâ duali גְּדֵרוֹתַיִם Jos 15, 36. שִׁפְתַיִם Ps 68, 14. מִשְׁפְּתַיִם Gn 49, 14. Jdc 5, 16 significari videntur. Plerumque turri instructa erant, e qua greges observari atque a periculis, imprimis a latronibus et feris, tuti praestari poterant (cf. Gn 35, 21. Mich 4, 8). De tabernaculis pecorum (אָהֳלֵי מִקְנֶה) II Chr 14, 14 mentio fit. Construebantur etiam stabula praesaepibus (אֲבוּס Jes 1, 3. Prov 14, 4. Job 39, 9) instructa, in quibus et pecus alligabatur

(מִרְבָּק I Sm 28, 24. Jer 46, 21. Am 6, 4. Mal 3, 20) et pabulum i. e. faenum cum hordeo commixtum[1] asservabatur (מִאֲבוּס LXX ἀποθήκη Jer 50, 26. cf. Prov 14, 4). Atque imprimis pro equis stabula fixa et bene composita requirebantur (cf. II Chr 9, 25). Bovilia (רְפָתִים) Hab 3, 17 memorantur. Ovile (αὐλή Jo 10, 1. 16) plerumque erat saeptum subdiale in campo aperto, in quod greges ovium et noctu cogebantur et praesertim cum tonderentur[2].

[1] Vocabulum בָּלִיל proprie *mixtum* significat et ubi de pabulo pecorum usurpatur (ut Job 6, 5; 24, 6) pabulum ex compluribus frugum generibus, velut farre, hordeo, vicis aliisque leguminibus constans = *farrago,* μῖγμα (Varro, De re rust. 1, 31. Plinius, Hist. nat. 18, 41). Jes 30, 24 בָּלִיל חָמִיץ est *farrago salsa,* quam oves et iumenta in deliciis habent.

[2] Horis meridianis pastores pecora ad umbram et aquas deducere solebant, ne lac aestu corrumperetur et animalia in periculosos morbos inciderent (cf. Ct 1, 7. Vergil. Georg. 3, 331 ss. Eclog. 3, 98 s.).

III. Hebraei diversa animalium domesticorum genera alebant.

A) Oves et caprae (צֹאן nomen collectivum, שֶׂה singula animalia significat), quarum praecipue in pinguissimis pascuis Carmel, Basan, Gilead, Saron magna copia alebatur (Mich 7, 14. Ct 4, 1; 6, 4. cf. Dt 14, 4. Ez 39, 18). Etiam apud gentes Hebraeis finitimas maxima pars gregum ex ovibus constabat, ut apud Aegyptios (Gn 47, 17. Ex 9, 3), apud incolas Arabiae Petraeae et Arabiae ad septentriones spectantis (Ex 2, 16. 19; 3, 1. Jes 34, 6; 60, 7).

1) Oves erant cornutae et omnes fere albae (Jes 1, 18. Ps 147, 16. Ct 6, 5. Dn 7, 9. Apc 1, 14. cf. Ez 27, 18), raro nigrae, maculis conspersae vel striatae (Gn 30, 32 ss; 31, 10. 12). Praecipua earum emolumenta habebantur lac (חֲלֵב צֹאן Dt 32, 14. cf. Jes 7, 21 s. Ez 34, 3), caro (I Sm 25, 18. I Rg 5, 3. Jes 22, 13. Am 6, 4. Neh 5, 18), lana (צֶמֶר Lv 13, 47. Dt 22, 11. גֵּז Dt 18, 4. Job 31, 20). Tempus, quo oves tondebantur (גֵּזָּה cf. Assyr. *gizzu ša ṣêni* = tonsura ovium, lana) — bis quotannis — erat laetissimum eoque splendidae epulae instruebantur (I Sm 25, 4 ss. II Sm 13, 23 ss.). Lanae partem sacerdotes a possessoribus ovium accipiebant (Dt 18, 4). Ab ovium moribus in sacris litteris multi tropi deducuntur (Jes 53, 7. Act 8, 32. al.).

Oves et agni mactabantur holocausta (Lv 1, 10. I Sm 7, 9), hostiae pacificae (Lv 3, 6 s.), victimae pro peccato (ib. 4, 32; 5, 6), sacrificia cottidiana (Ex 29, 38 s. Nm 28, 3), sacrificia pro leprosis (Lv 14, 10 ss.), sacrificia naziraeorum (Nm 6, 12. 14); item in neomeniis, in festis paschatis, pentecostes, tabernaculorum, expiationis. Praeterea extraordinaria

sacrificia ovium et agnorum memorantur in dedicatione tabernaculi Mosaici (Nm 7, 15 ss.), in unctione Salomonis (I Chr 29, 21), in dedicatione templi primi (I Rg 8, 63), in instauratione cultus ab Hiskia rege celebrata (II Chr 29, 33), in dedicatione templi secundi (Esr 6, 17), ab exsulantibus, qui in patriam reverterunt (ib. 8, 35). Saepe oves memorantur inter praedas bellicas (Nm 31, 32. Jos 6, 21. I Sm 14, 32; 15, 3 ss; 27, 9. I Chr 5, 21. II Chr 14, 15) et dona ac tributa regibus oblata (II Sm 17, 29. II Rg 3, 4. I Chr 12, 40).

Vocabulum רָחֶל (Arab. *raḫilun*) significat ovem matrem (Gn 31, 38; 32, 15) et quamvis ovem (Jes 53, 7. Ct 6, 6); כַּר agnum, imprimis saginatum, pinguem (Dt 32, 14. I Sm 15, 9. II Rg 3, 4. Jes 16, 1; 34, 6. Jer 51, 40. al.); טָלֶה (Arab. *ṭalan*) agnum tenellum (I Sm 7, 9. Jes 65, 25); כֶּבֶשׂ (Arab. *kabšun* = aries, Assyr. *kabsu* = agnus) agnum a primo anno usque ad tertium (Ex 12, 5. Lv 4, 32; 14, 10. 12. 21. Nm 15, 5. 11. Jes 5, 17. Jer 11, 19. al.).

Hodie in Palaestina imprimis alitur *Ovis laticaudata* L., quae haud magna est, nasum prominentem habet, aures latas ac demissas, lanam pulchram, crispam, plerumque albam, caudam pinguem (אַלְיָה Ex 29, 22. Lv 3, 9; 7, 3; 8, 25; 9, 19. Arab. *'aljatun*); soli arietes cornua gerunt. Alia quoque species alitur, quae eodem fere habitu est atque ovis Hispanica (Merino).

2) Greges caprarum iam inde ab aetate patriarcharum unâ cum ovibus aliisque animalibus in sacris litteris commemorantur (Gn 15, 9; 30, 32; 31, 38. al.). Atque caprae nigri erant coloris (Ct 4, 1; 6, 4. cf. 1, 4. I Sm 19, 13. 16), raro versicolores. Ex earum pilis feminae pannos conficiebant (Ex 26, 7; 36, 14); ex pellibus utres parabantur (Gn 21, 14. Jos 9, 4. 13. Jdc 4, 19. Mt 9, 17); prophetae aliique viri austeram vitam agentes pelles caprarum sibi induere solebant (Sach 13, 4. Hebr 11, 37). Praecipua caprarum emolumenta erant caro (Gn 27, 9; 38, 17. Jdc 6, 19; 13, 15; 15, 1. I Sm 16, 20. Lv 15, 29) et lac omni alio lacte praestantius (Prov 27, 27), quod etiam in inscriptionibus cuneatis saepius memoratur atque etiam nunc apud orientales magni aestimatur. Imprimis autem caprae ad sacra facienda usurpabantur. Capri et arietes tropice sumuntur pro rectoribus (Jer 51, 40. Ez 34, 17; 39, 18. Sach 10, 3. Dn 8, 3 ss.), ob salacitatem et audaciam pro improbis (Mt 25, 32 ss.).

Capra עֵז (Arab. *'anzun*, Assyr. *enzu*) vocatur (Gn 15, 9. al.) vel etiam שְׂעִיר עִזִּים (Dt 14, 4) et שְׂעִירַת עִזִּים (Lv 4, 28; 5, 6). Caper et hircus שָׂעִיר (a שָׂעַר, Arab. *ša'ira* = pilosus fuit) appellatur (Lv 4, 24; 16, 9), plenius שָׂעִיר עִזִּים (Gn 37, 31. Lv 4, 24) vel עַתּוּד (Assyr. *atûdu* Gn 31, 10. 12. Nm 7, 17) vel תַּיִשׁ (Arab. *taisun* Gn 30, 35; 32, 15), postea etiam צָפִיר vel צְפִיר הָעִזִּים (Dn 8, 5. 8. 21. Esr 8, 35. II Chr 29, 21). Haedus גְּדִי (Assyr. *gadû*, Ex 23, 19. plerumque cum עִזִּים) vocatur. In textu Graeco nomen commune caprarum est αἴξ; praeterea hircus τράγος et etiam χίμαρος, capra χίμαιρα, haedus ἔριφος sive ἐρίφιον appellatur.

Hodie in Palaestina greges caprarum numero atque utilitate omnibus aliis animalibus praestant. Plerumque unâ cum ovibus ab eodem pastore in pascua ducuntur, sed noctu segregati ab iis servantur. Ad omnes usus, quorum in sacris litteris mentio fit, etiam nunc adhibentur. Species autem in Palaestina creberrima longis pilis nigri coloris et magnis auribus pendentibus insignis est *(Capra mambrica),* similis eius, quae in antiquis monumentis Aegyptiorum et Assyriorum depicta est. Praeterea in regione ad septentriones spectante alia quoque species *(Capra angorensis)* haud raro invenitur.

B) Pecus bubulum. Iam patriarchae magnum boum numerum in gregibus alebant (Gn 12, 16; 18, 7; 24, 35; 32, 5. cf. Job 1, 3; 42, 12) atque etiam postea boves unâ cum ovibus magnam opulentiae Hebraeorum partem constituebant (Dt 8, 13. II Sm 12, 2). Praecipua eorum pascua in sacris litteris Basan, planities Saron, vallis Achor (= Wâdi el-Ḳelt) commemorantur (Jes 65, 10. Ps 22, 13. I Chr 27, 29. cf. etiam Nm 32, 4. Ps 68, 31). Ceterum vocabulo boum semper tauri intellegendi sunt, cum castratio lege Mosaica prohibita esset (Lv 22, 24. Jos. AJ 4, 8. 40).

Vocabulum בָּקָר (nomen collectivum) boves universos significat, שׁוֹר (Assyr. *šûru*) et אֶלֶף (Assyr. *alpu*) singula animalia. Bos fortis et iuvenis פַּר (cf. Arab. *pharrun* = fugiens), iuvenca פָּרָה, vitulus עֵגֶל (Arab. *ʿiglun*), vitula עֶגְלָה vocantur. In libris poeticis bos etiam אַבִּיר et אַלּוּף appeliatur. In libris Graece scriptis nomina βοῦς, βουκολία, βουζύγιον, δάμαλις, κτήνη, μόσχος invenimus; LXX interpretes etiam vocabulum ταῦρος (cf. Arab. *ṯaurun,* Syr. *taura*) usurpant.

Carnem boum et maxime vitulorum Hebraei omni tempore in deliciis habebant (Gn 18, 7. I Sm 14, 32; 28, 24. I Rg 5, 3; 19, 21. Jes 22, 13. Am 6, 4. Prov 15, 17. Neh 5, 18. Mt 22, 4. Lc 15, 23). Praeterea boves ad arandum (Dt 22, 10. Jdc 14, 18. I Rg 19, 19. Jes 30, 24. Am 6, 12. Prov 14, 4. Job 1, 14. Jos. AJ 12, 4. 6)[1], ad triturandum (Dt 25, 4. Hos 10, 11. I Cor 9, 9. I Tim 5, 18), ad plaustra trahenda (Nm 7, 3. 7. II Sm 6, 3. 6; 24, 22. cf. I Sm 6, 7). ad onera gestanda (I Chr 12, 40) adhibebantur. Frequentissimus autem eorum usus erat in sacrificiis. Quare in sacris litteris non paucas leges de bobus reperimus (ut Ex 21, 28—36. Dt 25, 4)[2].

[1] Unde ipsum nomen בקר i. e. *arator* explicandum est (F. Hommel, Die Namen der Säugetiere 223).

[2] Hodie quoque in Palaestina boves (*Bos taurus* L. et *Bos buffelus* L.) omnibus locis inveniuntur, licet greges maiores extra planities maritimas, septentrionales, transjordanicas raro conspiciantur. Sunt autem plerumque animalia vilia tenuisque staturae, cum incolae iis parum pro-

videant. Usus idem fere est qui in libris sacris describitur; imprimis in colendis agris boves utilissimam operam praestant.

Lac vaccarum (חָלָב = lac dulce et recens, diversum a חֶמְאָה = lac concretum) in alimentum et potum insumebatur (Gn 18, 8. Jdc 4, 19; 5, 25 [ubi Josephus AJ 5, 5. 4; γάλα διεφθορὸς ἤδη, lac iam corruptum i. e. acidum; tale enim vim inebriandi habet] Jes 7, 22; 55, 1)[1] atque etiam in *caseum* (גְּבִינָה Job 10, 10) convertebatur. Velut I Sm 17, 18 David fratribus in exercitu regis Saul militantibus חֲרִיצֵי הֶחָלָב affert, proprie *segmenta lactis,* quae LXX interpretes τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος appellant i. e. τμήματα τοῦ ἁπαλοῦ τυροῦ (Hesych. Lex. II, 1430). Vulgata eadem „formellas casei" vocat, a formella vel vase, in quo coagulum siccatur. II Sm 17, 29 memorantur שְׂפוֹת בָּקָר i. e. casei e lacte bubulo confecti, *casei bovini*[2]. Atque inter cibos, quos Judith in castra Assyriorum secum affert, caseus quoque commemoratur (Vulg. Jdth 10, 5.; in textu Graeco casei mentio omittitur). Ceterum caseum apud Hebraeos notum fuisse ex Jos. BJ 5, 4. 1 constat, ubi Hierosolymis φάραγγος τῶν τυροποιῶν mentio fit[3]. Neque *butyrum* (חֶמְאָה) Hebraeis incognitum erat[4].

[1] De lactis in sacris usu scriptores veteris testamenti nihil dicunt. Commemoratur autem apud nonnullas gentes antiquas, velut apud Babylonios et Assyrios (*dišpu u ḫêmetu* = דבש וחמאה, H. Zimmern KAT[3] 526. 599). Apud Aegyptios quoque inter dona sacra in sepulcris oblata butyrum numeratur (G. Maspero, La table d'offrandes des tombeaux égyptiens. Revue de l'histoire des religions XXXV, 1897. 1, 288).

[2] Ita Syrus et Chaldaeus. Alii florem lactis (Gall. *crême,* Germ. *Sahne,* hodie in Dschôlân *ḳaimaḳ,* in Syria *ḳiṣṭa*) intellegunt (J. G. Wetzstein in ZAW III, 1883, 276 s.) aut cum versione Arabica lac coagulatum *(leben)* significatum esse volunt.

[3] Ex simplici orientalium more ad caseum parandum coagulum lactis sale conditur et soli expositum siccatur. Quamquam apud Graecos et Romanos caseus (ab antiquissimis temporibus notus Hom. Odyss. 4, 88; 9, 219. Iliad. 11, 639. al.) varie confectus in usu erat (Plin. Hist. nat. 11, 96; 28, 34). Licet autem lac ovillum maiorem copiam materiae ad caseum parandum aptae habeat (5%) quam bubulum (3·2%) et caprinum (item 3·2%), tamen antiquis temporibus imprimis lac bubulum ad caseos conficiendos adhibebatur.

[4] Vocabulo Hebraico חמאה significatio et *lactis concreti* et *butyri* subiecta est, quod pariter de Assyrio *ḫêmetu* valet. Quare id vocabulum variis sacrarum litterarum locis a variis scriptoribus modo pro lacte concreto modo pro butyro sumitur. Sunt quidem qui existiment חמאה nullo veteris testamenti loco butyrum significare. Cui opinioni locus Prov 30, 33 obstat, ubi confectio butyri docetur.

C) Asini (חֲמוֹר, Arab. *ḥimâr*, Assyr. *imêru*) et asinae (אָתוֹן, Arab. *atân*, Assyr. *atânu*). Atque asini, qui iam in patriarcharum opibus numerantur (Gn 12, 16; 24, 35; 30, 43; 32, 5. 15. cf. Job 1, 3; 42, 12)[1], in oriente, cum ibi pulchriores et praestantiores nascantur, minime contemnuntur, sed potius magni aestimantur ac tropice pro hominibus sedulis et imprimis opus rusticum agentibus usurpantur; velut Gn 49, 14., ubi Issachar cum asino forti comparatur[2]. Eorum operâ Hebraei utebantur ad onera ferenda (Gn 22, 3. 5; 42, 26; 43, 18. 24; 44, 3. 13; 45, 23; 49, 14 s. Jos 9, 4. I Sm 16, 20; 25, 18. Neh 13, 15. I Chr 12, 40. cf. Jos. Vit. § 24. M. Para 12, 9), ad agros arandos (Dt 22, 10. cf. Ex 23, 12. Jes 30, 24; 32, 20. Jos. CAp 2, 7), aetate posteriore etiam ad molam circumagendam (Mt 18, 6. Mc 9, 41. Lc 17, 2); praecipue iis vehi solebant, non solum rustici, sed etiam nobiliores (Ex 4, 20. Nm 22, 21. Jdc 19, 3. II Sm 17, 23; 19, 26. I Rg 2, 40; 13, 13. Sach 9, 9. cf. Mt 21, 2 ss. Mc 11, 2 ss. Lc 19, 30 ss. Jo 12, 14 s.), imprimis matronae (Jos 15, 18. Jdc 1, 14. I Sm 25, 23. II Rg 4, 22. 24). Principibus potissimum אֲתֹנוֹת צָחֳרוֹת *asinae candidae*, i. e. quarum rubedini albi quid inest, acceptae erant (Jdc 5, 10), filiique nobilium עַיְרִים *pullis asininis* insidebant (ib. 10, 4; 12, 14). Etiam in expeditionibus bellicis (non ad pugnandum, sed ad impedimenta promovenda) asinos utiles fuisse ex II Rg 7, 7. 10 et Jes 21, 7 apparet[3]. Asinae ob pullos, quos pariunt, maribus praeferebantur; quare omni occasione singillatim numerantur (Gn 12, 16; 32, 16. Job 1, 3; 42, 12).

[1] Etiam apud alias gentes asini et asinae magnam partem opum efficiebant, ut apud Sichemitas (Gn 34, 28), Midianitas (Nm 31, 28. 30. 34. 39. 45), incolas urbis Jericho (Jos 6, 21), Amalekitas (I Sm 15, 3; 27, 9), Syros (II Rg 7, 7. 10), Hagraeos (I Chr 5, 21). Apud Aegyptios quoque domesticum asini usum ab antiquissimis temporibus notum fuisse et sacrae litterae (Gn 47, 17. Ex 9, 3) et varia monumenta (R. Lepsius, Denkmäler aus Aegypten und Aethiopien II, 9. 15. 43. 47. 51. 127. 131 s. al. H. Winckler, Die Thontafeln von Tell-el-Amarna 25, 29; 51, 23) testantur. Apud Assyrios autem, quamquam in monumentis sculptis imago asini nondum inventa esse videtur, tamen in inscriptionibus posterioris aetatis saepius eius mentio fit (*Sargon,* Khorsab. l. 148. *Asarhaddon,* Prism. A et C col. 1, 26; 4, 17; 6, 47. al.) atque etiam in antiquissimis inscriptionibus asinus domesticus notus ponitur (F. Hommel, Die semitischen Völker und Sprachen 400. 402 s.).

[2] Similem comparationem apud Hom. Iliad. 11, 558—565 legimus. Quare etiam apud Graecos (Ὀνόσανδρος), Romanos (Asina, cognomen gentis Corneliae; C. Asinius Pollio; C. Asinius Gallus), Arabes (Mervan II Chalifa „asinus Mesopotamiae") denominatio ab asino nihil offensionis habebat.

[3] De Caramaniis Strabo Geogr. 15, 2, 14 tradit: χρῶνται δ' ὄνοις οἱ πολλοὶ καὶ πρὸς πόλεμον. Herodotus Hist. 4, 129 narrat Dario Hystaspis in bello contra Scythas gesto asinos magnam utilitatem praebuisse, quod eorum adspectu equi hostium perturbati essent.

Temporibus regis David etiam muli (פְּרָדִים, quos ab Ana inventos esse nonnulli ex Gn 36, 24 colligunt) inter Hebraeos in usu esse coeperunt, cum ad sarcinas ferendas (I Chr 12, 40. cf. II Rg 5, 17 [Vulg. „onus duorum burdonum"]. Jdth 2, 17; 15, 11 Graece) tum ad viros principes vehendos (II Sm 13, 29; 18, 9. I Rg 1, 33. 38. 44). Inter tributa Salomo regi quotannis reddita muli quoque erant (I Rg 10, 25 = II Chr 9, 24). Ahab rex multos alebat mulos (I Rg 18, 5). Judaei, qui cum Serubbabel ex Babylone in patriam reverterunt, praeter multos equos, camelos, asinos etiam ducentos quadraginta quinque mulos adduxerunt (Esr 2, 66. Neh 7, 68). Sanherib ex Judaea multos mulos, asinos, camelos, equos abduxit (cf. Prism. hexagon. Sanh. 3, 18 ss.). Cum Hebraei animalia diversi generis inter se miscere lege vetiti essent (Lv 19, 19. Jos. AJ 4, 8. 20), merito creditur mulos ex aliis regionibus ad Hebraeos adductos esse (cf. I Rg 10, 25 = II Chr 9, 24). Tyrii equos et mulos ex Togarma i. e. Armenia coemebant (Ez 27, 14).

Legem Lv 19, 19: „Ne coire faciatis diversa pecoris genera" haud pauci critici nostrae aetatis ad tempora post exsilium reiciunt. Sed primum respiciendum est fieri potuisse, ut ea lex minoris momenti temporibus regum non amplius valeret. Deinde non constat Hebraeos ipsos feturam mulorum procurasse. Denique F. de Hummelauer Comm. in Ex et Lv 491 animadvertit loco simili Dt 22, 10 legi: „Bove simul et asino ne arato"; facile תחרש ב et תרביע corrumpi potuisse; quare loco Lv 19, 19 hanc sententiam subiectam esse: „Non arabis in disparatis, animalia diversae speciei eidem submittens iugo".

D) Antiqui Hebraei equum [1] ignorasse videntur; nam in Genesi nulla eius mentio fit excepto loco 46, 29., ubi Joseph cum curribus et equis Jacob patri obviam isse dicitur. Syros autem et Cananaeos equos habuisse monumenta testantur. Chittaei praeter currus equites quoque habebant. Idem de Assyriis et Babyloniis dicendum est, qui equos „asinos orientis" vel „asinos montium" appellabant, eo quod eos ex regione montium orientalium accepisse videntur. In Aegypto ante imperium regum pastorum (Hyksos 1675—1580 a. Ch.) equus ignotus fuisse videtur. Nonnulli Hyksos equum ex Asia in Aegyptum introduxisse existimant.

Hebraei equis numquam usi sunt ad agros colendos, sed ab aetate David regis ad vehendum et currus trahendos (II Rg 9, 21. 33. Ps 32, 9), postea etiam in bello (I Rg 9, 19; 10, 26. Prov 21, 31. II Chr

1, 14). Veteres, cum equorum ungulas (פַּרְסוֹת Jes 5, 28. Jer 47, 3. Ez 26, 11) soleis ferreis non vestirent (Am 6, 12)[2], firmitatem ungularum in praecipuis equorum virtutibus numerabant (Jes 5, 28. cf. equos χαλκόποδας aeripedes et κρατερώνυχας fortes ungulis apud Hom. Iliad. 8, 41; 13, 23. Odyss. 21, 30). Notissimum erat frenum (מֶתֶג) et capistrum (רֶסֶן), quibus etiam muli regebantur (Ps 32, 9. Prov 26, 3). Virtus bellicosa equi Job 39, 19—25 pulchre describitur[3].

Praestantissimi equi ex Aegypto adducebantur (I Rg 10, 28 s. = II Chr 1, 16 s. Jes 31, 1; 36, 9. Ez 17, 15), ubi equus aetate Salomonis centum quinquaginta siclis, quadriga sescentis siclis constabat (I Rg 10, 29 = II Chr 1, 17)[4]. Etiam equi Armeniae magni aestimabantur (Ez 27, 14). Arabici autem equi, nostra aetate celeberrimi, neque in sacris litteris neque a scriptoribus rerum memorantur, probabiliter quia soli fere Arabes regionum septentrionalium et maritimarum antiquis noti erant[5].

[1] Equus סוּס (Aram. סוּסְיָא, Assyr. *sisû*, Aeg. *s(m)sm)* vocatur (cf. Th. Nöldeke in ZDMG XL, 1886, 916), rarius רֶכֶשׁ (Aram. רִכְשָׁא). Vocabulum פֶּרֶשׁ (Arab. *pharasun*, Aeth. *pharas*) etsi plerumque *equitem* significet, tamen haud paucis locis pro *equo* usurpari constat; nam veteres „et hominem equo insidentem et equum, qui insidebatur, *equitem* dixerunt" (Gellius, Noct. Attic. 18, 5).

[2] Quod Arabes ungulas equorum soleis ferreis vestiunt, posterioris aetatis mos videtur.

[3] Imprimis virtus bellicosa equorum Chaldaeorum magnis laudibus celebratur. Velut Hab 1, 8 equi Chaldaeorum ob velocitatem cum pardis, animalibus velocissimis, atque ob vehementiam, qua in aciem hostium irruere solent, cum lupis comparantur. Atque Jeremia 4, 13 de Chaldaeis dicit: „Velociores aquilis (sunt) equi eorum". — Ct 1, 9 sponsa cum equa curribus Pharaonis iuncta comparatur. Quae comparatio non ad velocitatem aliasve virtutes equorum, sed ad splendidas phaleras et torques, quibus equi regum ornari solebant, referenda esse videtur; nam v. 10 pulchritudo genarum sponsae laudatur.

[4] Fortasse tamen regio, unde Salomo equos accipiebat, cum H. Winckler (Alttestamentliche Untersuchungen 168—174) aliisque viris eruditis (ut L. Fonck in LB I, 120. II, 206) terra *Muṣri* in Syria septentrionali sita intellegenda est, pro cuius nomine postea מִצְרַיִם i. e. Aegyptus substituebatur.

[5] Cf. F. Hommel, Die Namen der Säugetiere 46—48.

E) Cameli (גְּמַלִּים)[1], qui toto oriente creberrimi atque incolis desertorum plane necessarii sunt. Hebraeos antiquos magnam camelorum copiam aluisse ex compluribus sacrarum litterarum locis apparet (Gn

12, 16; 24, 10; 30, 43; 31, 17; 32, 7. 15. cf. Job 1, 3; 42, 12). Temporibus autem posterioribus cameli rarius commemorantur. Fortasse lex Mosaica, qua inter animalia immunda numerantur (Lv 11, 4. Dt 14, 7), causa fuit, cur ab Hebraeis rarius alerentur. Nihilo minus David regi in Hebron a variis tribubus cibaria in camelis allata esse (I Chr 12, 40) et David ipsum magnum camelorum numerum habuisse (ib. 27, 30) traditur. Etiam eos, qui de exsilio Babylonio redierunt, multos camelos secum duxisse memoriae proditur (Esr 2, 67. Neh 7, 69). In Aegypto quoque (Ex 9, 3)[2], in Arabia (Jdc 7, 12; 8, 21. 26. I Rg 10, 2 = II Chr 9, 1. Jer 49, 29), in Syria (II Rg 8, 9), in Idumaea (Jes 30, 6. II Chr 14, 15), in Assyria (Jdth 2, 8)[3] aliisque regionibus (Sach 14, 15. Jdth 3, 3) magni camelorum greges pascebantur. Duo eorum genera distinguuntur, alterum duplici gibbo praeditum atque maius et fortius, sed caloris impatiens (*C. Bactrianus* Erxleben), alterum uno gibbo praeditum et caloris patientissimum (*C. dromedarius* Erxleben)[4]. Camelis modo homines, viri ac feminae (Gn 24, 10. 64; 31, 17. I Sm 30, 17)[5], modo sarcinae (Jdc 6, 5. Jes 30, 6), cibi (I Chr 12, 40), merces et res pretiosae (Gn 37, 25. I Rg 10, 2. II Rg 8, 9. Jes 60, 6. II Chr 9, 1) vehebantur. Etiam in bello erant utiles (I Sm 30, 17. Jes 21, 7. cf. Xenoph. Cyrop. 6, 2, 8; 7, 1, 27; 7, 1, 48. Herod. Hist. 7, 86), quia equi hostium eorum adspectu non minus quam asinorum perturbabantur. Recens camelorum lac est potus calorem corporis temperans, sed simul ebrium faciens. Orientales etiam carne camelorum vescuntur, quod Hebraeis non licebat (Lv 11, 4. Dt 14, 7). Ex eorum pilis (talmud. צמר *lana*), qui quotannis defluunt, panni crassi conficiebantur, quos sibi vulgus induebat (Mt 3, 4. Mc 1, 6)[6].

[1] Praeter גָּמָל sunt et alia nomina, quae camelum significant: בֶּכֶר = *camelus iuvencus* (Jes 60, 6), בִּכְרָה = *camela iuvenca* (Jer 2, 23), כִּרְכָּרוֹת = *camelae veloces* (Jes 66, 20). Vocabulum בְּעִיר autem, quod apud Arabes nomen cameli est, in sacris litteris pecus universum (Vulg. *iumentum*) significat (Gn 45, 17. Ex 22, 4. Nm 20, 4. 8. 11. Ps 78, 48). Ceterum apud Arabes multa alia nomina invenimus, quibus camelum appellant. Haud pauca eorum F. Hommel, Namen der Säugetiere 139—208 explicat. Neque vero quidquam aliud nisi superlatio atque traiectio apud orientales non inusitata est, quod lexicographus quidam Arabicus quinque milia septingenta quadraginta quattuor cameli nomina in lingua Arabica exstare affirmat.

[2] In inscriptionibus hieroglyphicis haud raro cameli mentio fit. Anno 1905 apud Abusir el meleq vas ex lapide calcario figurâ cameli cubantis inventum est, quod nunc in museo Aegyptio Berolini servatur. Cum dubium non sit, quin inter annos a. Ch. n. quater millesimum et ter mil-

lesimum ortum sit, camelum iam tum in Aegypto notum fuisse constat. Ita confirmatur, quod Gn 12, 16 memoriae proditur, id esse rem factam.

[3] Reges Assyrii ex Syria, Arabia, Samaria se multos camelos tributum accepisse vel praedatos esse saepe in inscriptionibus dicunt (*Tiglat-Pileser III* Nimrud 55. Annal. A 2, 56 = KB II, 30. *Sargon* Khorsab. 27, 185. *Asarhaddon* Prism. A et C col. 3, 16. 22—24. col. 4, 16—18. al.) atque Assurbanipal se ex Arabia innumeros camelos rettulisse narrat, ita ut pretium cameli in Assyria siclus cum dimidio vel etiam solus dimidius siclus fuerit (Annal. cyl. Rassam col. 9, 36—52. cf. 65—67).

[4] Hodie in Palaestina solus camelus uno gibbo praeditus in usu est. Camelus duplici gibbo ornatus imprimis in regionibus Asiae mediae invenitur; idem in inscriptionibus cuneiformibus praesertim de regionibus ad orientem Mesopotamiae sitis memoratur et figuris repraesentatur (*Salmanassar II* in obelisco nigro. cf. A. H. Layard, The monuments of Nineveh I, 53. 55. *Id.* Inscr. monolith. col. 1, 28; 2, 62. *Šamši-Ramman* col. 2, 56 s. al.).

[5] Cameli, quibus divites vehebantur, haud raro torquibus et bullis aureis vel argenteis in modum lunularum confectis ornati erant (Jdc 8, 21. 26). Sella camelina Gn 31, 34 memoratur.

[6] Locis Mt 19, 24 (Mc 10, 25. Lc 18, 25) et Mt 23, 24 duae sententiae a camelis desumptae leguntur, de camelo per foramen acus intrante et de Pharisaeis camelum deglutientibus. Atque sententia illa tripliciter exponitur. Sunt qui et camelum et foramen acus proprie intellegant, ut rem viribus hominum superiorem significare existiment. Quae interpretatio simili loquendi formula apud rabbinos usitata confirmatur, de elephante per foramen acus intrante (L. Lewysohn, Zoologie des Talmuds 148). Alii camelum proprie, foramen acus translate accipiunt de parva urbis vel domus ianua iuxta portam ipsam facta, quae etiam nunc foramen acus vocari falso affirmant (cf. J. N. Sepp in ZDPV XIV, 1891, 30—34 et A. Socin ib. 34). Alii rursus foramen acus proprie, camelum funem ancorariam (κάμιλον) intellegunt. At id vocabulum re vera ita usurpatum esse probare non possunt; neque enim alibi haec significatio invenitur nisi apud scholiasten ad Aristophanis Vesp. 1030 et apud Suidam Lex II, 1, 55: Κάμιλος τὸ παχὺ σχοινίον.

E) Ex pecore volatili Hebraei diu *columbas* solas educabant idque imprimis ad usus sacros (Gn 15, 9. Lv 1, 14; 5, 7; 12, 6. 8; 14, 22. 30; 15, 14. 29. Nm 6, 10. II Rg 6, 25. al. Mt 21, 12. Mc 11, 15. Lc 2, 24. Jo 2, 14). De columbario Jes 60, 8 mentio fit. Etiam apud Jos. BJ 5, 4. 4 πολλοὶ πύργοι πελειάδων ἡμέρων in hortis regiae Herodis Magni commemorantur. Falso autem ex verbis Ps 55, 7 s. („Utinam essent mihi alae instar columbae! Avolarem . . . longissime fugerem“) et ex inscriptione Ps 56 („Columba muta in terebinthis remotis“) nonnulli interpretes Judaici (velut Ibn ʿEsra) He-

braeos antiquos columbis ad epistulas portandas usos esse colligere voluerunt.

In textu Hebraico veteris testamenti neque *gallus* neque *gallina* commemoratur. Vulgata autem quattuor locis galli mentionem facit: Jes 22, 17 („gallus gallinaceus"), Prov 30, 31 („gallus succinctus lumbos"), Job 38, 36 („quis dedit gallo intellegentiam?"), Tob 8, 11 („circa pullorum cantum"). In novo testamento ponitur eos Judaeis notos fuisse (Mt 26. 34. 75. Mc 14, 30. 68. 72. Lc 22, 34. 60 s. Jo 13, 38; 18, 27); item in Talmud. Falso Hebraeos iam in Aegypto didicisse gallinas educare dictum est (C. F. Keil). Nam ne Aegyptii quidem antiqui gallinas educare solebant; neque enim umquam gallus in eorum monumentis invenitur. Anates vero et anseres educabant.

Ceterum Hebraei aves vivas sive propter cantum sive ob varios pennarum colores et formae pulchritudinem ad delectationem servasse videntur (cf. I Rg 10, 22 = II Chr 9. 21. Job 40. 29. Bar 3, 17), id quod apud Aegyptios quoque et Assyrios in usu erat.

Adnotatio. — Asuibus etsi summopere abhorrebant Judaei (M. Baba kamma 7, 7. Hieros. Schekalim 47 c), tamen magni eorum greges aetate recentiore in ipsa terra Canaan (in regione Gerasenorum) a gentilibus alebantur (Mt 8, 30 ss. Mc 5, 11 ss. Lc 8, 32 s.). Ceterum iam apud Cananaeos antiquos suem animal domesticum fuisse effossionibus in Dschezer factis demonstratur (PEF, Quarterly Statement 1904, 113). — Utrum praeter apes feras sive silvestres, quae in Palaestina atque toto oriente frequentissimae et fuerunt et sunt, etiam apes domesticae antiquis Hebraeis notae fuerint necne, ex sacris litteris non apparet. Aetate autem posteriore apium cultum Judaeis acceptissimum fuisse ex Talmud constat Nostra quoque aetate res apiaria in Palaestina et Syria omnibus locis exercetur.

De animalibus, quorum in sacris litteris mentio fit, videas S. Bochart, Hierozoicon. Londini 1663. Edidit *E. F. C. Rosenmüller,* 3 vol. Lipsiae 1793—96; H. Coultas, Zoology of the Bible. London 1876; P. Cultrera, Fauna biblica. Palermo 1880; H. Ch. Hart, Animals of the Bible. London 1888; V. Morwood, Scripture animals. ib. 1888; H. B. Tristram, Natural history of the Bible. ib. 1889; A. E. Knight, Bible plants and animals. ib. 1889; A. Zeller, Das Pferd, der Esel und der Hund in der heiligen Schrift. (Progr.) Plauen 1890; A. Kinzler, Biblische Naturgeschichte [10]. Calw-Stuttgart 1902; M. Hagen, Realia biblica II.

Caput secundum

De venatione et piscatu

I. Venatio (צוד), cui homines primis temporibus securitatis, progrediente tempore etiam voluptatis et utilitatis causâ operam dabant,

olim insignis celeritatis et fortitudinis erat. Interdum quidam, nullo telo instructi, etiam feras magnarum virium magnaeque ferocitatis iugulaverunt (Jdc 14, 6. I Sm 17, 34—36. II Sm 23, 20)[1]. Postea iisdem armis utebantur quibus in bello i. e. arcu et sagittis (Gn 27, 3. Jes 7, 24., quare iam venator Ismael sagittarius appellatur Gn 21, 20), funda (Job 41, 20. cf. I Sm 17, 40), fusti (Job 41, 21). Astus quoque et insidiae in subsidium vocabantur, velut retia, quibus etiam leones (Ez 19, 8) et oryges (Jes 51, 20) capiebantur, laquei (Koh 9, 12), foveae, quae imprimis leonibus parabantur (Ez 19, 4)[2]. Aves varie capiebantur, plerumque retibus et tendiculis (Hos 5, 1. Am 3, 5. Prov 1, 17). Haud raro caveae reticulari forma contextae ponebantur, quibus aves ad cibum sumendum ingressae caperentur (cf. Jer 5, 27). Etiam aves captas ad alias alliciendas adhibitas esse ex Sir 11, 28; 27, 9 colligitur. Canes venatici in vetere testamento non memorantur (cf. tamen Jos. AJ 4, 8. 9).

Moses tantum duas leges de venatione tulit, quae ad animalia conservanda spectant (Ex 23, 11 = Lv 25, 7. Dt 22, 6 s.).[3] Venationem apud Hebraeos frequentem fuisse ex eo colligi potest, quod haud paucae metaphorae et allegoriae a re venatoria petitae in sacris litteris leguntur (Jos 23, 13. II Sm 22, 6. Jer 5, 27; 16, 16; 18, 22; 48, 44. Ps 7, 16; 9, 16; 94, 13; 119, 85. Prov 26, 27. Thrn 1, 13. Koh 10, 8. Sir 27, 26. Lc 21, 35. Rom 11, 9). Praecipue aetate Salomonis multos venationi inservisse ex I Rg 5, 3 colligitur. Facillime autem intellegitur principes et nobiles, cum otio abundent oblectamentaque sectentur, venationi impensius studuisse, quod Bar 3, 16 s. Jos. AJ 15, 7. 7; 16, 10. 3. BJ 1, 21. 13 indicatur. In Aegyptiorum quoque et Assyriorum aula reges venationem in maximis deliciis habebant. Ceterum si in libris sacris de venatoribus agitur, non de venatoribus, qui quaestus causâ in hac arte versentur, cogitandum est, cum pastores non minus feras venando nancisci quam greges a bestiis tueri scisse verisimile sit (I Sm 17, 34—36). Contra in Talmud, ubi etiam de carne ferina vendenda sermo est, venatores, quorum munus sit venari, commemorantur.

[1] Recentioribus quoque temporibus talia non sunt inaudita, quod complures scriptores fide digni, qui terras orientis lustraverunt, testantur.

[2] Venatores feras saeviores, quas vi adoriri metuunt, ita circumvenire solent, ut in locis, ubi eas cibum quaerere suspicantur, foveas profundiores faciant ac levi tegmine graminis aut frondium vestiant, prius animali mortuo vel vivo super palo e media fovea surgente posito, cuius clamore allectae ferae accurrant atque in foveam decidant. Ita fovea leoni parata Ez 19, 4 describitur. Ad eius modi foveas in vetere testamento saepius respicitur, ut Ps 7, 16; 9, 16; 35, 7. Prov 26, 27.

[3] Dt 22, 6 s. lex praescribit, si quis nidum cum pullis, quibus mater incubat, invenit, ut iis solis contentus sit, hanc abire patiatur.

II. Piscatus (דּוּגָה) apud Hebraeos, ut apud alias gentes orientis, in deliciis erat (cf. Nm 11, 5. Neh 13, 16. Mt 14, 17; 15, 36. Lc 9, 13; 24, 42. Jo 6, 9. M. Nedarim 6, 4). Quare piscibus maris mediterranei, Jordanis, imprimis lacus Genezareth (Mt 4, 18. Mc 1, 16. Lc 5, 2. Jos. BJ 3, 10. 7) minime parcebant. Ceterum iam ex nomine urbis Βηθσαϊδά (= *domus piscatus,* hodie ruinae *Et-tell)* efficitur ibi olim piscationem summo studio exercitatam esse. Moses Hebraeis tantum iis piscibus, qui pinnulis et squamis carent, interdixerat (Lv 11, 9—12. Dt 14, 9 s.). Hierosolymis erat שַׁעַר הַדָּגִים *porta piscium* (Zeph 1, 10. Neh 3, 3; 12, 39. II Chr 33, 14), quae id nomen fortasse inde adepta est, quod forum piscarium prope erat. Tyrios ad id forum pisces asportasse atque ipsis diebus sabbati vendidisse Nehemia 13, 16 non sine dolore tradit. Pisces sale quoque conditos et asservatos esse ipso nomine urbis Ταριχέα iuxta litus australe lacus Genezareth sitae confirmatur (ταριχεία = *salsura*; de urbe cf. Jos. BJ 3, 10. 1).

Instrumenta piscatorum erant *hamus* (חַכָּה Jes 19, 8. Hab 1, 15. Job 40, 25. Germ. Angelhacken). *harpago* (צִלְצַל דָּגִים Job 40. 31. Germ. Harpune), *rete* (מְצוּדָה Ez 12, 13. חֵרֶם Ez 26, 5. 14; 47, 10. Hab 1, 15. 17. מִכְמֹרֶת Jes 19, 8. Hab 1, 15 s. δίκτυον Mt 4, 20 s. Mc 1, 18 s. Lc 5, 2. 4—6. Jo 21, 6. 8, 11. Germ. Fischernetz, σαγήνη Mt 13, 47. Germ. Schleppnetz, ἀμφίβληστρον Mt 4, 18. Mc 1, 16. Germ. Wurfnetz). Tempus nocturnum ad piscationem maxime aptum habebatur (Lc 5, 5. Jo 21, 3). Similitudines a piscatu sumptae in sacris litteris sunt frequentes. Velut Habacuc 1, 15 Chaldaeum gentes sub imperium suum subiungentem comparat cum piscatore, qui pisces undique reti, sagena, hamo capit captisque gaudet. Cf. Mt 13, 47—50. al.

Sectio tertia

De mercatura

Praesidia doctrinae. — A. Breusing, Die Nautik der Alten. Bremen 1886. — L. Herzfeld, Handelsgeschichte der Juden des Altertums. Braunschweig 1894. — D. Parodi, La nautica nei libri santi. Genova 1902. — G. A. Smith, Trade and commerce (EB IV, 5145—5199).

I. Iam antiquissimis temporibus populos orientis celebri mercatorum commercio usos esse monumenta effossa testantur. Gudea quidem, princeps urbis Lagaš, iam narrat materiam aedificiis suis utilem

ex longinquo advenisse, cum mercatores suos a mari mediterraneo usque ad sinum Persicum proficisci iuberet (Gudea B. V 25. 26. KB III, 1, 33). Atque cedros a monte Amanus (ib. 28), saxa et ligna ex Phoenica (ib. VI 5), alabastrum ex monte Tidanu = Antilibanus (ib. VI 13. KB III, 1, 37) petivit. Iam tribus et duobus milibus annorum a. Ch. n. Babylonii et Aegyptii cum Syris celebrem mercaturam faciebant. Codicis Ḫammurapi de mercatura, horreis, navigatione legibus demonstratur in Babylonia iam pridem multa empta esse et venisse. Antiquissimorum populorum, qui mercaturas faciebant, Phoenices quoque sunt; nam iam tum, cum epistulae in Tell el-ʿAmârna inventae scriptae sunt, magna classe mercatoria utebantur et cum Aegyptiis commercia habebant. Paulo post Aramaei cum Babyloniis negotiabantur; eorum linguâ saeculo undecimo in Assyria et Babylonia vulgo loquebantur. Iisdem temporibus Minaei, qui in Arabia ad meridiem vergente habitabant, cum Aegyptiis et incolis orae maris mediterranei quâ ad orientem spectat, mercaturam faciebant.

Cum terra Canaan et situ et fructibus ad mercaturam exercendam commodissima esset, etiam incolae eius omni tempore magnam operam in eam conferebant, ut ipsa nomina כְּנַעַן et כְּנַעֲנִי pro mercatore usurparentur (Jes 23, 8. Ez 17, 4. Zeph 1, 11. Prov 31, 24), sicut כַּשְׂדִּים Chaldaei nonnumquam astrologos vel magos significant (Dn 2, 2. 4. 10 cf. Diod. Sic. Bibl. hist. 2, 24. Juven. Sat. 6, 553). At Moses, qui agriculturam fundamentum reipublicae esse voluit, mercaturae externae ob pericula, quae ex contactu variarum gentium fidei et moribus imminent, lege sua minime favit, sed solam iustitiam et probitatem in emptione et venditione inculcavit. Velut praescripsit, ut omnis iniquitas „in pondere et mensura“ vitaretur atque „iusta et aequa essent pondera“ (Lv 19, 35 s. cf. Prov 16, 11) nec haberetur „lapis et lapis“, i. e. duplex et diversum pondus (Dt 25, 13. cf. Ez 45, 10. Prov 20, 10), nam „bilances dolosae (i. e. ad fraudem faciendam aptatae) abominatio sunt Jahvae“ (Prov 11, 1; 20, 23). Siracides quoque monet, ut magna diligentia ad pondus iustum et mensuram iustam adhibenda sit (42, 4) et in rebus vendendis aut emendis facile peccari dicit (27, 2)[1]. Mercaturam autem domesticam Hebraei non eo consilio exercebant, ut divitias augerent, sed ut vitam sustentarent. Ea praecipue tribus illis sollemnitatibus adiuvabatur, ad quas quotannis omnes adulti in locum sacrum convenire debebant (Ex 23, 14—17; 34, 23. Dt. 16, 16. Jos. AJ 4, 8. 7); Hierosolymis autem vel septimo quoque die nundinae celebrabantur, quo etiam Tyrii venalia inferebant (Neh 13, 16). Postea Hebraei externam quoque mercaturam facere coeperunt. Atque iam aetate iudicum haud pauci (tribus Dan et Ascher) e maritimis Phoeni-

cum commerciis multum emolumentum capiebant (Jdc 5, 17). Neque dubium est, quin nonnulli cum mercatoribus peregrinis, qui per Canaan proficiscebantur, negotiarentur[2]. Etiam ex Dt 2, 7 apparet Hebraeos quadraginta illis peregrinationis annis in desertis Arabiae cum gentibus, in quarum finibus commorabantur, mercaturam fecisse. Praecipue autem commercium externum regnante Salomone florebat, qui non modo ex Aegypto universisque regnis Chittaeorum et Amoraeorum mercaturam equorum fecit (I Rg 10, 28 s. = II Chr 1, 16 s.)[3], verum etiam ex portubus ʿEṣjôn-geber et ʾElâh vel ʾElôth ad litus maris rubri in terra Edomitarum sitis naves nautis Phoeniciis peritissimis instructas in ʾOphîr (I Rg 9, 26—28 = II Chr 8, 17 s.) et Tarsîš (I Rg 10, 22 = II Chr 9, 21) direxit[4]. Quod commercium, quamvis quaestuosum, post obitum Salomonis neglectum esse videtur. et cum Josaphat, rex Juda, cum Ahasja, rege Israel, sociatus id restituere vellet, naves in ipso portu ʿEṣjôn-geber scopulis allisae perierunt (I Rg 22, 49 = II Chr 20, 35—37). Ceterum Hebraei negotiationes terrestres faciebant. Atque I Rg 20, 34 memoriae traditur Omri, regem Israel, belli fortunâ adversarii sui, regis Syriae Damascenae, mercatoribus Aramaeis quasdam partes urbis Samaria, ubi sub tutela regia mercaturas facerent, concedere coactum esse. Postea Ahab eius successor, cum belli fortuna ei faveret, a rege Syrorum postulavit, ut idem beneficium mercatoribus Israelitarum Damasci tribueret. Quo factum est, ut primo reditus regis, deinde universi populi augerentur. Quo illud prophetae Hosea 12, 8 s. (lectione emendata) pertinet: in manibus Cananaeorum staterae dolosae sunt; Ephraim cogitat: dives factus sum; sed omnes eius divitiae non sufficient, quibus peccata eius expientur! Regnum quoque Juda paulatim exemplum regni Israel secutum esse et in commercio gentium tales partes egisse videtur, ut Phoenices invidi fierent. Eae autem merces, quas Hebraei praecipue exportabant, praeter quercus Basan (Ez 27, 6) erant triticum, mel, oleum, balsamum (I Rg 5, 25. Ez 27, 17. Hos 12, 2. cf. Act 12, 20); contra a Phoenicibus (Tyriis) ad eos importabantur ligna cedrina et abiegna (II Sm 5, 11. I Rg 5, 24. I Chr 14, 1), pisces aliaque (Neh 13, 16). Praeterea Hebraei ex regionibus remotioribus aurum, argentum, ebur, ferrum, stannum, simias, pavones, ligna varii generis advehebant (I Rg 10, 22 = II Chr 9, 21). Res, quae importabantur, ut augerentur, cum opera regum, tum crescens cultus vitae, imprimis luxus mulierum (cf. Jes 3, 16—24), multum valuit. Vulgo gestabant vestimenta textorum peregrinorum, imprimis apud aulam regiam (Zeph 1, 8). Vestimenta varii coloris ex bysso Aegyptia, calcei elegantes ex תחש confecti, varia ornamenta aurea ad mundum mulieris divitis pertinebant (Ez 16, 10—13). Domus et su-

pellex nobilium ebore ornatae (Am 3, 15; 6, 4), parietes tabulis ligni pretiosi operti (Jer 22, 14) erant. Condimenta quoque varia earum rerum erant, quae plurimae importabantur (Jes 60, 6. Ct 3, 6). Eodem tempore mercatura tenuis excolebatur, imprimis in urbibus maioribus, ubi omnia cibaria emenda erant (II Rg 7, 1). Qua occasione eos, qui mercaturam magnam faciebant, usos esse, ut ex annonae caritate lucrarentur, ex Am 8, 5s. elucet. In exsilio Babylonio Judaei, patriâ suâ orbati, magis magisque mercaturam amplexi sunt. Etsi enim haud deerant, qui suadente Jeremia propheta (29, 4s.) agros colerent, tamen plerique emendo vendendoque vitam sustentasse videntur. Sequentibus temporibus Judaei mercaturae ita dediti erant, ut solo emendi et vendendi quaestu et lucro ducerentur (cf. Neh 5, 1—13). Siracides 26, 20 mercatorum et cauponum (ἐμπόρων et καπήλων) mentionem facit. Scriptor epistulae Aristeae commemorat Arabes magnam vim turis, gemmarum, auri in Palaestinam importasse atque eam terram bene cultam et propter portus ad mercaturam idoneam esse dicit. Ad hoc ex Talmud cognoscimus, quam multae fuerint merces, quae vel exportabantur vel importabantur et quantopere mercatura in Palaestina floruerit. Atque etiam nunc Judaei mercaturas adeo faciunt, ut nulli inter omnes populos institoriâ arte et fraudibus famosiores reperiantur.

[1] Hebraeos in negotiis peragendis haud raro iniuste fecisse ex reprehensionibus prophetarum sine dubio constat. Hosea quidem 12, 8 stateram dolosam in manu mercatoris reprehendit. Amos 8, 4—6 in faeneratores et oppressores pauperum atque iniustos negotiatores invehitur, qui dicunt: „Quando transibit mensis, ut divendamus annonam, (et quando praeteribit) sabbatum, ut aperiamus frumentum (i. e. horrea, in quibus frumentum repositum est) et minuamus epha (i. e. ut diminutâ mensurâ ementibus metiamur) et augeamus siclum (argenti i. e. frumenti pretium) et pervertamus lances doli (dolosas) . . . et deciduum tritici (i. e. quisquilias, quae, dum frumentum purgatur, ex cribro decidunt) vendamus“. Etiam ore prophetae Micha 6, 10 s. Jahve queritur: „(Estne adhuc in domo impii) epha maciei (i. e. mensura diminuta, iustâ minor)? Num purus ero cum bilancibus improbis (i. e. num sanctus esse possum, si bilancibus fraudulentis uti impunite admittam)?“

[2] Magnae quaedam viae mercandi, quibus iam antiquissimis temporibus Phoenices et Arabes utebantur, etiam regionem Canaan attingebant eamque plus minusve permeabant; quare Hebraei et ipsi a commercio non plane separati erant. Velut per regionem Dothain via mercandi a Damasco in Aegyptum ferebat (cf. Gn 37, 17. 25). Magnae viae regiae Nm 20, 17. 19; 21, 22 mentio fit; est ea via, quae a regione Edomitarum per terram Moabitarum et Ammonitarum Damascum versus et a Damasco in Assyriam ducebat. Ex qua via alia trans Jordanem Jericho versus atque inde per Samariam in Phoenicen et per Judaeam in Aegyptum ferebat. Item ex sinu ʿElâh duae viae in Phoenicen ducebant, altera occidentem versus ad

litus Palaestinense, altera secundum mare mortuum per regionem trans Jordanem sitam. Ex eodem sinu etiam via ad mare mediterraneum Gazam versus strata erat. A Petra quoque tres viae mercandi ferebant (Gazam, Rhinocoluram, in Peraeam).

[3] Secundum I Rg 10, 28 s. (= II Chr 1, 16 s.) Salomo equorum vendendorum arbitrium privatis ademit; equos ex *Miṣraim* emptos regibus Chittaeorum et Amoraeorum vendebat. Dictum est nomen *Miṣraim* hîc non Aegyptum, sed terram *Muṣri* in Asia minore sitam significare (H. Winckler, Geschichte Israels II, 265. G. Beer, Saul, David, Salomo 62., alii). Vocabulum Hebraicum מקוה, quod ממצרים excipit et plerumque *congregationem* valet, Graeci Alexandrini verbis ἐκ [Θε]κουέ reddunt (Hexapla lectionem ἐξ Κωά notat, Vulg. *de Coa*). Si vocabulo Θεκουέ nomen *Ḳoa* (in inscriptionibus cuneatis *Ḳue*) subest et *Ḳoa* Ciliciam valet (H. Winckler, Alttestamentliche Untersuchungen 168 ss. 364. Geschichte Babyloniens und Assyriens 169. Geschichte Israels II, 265. E. König, Fünf neue arabische Landschaftsnamen im AT 25. WB 242ª. 403ª. J. Döller, Studien 158), nomen Miṣraim non Aegyptum significare potest, sed de terra *Muṣri* in Syria ad septentriones vergente sita cogitandum est. At ex mea opinione respiciendum est Chittaeos et Aramaeos ex Asia minore sibi ipsos equos emere potuisse. — Ut Salomo, ita etiam rex Sargon II (722—705) secundum inscriptionem quandam equos ex Aegypto apportari iussit.

[4] *'Ophîr* nonnulli in Arabia ad meridiem vergente, alii in India, alii in Africa in orientem spectante quaerunt, alii cum Apir (= Elam) conferunt. Probabiliter ea regio Africae ad orientem vergentis intellegenda est, quae adversus terram Jemen (Yemen) sita est. Cf. J. Döller, Studien 145—153; C. Peters, Ophir nach den neuesten Forschungen. Berlin 1909.

Taršîš ex nonnullorum opinione in Africa quaerenda est. Alii eam in Hispania Baetica sitam esse existimant, id quod verisimilius esse videtur. Cf. J. Döller ib. 153—157.

II. Mercatores aliique, qui iter aliquo faciebant, iam antiquissimis temporibus magno cum comitatu proficisci solebant, ne a praedonibus opprimerentur et spoliarentur. In epistulis, quae in Tell el-'Amârna inventae sunt, de commeatibus agitur, qui praesidio comitante terram peragrabant (cf. ep. 180. 189. 242. 256). Atque maior peregrinantium manus, qualis hodie vulgo *caravana* (Pers. *karwân*, Arab. *kairwân*) appellatur, in sacris litteris nomine אֹרְחָה Gn 37, 25. Jes 21, 13. Job 6, 19. συνοδία Lc 2, 44., minor nomine הֲלִיכָה Job 6, 19 significatur. Etiam vocabulum שָׁרוֹת (a שׁור, Assyr. *šâru* = incedere, Arab. *sâra* = iter fecit) agmen unâ proficiscentium, potissimum mercatorum significat; quo sensu id vocabulum Ez 27, 25 usurpatur: „naves Tartessiae (quasi) mercantium agmina tibi sunt“ i. e. grandium tuarum navium multitudo pro mercantium turba tibi est; ut mercatorum agmina per deserta, ita naves tuae per maria transeunt mercatus faciendi causâ.

Ad merces vehendas Hebraei curribus non utebantur. Atque equis ad currum iunctis vehi antiquis temporibus ius praecipuum regis erat et filios regum currus sibi facere arrogantiae habebatur (II Sm 15, 1. I Rg 1, 5). Prophetae Jeremia aetate etiam summi magistratus curribus usi esse videntur (Jer 17, 25). Ceterum commercio vehiculorum aptae viae deerant. Ne „viae regiae" quidem (Nm 20, 17) viae stratae erant, sed tantum lata ac saepe aspera itinera. Romani demum in Palaestina commodas vias munire coeperunt, quarum nonnulla vestigia adhuc manent. Ad merces vehendas Hebraei asinis, mulis, camelis, non equis, qui ad solum bellum in usu erant, utebantur.

Antiquis temporibus omnis mercatura permutatione rerum exercebatur. quod ex veterum scriptorum testimoniis satis apparet (cf. Hom. Iliad. 6, 470. Odyss. 1, 430. Plin. Hist. nat. 33, 3. Tacit. Germ. 5. De bello Gall. 5, 12). Quare Aristoteles (Ethic. 5, 5) id antiquissimum genus abalienationis vocat. Merces variae primo pecudibus, postea certo quodam pondere auri argentique, quae metalla multis modis utilia pulchritudine quoque et raritate probabantur, permutari solebant. Verum cum molestum esset semper staterâ uti, metallum signari coepit idque, ut videtur, a mercatoribus ipsis. Sed quia usus argenti privata auctoritate signati fraudi nimis obnoxius erat, nummi publica auctoritate signari coeperunt.

Apud Hebraeos nulla permutationis mercium pecudibus factae fit mentio, ne in Pentateucho quidem. At Hebraei iam aetate antiquissima argento usi sunt, quod mirum non est, cum Phoenices, inter quos commorabantur, iam primis temporibus argento pro pecunia uterentur. Auro autem in permutandis rebus nullus locus fuisse videtur. Prima sicli aurei mentio fit I Chr 21, 25. Modus eius ponderis, ad quod apud Hebraeos argentum expendebatur, שֶׁקֶל (a שָׁקַל *ponderavit*) vocatur. Ex locis Gn 23, 16. Ex 22, 16. II Sm 18, 12. I Rg 20, 39. Jes 33, 18; 46, 6; 55, 2. Jer 32, 9 s. apparet Hebraeos usque ad exsilium Babylonium non nummis, sed solo rudi metallo usos esse, siquidem id semper ad trutinam examinabatur. Quare emptores et venditores lapides ad certum pondus exactos in sacculo vel marsupio gestare solebant (Dt 25, 13. Mich 6, 11. Prov 16, 11), qui אַבְנֵי־כִיס *lapides* i. e. pondera *crumenae* appellabantur. Etiam mercatores Babylonii et Assyrii pondera lapidea in sacculo *(kîsu)* ex corio facto secum gestabant et in inscriptionibus Assyriis haud raro ponderis pecuniae exigendi mentio fit. Pondera stannea et plumbea Sach 4, 10; 5, 17 commemorantur.

Hebraeos antiquos argento signato, quod, ubi opus erat, librâ examinabatur, usos esse ex Gn 23, 16 apparet, quo loco כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר *argentum transiens ad* (sive *apud) mercatorem* memoratur, quod II Rg 12, 5 brevius כֶּסֶף עֹבֵר *argentum transiens* (cf. *argent courant)* appellatur. Non-

nullorum opinio etiam vocabulum קְשִׂיטָה (Gn 33, 19. Jos 24, 32. Job 42, 11) formam quandam argenti instar nummi usurpati significare nobis quoque placet. Maiora tamen frusta argenti id vocabulum denotare videtur, certe Job 42, 11., quod eo loco interpretes quoque Alexandrini sensisse videntur. Neque improbabilis est opinio eorum, qui קשיטה *agnum* significare existimant (ut LXX vertunt, quos omnes veteres interpretes secuti sunt) i. e. argentum formâ agni vel imagine agni signatum. Aegyptios quoque praeter taurum ariete (agno) parte ponderis (nummi) usos esse, cum id pondus (vel nummum) ex figura animalis formarent et appellarent, accepimus.

De formis iuris, quibus emptio et venditio legitime fiebant, ex antiquissimis temporibus id tantum, quod Gn c. 23 traditur, accepimus, venditionem palam testibus praesentibus fieri solitam esse. Ex Rth 4, 7 hunc antiquitus morem Hierosolymis fuisse cognoscimus, ut si quis rem aliquam vendebat, calceum exueret exutumque ementi traderet, ut se rem venditam dimittere ostenderet (cf. Ps 60, 10; 108, 10). Instrumenti autem emptionis Jer 32, 7 ss. demum mentio fit. Unde tamen colligendum non est tabellas emptionis antea usitatas non fuisse.

In Tell Dschezer duae tabellae emptionis effossae sunt, quarum una anno a. Ch. n. 651, altera anno 649 data est. Sunt tabulae fictiles scripturâ cuneiformi et linguâ Assyriâ conscriptae. Forma et instrumenti emptionis apud Jer l. c. descripti et tabularum emptionis in urbe Dschezer inventarum eadem est quae pactionum Babyloniorum antiquorum. Primum condiciones, deinde leges, quae eo spectant, tum sigillum et nomina testium, in infima parte diem adscriptum continent. Contra Assyriorum pactiones sigilla in summa parte habent. Secundum codicem Ḫammurapi omnis emptio sine litteris irrita est (§ 7).

III. Terra, quam Hebraei incolebant, parum opportunitatis praebebat ad navigationem et commercium maritimum instituendum; nam litus Palaestinae cum sinuosum non sit, etiam portubus maioribus caret. Qui portus commemorantur, nihil aliud sunt nisi loca naves in ancoris tenendas apta et rupibus utrimque procurrentibus tuta. Atque regio tribus Ascher nonnullos eius modi portus habuit (cf. Jdc 5, 17). Portus Hierosolymorum erat Joppe (Assyr. Jappû vel Japû, hodie Jâfâ), ex quo, quamquam minus commodus erat (Jos. BJ 3, 9. 3), tamen maiores quoque naves, velut Hispaniam petentes (Jon 1, 3), proficiscebantur. Simon Maccabaeus portum illum commodiorem fecit (I Mcc 14, 5). Herodes Magnus ad Caesaream novum portum condidit (τὸν Σεβαστὸν λιμένα Jos. AJ 17, 5. 1. cf. Act 9, 30).

Naves in sacris litteris variis significantur nominibus, ut צִי Jes 33, 21 (pl. צִיִּים et צִיִּם Nm 24, 24. Ez 30, 9. Dn 11, 30), אֳנִי nomen collectivum classis I Rg 9, 26 s; 10, 11. 22. Jes 33, 21. אֳנִיָּה Gn 49, 13. Jdc 5, 17. I Rg 22, 49. al. סְפִינָה Jon 1, 5. ναῦς Act 27, 41. πλοῖον Mt

4, 21 s; 8, 23; 14, 22. Mc 4, 36; 6, 32. πλοιάριον Mc 3, 9. Jo 6, 22 s; 21, 8. Naves aut maiores aut minores erant, aut remis aut velis agebantur. Naves magnae mercatoriae (Prov 31, 14), quae in longinquas terras vehebantur, אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ *naves Tartessiae* vocabantur (I Rg 10, 22; 22, 49. Jes 2, 16. Ps 48, 8), etiamsi non ad solam periculosam navigationem Tharšîš versus adhiberentur (Jes 23, 1. 14; 60, 9), quem ad modum hodie naves onerariae, quae ceteris maiores et maris tempestatibus sufferendis aptiores sunt, *naves Indicae* vocari solent. Chronista vero naves Tharšîš petentes intellegit (II Chr 9, 21; 20, 36 s.). Ceterum ante inventionem acus magneticae sola fere navigatio litorea usitata erat; quare longius durare solebat (I Rg 10, 22 = II Chr 9, 21).

Partes navis in sacris litteris commemorantur: Πρώρα, *prora* sive prior pars navis Act 27, 30. 41. — Πρύμνα, *puppis* sive posterior pars navis Mc 4, 38. Act 27, 29. 41. — תֹּרֶן *malus* Jes 33, 23. Ez 27, 5. — שׁוֹט Jes 33, 21 (מָשׁוֹט Ez 27, 6. 29) *remus*. — גֵּם *velum* navis, quod in malo expanditur, Jes 33, 23. Ez 27, 7. — חֲבָלִים *funes*, qui malum navis confirmant, Jes 33, 23. — Ἀρτέμων, *supparum* (Bramsegel, voile de perroquet), quo nautae uti solent, ne vela maiora plus venti capiant et navem nimis propellant, Act 27, 40. — Πηδάλιον, *gubernaculum*, quod vinculis (ζευκτήρια) adstrictum et navi adnexum erat, Act 27, 40. Jac 3, 4. Atque naves veterum, imprimis maiores, duo habebant gubernacula, unum in prora, alterum in puppi. Cum vincula illa laxantur, gubernacula multum in aquas descendunt et pondere suo navem retinent, quo minus a ventis agitetur. — *Bolis* sive perpendiculum nauticum, quo nautae profunditatem maris explorant, ne naves allidant (cf. βολίζειν *bolidem demittere* Act 27, 28). — Παράσημον, *insigne (ac nomen) navis*, quo veteres naves (in prora) ornare solebant, Act 28, 11: πλοῖον παρασήμῳ Διόσκουροι, *navis nomine Dioscuri*. — His rebus addi possunt varia navium *ornamenta*, quae nonnulli verbis שִׂבְיוֹת הַחֻמָּה (Jes 2, 16) significari existimant (Vulg. *quod visu pulchrum est*), fortasse imagines, quibus prorae vel puppes navium distinguebantur (LXX ἐπὶ πᾶσαν θέαν πλοίων κάλλους), et σκάφη, *linter*, quae navi alligata post navem trahebatur, Act 27, 16. 30. 32.

Imprimis *naves Tyriorum* artificiose et eleganter fabricatae erant: earum tabulatum constabat e lignis cupresseis, remi e ligno querneo, transtra sive sedilia remigum erant ebore et buxo ornata, velum in malo expansum constabat e bysso acu picta, operimentum tentorii navis e purpura caerulea et rubra (Ez 27, 5—7). Etiam *naves Aegyptiorum, Romanorum*, aliorum populorum nonnumquam splendide instructas esse ex variis documentis constat (cf. Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 57. Plin. Hist. nat. 19, 5. Sueton. Calig. c. 37). Navigia, quae ab Aegyptiis ex papyro *(Cyperus papyrus* L.) facta esse complures scriptores antiqui memoriae produnt, Jes 18, 2 memorantur. Interpretes recentiores etiam Job 9, 26 verbis אֳנִיּוֹת־אֵבֶה naves ex arundine vel papyro significari existimant. *Triremes* (τριήρεις) i. e. naves tribus remorum ordinibus instructae II Mcc 4, 20 commemorantur.

Nautae appellantur מַלָּחִים (cf. Arab. *mallâḥun*, Assyr. *malaḫu*) LXX κωπηλάται Ez 27, 9. 27. 29. Jon 1, 5. Eorum princeps, qui ad clavum

sedens navem dirigit, רַב הַחֹבֵל LXX πρωρεύς vocatur (Jon 1, 6) et a navarcho sive domino navis (ναύκληρος Act 27, 11) eligitur eiusque imperio subiectus est.

Sectio quarta

De opificiis

Praesidia doctrinae. — F. Delitzsch, Das jüdische Handwerkerleben zur Zeit Jesu [3]. Erlangen 1878. — P. Rieger, Versuch einer Technologie und Terminologie der Handwerker in der Mischnah. Berlin 1894.

I. Ut omnis scientia et ars humana, ita opificia a deo profecta sunt. Quae homines deum Ea (= Oannes) docuisse in oriente antiquitus vulgo credebant. Antiqui quoque Hebraei sibi persuaserant et opificia divinam habere originem et quaedam opificia iam prima hominum aetate inventa esse. Atque iam Kain urbem aedificavit nomine Henoch (Gn 4, 17). Jubal instrumenta musica invenisse (ib. v. 21) eiusque frater Tubalkain omnia instrumenta opificii aeris et ferri acuisse et expolivisse dicitur (ib. v. 22, quo loco vocabulum אָבִי, quod in versibus antecedentibus legitur, excidisse vel supplendum esse videtur, ita ut Tubalkain „malleator, pater omnium in aere et ferro operantium" fuisse dicatur). Noah dei iussu ad suam suaeque familiae salutem permagnam illam navem aedificavit, de qua Gn 6, 14—16 agitur.

Apud *Babylonios* iam antiquissimis temporibus opificia vehementer exculta erant. Quod ex codice Ḫammurapi regis apparet. Eius lex figulo, sartori, fabro tignario, restioni, caementario mercedem constituit (§ 274). De architecto constituitur, ne mercedem nisi opere perfecto accipiat et ut eius bonitatem praestet (§ 228—233). Praeterea constituitur, ne puero ab opifice aliquo adoptato, si artem didicerit, domum parentum redire liceat (§ 188. 189). Quae cum ita sint, iudicandum est in *Syria* quoque et *Canaan* in opificiis iam mature magnos progressus factos esse. Quod iis, quae ex monumentis Aegyptiis de Syrorum operibus et artificiis cognoscimus, confirmatur. Eodem spectat in Canaan ipsa tabula quaedam fictilis in Tell Ta'annek effossa (tab. II.), ubi fabri armorum ab alio loco in alium migrantis mentio fit.

Patriarchae *Hebraeorum* simplicissime vivebant multarumque rerum, quae ad usum cottidianum necessariae erant, ipsi erant opifices. Alia, imprimis quidquid ad vestitum pertinebat, a mulieribus, alia eaque difficiliora a servis et famulis conficiebantur et, quotienscumque opus erat, reficiebantur. Multum autem ad opificiorum apud Hebraeos pro-

gressum interfuit eos perdiu inter Aegyptios commoratos esse, qui praeter ceteras gentes culturâ omnium artium opificiorumque excellebant [1]. Nam in Aegypto Hebraei, etsi pecuariam faciebant, tamen ad nonnulla opificia adhibiti sunt. Velut lateres fingebant et coquebant, quod et sacris litteris (Ex 1, 14) et picturâ quadam in conditorio in Abd-el-Kurna inventâ comprobatur, quae repraesentat, quo modo Semitae sedente et inspiciente exactore lateres ex luto forment, transferant, diligenter exstruant. Etiam in quibusdam urbibus (Pithom et Raʿmsês) aedificandis Hebraei laborabant (ib. v. 11) [2]. Quod autem Josephus AJ 2, 9. 1 memoriae prodit Hebraeos ad pyramidas exstruendas coactos esse, sacrae litterae non tradunt. Ceterum id ne verisimile quidem est, quod neque in Delta pyramides exstructae sunt et maximae earum prioris sunt aetatis. Etiam iis ipsis, quae in Pentateucho de tabernaculo Mosaico et vestimentis sacerdotum conficiendis traduntur, abunde probatur artifices et opifices varii generis apud Hebraeos fuisse. Nam multa opera in auro, argento, aere facienda, lapides scalpendi, negotia polymitarii, plumarii, unguentarii exercenda erant. Cum Aegyptii in eius modi artibus excellerent, haud mirum est etiam inter eos, qui modo ex Aegypto excesserant, multos earum artium peritos fuisse.

[1] De summo artificio Aegyptiorum videas G. Maspero, L'archéologie egyptienne. Paris 1877, G. Steindorff, Das Kunstgewerbe im alten Aegypten. Leipzig 1898; W. Spiegelberg, Geschichte der aegyptischen Kunst bis zum Hellenismus. ib. 1903; W. M. Flinders Petrie, The Arts and Crafts of Ancient Egypt. London 1910.

[2] Urbs Pithom (Aeg. *P(r)etom,* apud. *Herod.* Hist. 2, 158 Πάτουμος, apud ceteros Graecos Ἡρώων πόλις, *Heroopolis*) anno 1883 ab *E. Naville* (The store-city of Pithom. London 1885) in *Tell-el-Maschûṭa,* occidentem versus a lacu Timsâḥ in Wâdi Tumilât, inventa est. Urbs Raʿmsês (Raʿamsês) ex nonnullorum opinione a Pharaone Ramses II, qui a Graecis Σεσῶστρις appellatur, nomen traxit (= *Tanis* sive *Zoan,* hodie *Ṣân,* quae urbs, in Delta Nili sita, erat sedes Ramses II). *W. M. Flinders Petrie* eam in media valle, quae Wâdi Tumilât vocatur, prope Tell-Roṭâb invenisse dicitur (*A. H. Mc Neile,* The book of Exodus. London 1908, XIII). Ex eo autem, quod memoriae proditur Hebraeos duas illas urbes aedificasse, non sequitur iis locis antea urbes non fuisse; immo vero probabile est ibi iam diu urbes contra hostes irruentes vallatas fuisse easque ab Hebraeis tantum amplificatas magisque munitas esse.

Lex Mosaica, quamquam opificia non fovebat, tamen Hebraeis iis non interdixit vel ea parvi aestimavit, sed pro more apud alias quoque gentes antiquas usitato industriae populi permisit. Atque cum aetate regum luxus cresceret, etiam artium opificiorumque cultura incrementa capiebat. Imprimis David et Salomo regnantibus multi erant artifices

et opifices, qui aedes regias et templum magnificentissimum exstruebant. Cum in exsilio Babylonio haud pauci Judaei, quia non ubique agros fertiles, quos colerent, reperiebant, mercaturae variisque opificiis eo consilio operam dedissent, ut res ad victum cultumque necessarias haberent, post reditum in patriam multo plures quam ullo tempore antea ad opificia incumbebant. Quod opificiorum studium inter Judaeos, cum in varias regiones dispersi essent, perpetuo permansit.

II. Opifices, quorum sacrae litterae mentionem faciunt, sunt hi:

1) Fabri auri et argenti (צֹרֵף Jdc 17, 4. Jes 40, 19; 41, 7; 46, 6. Jer 10, 9. 14; 51, 17. Prov 25, 4. Neh 3, 8. 32. χρυσουργοὶ καὶ ἀργυροχόοι Sap 15, 9), quorum ignis variaque instrumenta haud raro ansam locutionum tralatarum dederunt (ut Mal 3, 2 s.). Quibus eo rectius fabri aerarii (חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת I Rg 7, 14. χαλκοπλάσται Sap 15, 9. χαλκεῖς II Tim 4, 14) iunguntur, quod plerumque utramque artem colebant (Ex 31, 4). Eodem pertinent fabri ferrarii (ח' בַּרְזֶל), qui ferrum ad usum domesticum et militarem parabant (I Sm 13, 19. Jes 44, 12) et claustrarii (מַסְגֵּר), qui claustra et pessulos faciebant (II Rg 24, 14. 16. Jer 24, 1; 29, 2). Quorum instrumenta memorantur: *incus* (פָּעַם Jes 41, 7. ἄκμων Sir 38, 29), *malleus* (מַקָּבֶת Jes 44, 12. etiam de malleo lapicidarum I Rg 6, 7. פַּטִּישׁ Jes 41, 7), *forceps* (du. מֶלְקָחַיִם Jes 6, 6), *stilus calcandi* (חֶרֶט Ex 32, 4), *follis* (מַפֻּחַ Jer 6, 29), *catinus liquatorius* (מִצְרָף Prov 17, 3; 27, 21), *fornax* (כּוּר), qua metalla excoquendo a scoriis separantur (cf. I Rg 8, 51. Jes 48, 10) atque in qua aurum (Prov 17, 3; 27, 21) et argentum (Ez 22, 18. 20. 22) liquefiunt.

Iam Gudea, princeps urbis Lagaš in Babylonia ad meridiem vergente sitae, qui circa annum a. Ch. n. ter millesimum fuit, in inscriptionibus aeris mentionem facit et monumenta lapidea illius aetatis adeo perfecta sunt, ut tantum instrumentis aeneis facta esse possint. Praeterea in loco ruinarum Telloh (Lagaš) etiam simulacra aenea effossa sunt. Aes Babylonii ex Armenia apportabant. Rex Rammânnirâri III (812—773 a. Ch.) tria milia talentûm aeris ex Damasco accepit (cf. II Sm 8, 8.. ubi David ex urbibus Hadadeser = Adad-'idri, regis Aram-Ṣoba, multum aes abstulisse dicitur, quod Salomo ad vasa aenea templi conficienda adhibebat I Chr 18, 8). Aerariae in montibus quoque Libani erant (Dt 8, 9. Sach 6, 1). In tabulis fictilibus, quae in Tell el-'Amârna inventae sunt, ea regio, quae a Libano in orientem spectat, *nuḫaši* i. e. terra aeris appellatur. Aeris metalla etiam in Phunon (oppido in Idumaea inter Petra et Ṣoar sito, hodie Fênân) erant, fortasse in ea regione, ubi Moses serpentem aeneum erexit (Nm 21, 9. cf. 33, 42 s.). Praecipuae autem aerariae in paeninsula Sinaitica erant, ubi reges Aegypti in vallibus, quae hodie Wâdi Maghara et Wâdi Naṣb vocantur, aliisque locis prope Ṣarbût

el-Khâdem sitis inde a primis historiae Aegyptiae temporibus metalla aeraria exercebant. Quod Cananaeis et Hebraeis nequaquam incognitum manere poterat. Ceterum etiam ex insula Cypro *(aes Cyprium,* unde *cuprum)* atque ex variis Asiae interioris locis (Ez 27, 13) aeris copia Hebraeis facile praebebatur. Quae cum ita sint, in Canaan quoque usus aeris antiquissimus est atque variis locis multae res aeneae inventae sunt, velut in Dschezer, Ta'annek, Tell el-Mutesellim, ubi etiam officina fabri aerarii inventa est (G. Schumacher, Tell el-Mutesellim I, 130—132). Etiamsi autem usus aeris in Syria et Canaan antiquissimis temporibus invenitur, tamen praeter id instrumenta ex pyrite facta diu in usu manserunt. Ubicumque effossum est, cultri, asciae, serrae, alia eius modi ex pyrite facta inventa sunt.

Ferrum apud Babylonios ea aetate, quae est inter reges Tiglat-Pileser I et Assurnaṣirpal, ca. 1100—886 a. Ch., in usum venire coepit. Assurnaṣirpal regnante arma e ferro, alia instrumenta partim e ferro partim ex aere confecta sunt. Post annum octingentesimum ferrum vulgo usitatum esse coepit. In Aegypto autem iam anno quadragesimo secundo Pharaonis Thutmosis III (1501—1447 a. Ch.) ex Tinay, regione quadam Asiae minoris (?), cum alia tum vasa ferrea loco tributi collata esse memoriae proditur (cf. W. M. Müller, Mitteil. d. Vorderasiat. Gesellsch. III, 1898, 136). In Tell el-Jehudije ex aetate Pharaonis Ramses III (1198—1167 a. Ch.) figura hominis ex Asia capti *(Ḫe-ta)* inventa est, qui pugione ferreo coloris caerulei instructus est (PSBA VII, 1880—81, 179 et pl. 1) et in Tell el-Retabeh W. M. Flinders Petrie (Hyksos and Israelitic cities 32^b. 33^a) armillam ferream eiusdem fere aetatis invenit. Eodem fere tempore, quo in Babylonia, in Canaan ferrum usu receptum est, nisi quod ibi ad instrumenta rustica facienda prius usui fuisse videtur quam ad arma. Quod Jos 17, 16 et Jdc 4, 3 (cf. Jos 11, 4) esseda Cananaeorum ferro vincta fuisse dicuntur, de aere cogitandum esse videtur, quod etiam aetate regum ad arma facienda insumptum esse in vetere testamento memoriae traditur (I Sm 17, 5 s. II Sm 22, 35). Goliath hastam cuspide ferrea praefixam gestasse ut aliquid singulare praedicatur (I Sm 17, 7). Instrumenta ferrea (non arma) aetate regis David commemorantur (II Sm 12, 31. cf. etiam Am 1, 3). Postea ferri saepius mentio fit (II Rg 6, 5. Jes 45, 2. Jer 17, 1. Ps 149, 8. Job. 19, 24; 20, 24). Ferrariae autem in montibus Libani erant (Dt 8, 9) atque etiam nunc ferrum rude in Libano, in provincia Kesruân, in regione trans Jordanem 'Adschlûn abundat. Etiam in Carmelo prope Abu suweid et prope Iḳzim ferrum inventum est. Ceterum multi interpretes recentioris aetatis Dt 8, 9 et 19, 5; 27, 5 vocabulum ברזל non ferrum, sed lapides illos durissimos, quos basaltes vocant, intellegunt. Nam ex illis lapidibus, qui multum ferri (20%) continent, pars soli terrae, quae a Jordane ad orientem vergit et hodie Ḥaurân appellatur, constat; in qua terra portae, loculi, varia instrumenta ex basalte confecta inventa sunt. Unde verisimile est lectum quoque ferreum regis 'Og, qui in ea regione regnabat (Dt 3, 11), ex basalte factum fuisse. Loco Jer 15, 12 etiam „ferrum ab aquilone" commemoratur, ubi tamen H. Winckler (Alttestamentliche Untersuchungen 180) pro ברזל ברזל מצפון legendum esse censet ברזל בעל צפון, quae verba

de ferro montium Libani explicat, qui Assyriace *Ba'li-ṣapûna* vocantur. Alii verba „ferrum ab aquilone" ad ferrum optimum et durissimum pertinere interpretantur, quod a gente Chalybum, quae Pontum incolebat, nomen χάλυψ accepit. Praeterea Tyrii ex Arabia et Hispania ferrum cum aliis metallis accipiebant (Ez 27, 12. 19). *Fornaces ferreae,* in quibus metalla ferrata liquefiebant, illae quidem Hebraeis notae erant (Dt 4, 20. I Rg 8, 51. Jer 11, 4), sed ferrum fundere nesciebant. Sunt, qui reliquias fornacis ad ferrum liquefaciendum exstructae in Tell el-Ḥasî et Tell Zakarjâ inventas esse putent. Ceterum inter Hebraeos non multi fabri aerarii et ferrarii fuisse videntur, cum Salomo vasa aenea templi ab artificibus Tyriis formanda curavit (I Rg 7, 13—46. II Chr. 2, 12 s.).

Quamquam metalla in Palaestina ipsa raro effossa sunt, tamen temporibus posterioribus fodinae et operationes, quae eo spectant, Hebraeis notae erant atque Job 28, 1—11 describuntur. Nihil refert, utrum auctor libri loco allato de Libano an de paeninsula Sinaitica agat. Quod apud LXX III Rg 2, 46^{0} (F. Vigouroux, La sainte bible polyglotte II, 610) legimus: καὶ Σαλωμὼν ἤρξατο ἀνοίγειν τὰ δυναστεύματα τοῦ Λιβάνου, id H. Winckler (op. all. 175. cf. 179 s.) ad fodinas pertinere interpretatur.

2) Figuli (יוֹצֵר, κεραμεύς Sap 15, 7. Mt 27, 7. 10), quorum ars Sir 38, 29 s. et Sap 15, 7 describitur. Primum lutum pedibus calcabatur (cf. Jes 41, 25), dum satis molle efficeretur; deinde opus rota figulari formabatur, quae ex duabus rotis constabat, maiore inferiore, minore superiore (quare Jer 18, 3 dicitur: figulus „fecit opus עַל־הָאָבְנָיִם *super duplici lapide*"); denique fictilia indurata igni proponebantur (Sir 27, 5). Ex Prov 26, 23 apparet figulos artis fictilia materiâ quadam splendidâ obducendae haud ignaros fuisse. Nonnumquam figulos etiam idola fecisse Sap 15, 8 dicitur. Cum temporibus prophetae Jeremia officina figuli cuiusdam prope portam figlinae (שַׁעַר הַחַרְסִית) esset (Jer 18, 2 ss; 19, 1 ss.), figuli tum prope eam portam sedem constituisse ibique merces venales habuisse videntur. Ars figuli et vasa confecta saepe ad locutiones tralatas usurpata sunt (Jes 29, 16; 45, 9. Jer 18, 6. Ps. 2, 9 = Apc 2, 27. Rom 9, 20 s.).

Recentiore aetate in Palaestina multae res figlinae effossae sunt, urcei et paterae omnis generis, catilli, lucernae, oblectamenta liberorum, imagines deorum et animalium, imprimis magna multitudo testarum. *W. M. Flinders Petrie,* qui primus eas res diligentissime exquisivit, repperit omnia opera figlina in Palaestina effossa variis periodis attribui posse, periodo Amoraeorum (1600—900 a. Ch.), Phoenicum (1000—600), Judaeorum (800—500), Graecorum (700—300), Seleucidarum (300—100), Romanorum (ab anno 150 a. Ch.). Recte observatum est, si res inventae originis ratione habita distinguuntur, periodos ita se excipere, ut non prorsus separatae sint, sed inter se cohaereant. *E. Sellin* singulas periodos in duas partes dividit: periodum ante immigrationem Israelitarum in terram Canaan (— 1600 et — 1200), periodum Israelitarum (— 1000 et — 800), periodum Judaeorum (— 500 et — 350), in qua tamen re animad-

vertendum est artem non ita excultam esse, ut cum mutationibus publicis congrueret. *A. St. Macalister* quattuor periodos distinguit, quarum duae Israelitarum immigrationem in terram Canaan antecesserunt, una prior (— 1500), altera posterior (— 700), tertia Israelitarum-Judaeorum (— 300), quarta Seleucidarum (— 100 a. Ch.). *H. Vincent* artem indigenam (— 1600), Aegeo-Canaaniticam (— 1200), Israeliticam (— 900), Judaeo-Graecam (— 500) discernit. *J. Benzinger* distinguit periodum antiquorum Cananaeorum (— 1400), Phoenicum (— 1000), Israelitarum (— 800, quo tempore Graecorum auctoritas valere incipit).

3) Fabri lignarii (חָרְשֵׁי עֵץ II Sm 5, 11. Jes 44, 13. cf. τέκτων Mt 13, 55. Mc. 6, 3) in operibus ex ligno parandis versabantur. Quorum instrumenta sunt: *securis* (גַּרְזֶן Dt 19, 5. Jes 10, 15 קַרְדֹּם Ps 74, 5), *serra* (מְשׂוֹר Jes 10, 15) *scalprum*, quo lignum deraditur (מִקְצוּעָה Jes 44, 13), *circinus* (מְחוּגָה ib.), *malleus* (מַקֶּבֶת Jes 44, 12. הַלְמוּת Jdc 5, 26), *amussis* (קָו Jes 44, 13), *stilus* (שָׂרָד ib.) i. e. instrumentum acutum, quo fabri lignarii secundum amussim extensam ligno lineas insculpere solent, quibus forma operis adumbratur; Hebraei autem eo vocabulo minium sive rubricam significari existimant, quo fabri ligna incidenda signant.

Memoratu dignum est silvas Hebraeis nulli curae fuisse. Silvae in Palaestina cis Jordanem sita rarae erant. Saltus regis, cuius Neh 2, 8 mentio fit, ubi situs fuerit, non dicitur, sed tantum inde lignum ad Hierosolyma restituenda apportandum esse; de templo aedificando conferas Hagg 1, 8. Lignum sycomori firmum, sed non pulchrum ad domos exstruendas adhibitum esse ex I Rg 10, 27 et Jes 9, 9 apparet. II Rg 6, 2 memoriae proditur discipulos prophetarum ad ripam Jordanis ligna cecidisse; ibi tantum de tegmine asserum (σκέπη δοκῶν Sir 29, 22) exstruendo agi videtur. Ex loco Lv 14, 45 domos ex lapidibus, asseribus, luto aedificatas esse cognoscimus. Siracides 22, 14 domos laudat, quae loramento ligneo colligatae sunt, quod id in terrae motibus praesidio est. Ad domos magnificas pretiosius lignum importandum erat. Lignum affabre tractare Hebraei optime scisse videntur.

Palaestina trans Jordanem sita magnis et pulchris silvis abundabat. Ez 27, 6 memoriae proditur lignum quercuum Basan in Phoenicum navalibus ad remos dolandos adhibitum esse.

4) Lapicidae (חָרְשֵׁי אֶבֶן II Sm 5, 11. חֹצְבֵי אֶבֶן I Rg 5, 29. II Rg 12, 13. Esr 3, 7. II Chr 2, 1. 17; 24, 12), qui ex lapicidinis Palaestinae et Arabiae columnas aliosque lapides excidebant, quales summae molis nec minoris artificii ad aedes nobilium adhibebantur.

In Palaestina iam antiquitus plurimas lapicidinas fuisse constat. Hierosolymis imprimis eae celeberrimae sunt, quibus nomen cavernarum regiarum inditum est quaeque iam a Josepho BJ 5, 4. 2 in descriptione ambitus septentrionalis urbis commemorantur (cf. Tacit. Hist. 5, 12). Inter portam Damasci et antrum Jeremiae, quod vocant, duriores lapides calcarii

(mizzi), quales in ea parte muri, ad quam Judaei templum eversum deplorare solent, conspiciuntur, excisi sunt. Antrum autem el-Kettân etiam nunc lapides molliores coloris albi vel subrosacei, qui ab indignis *meleke* vocantur, praebet. Ex quibus lapicidinis ad varia aedificia urbis antiquae lapides excisos esse verisimile est.

5) Caementarii (גֹּדְרִים II Rg 12, 13; 22, 6. חָרְשֵׁי קִיר I Chr 14 1), qui ex lateribus lapidibusve aedificia exstruebant. Inter quorum instrumenta praeter asciam, serram, circinum memorantur perpendiculum (אֲנָךְ Am 7, 7 s.) et funis mensorius (קָו Sach 1, 16. Job 38, 5). Cf. etiam M. Kelim 14, 3. Tectores (טָחֵי תָּפֵל), qui muros tectorio inducebant, Ez 13, 11 memorantur.

6) Fullones (כּוֹבֵס, πλυντήρ, γναφεύς), qui pedibus calcando, adhibito sale lixivii (בֹּרִית) vestimenta sordida mundabant novaque condensabant, ad quod Mal 3, 2 respicitur. Fullones extra urbes negotiis suis vacabant. Prope Hierosolyma erat „ager fullonis“ ad extremam partem aquaeductus piscinae superioris situs (II Rg 18, 17. Jes 7, 3; 36, 2). Ex nomine Rogel (= fullo) concludi potest iam antiquis temporibus fullones eo fonte (hodie *ʿAin Sitti Marjam* = fons dominae Mariae) ad sua opera usos esse. Eos vestimenta candidissima reddidisse ex ea comparatione elucet, quam Mc 9, 3 legimus: τὰ ἱμάτια αὐτοῦ (Christi in transfiguratione) ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιών, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι.

Vocabulum בֹּרִית significat sal lixivii, quod e cineribus nonnullarum herbarum salsarum parabatur quoque in paniculos constipato et oleo affuso Hebraei etiam pro sapone utebantur (Jer 2, 22). Contra נֶתֶר est νίτρον sive λίτρον Graecorum, nitrum sive natron recentiorum, alcali fossile, Pottasche (Prov 25, 20), quod etiam oleo admixto pro sapone usurpabatur (Jer 2, 22).

7) Textores (אֹרְגִים Ex 28, 32; 35, 35. al.) pannos et lintea atque etiam tota vestimenta texebant. Inter textores in sacris litteris diserte memorantur רֹקֵם, cuius erat e liciis varii coloris texere (Ex 26, 36; 27, 16; 28, 39; 38, 18), et חֹשֵׁב, qui panno figuras varii coloris, etiam aureas argenteasque, velut flores, fructus, aves artificiose intexebat (Ex 26, 1. 31; 28, 6; 35, 35; 36, 8; 39, 8). Hebraei dicunt מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב *opus polymitarii* fuisse magis artificiosum atque easdem figuras ab utraque parte conspiciendas praebuisse, velut pannum Damascenum (Damast), sed מ' רֹקֵם *opus pannos versicolori ornatu contexentis* minore artificio paratum esse atque figuras ab uno tantum latere exhibuisse [1]. Ceterum Hebraei texta subtiliora plerumque ex terris externis importaverunt (cf. Zeph 1, 8), velut ex Aegypto et Syria (Ez 27, 7. 16). Instrumenta huius opificii, quorum in sacris litteris mentio fit, sunt haec:

liciatorium texentium (מְנוֹר אֹרְגִים I Sm 17, 7. II Sm 21, 19. I Chr 11, 23; 20, 5. Arab. *meṭwa*), *spatha textoris* (יָתֵד Jdc 16, 14), *radius textoris* (אֶרֶג Job 7, 6). Iugum textorium Hebraeorum tale videtur fuisse, quale saepe in monumentis Aegyptiis repraesentatum invenimus[2].

[1] Quae ars Hebraeis procul dubio in Aegypto innotuit; Aegyptios enim eam artem invenisse ex Plinii Hist. nat. 8, 74 apparet: „Colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit. Plurimis vero liciis texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit". Alexandria autem hîc pro Aegypto posita est. Nam ante Alexandrum natum iam talia texta in Aegypto conficiebantur, ut ex descriptione thoracis, quem Amasis, rex Aegypti, ad Lacedaemonios miserat, apparet; quem thoracem Herodotus Hist. 3, 47 describit ἐόντα μὲν λίνεον καὶ ζώων ἐνυφασμένων συχνῶν, κεκοσμημένον δὲ χρυσῷ καὶ εἰρίοισι ἀπὸ ξύλου. Ceterum de arte texendi apud Aegyptios cf. A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 594—596.

[2] Ars texendi etiam II Rg 23, 7. I Chr 4, 21. Sir 45, 10. Act 9, 39 indicatur atque singulare eius artis genus Jo 19, 23 significatur verbis: ἦν ὁ χιτὼν ἄρραφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου.

8) Pigmentarii (רֹקֵחַ sive רוֹקֵחַ Ex 30, 25. 35; 37, 29. Koh 10, 1. I Chr 9, 30. רַקָּחִים Esr 3, 8. fem. רַקָּחוֹת I Sm 8, 13), qui in aeno ex oleo variisque odoribus unguenta artificiose parabant. — Barbae capillorumque tonsores (גַּלָּבִים, κουρεῖς Ez 5, 1. Jos. AJ 16, 11. 6. BJ 1, 27. 5. M. Pesachim 4, 6). — Pistores et pistrices (אֹפִים, אֹפוֹת I Sm 8, 13. Jer 37, 21. cf. Hos 7, 4. 6). — Coriariorum quidem in vetere testamento mentio non fit; at coriorum confectores non defuisse ex locis Ex 25, 5; 26, 14; 35, 7. 23; 36, 19. Nm 4, 6. 8. 10. 12. 14 apparet; item ex Ez 16, 10., ubi calcei mulierum ex pelle תַּחַשׁ confici dicuntur. In novo testamento coriarius (βυρσεύς) Act 9, 43; 10, 6. 32 memoratur. — Fabricatores tentoriorum (σκηνοποιοί), qui ex corio aut ex alia materia tentoria minora, quae portari poterant, conficiebant, quibus viatores in regionibus orientis aestui solis maxime expositis ob rara deversoria utebantur. Quam artem Paulus quoque apostolus exercebat (Act 18, 3). — A Josepho insuper memorantur caseārii (τυροποιοί BJ 5, 4. 1) atque in Mischna sarcinatores (Schabbath 1, 3. Pesachim 4, 6), vitriarii (Kelim 8, 9), alii complures.

Plerique opifices sive in ipsis urbibus sive extra eas unâ habitasse videntur. Velut Hierosolymis erat „platea pistorum" (Jer 37, 21) et vallis caseis conficiendis occupatorum (Jos. BJ 5, 4. 1); extra urbem autem erat „ager fullonis", in quo fullones vestimenta lota ad solem siccanda expandere solebant (II Rg 18, 17. Jes 7, 3; 36, 2), vallis lignariorum (Neh 11, 35. I Chr 4, 14), domus Simonis coriarii (in Joppe „iuxta mare" Act 10, 6. 32). Locus Neh 3, 32 separatas habitationes aurificum et nego-

tiatorum describit. Josephus BJ 5, 8. 1 etiam forum lanarium, officinas ferrarias, tabernas vestium promercalium commemorat. Artifices Graeci nobiliores iam temporibus apostolorum societatem inierant (Act 19, 24 ss.).

Cum Graeci et Romani opificium aliquod exercere viro libero turpe atque indignum esse sibi persuasissent, id apud Judaeos, imprimis post exsilium, in magno erat honore. Inter talmudistas opifices omnis generis inveniuntur. Singula quidem opificia propterea parvi aestimabantur, quod in rebus immundis versabantur, ut opera coriariorum, fullonum, tonsorum, pastorum, aliorum (M. Megilla 3, 2. Kidduschin 4, 14). Qui igitur tale opificium exercebat, is non idoneus ad sacerdotium maximum existimabatur.

III

De vita familiari et sociali

In exponendis antiquitatibus, quae ad vitam familiarem et socialem pertinent, agendum est de *societate domestica;* de *urbanitate;* de *litteris* et *studiis altioribus;* de *artibus liberalibus;* de *mensuris, ponderibus, nummis;* de *temporum computandorum ratione;* de *morbis* et *morte, sepultura* et *luctu.*

Sectio prima

De societate domestica

In describenda societate domestica explicandum est, quae rationes inter varias familiae partes intercesserint. Quare primum agendum est de matrimonio sive de ratione, quae inter virum et uxorem intercedebat; deinde de liberorum procreatione et educatione sive de ratione, quae inter parentes et liberos intercedebat; denique de servorum condicione sive de ratione, quae inter caput familiae eiusque servos intercedebat.

Caput primum

De matrimonio

Conferas tractatus *Jebamoth, Kethuboth, Sota, Gittin, Kidduschin* (M. III, 1. 2. 5. 6. 7); Bl. Ugolini, Thes. XXX; — P. Buchholz, Die Familie in rechtlicher und moralischer Beziehung nach mosaisch-talmudischer Lehre. Breslau 1867; C. Bader, La femme biblique, son influence réligieuse, sa vie morale et sociale. Paris 1873; J. M. Rabbinowicz, Législation civile du Thalmud, traduit et annoté. Traité Kethuboth. Paris 1873; J. Stern, Die Frau im Talmud. Zürich 1879; J. Bergel, Die

Eheverhältnisse der alten Juden im Vergleiche mit den griechischen und römischen. Leipzig 1881; H. Zschokke, Das Weib im alten Testamente. Wien 1883; W. R. Smith, Kinship and Marriage in early Arabia. Cambridge 1885 (cf. *Th. Nöldeke* in ZDMG XL, 1886, 148—187); Ch. Stubbe, Die Ehe im alten Testament. Jena 1886; N. Remy, Das jüdische Weib. Leipzig 1892; G. Anguilar, Les femmes d'Israël, adaptè de l'anglais par A. Marsden. Paris 1900; Merle-Blanquis, La vocation de la femme d'après la Bible. ib. 1902; T. Engert, Ehe- und Familienrecht der Hebräer. München 1905; E. Weill, La femme juive, sa condition légale d'après la Bible et le Talmud². ib. 1907; M. Löhr, Die Stellung des Weibes zu Jahwe-Religion und -Kult. Leipzig 1908; J. F. G. Koezle, Ehe und Kindererziehung nach der hl. Schrift. Chemnitz 1910; A. Billauer, Grundzüge des babylonisch-talmudischen Eherechts. Berlin 1910; L. Blau, Die jüdische Ehescheidung und der jüdische Scheidebrief. Straßburg 1911—12; A. Eberharter, Das Ehe- und Familienrecht der Hebräer mit Rücksicht auf die ethnologische Forschung (Atl Abh V, 1—2) Münster 1914.

Imprimis leges de matrimonio, quae apud Babylonios antiquos valebant, respiciendae sunt. Atque si leges Mosaicas cum codice Ḫammurapi comparamus, reperimus Hebraeos de matrimonio aliter cogitasse ac Babylonios; nam secundum codicem Ḫammurapi matrimonium est institutum quod ad vitam communem, secundum legem autem Mosaicam institutum, quod ad religionem pertinet. Neque quod Mosis leges de matrimonio nonnullis locis cum Babyloniorum legibus plus minusve congruere videntur, idcirco Moses leges Ḫammurapi tamquam exemplum imitatus est. Duo illa corpora legum inter se similia quidem sunt, sed ita tamen, ut utrumque antiquiores leges sequatur, secundum quas Semitae iam multo ante Ḫammurapi vixerunt. Ḫammurapi non auctor fuit legum suarum, sed eas tantum collegit. Item Moses genti suae non legem novam dedit, sed tantum leges iam pridem notas et exercitatas collegit collectasque ut θεοπνευστός multis modis mutavit. Itaque per se intellegitur inter legem Mosaicam et codicem Ḫammurapi multas intercedere et similitudines et dissimilitudines. De qua re conferas F. Cöln, Hammurabi und Moses in ihrer Ehegesetzgebung (Pastor bonus XVI, 1—12).

I. Societas hominum initium capit ex familiis, familiae autem oriuntur ex coniugiis, quorum institutio, cum origini generis humani aequalis sit, ad ius naturale pertinet. Haec autem prima fuit institutio, ut coniugium foret unius viri uniusque feminae indissolubilis coniunctio (Gn 1, 27 s; 2, 24. Mt 19, 5. Mc 10, 7. I Cor 6, 16. Eph 5, 31); sed concupiscentiâ ex peccato in omni homine regnante prima de coniugio lex iam ante diluvium violata est (Gn 4, 19) atque ne a patriarcharum quidem coniugiis, quamvis sancta essent, omnis aberat ordinis perturbatio; metus enim orbitatis et desiderium prosapiae numerosae (ib. 16, 1 ss; 30, 3. 9) polygamiam ac concubinarum usum introduxerunt. Quas consuetudines antiquas lex Mosaica, etsi retinuit (idque πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν populi Israelitici, ut Christus dicit Mt 19, 8)

tamen ita disposuit, ut innoxias redderet. Quo factum est, ut coniugia Hebraeorum, quippe quae libero amore quodam modo niterentur, omnibus orientalium coniugiis praestarent.

Quae omnia uberius exponere nunc nostrum est.

1) Prima institutione ad propagandum genus humanum per individuum viri et mulieris consortium damnata est fornicatio, libido vaga, communio uxorum. Quod pii patriarchae religiose observabant; alibi autem iam ante aetatem Mosaicam tanta erat morum corruptio, ut a compluribus gentibus vel turpissima impudicitiae peccata in quorundam deorum cultum converterentur, velut virginitas prostituta, virilitas excisa, paederastia, alia infanda flagitia, quibus ethnici se ipsi contaminare solebant.

a) Huic malo, quod et ipsi philosophi Graeci et Romani comprobarunt, ut occurreret, Moses Hebraeos religionis causâ stupra facere severe prohibuit (Dt 23, 18). — b) Ne sacerdotes abiecti animi, avaritiâ inducti, allicerentur, ut varia impudicitiae genera exemplo aliarum gentium in cultum Jahvae verterent, Moses interdixit, ne pretium prostitutionis sacrae, etsi ex voto oblatum esset, pro sacrario acciperetur (Dt 23, 19). — c) Ut etiam originem illius mali praecaveret, Moses decrevit, ut seductor teneretur seductam uxorem emere aut patri, qui seductori filiam seductam in matrimonium dare nollet, consuetum sponsae pretium (ut videtur, triginta siclos) solvere (Ex 22, 15 s.). Si seductor vi quadam usus erat, quinquaginta siclos solvere debebat (Dt 22, 28 s.), id quod ab antiquissima consuetudine profectum esse videtur (cf. Gn 34, 12). Quinquaginta autem illis siclis utrum ipsum sponsae pretium inclusum an hoc praeterea pendendum fuerit, non liquet. Judaei posterioris aetatis Dt 22, 29 וְלוֹ־תִהְיֶה לְאִשָּׁה copulam וְ interpretati sunt *aut:* si pater filiam seductori uxorem dare recusaverit, tum pendat quinquaginta siclos. Quod procul dubio falsum est. — d) Ut etiam pudicitiam alterius sexus tamquam singularem castitatis muliebris custodem corroboraret, Moses legem tulit, ut sponsa, quae, se virginem esse mentita, consummato matrimonio talis inventa non esset, ante ianuam domus paternae lapidaretur (Dt 22, 20 s.). Idem statuit, ut filia sacerdotis, si corpus suum prostitueret, combureretur (Lv 21, 9) i. e. post lapidationem corpus eius flammis consumeretur; nam apud Hebraeos ad combustionem damnati non vivi concremabantur, sed postquam supplicio lapidationis affecti erant. Atque propter dignitatem patris sacerdotis fornicatio filiae eius puniebatur, civium filiae fornicantes poenâ non afficiebantur (Ex 22, 15. Dt 22, 28). — e) Denique ad honestatem publice tutandam et scortationes cavendas

Moses sapienter praecepit, ne viri muliebrem vestem, feminae virilem gestarent (Dt 22, 5); nam talis vestimentorum commutatio multis nequitiis viam aperit.

2) Lamech Kainita omnium primus fuit, qui libidine raptus legem monogamiae transgressus duas simul uxores (Ada et Zilla) duxit [1], id quod in sacris litteris (Gn 4, 19) simpliciter memoriae proditur, ut neque probetur neque vituperetur. Eius exemplum postea multi secuti sunt. Monogamia Noah eiusque filiorum (ib. 7, 7. cf. I Ptr 3, 20) paucos habuit imitatores. Post diluvium autem deus (vel solis Hebraeis ad propagandam latiusque fundendam eam gentem, ex qua messias nasciturus erat, vel omnibus gentibus ad genus humanum magis magisque augendum) polygamiam concessisse videtur, quae, ut apud omnes catholicos constat, legi naturae non ita directe repugnat, ut non interdum, praesertim veniâ eius re datâ, permitti possit. Constat enim quosdam patriarchas, viros a voluptatibus plane alienos et pietate insignes, plures eodem tempore habuisse uxores (vide de Abraham Gn 16, 1 ss; 25, 1 ss. de Jacob ib. 29, 16 ss; 30, 3 ss.), quas procul dubio non accepissent, nisi id a deo concessum esse credidissent (cf. etiam benedictionem divinam patriarchis in polygamia versantibus saepius impertitam, Gn 17, 1 ss; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14) [2]. Atque inde ab aetate patriarcharum polygamia apud Hebraeos ita invaluit, ut Moses opportunum iudicaverit illam non abolere. Nusquam in lege revocatur, immo vero vel diserte permissam vel saltem toleratam fuisse ex Dt 17, 17; 21, 10—14. 15—17 colligitur. Per ambages autem Moses polygamiam dissuadet, a) cum primam matrimonii institutionem (Gn 1, 27 s; 2, 24) primamque eius transgressionem (ib. 4, 19) memoriae prodit; b) cum molestias ac discordias inter ipsas sanctas familias ob polygamiam enatas passim exponit (ib. 16, 1 ss; 21, 9 ss; 30, 1 ss.); c) cum reges, quos Hebraei aliquando electuri sint, magnum uxorum ac paelicum numerum habere vetat (Dt 17, 17) [3], quem tamen non definivit, sed ex consuetudine notum esse voluit (teste M. Sanhedrin 2, 4 non plus duodeviginti); d) cum statuit, ut vir cuilibet uxori tempore fixo debitum coniugale reddat (Ex 21, 10) [4] excepto tempore sanguinis menstrualis, quo concubitus sub poena mortis civilis prohibetur (Lv 20, 18. cf. 18, 19. Ez 18, 6., idque ob periculum leprae vel luis venereae in calidis regionibus perfacile contrahendae prolisque leprosae procreandae) simulque addit impuritatem legalem totum diem manere (Lv 15, 16—18); e) cum morem in oriente receptum mares castrandi, qui polygamiae quam plurimum favet, prohibet (Dt 23, 2); f) cum statuit, ut primogenitus, etsi filius uxoris minus dilectae sit, iure primogeniturae

sine ulla limitatione fruatur (Dt 21, 15—17). Quibus praescriptis polygamia progrediente tempore permultum imminuta est. Christus vero tandem matrimonio primam perfectionem restituens veniam veteribus datam plane revocavit atque coniunctionem cum pluribus uxoribus prorsus illicitam reddidit et irritam (cf. Mt 19, 3 ss. Mc 10, 2 ss.).

[1] Alii (ut *F. de Hummelauer*) existimant loco allato id unum dici Lamech duas simul uxores habuisse, non eum primum polygamiam induxisse.

[2] Atque permissionem illam divinam agnoscit Chrysostomus Hom. 56. in Gn. § 3 (MSG 54, 489), ubi de Jacob, qui sibi duas sumpsit uxores, ait: Μηδὲ πρὸς τὴν νῦν κατάστασιν τὰ τότε κρῖναι πράγματα. Τότε μὲν γὰρ, ἐπειδὴ ἀρχὴ καὶ προοίμια ἦν, συνεχωρεῖτο καὶ δυσὶ καὶ τρισὶ γυναιξὶ καὶ πλείοσι μίγνυσθαι, ὥστε τὸ γένος ἐκταθῆναι . νυνὶ δὲ, ἐπειδὴ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ χάριν καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐπὶ πολὺ πλῆθος ἐκτέταται, καὶ τὰ τῆς ἀρετῆς ἐπίδοσιν ἔσχε. Non obstat, quod continuo fere s. doctor addit: Ἰδοὺ γὰρ, ἐπειδὴ κακὴ ἦν αὕτη ἡ συνήθεια, ὅρα πῶς ἐξεκόπη καὶ οὐκ ἔξεστι νῦν οὐδενὶ ταύτην προβάλλεσθαι τὴν συνήθειαν; non eo sensu eam συνήθειαν dicit κακήν, quasi re sit culpa, sed comparatam cum monogamia, quae illam praecellit, ut ex verborum ordine patet; alioquin dicere non potuit polygamiam fuisse *permissam*. Item Theodoretus, qui Qu. 67. in Gn (ib. 80, 176) Abraham de pluribus uxoribus ab omni culpa liberans docet *unumquodque opus iudicari debere ex consilio facientis* ideoque Abraham non peccasse, quippe qui non libidinis, sed prolis desiderio Hagar coniunctus sit, idque ipsâ Sarâ exhortante, praesertim cum *neque naturam rerum neque ulla lex scripta* eum plures uxores ducere prohiberet. Item Augustinus De doctr. christ. 3, 12 (MSL 34, 73): „Sufficiendae (al. suscipiendae) prolis causâ erat uxorum plurium simul uni viro habendarum *inculpabilis consuetudo*". Et De civ. dei 16, 38, 3 (ib. 41, 517) negat et ipse cum Theodoreto eo tempore ullam legem exstitisse, qua polygamia vetaretur. Denique C. Faust. 22, 47 (ib. 42, 428) ostendit Jacob, cum plures uxores duceret, nequaquam peccasse, quod nulla lege sive naturali sive divina positiva impediretur. Cf. etiam Thom. S. th. Suppl. qu. 65. a. 1 et 2.

[3] Nonnulli interpretes loco allato regibus non tantum modum in ducendis uxoribus praescriptum, sed omnem polygamiam vetitam esse contendunt. Solent enim principes orientis in hac re omnem modum excedere et excesserunt etiam Hebraeorum reges.

[4] Singulae uxores suas noctes attributas habere videntur (certe Lea et Rahel Gn 30, 16. cf. August. C. Faust. 22, 49. MSL 42, 430 s.).

3) Aetate Mosaica inter Hebraeos quam plurimos fuisse polygamos ex magno numero primogenitorum (22, 273 inter 603, 550 viros, qui plus viginti annos nati erant. Nm 3, 43) colligere licet. Imprimis a regibus et viris principibus solius libidinis et luxuriae causâ multae habebantur uxores; vide de Elkana I Sm 1, 2. de Saharaim I Chr 8, 8 (ubi tamen textus corruptus est), de Gideon Jdc 8, 30 (cf. etiam

ib. 10, 4; 12, 9. 14), de regibus: Saul I Sm 14, 50. II Sm 3, 7; 12, 8. David II Sm 2, 2; 3, 2—5; 5, 13; 15, 16. Salomo I Rg 11, 1—3 (textus corruptus!). Rehabeam II Chr 11, 21. 23. Abia ib. 13, 21. Jehoas ib. 24, 3. At Moses ipse fuit monogamus (Ex 2, 21; 18, 2); item Aaron (ib. 6, 23), Eleazar (ib. v. 25); temporibus posterioribus Nabal (I Sm 25, 14), vir in urbe Sunem (de quo II Rg 4, 9), Jesaia (8, 3), Ezechiel (24, 18), Joakim (Vulg. Dn 13, 2. 29), Helkias (ib. v. 63), Tobias (1, 9. 11; 2, 19), Raguel (Tob 8, 13), Manasses (Jdth 8, 2), Zacharias (Lc 1, 5), Ananias (Act 5, 1), complures alii (cf. Mal 2, 14 s. Mt 18, 25). Libri sapientiales, quos vocant, monogamiam unice laudant et commendant, cum omnibus locis de *una* uxore loquantur (cf. Prov 5, 15 ss; 12, 4; 18, 22; 19, 14; 31, 10 ss. Koh 9, 9. Sir 7, 21. 28; 9. 1; 25, 2. 11; 26, 1—19). Praecipue in Cantico canticorum monogamia summis effertur laudibus. Prophetae quoque mire eam praedicant, foedus Jahvae cum gente Hebraica symbolo matrimonii describentes; qua ratione simul μυστήριον μέγα εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν (Eph 5, 32) adumbrant (cf. Jes 50, 1; 54, 6; 62, 4 s. Jer 2, 2; 31, 32. Ez cc. 16. 23. Hos 2, 19 s. Mal 2, 14).

Non absunt qui contendant postremis reipublicae Judaicae temporibus polygamiam prorsus desuefactam esse. Quod quodam modo admitti posse videtur; nam cum Romani, qui monogamiam sectabantur, in Judaeos dominationem haberent et cum iis permiscerentur, nullum dubium est, quin eorum mores sive in bonum sive in malum aliquid valuerint, ut polygamia apud Judaeos certe minus frequens facta sit; sed non omnino cessavit. Nam Josephus AJ 17, 1. 2 memoriae prodit eam etiam sua aetate in usu fuisse: πάτριον γὰρ πλείοσιν ἐν ταὐτῷ ἡμῖν συνοικεῖν, et paulo post (ib. 3) novem coniuges Herodis Magni commemorat. Atque etiam Justinus (Dialog. c. Tryph. § 134. MSG 6, 785) Judaeis exprobrat, quod doctrinâ rabbinorum decepti quattuor aut quinque uxores ducant. Et re vera M. Jebamoth 4, 11 et Kethuboth 10, 1—6 quattuor (quem numerum nonnulli ex exemplo Jacob patriarchae interpretantur, cf. Gn 29, 16—29; 30, 1—9), Kerithoth 3, 7 quinque uxores homini plebeio permittuntur.

Adnotatio. — Cum apud Hebraeos omnibus temporibus polygamia usitata esset, apud Babylonios ab aetate regis Ḫammurapi polygamiam in hunc modum circumscriptam invenimus. Ḫammurapi tria genera uxorum discernit: a) *aššatu,* uxorem principem vel coniugem ipsam — die Hauptfrau; b) *šugêtu,* uxorem minore dignitate — die Nebenfrau, quam sibi vir ipse eligit, quae etiam emi atque a patre dotem accipere potest; quae quamquam uxor legitima est eiusque liberi legitimi existimantur, tamen diserte sancitur, ne iura uxoris habeat; c) *amtu,* ancillam uxoris principis, quam ea viro ad id unum dat, ut ex ea liberos gignat. Lex Ḫammurapi nihil praescribit, num vir plures uxores principes habere debeat et quot. Marito licet postulare, ut uxor princeps sibi servam adducat. Ex

qua si liberos genuit, uxorem minore dignitate ducere non debet (§ 144). Eadem, si sterilis fuit, viro adimenda esse videtur et pecuniâ venire potest (§ 147), viro autem uxorem minore dignitate ducere licet (§ 145). Apud Hebraeos etsi item inter uxorem et paelicem distinguitur, tamen notio uxoris minore dignitate deest. Quascumque homo Hebraeus uxores duxit, uxores sunt aequo iure parique dignitate.

Antiqui Aegyptii plerumque singulas uxores habebant. Atque uxores nobiles haud raro cum coniugibus pactae sunt, ne paelicibus uterentur (saltem posterioribus temporibus). Contra Pharaones (et alii Aegyptii divites) gynaeceum plus minus refertum, ubi imprimis multae mulieres Asiaticae erant, cum propter pulchritudinem plurimi aestimarentur, habebant. Itaque Pharaones mulieribus Asiaticis in gynaeceum missis imprimis delectati esse videntur; unde intellegitur Abraham propter pulchritudinem uxoris Sara metuisse, ne interficeretur (cf. Gn 12, 10—20).

4) Matrimonium procreandae subolis causâ institutum apud Hebraeos semper honoratum est (cf. Prov 5, 15—23).

Ceterum castitatem (virginitatem) approbatam ac maximo in honore semper habitam esse colligi potest et ex legibus, quod pontifex solam virginem ducat (Lv 21, 13 s., de sacerdotibus cf. Ez 44, 22) et sacerdotes sacro ministerio fungentes ab uxoribus abstineant (Lv 8, 33—35. cf. 15, 16—18), et ex poenis, quae lege in eum, qui virginem violaverat (Ex 22, 15 s. Dt 22, 28 s.) aut calumniatus erat (Dt 22, 13—19), decretae sunt. Idem ex eo apparet, quod virginitas saepius ut singularis laus notatur (Gn 24, 16. II Sm 13, 2. Jes 7, 14. Ps 45, 15. Ct 4, 7. 12. Tob 6, 22; 8, 4. cf. 42, 10). Et etiamsi desiderium multorum liberorum apud Hebraeos tantum erat, ut caelibem et orbum manere pro dedecore haberetur, tamen omni tempore puellae fuisse videntur, quae se innuptae ministerio Jahvae consecrarent. Quod iam ex voto naziraeatus colligere possumus, quod eo spectabat, ut homo ad maiorem perfectionem pervenerit, ex qua res humanas renuntiaret et dei solius esset. Nm 6, 2 diserte dicitur etiam feminas id votum facere posse. Quamquam autem Mosis aetate naziraeatus votum per quoddam tempus tantum observabatur, tamen posterioribus temporibus certe haud pauci fuerunt, qui id per totam vitam observaverunt. Imprimis vero dignum est, quod respiciatur, institutum illud mulierum apud sacrarium habitantium, cuius Ex 38, 8 mentio fit, quod non solum Mosis aetate, sed etiam postea fuit, id quod ex I Sm 2, 22 apparet, ubi cum alia flagitia filiorum pontificis Eli tum eos cum illis mulieribus dormivisse proferuntur. Earum erat non modo varias operas praebere (cf. Ex 35, 25), sed praecipue in rebus ad deum colendum pertinentibus se exercere, preces facere, ieiunium servare, quod traditio Hebraeorum diserte testatur. Quod autem inter illas mulieres virgines non nominatim commemorantur, ea ipsa re explicatur, quod non solum virgines, sed etiam viduae ministerio sacro se dedebant (cf. Lc 2, 37. I Tim 5, 5), ut appellatio, quae ad omnes pertineat, eligenda fuerit. Neque vero illud ministerium cum officiis nuptialibus faciendis coniungi poterat; praeterea per legem Mosaicam viro licebat vota coniugis resolvere. Itaque necesse erat illas mulieres virginitatem servare. Fortasse Paulus quoque apostolus

illud institutum mulierum respexit, cum scriberet: „Mulier innupta et virgo cogitat, quae domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu“ (I Cor 7, 34). Eodem locus Lv 27, 2—8, ex quo quisquis se deo spoponderat, pretio quodam a voto se redimere poterat, referri potest. Mulieres, quae non redimebantur, iis, quae sacrario serviebant, accedebant. Ceterum apud Hebraeos etiam viros, qui caelibes vivebant, fuisse Christus ipse testatur: „Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum“ (Mt 19, 12) i. e. qui sua sponte matrimonio abstinuerunt.

Continentia a secundis nuptiis laudibus celebratur (Jdth 15, 11. Lc 2, 36 s.) et etiam apud gentiles honori ducebatur. Velut Josephus AJ 18, 6. 6 tradit Antoniam apud Tiberium in honore fuisse, quia aetate etiamtum florente vidua manserit. Tales viduae etiam apud antiquos Christianos in honore habebantur (I Cor 7, 8. I Tim 5, 9).

II. Pro more apud gentes orientis etiam nunc usitato parentes filiis sponsam (כַּלָּה, Assyr. *kallatu* et *kallâtu*), filiabus sponsum (חָתָן, Assyr. *ḫatanu* cf. verb. *ḫatânu* = tueri) eligebant (Gn 21, 21; 24, 2 ss; 38, 6. Ex 21, 9. Dt 22, 16). Pater autem filiam sine consensu fratrum eius uterinorum, i. e. ex una eademque matre prognatorum, in matrimonium dare non poterat (Gn 24, 50 s; 34, 8. 11 s.); fratribus enim omni fere tempore honor sororum maxime cordi erat (Ex 34, 13—31. Jdc 21, 22. II Sm 13, 20—29). Si filius certam puellam uxorem ducere volebat, nihilo minus pater sponsam a patre eius petebat (Gn 34, 2 ss. Jdc 14, 1 ss.). Nuptias praecedebant sponsalia. Tempore quodam intermisso nuptiarum sollemnia magno cum apparatu celebrabantur.

De tempore pubertatis duorum generum lege Mosaica nihil praescriptum est. Ex praeceptis posterioris temporis virgini nubere non licebat, antequam duodecim annos et diem complevisset, adulescenti uxorem ducere non licebat, antequam annum tertium decimum et diem complevisset. Sed plerumque adulescentes duodevicesimo aetatis anno uxorem ducere solebant (M. Pirke aboth 5, 21: „Filius decem et octo annorum ad nuptias“).

1) Arbitrium parentum in delectu sponsi et sponsae certis quibusdam impedimentis coercebatur, quae in legibus a Mose promulgatis enumerantur, quorum alia matrimonia cum alienigenis, alia coniugia inter Hebraeos spectant.

a) Cum *alienigenis* matrimonio se coniungere prorsus vetitum erat de *septem gentibus Canaanaeis:* Chittaeis, Gergezaeis, Amoraeis, Cananaeis κατ᾽ ἐξοχήν, Pherizaeis, Chivvaeis. Jebusaeis (Ex 34, 11. 16. Dt 7, 1. 3); item de *viris Ammonitis et Moabitis,* ita ut vir Hebraeus cum Ammonitis et Moabitis matrimonio iungi potuerit, mulier Hebraea non potuerit (Dt 23, 4—7. Rth 1, 4; 4, 13); ad tempus i. e. usque ad tertiam generationem vetitum erat de *viris Aegyptiis et Idumaeis* (Dt

23, 8 s.). Quorum impedimentorum ratio erat periculum perversionis et idololatriae proxime imminens (Ex 34, 16. Dt 7, 3 s. cf. Jdc 3, 5 s. I Rg 11, 1 s.) Atque mulieres Canaanaeas matrimonio tenere Hebraei etiam tum vetiti erant, si illae ad sacra Hebraeorum accedebant, quippe cum ob earum mulierum inconstantiam atque imprimis ob perpetuum cum earum cognatis idololatris commercium periculum corruptionis ne ita quidem depelleretur.

Cum aliis gentilibus, qui in lege non memorantur, matrimonio se coniungere fas erat, nisi quod mulierem peregrinam religionem Mosaicam profiteri necesse erat. Atque copula (cum Hebraeorum tum advenarum) cum muliere alienigena in sua superstitione perseverante poenâ lapidationis propositâ vetita erat (Lv 20, 2—5. cf. 18, 21., quibus locis cum interprete Syro et Ps. Jonathan pro למלך legendum est להלך, litteris ה et מ inter se permutatis). Salomonis quidem coniugia cum mulieribus peregrinis (I Rg 3, 1. II Chr 8, 11. — I Rg 11, 1—3) lapidatione non sunt punita; nam perdifficile est regem potentem iusto supplicio afficere. Ceterum omnino crediderim filiam Pharaonis, quam Salomo uxorem assumpsit, religionem Jahvae professam esse neque rationem video negandi ceteras Salomonis uxores alienigenas idem fecisse, licet postea in idololatriam relapsae sint. Post exsilium Babylonium omnia cum alienigenis coniugia prohibita erant, quia ea aetate maximum seductionis ad idolorum cultum periculum iis inesse credebatur (Esr 9, 1 s. 12; 10, 2 s. Neh 13, 23—30. Jos. AJ 11, 8. 2; 12, 4. 6; 18, 9. 5. Tacit. Hist. 5, 5, 2: Judaei „alienarum concubitu abstinent").

Quae lex *ante Mosen* vigebat, ea alienigenarum coniugia non prohibuisse videtur. Ex locis Gn 24, 3; 26, 34; 28, 1 s. non efficitur aetate patriarcharum eius modi coniugia prohibita fuisse, sed solum minus honesta habita esse.

b) Quod ad *laicos* attinet (Lv 18, 6—18), prohibitum erat matrimonium

α) inter *consanguineos* in primo et secundo gradu *lineae rectae* (inter patrem et filiam vel neptem, inter matrem et filium vel nepotem); sunt qui contendant gradus remotiores intellegi: item in primo et (partim) secundo gradu *lineae transversae* (inter fratrem et sororem etiam ex diverso patre vel matre [1]; inter nepotem et amitam, i. e. sororem patris [2], vel materteram, i. e. sororem matris); non autem vetita erat coniunctio inter neptem et patruum, i. e. fratrem patris, vel avunculum, i. e. fratrem matris. Ratio differentiae est haec: vir est caput; i. e. neptis si uxor fit, marito annis minor est, ut amori, paci, fecunditati matrimoniali inde nihil obstare soleat; amita autem vel matertera si uxor fit, marito multo est annis maior, ut propter hanc aetatem contraria metuenda sint.

[1] De quo impedimento progrediente tempore laxiorem consuetudinem invaluisse quidam ex II Sm 13, 12 s. concludere volunt. At Josephus AJ 7, 8. 1 ad h. l. dicit Thamar id tantum egisse, ut impuros fratris sui conatus oblatâ conubii spe eluderet. Contra apud Aegyptios antiquos matrimonium fratris et sororis creberrimum fuisse videtur atque in eorum carminibus amatoriis amantes „mi frater", „mea soror" appellari solent (A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 221 s.).

Th. Nöldeke (ZDMG XL, 1886, 150 [1]) opinatur in matrimoniis vetitis testamenti veteris initio solam sororem eiusdem patris nominatam esse, cum necesse non esset diserte dicere non licere sororem eiusdem matris uxorem ducere et posteriore demum tempore, cum illa distinctio iam non intellegeretur, sororem eiusdem matris additam esse.

[2] Ante legem datam licuisse amitam (דּוֹדָה, quam Graeci πατραδέλφην appellant) uxorem ducere ex Ex 6, 20 constat. Tale matrimonium quod postea vetitum erat, eo Graeci Alexandrini adducti esse videntur, ut loco allato Hebraicum דֹּדָתוֹ verbis θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ redderent. Vulgata quoque „patruelem suam" vertit.

β) inter *affines* in gradu primo *lineae rectae* adscendentium (inter socerum et nurum [1], vitricum et privignam, privignum et novercam, socrum et generum) et quodam secundo (inter vitricum et filiam privignae) et tertio (inter vitricum et neptem privignae); in *transversa* autem *linea* prohibitum erat coniugium in primo et secundo gradu, ut cum sorore uxoris propriae, uxore etiamtum vivente (non cum sorore uxoris mortuae), cum vidua fratris (nisi frater eam sine prole reliquerat) aut patrui [2].

[1] Iam aetate patriarchali socero nefas fuisse videtur nurum ducere (cf. Gn 38, 13—26), idque ex usu quodam, qui etiam apud alias gentes obtinuit.

[2] De vidua avunculi, i. e. fratris matris, controversia est. Nonnulli putant eam prohibitionibus legis non comprehendi. Neque avunculus filiam sororis ducere vetabatur neque patruus filiam fratris.

Legibus Lv 18, 6—8 latis, quae ratione bonae prolis et reverentia parentibus debita explicantur, respondent *poenae* ib. 20, 11—21 statutae. Incestus cum noverca (v. 11) aut nuru (v. 12) admissus *morte* multabatur: item matrimonium attentatum cum quadam muliere simulque eius filia (v. 14). Coitus cum sorore (v. 17), matertera vel amita (v. 19), uxore patrui vel avunculi (v. 20), nec non uxore fratris (v. 21) *morte civili et prole non legitimâ* puniebatur. Coitus cum matre procul dubio poenâ, quae v. 9 memoratur, multabatur i. e. poenâ mortis. Utrum omnes illae poenae iam ante Mosen decretae fuerint an Moses ipse aliquas addiderit vel auxerit, ignoramus. Poena in coitum cum nepte (18, 10) statuta non commemoratur; neque vero dubium est, quin incestus ille incestu cum nuru commisso inclusus sit; certe luebatur.

Impedimentis, quae modo commemoravimus, non obicienda sunt exempla patriarcharum, qui *ante legem* fuerunt, ut Abraham, qui Sarai, filiam patris, sed ex alia matre, uxorem duxit (Gn 11, 29; 12, 13; 20, 12), vel Jacob, qui duas sorores, Rahel et Lea, simul duxit (ib. 29, 23. 28), vel Abel et Kain, qui suas sibi sorores matrimonio coniunxerunt, ii enim vel necessitate vel usu excusantur, cum lex nondum lata esset. Nonnulla alia exempla, quae vel ante legem vel post inveniuntur, sacrae litterae aperte reprehendunt, ut incestum, quem Ruben cum Bilha, concubina patris, commisit (ib. 35, 22; 49, 4. I Chr 5, 1).

c) De *sacerdotibus* et *pontifice* singularia erant praescripta, de quibus p. 182 egimus.

d) *Filia*, quae, cum proles generis virilis deesset, rei familiaris *heres* facta erat, secundum legem Nm 36, 6—10 viro tribus patris sui atque eiusdem familiae nubere debebat, ne hereditas ad aliam tribum et familiam perveniret. Quam legem Josephus quoque AJ 4, 7. 5 tradit. Poterat tamen filia heres alienigenae, qui ad sacra Hebraeorum transierat, in matrimonium dari (cf. I Chr 2, 34 s); dummodo enim is eidem tribui atque illa adnumeraretur, non erat periculum, ne bona variarum tribuum et familiarum confunderentur.

Haec lex etiam aetate Tobiae observabatur (cf. 6, 11 s; 7, 14). Postea vero, cum tribuum fines et familiarum possessiones magnam partem obliteratae essent, non ita severe colebatur. Nam et id usu venit, ut aliquis ex alia tribu talem filiam uxorem duceret; quod si factum erat, liberi non ex eo, sed e socero nomen duxisse videntur (Esr 2, 61. Neh 7, 63). Babyl. Taanith 30^b et Baba bathra 120^a id vetitum, quo filiae heredes in alias tribus nubere prohibebantur, diserte sublatum est.

Ceterum inde, quod apud Hebraeos matrimonia extra tribum inita *(exogamia)* prorsus incognita erant, sed contrarium *(endogamia)* postulabatur, efficitur apud eos eam formam religionis, quae *totemismus* vocatur, demonstrari non posse.

e) Vir etiam cum uxore a se repudiata, postquam alteri nupserat, se coniungere vetitus erat (Dt 24, 4), nec non cum fratria alterius, quamdiu levir eam ducere non renuerat.

Loco Nm 36, 7 Vulgata legem affert, ut viri dumtaxat mulieres suae tribus ducant: „Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua". Videtur enim Vulgata verbum יִדְבְּקוּ similiter interpretata esse atque Gn 2, 24: וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ *et adhaerebit uxori suae*. At haec verba non exprimunt vinculum matrimonii, sed convictum coniugum et *adhaerere possessioni* longe aliud est atque *adhaerere uxori*. Nm l. c. verti debet: „Unusquisque hereditati tribus patrum suorum adhaereat" i. e. in possessione tribus paternae maneat eaque contentus sit.

Adnotatio. — In iure antiquorum Babyloniorum pauca impedimenta matrimonii commemorantur eaque haec: a) Cognatio lineae rectae, inter patrem et filiam (§ 154) vel filii sponsam (§ 155. 156), inter filium

et eius matrem (§ 157) vel patris uxorem principem (§ 158) intercedens. — b) Plures viros habere nefas est (§ 129). Matrimonium permanet, etiamsi maritus bello captus est, ea condicione, ut victui uxoris domi mariti provisum sit (§ 133). Quod nisi ita est, novum matrimonium illi quidem inire licet, sed ad priorem virum, si domum revertit, redire debet (§ 135). — c) Certae feminae consecratione quadam ad matrimonium contrahendum non sunt idoneae. Quarum sunt quattuor genera: dei sorores, templi scorta, templi virgines, dei mulieres (§ 179—182). Inter quae genera aliquid interfuisse certum est; quid autem, reperiri non potest. Id unum accepimus templi scorta plerumque deae Ištar dicata fuisse iisque, qui eam colebant, se prostituisse. Idem dei sororibus et dei mulieribus faciendum fuisse verisimile est, cum templi virgines fortasse vestalibus comparandae sint. Publicis quoque meretricibus in matrimonium ire non licebat (§ 179). — d) Si quis „amicus“ sponsi ei apud socerum futurum maledixit, ita ut hic sponsalia irrita faceret, inter illum „amicum“ et sponsam negatam matrimonium contrahi non potest (§ 161). — e) Si uxor vinculo iugali liberata cum liberis nondum educatis rursus nubere vult, id tum tantum facere ei licet, si iudicium de re familiari liberorum eorumque educatione cavit (§ 179). — Num lex Ḫammurapi impedimentum affinitatis agnoverit, non constat (cf. § 156). Item dubium est, num inter impuberes matrimonium contrahi licuerit (cf. § 130).

2) Sponsalia erant pactum inter utriusque futuri coniugis parentes (Gn 21, 21; 34, 4; 38, 6) fratresque uterinos sponsae (ib. 24, 50 s; 34, 11 s.), praesentibus testibus (consentiente sponsa ib. 24, 8. 57 s. et sponso Jdc 14, 3) initum. Aetate posteriore *pactum* mutuum litteris (talmud. כְּתוּבָּה) mandabatur (Tob 7, 13: καὶ λαβὼν βιβλίον ἔγραψε συγγραφὴν καὶ ἐσφραγίσατο); interdum etiam *iusiurandum* intercedebat (Mal 2, 14: „Jahve testis fuit“ in contrahendo matrimonio, „inter te et uxorem iuventutis tuae“). Quare Prov 2, 17 coniugium recte dicitur בְּרִית אֱלֹהִים *foedus dei*, quia inito foedere inter coniuges contrahitur, advocato nomine dei tamquam testis, ne vir perfidus sit in uxorem neque uxor perfida in maritum. Ad id iusiurandum etiam *sacrificium nuptiale* (ἐπὶ τῷ γάμῳ θυσία) spectare videtur, cuius Josephus AJ 4, 8. 23 mentionem facit. Ceterum in contractu sponsali non modo matrimonium promittebatur, sed *dona* (מַתָּנוֹת) quoque determinabantur, quae arrhae sive pignoris loco parentibus et fratribus sponsae ferenda erant (Gn 24, 53; 34, 12) et *pretium* (מֹהַר), quod sponsus patri sponsae persolvere debebat. Nam apud veteres Hebraeos non virginem sponso, sed sponsum virgini dotem obtulisse eamque sibi numeratâ aliquâ pecuniâ emere morem fuisse ex variis sacrarum litterarum testimoniis colligere licet. Velut Sechem, filius Hamor Chivvaei, Dina, filiam Jacob patriarchae, quam sibi in matrimonium petit, emere studet (Gn 34, 12). Conferas Ex 22, 15 s., ubi de seductione virginis non desponsatae agitur et statuitur, ut seductor seductam ducat; si vero pater eam illi

uxorem dare recuset, seductor patri pretium usitatum pro filia ducenda solvere debebat. Quod ex nonnullorum opinione aetate Mosis triginta siclorum (cf. Ex 21, 32), summum quinquaginta siclorum (cf. Dt 22, 29) erat. Complures viri docti (ut C. F. Keil, H. Zschokke) sponsam a sponso pretio soluto emptam esse negant et מהר solam dotem futurae uxori datam sive munus nuptiale intellegunt. Neque A. Eberharter (Th Q XCV, 1913, 489—508) existimat, quas causas afferuntur, quibus מהר pretium, quod pro sponsa virgine solvebatur, significare demonstretur, eas sufficere; id vocabulum aut multam virginitatis laesae aut virginitate servata donum pro iure in corpus muliebre datum significare. Vocabulum Arabicum *mahrun* iam antiquitus non solum pretium sponsae, sed etiam donum sponsae datum valere; cum autem diiudicari iam non possit, utra vis prior sit, eo vocabulo demonstrari non posse מהר pretium pro sponsa virgine solutum significare. Neque vero a vocabulis Syriaco et Aramaico, quae vocabulo Hebraico מהר respondent, cum e lingua Hebraica sumpta esse videantur, quidquam colligi posse, quoniam eorum vis ex Hebraico reperienda sit. Si quis igitur sententiam illam adhuc ab omnibus fere probatam מהר pretium pro sponsa virgine solutum valere sequi velit, eum iudicare posse hoc vocabulo solutionem potestatis patriae in sponsum translatae significari. Id autem comprobari non posse pretium pro sponsa ipsa solutum esse. Ceterum sponsa interdum pro officio quodam praestito (Gn 29, 18. 27; 31, 41) vel ut praemium fortitudinis (Jos 15, 16 s. Jdc 1, 12 s. I Sm 17, 25; 18, 25 . II Sm 3, 14) dabatur [1]. Quod Hosea 3, 2 narrat hordeo sibi uxorem comparasse, nonnulli eum ita locutum esse existimant, quod nuptiae olim confarreatione contrahebantur (ut apud Romanos [2]; in vetere autem testamento huius ritus nullum reperimus vestigium); alii, quod victus hic vilior (cf. Jdc 7, 13. Ez 4, 9. 12; 13, 19. Jo 6, 9. 13) et servilis uxori emptae tribuendus erat, quem ad modum Romani servis suis certam hordei mensuram ad annuum victum assignarunt; alii prophetam ad fertum mulieris adulterio suspectae, quod ex farina hordeacea constabat (Nm 5, 15), respicere existimant.

Inde a sponsalibus sponsus et sponsa ut legitime coniuncti habebantur et matrimonium, etsi inter contrahentes nullum prorsus sermonis commercium intercedebat, iam *ratum* censebatur (cf. Dt 22, 23 s. Mt 1, 20. Lc 2, 5) [3]; sponsa vocabatur *uxor* sponsi sui (Gn 29, 21. Dt 20, 7; 22, 24. cf. Lc 2, 5). Unde si sponsus mutatâ sententiâ sponsam non amplius uxorem habere volebat, ei libellum repudii dare debebat, ut maritus coniugi; vel si sponsa cum alio viro commercium libidinis habebat, adultera censebatur, ut crimine comprobato lapidatione multaretur (Dt 22, 23 s. cf. Mt 1, 18 s.). Ceterum antiquitus

moris fuisse videtur filiam annis minorem non ante maiorem in matrimonium dare (cf. Gn 29, 26), id quod etiam nunc apud Judaeos usu receptum est. Filio quoque aetate minori a patre uxor non prius data esse videtur, quam filius maior uxorem duceret (cf. ib. 38, 6). Quod arte cohaeret cum iure primogeniturae et cum more orientalium, ex quo iura singulorum membrorum familiae magnam partem secundum aetatem definita erant.

[1] Ius antiquorum Babyloniorum sponsalia et nuptias discernit. Atque sponsalia quidem plerumque a patribus sponsi et sponsae facta esse verisimile est (§ 155. 156. 159. 160. 161); fortasse autem etiam vel a sponso et patre sponsae (§ 159. 160) vel a fratribus sponsae et sponsi (§ 184) facta sunt. Num sponsa quoque ad sponsalia aliquid valuerit, dubium est. Nonnullis autem loquendi formulis velut „sponsa viro, quem amore plectatur, nubat“ (§ 137. 156) vel „si sponsa in domum alterius viri intrat“ (§ 133. 134. 135. 136) id significari videtur.

Inter eos, qui sponsalia faciebant, de magnitudine pretii emptionis *(tirḫatu)* eiusque solutione conveniebat. Quod plerumque statim patri sponsae solvebatur (§ 159. 160. 161). Interdum autem pretium non numerabatur (§ 139). Sponsa a patre dotem *(šeriḫtu)*, si sponsalia fiebant, accipiebat (§ 156), quae saepius pretio maior erat (§ 164).

Sponsalia irrita fieri poterant, cum sponsus (§ 159) vel pater sponsae (§ 160. 161) iis desistebat; tum ille pretium solutum, hic dotem filiae datam amittebat (§ 159. 160. 161). Sponsalia ipso iure incestu patris sponsi cum sponsa filii facto irrita fiebant, si filius eiusque sponsa nondum concubuerant; pater sponsi tertiam partem minae auri poenae loco pendere et dotem sponsae reddere debebat (§ 156). Sin autem filius eiusque sponsa iam concubuerant, pater incestu maculatus vinciebatur et demergebatur (§ 155).

Nuptiae, quae paulo post sponsalia celebrabantur, ita fiebant, ut sponsa sollemniter in domum sponsi introduceretur et pactio nuptialis, quae ad matrimonium legitimum ineundum omnino necessaria erat (§ 128), conficeretur. Quae pactio quo modo contracta sit, ex legibus Ḫammurapi cognosci non potest. Si uxor sine liberis mortua est, eius pater pretium uxoris reddere debebat, quoniam effectum non est, quo matrimonium spectabat (§ 163. 164).

Apud alias quoque gentes antiquas emptionem quandam ac venditionem in nuptiis invenimus. Velut apud antiquos Germanos „dotem non uxor, sed uxori maritus offert“ auctore Tacito, Germ. 8. Patri autem dotem tradere, sicut apud Hebraeos, ita apud Graecos usu receptum erat, cuius moris iam Homerus saepius mentionem facit, ut Iliad. 16, 190. Odyss. 6, 159; 8, 318 s. Aliis locis idem scriptor morem posterioris aetatis spectare videtur et parentes filiae dotem dedisse commemorat, velut Odyss. 1, 277; 2, 196. Ceterum etiam nunc apud complures gentes orientales, ut apud Arabes nomades, moris est, ut sponsus certum quoddam pretium patri sponsae persolvat. Cf. ZDPV VI, 1883, 81—101.

Contra in iure Aegyptiorum pretium, quod sponsus pro sponsa pendere debebat, ignotum est. Judaeos, qui in *Elephantine-Syene* habita-

bant, in ea re Aegyptios secutos non esse ex papyris Aramaicis ibi inventis elucet. Pactionem autem nuptialem perscribere Aegyptiorum quoque moris erat. Quem morem etiam Judaei in Aegypto commorantes secuti sunt.

[2] Confarreatio, qua matrimonia patriciorum Romanorum iniebantur, consecratio quaedam erat, quod potestatem sacerdotii adipiscendi dabat. Fiebat per pontificem maximum et Dialem flaminem cum certis et sollemnibus verbis praesentibus decem civibus testibus. Ubi ovis immolata erat, libum ex farre et mola salsa factum a nubentibus, qui pelli hostiae insidebant, comedebatur. Ita sponsi coram diis coniungebantur eorumque matrimonium in deorum tutelam tradebatur.

[3] Ex quo apparet recte loqui prophetam de בְּתוּלָה *virgine illibata*, quae lugeat de בַּעַל *viro* iuventutis suae (Joël 1, 8). Neque verum est, quod nonnulli interpretes contendunt, duo illa vocabula parum inter se congruere et locum allatum ex Jer 18, 13 explicandum esse.

3) Inter sponsalia et nuptias (non ex aliqua lege Mosaica, sed ex consuetudine) plerumque intervallum unius pluriumve mensium (antiquitus autem aliquot dierum tantum Gn 24, 55. Jdc 14, 8) relinquebatur, quo tempore puella in domo paterna manebat et quaecumque ad matrimonium futurum opus erant, praeparabat. Quâ morâ consumptâ nuptiae (חֲתֻנָּה Ct 3, 11) celebrabantur, eaeque sollemniter et publice, ut coniugia magis sacra haberentur. Sponsa, quae se balneo mundaverat atque omni mundo muliebri exornaverat (cf. Jes 49, 18: 61, 10. Jer 2, 32. Ez 16, 9—13. Apc 21, 2), capite florum coronâ cincto et facie velo operta (cf. Gn 24, 65) [1] a virginibus aequalibus (רֵעוֹת Ps 45, 15) comitata adventum sponsi apud parentes suos exspectabat [2]. Interim sponsus domi suae splendidum parabat convivium (מִשְׁתֶּה, γάμος) [3]. Circa vesperam vel nocte imminente domo egressus, festivo apparatu [4] et adulescentibus eiusdem aetatis (מֵרֵעָיו *amici, socii* sponsi Jdc 14, 11. οἱ φίλοι τοῦ νυμφίου I Mcc 9, 39. υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος Mt 9, 15. Mc 2, 19. Lc 5, 34) stipatus ad domum sponsae accedebat eamque virginibus sodalibus cinctam, resonantibus canticis et musicis instrumentis (Jer 7, 34; 16, 9; 25, 10; 33, 11. Bar 2, 23. I Mcc 9, 37—39) in domum suam (paternam vel nuptialem) deducebat. Aetate posteriore in hac vespertina sponsae deductione lampades baculis sustentatae praeferebantur (cf. Mt 25, 1 ss.). Peracto convivio, quod viri inter se ac mulieres in gynaeconitide celebrabant, novis nuptis a propinquis et reliquis convivis magna exoptabatur posteritas (Gn 24, 60. Rth 4, 11 s. Tob 7, 12), in qua re tota benedictio nuptialis consistebat, quam nullus ritus religiosus comitabatur. Postremo sponsa, quae semper a capite usque ad pedes velata erat, in thalamum (חֻפָּה Ps 19, 6. Joël 2, 16) deducebatur (Tob 8, 1). Quae sollemnia nuptialia apud

divites per integram hebdomadem continuari solebant (Jdc 14, 12. 15. Tob 11, 18).

Sponso, quem ad modum ante nuptias immunitas oneris militaris (Dt 20, 7), ita post nuptias annua vacatio omnis sive militaris sive civilis muneris legis beneficio concessa erat (ib. 24, 5). Quae leges eo consilio latae esse videntur, ut fidei coniugali provideretur, matrimonia augerentur, propagationi prolis consuleretur.

[1] Velum sponsae erat signum submissionis et viri de ea potestatis. Attendas locum I Cor 11, 10., ubi apostolus praecipit: Ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Nomen ἐξουσία non certam velorum speciem significare (ut aetate media ornamentum quoddam muliebre *imperium* vocabatur), sed metonymice (res signata pro signo) usurpari, ut ἐξουσία idem sit quod σύμβολον τῆς ἐξουσίας, communis est virorum eruditorum opinio. Sententia igitur loci allati est haec: Velum tamquam signum potestatis, cui subiecta est, mulier gerat oportet.

[2] Decem virgines parabolae Mt 25, 1—13 in domo sponsae exspectabant sponsum eaque ratione „exierunt obviam sponso". Additamentum Vulgatae „et sponsae" in textu Graeco non exstat.

[3] Nonnumquam convivium in domo sponsae instituebatur, cuius moris exemplum habemus Jdc 14, 10 et in parabola Mt l. c.

[4] Praeter alia ornamenta sponsus coronâ quoque ex floribus nexâ utebatur, ut ex Ct 3, 11 colligere licet.

Adnotatio. Sollemnia nuptialia, quae modo commemoravimus, observabantur tantum de *uxore prima* (אִשָּׁה), domina et gubernatrice familiae, cum reliquae uxores, sive liberae sive ancillae (פִּילַגְשִׁים LXX παλλακαί, semel παλλακίδες, Vulg. *concubinae*), sine ullis ritibus solo mutuo consensu assumerentur. Sed haec quoque matrimonia erant legitima, ut paelices, etsi mancipia erant, neque iure uxoris privari (Ex 21, 10) neque venire possent (Dt 21, 14). Patres haud raro filiis, ne eorum mores depravarentur, concubinam tradebant ancillam, quae brevi pro filia vel nuru habenda erat (Ex 21, 9).

4) Matrimonio mulieres viris tamquam suis dominis subdebantur (Gn 3, 16. cf. I Cor 14, 34), ita ut neque sine eorum consensu votum nuncupare (Nm 30, 7—9. 11—16) neque ullum alicuius momenti negotium suscipere possent. Hinc nomen quoque a maritis eorumque condicione et statu accipiebant (Jes 4, 1; 8, 3. Jo 19, 25). Unde etiam explicatur mos, quo uxor maritum vocat *dominum* suum (אָדוֹן Gn 18, 12. cf. Graec. κύριος γυναικός, Germ. Eheherr), se ipsam autem *ancillam* eius (שִׁפְחָה I Sm 25, 41). Neque tamen ea opprimebantur servitute, qua mulieres ethnicae, sed cum libertate quadam rei domesticae invigilabant (cf. Prov 31, 10—31), nec parvam vim in maritos habebant (II Sm 6, 20. I Rg 11, 4—8). Ipsas quoque concubinas, etsi mancipia erant, lex benigne tractari iubebat (Ex 21, 7—11. Dt 21, 10—14)

Itaque vir nullum habebat ius mulieris ipsius, sed tantum id, ut eam secum haberet ex eaque liberos gigneret. Quae cum ita essent, vir mulierem non ut servas aut suas filias vendere poterat. Praeterea mulieris, quidquid in matrimonium attulerat, proprium manebat; imprimis eius servae potestati viri prorsus detractae fuisse videntur (cf. Gn 16, 2. 6; 30, 4. 9. CH § 146). Atque ex iure Babyloniorum antiquorum aliae quoque res mulieris solius manebant ab eaque liberis hereditate relinqui poterant (§ 162. 167. 171—174). Sed singularis ille honor, quem Christiani alteri sexui exhibent, neque ab Hebraeis neque ab ethnicis feminis umquam tribuebatur.

Frd. Delitzsch (Babel und Bibel II, 32. Stuttgart 1903) putat loco Dt 12, 18 uxoris propterea mentionem factam non esse, quod in vetere testamento parvi aestimetur. At respiciendum est loco allato de sacris peregrinationibus ad tria sollemnia anniversaria agi. Quas uxoribus lege praeceptas non fuisse, cum officiis matrum et gubernatricum domus fungi deberent, facile intellegi potest. At et ipsae nonnumquam illis sollemnibus intererant, id quod ex peregrinatione sacra, quam Elkana cum Hanna et Phenenna fecit, apparet (I Sm 1, 1 ss.). Ceterum filiae et ancillae, quae Dt 12, 18 commemorantur, tamen ipsae quoque ex mulieribus sunt. Et cum Dt 5, 16 praecipiatur: „Honora patrem tuum et matrem tuam, sicut praecepit tibi Jahve deus tuus, ut producant se dies tui (i. e. ut diu vivas) et bene tibi sit in terra, quam Jahve deus dat tibi", ibi quae est contemptio mulieris?

Adnotatio. — In familia Hebraica semper vir dominus domus fuit, ut cognatio et ius hereditarium ad patrem referantur. At dubium non est, quin apud Semitas quondam metrarchia exstiterit i. e. quin cognatio et ius hereditarium non in origine paterna, sed in origine materna posita fuerint; quare non uxor familiam relinquebat neque domûs mariti fiebat, sed maritus in uxoris familiam assumebatur. Velut inscriptiones Minaeorum testantur apud Arabes antiquis temporibus metrarchiam et polyandriam in usu fuisse. In talibus rebus domesticis mater, cum plurimum valeret, cognationem efficiebat, quoniam reperiri non poterat, quis quem genuisset. Quare matris frater proxima cognatione liberos contingebat. Apud Hebraeos quoque metrarchiam quondam moris fuisse nonnullis locis veteris testamenti efficere sunt qui studeant. Velut Gn 2, 24 afferunt, ex quo loco vir patrem suum et matrem relinquere et uxori suae adhaerere debet; Gn 20, 12 et II Sm 13, 13., ex quibus locis frater quoque et soror ex patre matrimonium inire poterant, quod sola origo eiusdem matris iusta cognatio existimata sit (cf. Gn 42, 38; 43, 29; 44, 20. 27. Jdc 8, 19; 9, 2 ss.); Gn 24, 53., ubi Eliezer tantum cum Laban et matre Rebeccae agit, quibus dona dat, cum Betuel patris ne mentio quidem fit (v. 50 postea demum Betuel additum esse). Metrarchiâ et illud explicari infanti modo nato a matre nomen imponi et a matre liberos adoptari (cf. Gn 30, 3 ss.). Sed posteriore tempore apud Hebraeos nullum vestigium metrarchiae reperiri; et cognationem et ius hereditarium sola in origine paterna posita

esse; maritum caput esse domus et uxoris, quae matrimonio in familiam mariti assumatur.

Cf. G. A. Wilken, Het Matriarchaat bij de oude Arabieren. Amsterdam 1884 (Ed. Germ. Das Matriarchat bei den alten Arabern. Leipzig 1884); J. C. Matthes, Het Matriarchaat inzonderheid bij Israël (TthT I, 1, 1—23).

III. Singulari respectu in re matrimoniali Hebraeorum ius leviratus dignum est. Ad praecavendam confusionem hereditatum, quae exstinctam familiam facile consequitur, Moses Dt 25, 5—10 legem tulit, ut levir (יָבָם, LXX ἀδελφὸς τοῦ ἀνδρός) viduam fratris nullo filio (בֵּן) relicto defuncti uxorem ducere deberet (יִבֵּם *levirum egit*, ἐπιγαμβρεύειν Mt 22, 24)[1]. Primus filius, qui ex hoc coniugio nascebatur, non pro filio patris sui, sed viri defuncti habebatur atque iuri et nomini eius succedebat. Ceterum haec lex subtilis est interpretationis. Intelleguntur enim in ea veri fratres, qui in eadem urbe, non extra patrium solum commorantur (secundum ordinem Mt 22, 23—28), etiam fratres ex diversis matribus, sed ex uno eodemque patre geniti, quia hi veri sunt fratres et communis patris dividunt hereditatem, verum non fratres ex una eademque matre, sed e diversis patribus orti, quia, licet sint veri fratres, deficit tamen inter eos hereditatis communio.

Hoc leviratus ius non a Mose institutum est, sed multo ante eum viguit. Id enim iam in familia Jacob patriarchae deprehendimus, cum Onan, filius Judae, viduam fratris defuncti pro uxore habere cogeretur (Gn 38, 8). Sine dubio originem traxit ex Hebraeorum opinione, qua immortalitatem nominis honoremque aeternum tabulis genealogicis contineri putabant. In eo autem iure aliquid incommodi fuisse, facile nemo non intellegit. Durum enim est ad coniugium cogi, nulla optione data, idque cum vidua. Deinde filios gignere non suos, sed fratris mortui, in illo populo saepe damnosum erat, in quo liberorum multitudine omnis nominis immortalitas continebatur. Nec tamen Moses aptum ducebat, illud ius plane abrogare, partim ob contumaciam populi, partim ne eum gloriam ex posteris contemnere doceret. Illa enim opinione, liberorum multitudine nominis immortalitatem contineri, nihil erat potentius ad multiplicanda coniugia et augendam legitimae subolis cupiditatem. Interea Moses ius leviratus ita sanxit, ut eius molestiae et pericula tollerentur libertatique matrimoniorum consuleretur. Statuit enim, ut qui mulierem morte fratris viduatam ducere nollet, ei in foro coram iudicibus renuntiare posset, concessâ viduae sic publice quasi contemptae ad se ulciscendam licentiâ mariti fratri sandalia solvendi eiusque faciem conspuendi[2], quod apud orientales summae detestationis et contemptus signum est (Nm 12, 14. Jes 50, 6. Job 30, 10. Mt 26,

67; 27, 30. Mc 14, 65) atque eum convicio *discalceati* (חֲלוּץ הַנָּעַל) compellandi [3]. Ceterum ex hac levitate poenarum colligi potest Mosi leviratus ius valde displicuisse.

[1] Vulgata, Graeci Alexandrini, Josephus (AJ 4, 8. 23), Judaei posterioris aetatis (ut S. Jarchi) leviratum tum tantum admittebant, cum frater omnino sine liberis decesserat. Idem dicitur Mt 22, 25: μὴ ἔχων σπέρμα (cf. Mc 12, 19) et Lc 20, 28—30: ἄτεκνος.

[2] Dt 25, 9: וְיָרְקָה בְּפָנָיו, cf. LXX Nm 12, 14: ἐμπτύειν εἰς τὸ πρόσωπον, Jos. AJ 4, 8. 32: πτύειν εἰς τὸ πρόσωπον. Nonnulli vertunt: *exspuet coram eo* i. e. in terram (cf. M. Jebamoth 12, 6: „Spuebat coram facie eius sputum").

[3] Calceamenti (quod est symbolum potestatis) solutione et reiectione symbolice cessio dominii et condicio servilis significabatur. Talis vir indignus habebatur, qui versaretur inter ingenuos (calceatos), quod se fratris viduâ ac hereditate abdicaret.

Adnotatio. — Complures viri docti (inter quos *H. Ewald, J. L. Saalschütz, F. Benary*) ex historia Ruth (4, 5 ss.) colligunt legem de vidua fratris ducenda deficientibus fratribus consuetudine ad remotiores propinquos extensam esse. At rectius dicitur illam legem in locum allatum non quadrare, sed Ruth uxorem ducere condicionem fuisse, quam Noomi acquisitioni agri adnexuit. Noomi enim, cum agrum vendere constitueret, id simul egit, ut et matrimonio nurûs prospiceret et hereditatem, quae iam in alienas manus ventura erat, alicui traderet, quo memoria filii sui in populo Israelitico conservaretur. Quare hanc addidit condicionem emptori, ut Ruth duceret, ad cuius maritum ille ager pertinebat, quo filius ex hoc matrimonio ortus in possessionem hereditariam agri veniret atque ita nomen defuncti mariti (Machlon) conservaretur. Quod consilium quidem quamquam cum consilio legis de uxore fratris mortui ducenda convenit, ab ea tamen non pendet. Huc potius revocandum est, quod Lv 25, 25 legitur: si quis paupertate coactus sit, ut fundum suum vendat, consanguineus eius ius redimendi agrum habeat, ne homo alius tribus eius fructibus usque ad annum iubilaeum utatur. Ceterum aliud quoque habemus argumentum pro sententia matrimonium Boas cum Ruth non ex lege Dt 25, 5—10 iudicandum esse. Qua lege praecipitur, ut primogenitus, qui a leviro ortus sit, pro fratris defuncti filio habeatur eiusque nomen accipiat. Rth 4, 17 vero filius, quem Boas ex Ruth suscepit, non vocatur Machlon, sed Obed.

Vetere more etiam patrem mortui matrimonium cum muliere viduata inire debuisse (id quod J. Benzinger, Hebräische Archäologie [2] 288 existimat) ex Gn 38, 26 effici non potest. Nam verba: „Justior me est" (v. 26[a]), etiamsi id improbatur, explicari possunt. Juda, cum nurui matrimonium proximi affinis negavit (v. 11), iniuriam fecit. Eum autem sibi ipsum ius matrimonii cum ea ineundi non vindicasse ex v. 26[b] apparet.

De iure leviratus conferas tract. *Jebamoth* (M III, 1); F. Benary, De Hebraeorum leviratu. Berolini 1835; G. M. Redslob, Die Leviratsehe bei den Hebräern vom archäologischen und praktischen Standpunkte untersucht. Leipzig 1836; G. v. Glasenapp, Die Leviratsehe (Viertel-

jahresschr. f. wiss. Philos. u. Soz. XXXII, 1908, 379—401); J. J. Mattuck, The levirate marriage in Jewish law (Studies in Jewish literature 210—222. Berlin 1913).

IV. Ad coniugum officia ante omnia pertinet fides coniugalis (cf. Hos 2, 18 s.). Teste Prov 2, 17 mulier cum viro init בְּרִית אֱלֹהִים *foedus dei,* ne vir sit perfidus in uxorem neque uxor (אֵשֶׁת בְּרִית *uxor foederis* Mal 2, 14) perfida in maritum. Praeterea uxoris erat liberos educare, laboribus et diligentia sua opes familiae conservare, maritum honorare; mariti autem erat uxori victum, vestitum, debitum coniugale praestare (Ex 21, 10).

Atque ad tuendam fidem coniugalem lex Mosaica poenam mortis in adulterium statuit (Lv 20, 10. Dt 22, 22. cf. Jos. AJ 4, 8. 23. CAp 2, 24) [1], quod vigente polygamiâ intellegitur solus concubitus cum nupta vel desponsa vel vidua coniunctionem cum leviro exspectante [2]. Sed genus supplicii ultimi ipsa lex disertis verbis non definit, quia ex consuetudine notum erat. Id autem non fuisse strangulationem, ut Judaeorum doctores contendunt (M. Sanhedrin 10, 1. 6), sed lapidationem, colligi potest ex Dt 22, 23—35., ubi eadem poena de minoribus flagitiis eiusdem generis decernitur, ex Ez 16, 38. 40: „Et iudicabo te iudiciis (i. e. afficiam te suppliciis) adulterarum . . . et lapidabunt te lapidibus", ex verbis Judaeorum ad Christum in historia mulieris adulterae Jo 8, 4 s: „Haec mulier modo deprehensa est in adulterio; in lege autem Moses mandavit nobis huiusmodi lapidare" [3]. Serva autem si adultera erat, et vir et mulier flagellationis poenâ (בִּקֹּרֶת) afficiebatur; praeterea adulter sacrificium pro delicto offerre debebat (Lv 19, 20—22). Si quis virgini desponsae in urbe vim intulerat, ubi puellae clamanti facile auxilium ferri poterat, et sibi et puellae poenam adulterii contrahebat; sin rure, solus vir ut adulter puniebatur (Dt 22, 23—27). Ante legem adulterium supplicio ignis expiatum esse videtur; nam Thamar, quae adulterii rea habebatur, quod ex leviratus iure Sela ut marito destinata erat, ad ignem damnabatur (Gn 38, 24) [4]. Philistaei quoque uxorem Simson, quae alteri nupserat, combusserunt (Jdc 15, 6) [5].

[1] Plerique interpretes loco Lv 20, 10 dupliciter adulterium vetari existimant: et adulterium cum qualibet muliere et adulterium cum uxore cognati. Legislatoris sententiam hanc esse: omne adulterium poenâ mortis dignum esse, non solum id, quod cum uxore hominis non cognati, sed etiam id, quod cum uxore cognati committitur; neque enim sentire oportere inter cognatos exceptioni locum esse, quia amicorum omnia sint communia, et iniuriam eius modi nullius esse momenti animoque aequo ferendam.

[2] Ratio de desponsa ex iis, quae supra diximus, colligitur. Ex iure quoque Babyloniorum antiquorum sponsam, cuius pretium iam solutum

est, ad stuprum illicere aut ei vim afferre pro adulterio habetur (CH § 130). Vidua autem matrimonium cum leviro exspectans desponsae aequiparatur vel lege leviro desponsa est. Maritus vero rem habens cum innupta nihil aliud nisi fornicationem committere censebatur, cuius rei ratio repetenda est ex vigente polygamia.

[3] Adulterium regis David (II Sm 11, 4) non punitum est lapidatione. Difficile enim erat regem iusto supplicio afficere.

[4] Thamar non vivam combustam esse, sed postquam lapidata est, fortasse ex eo colligi potest, quod etiam Achan, cum igni adiudicatus esset (Jos 7, 15), flammis non ante datus est quam lapidibus periit (v. 25).

Ex iure Babyloniorum antiquorum, si mulier adulterium commiserat, ita multabatur, ut in aqua demergeretur (CH § 129); adulterium viri non poenâ dignum existimatum esse videtur; in codice quidem Ḫammurapi de ea re nihil legitur. In Aegypto adulterae nares, apud Persas nares et aures praecidebantur (Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 78), ad quod Ez. 23, 25 spectare videtur. Apud alias gentes adulterium non tam severe puniebatur. Velut apud Romanos lege Julia adulterio convicto tantum poena relegationis et publicationis partis bonorum constituta erat; praeterea vir et mulier ignominiâ afficiebantur. Constantinus Magnus demum adultero poenam gladii proposuit.

Adulterii demonstratio cum plerumque difficillima esset, Jahve per Mosen antiquam zelotypiae legem (תּוֹרַת הַקְּנָאוֹת) approbavit, ex qua maritus uxori suspectae fidei iusiurandum purgatorium per *aquas amaras* (מֵי הַמָּרִים) imponebat[1], mortis poenâ quasi per manum divinam ream subsequente.

Atque maritus uxorem suspectam cum oblatione zelotypiae (מִנְחַת קְנָאוֹת LXX θυσία ζηλοτυπίας) i. e. cum decima parte ephae farinae hordeaceae[2], cui neque oleum neque tus addebatur[3], ad sacerdotem ducebat, qui manibus mulieris, velamine capitis eius sublato, fertum imponebat et aquas e labro aeneo haustas (מַיִם קְדֹשִׁים) cum pulvere ex solo atrii mixtas tenens eam sollemni exsecrationis formulâ, quam ipsa אָמֵן אָמֵן respondens confirmare debebat, obtestabatur istaque maledicta in schedula scribebat, quam scripturam brevi aquis delebat, quae mulieri, sacrificio in altari oblato, bibendae erant. Ex his mulier nihil mali patiebatur, si innocens erat; sin autem nocens, deo auctore vehementissimis torquebatur doloribus intestinis, ut eius venter intumesceret ipsaque, si superesset, ad liberos procreandos inepta fieret[4]. — Nm 5, 12—31. Jos. AJ 3, 11. 6. Phil. De special. legib. opp. II, 308—310. Tract. Sota (M III, 5).

Qua ratione deus se praesidem ac vindicem fidei coniugii ostendebat simulque cautum est, ne mariti ad zelotypiam et vindictam vehementer proclives (cf. Prov 6, 34 s.) uxores innocentes vel occiderent vel dimitterent. Praeterea haec mulieris exploratio ad clandestina adul-

teria praecavenda et occulta detegenda erat aptissima. Errant autem, qui illum inquirendi modum cum dei iudiciis mediae aetatis comparant. Ille enim erat originis divinae, salutaris idque, cuius causâ institutus erat, conficiebat; haec erant originis humanae, superstitiosa neque id, quod petebatur, assequebantur. Ceterum similes modi innocentiam uxoris, quae in suspicionem adulterii venit, explorandi etiam nunc apud nonnullas gentes usitati sunt.

Formidolosum illud iusiurandum quamvis uxores perhorrescerent, tamen licentiâ morum invalescente consuetudo adulteriorum increbruit (Jer 7, 9; 23, 10. Mal 3, 5. Prov 30, 20. Sap 3, 16) et ultimis reipublicae temporibus adulteria erant frequentissima (cf. Jo 8, 3—7), quod et ipsi talmudistae (M. Sota 9, 9) fatentur, cum tradunt quadraginta annis ante Hierosolyma deleta hoc iusiurandum propterea abrogatum esse, quod viri ipsi se adulteriis contaminarent deusque, cum mariti eiusdem criminis atque uxores rei essent, illi ritui nullam vim tribueret.

[1] Ex iure Hebraico maritus et uxor non aequali iure fruebantur. Uxor a marito empta huius peculium erat neque ei licebat fidem viro datam fallere, quamvis plus unam uxorem haberet. Quare non uxor marito, sed solus maritus uxori iusiurandum purgatorium dare poterat.

[2] Offerebatur farina non triticea, sed hordeacea, materia vilior (cf. II Rg 7, 1. 16. 18), quia erat fertum ultionem sceleris a deo expetens. Cf. Ps. Jonath. ad Nm 5, 15: „farina hordeacea, quae est cibus bestiarum".

[3] Philo, De special. legib. opp. II, 309: μήτε δ' ἔλαιον μήτε λιβανωτὸς ὡς ἐπὶ τῶν ἄλλων θυσιῶν παρέστω, διὰ τὸ μὴ ἐπὶ χαρτοῖς ἀλλ' ἄγαν ὀδυνηροῖς τὴν θυσίαν μέλλειν ἐπιτελεῖσθαι. — Theodoretus, Qu. 10. in Nm. MSG 80, 357 s: οὐδὲ ἔλαιον αὐτὴν οὐδὲ λιβανωτὸν ἔχειν προσέταξεν· ἐστέρητο γὰρ καὶ τῆς εὐωδίας καὶ τοῦ τῆς δικαιοσύνης φωτός. — Thomas, S. th. 1, 2. qu. 102. a. 3. ad 14: „Tus offerebatur deo ad designandam devotionem mentis, quae est necessaria offerentibus, et etiam ad designandum odorem bonae famae. Nam tus et pingue est et odoriferum, et quia sacrificium zelotypiae non procedebat ex devotione, sed magis ex suspicione, ideo in eo non offerebatur tus".

[4] Fortasse is feminarum morbus indicatur, qui hodie *hydrops ovarii* appellari solet. Josephus autem aquae intercutis morbum intellegere videtur; nam AJ 3, 11. 6 scribit: Μετ' αἰσχύνης καταστρέφει τὸν βίον (adultera), τοῦ τε σκέλους ἐκπεσόντος αὐτῇ καὶ τὴν κοιλίαν ὑδέρου καταλαβόντος.

Adnotatio. — Nonnulli interpretes recentioris aetatis putarunt aquas illas Nm 5, 18 s. *aquas amaras* vocari, vel quod *res amarae* eis iniectae essent, quod tamen, si fieri necesse erat, vix credibile est a Mose non praeceptum esse, vel quod maritus *animo amaro* i. e. irato eas uxori propinasset. Alii ab eventu illas amaras appellari existimant, quod iis acerbi

dolores in rea excitati sint. Quae sententia vero propior esse videtur, imprimis propter vv. 24 et 27, ubi dicitur aquam illam ab uxore bibendam esse לְמָרִים i. e. ad acerbos dolores excitandos. Graeci Alexandrini vertunt ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ = *aqua argutionis* i. e. quae adulteram arguebat. Quare nonnulli existimant eos vel הַבְּרִים vel הַקְּרִים legisse. Alii coniciunt interpretem Graecum מִי מוֹרִים = *aquae docentium* legisse, quod aquas illas docere oporteret, num mulier casta esset.

V. Matrimonium non solum morte dissolvebatur (cf. Gn 2, 4. I Cor 7, 39), sed etiam ob pergraves causas libello repudii sive documento repudium uxoris declarante (סֵפֶר כְּרִיתֻת Dt 24, 1. 3. ס׳כְּרִיתוּת Jes 50, 1. ס׳ כְּרִיתֹתִים Jer 3, 8. in Talmud etiam גִּיטָּה et גֵּט, βιβλίον ἀποστασίου Mt 19, 7. Mc 10, 4. ἀποστάσιον Mt 5, 31. γραμματεῖον ἀπολύσεως Jos.). De qua re Dt 24, 1—4. Tract. Gittin (M III, 6) agitur.

Cum Hebraei sponsas emerent, in eas se summum ius habere easque ad arbitrium repudiare posse existimabant. Quare mos coniugibus ex libidine renuntiandi apud Hebraeos maxime invaluerat. Atque sunt qui putent eos in Aegypto commorantes a prima morum simplicitate descivisse et Aegyptiorum exempla secutos uxores dure ac tyrannice tractare atque per nefas repudiare consuevisse. Quod malum quin aliquanto augeretur, Moses impedire non potuit nisi oblique, et quidem a) cum commoneret matrimonium institutum esse indissolubile (Gn 1, 27 s; 2, 24); b) cum sanciret, ut repudium sine interventu quidem iudicis, sed non sine libello scripto neque antequam uxor repudiata cum libello repudii domo mariti excessisset, ratum esset (Dt 24, 1). Qua lege vir monebatur, ne ex primo impetu ageret neve coniugii vinculum temere rumperet, sed ad saniora consilia se reciperet, antequam rem gravem et quae facile irreparabilis esset aggrederetur (cf. August. C. Faust. 19, 26. MSL 42, 365). Ceterum duplex uxorum genus ipsa lege a repudio excipiendum erat, et quae falso praereptae virginitatis accusatae erant idque in iudicio (Dt 22, 13—19), et quae iam ante nuptias vitiatae erant (ib. v. 28 s.). c) cum caveret, ne mulier repudiata, quae alteri nupsisset, etsi secundae nuptiae sive morte sive repudio solutae essent, a priore marito iterum in matrimonium duceretur, quod mulier publice repudiata publicâ infamiâ notata esset, ut eam recipere priorem maritum dedeceret (Dt 24, 2—4. cf. Jer 3, 1. CH § 136). Quod etiam propterea comprobandum, quod, si eandem uxorem saepius repudiare et, postquam aliis nupta esset, rursus ducere licuisset, tales mutationes speciem lenocinii aut communionis uxorum re doluissent [1].

Cum uxor sub potestate viri esset, non vir sub potestate uxoris, facile intellegitur maritum ab uxore repudiari non potuisse [2]. Contrarium ex sacris litteris probari non potest frustraque ad Mc 10, 12 provocatur. At ultimis reipublicae temporibus impudentes mulieres Judaicae exemplo matronarum Romanarum adductae idem sibi ius arrogaverunt. Primum in historia Judaeorum exemplum feminae, quae viro libellum repudii dedit, illud est, quod Josephus AJ 15, 7. 10 de Salome, Antipatris filia ac Herodis Magni uxore, tradit: Πέμπει μὲν εὐθὺς αὐτῷ (Costobaro marito suo) γραμμάτιον ἀπολυομένη τὸν γάμον οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους · ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστιν παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἐφιέντος. Alterum occurrit ib. 18, 5. 4 de Herodiade, quae priore marito Herode, Herodis Magni filio, dimisso eius fratri germano Herodi, tetrarchae Galilaeae, nupsit. Animadvertit Josephus etiam hîc id contra patrias leges factum esse scribens: Ἡρωδιὰς ἐπὶ συγχύσει φρονήσασα τῶν πατρίων Ἡρῴδῃ γαμεῖται τοῦ ἀνδρὸς τῷ ὁμοπατρίῳ ἀδελφῷ διαστᾶσα ζῶντος. Poterat tamen uxor maritum relinquere vel propter adulterium vel propter alias iustas causas; quod omnibus mulieribus iure naturae permissum est [3].

[1] Quod II Sm 3, 14 s. legimus, huc non pertinet; nam David non vi, sed iure, quod suum erat, vindicavit ac recuperavit. — Moribus autem antiquorum Arabum licebat uxorem dimissam rursus in matrimonium accipere, etsi interea alteri viro nupserat, et Ḳorân diserte praecipit, ne uxor dimissa recipiatur, nisi si interea uxor alterius facta sit.

[2] Ex iure Babyloniorum antiquorum mulieri ius discidii conceditur: a) si maritus bello captus est neque ipsa bonis ab eo relictis vitam sustentare potest (§ 134); sin maritus ex captivitate rediit, ipsa quoque ad eum redire debet; liberi autem, si quos a secundo viro peperit, apud patrem manent (§ 135); b) si a marito maligne relicta est (§ 136); c) si apud iudices demonstrare potuit virum sibi concubitum maritalem recusavisse (§ 142); sin apparuit ipsam in culpa esse, demergitur (§ 143): d) si *laḫbu*, morbo adhuc incognito, affecta est neque domi mariti vivere vult (§ 149).

Etiam Aegyptiorum moris erat uxori ius discidii adiudicare. Id Judaei quoque, qui in *Elephantine-Syene* habitabant, secuti sunt, id quod ex papyris Aramaeis ibi inventis apparet.

[3] Ex locis autem Ex 21, 8—11 et Dt 21, 14 colligi non potest uxori ius fuisse divortium postulandi, quod maritus ei aut concubitum recusaret aut parum alimenti et vestis praeberet. Neque enim id praeceptum, quod ibi datur, ne ancillae emptae neve feminae bello captae, quae concubinae vel uxores factae sunt, si viris iam non placent, iterum vel in servitutem redigantur vel veneant, ad mulieres liberas, quae uxores ductae sunt, referendum est.

De causis repudii apud Hebraeos non eadem est omnium interpretum sententia. Ipsa verba legis: „Si non invenerit gratiam in oculis eius (i. e. si uxor marito non amplius placuerit), quod invenerit in ea עֶרְוַת דָּבָר *foedum quid,* scribat ei libellum repudii“ (Dt 24, 1) non habent certum definitumque sensum [1]. Cum igitur Moses non definisset, quaenam res istae foedae aut inhonestae essent, olim magna contentione inter Judaeorum doctores et magistros de ea re disceptatum est. Praesertim aetate Christi quaestio fervebat inter scholam Hillel (בית הילל) et Schammai (בית שמאי). Schola enim Schammai, quae semper severiorem disciplinam defendebat, maritum nisi ob infidelitatem coniugalem uxorem dimittere non posse contendebat (M. Gittin 9, 10); contra schola Hillel, quae laxioris disciplinae patrona erat, quamlibet, etiam levissimam ac futilissimam causam, velut si uxor carnes plus nimio decoxisset, si maritus altera muliere plus delectaretur (R. Akiba), sufficere, ut marito coniugem repudiare liceret (l. c.) [2]. At illud prius ideo probari non potest, quia mulier adultera secundum legem Mosaicam non dimittebatur, sed morte multabatur, si constabat eam esse adulteram (Lv 20, 10. Dt 22, 22), vel, si tantum suspecta erat de adulterio, aquis zelotypiae examinabatur (Nm 5, 12—31). Hoc posterius autem item falsum est: nam a) si Moses repudium ex quacumque causa permisisset, iustam causam eius non determinasset et verba „ob foedum quid“ omnino supervacanea forent; b) cum repudium ex quacumque, vel minima causa permissum omnium consensu per se malum et fini coniugii directe adversum sit, quis crediderit Mosen, qui matrimonium indissolubile declaraverat, eius modi repudium lege sanxisse? Itaque verba „ob rem aliquam foedam“ intellegenda esse videntur „quidquid tale est, ob quod uxor merito displiceat marito, sive id modo accidit sive nunc demum deprehensum est, cum antea lateret“. Eius modi sunt in moribus: pertinacia, contumacia, dicacitas, furta, iusta veneficii aut gravis alicuius criminis suspicio; in corpore: deformitas superveniens, defectus corporis latens, epilepsia, lepra, mania continua aut interrupta, sterilitas aliaque eiusdem generis, quae prius aut omnino ignota aut non ita gravia fuerunt, ut postea patefacta sunt. Christus vero multis saeculis post omnes has causas reiecit et maritorum in uxorum dimissione ius ita resecuit, ut ad πορνείαν solam pertineret simulque adiecit nemini fas esse post peractum divortium aliam ducere uxorem (Mt 5, 32; 19, 9. Mc 10, 11 s. Lc 16, 18. cf. I Cor 7, 10 s.).

[1] Euphemismus ערות דבר proprie significat *nuditatem rei,* metonymice autem pro *turpitudine* ac *foeditate* accipitur. Graeci Alexandrini vertunt ἄσχημον πρᾶγμα: etiam ceterae versiones antiquae (ut Samaritana, Syria, Arabica) habent *rem turpem.* Tertullianus Adv. Marcion. 4, 34. MSL.

2, 441 legit: „Si sumpserit quis uxorem et habitaverit cum ea et evenerit non invenire eam apud eum gratiam, eo quod inventum sit in illa *impudicum negotium*, scribat libellum repudii".

Ceterum locum Dt 24, 1 *de permissione* sive indulgentia a deo ob duritiem cordis Israelitarum facta, *non de praecepto* intellegendum esse, ut Luther in Germanica bibliorum versione existimavit, ex verbis Christi Mt 19, 8 discimus neque de ea re ulla est controversia. Hoc quoque dici potest libellum repudii *permitti*, quia maritis permittebatur, ut uxores dimitterent, ac *praecipi*, quia, si mariti uxores dimittere volebant, dato libello eas dimittere iubebantur.

[2] Cf. Mt 19, 3. Jos. AJ 4, 8. 23., ubi fatetur multas eius modi causas inter homines proferri, et Vit. § 76, ubi memoriae tradit se uxorem, cum iam ter mater fuisset, dimisisse, quia sibi eius mores displicuissent.

Adnotatio. — Falso dicitur Babyloniorum antiquorum lege de divortio legem Mosaicam multo superari; neque enim codex Hammurapi § 137—140 certam quandam causam, ex qua vir uxorem dimittat, sed tantum quasdam cautiones postulat, quibus uxori dimissae eiusque liberis consulatur.

Libello repudii matrimonium solutum esse ex his quattuor causis colligendum est: primum quod vir, qui dimissam duxerat, vocabatur maritus; deinde quod et hic eam libello repudii tradito repudiare poterat, quod ius penes veros maritos tantum erat; tum quod prior maritus mulierem repudiatam recipere vetitus erat, cum si repudio vinculum coniugii non solveretur, non esset peccatum nec prohibendum, immo vero optandum, ut uxor ad verum et legitimum maritum rediret; denique quod secundum legem Lv 21, 7. 14 sacerdotes neque viduam neque repudiatam neque meretricem uxorem ducere poterant, ex qua lege efficitur aliis ut viduam ducere licebat, ita repudiatam ducere licuisse.

Per septingentos fere a lege lata annos de libello repudii in sacris litteris altum est silentium, quamvis polygamia apud Hebraeos vigeret (cf. Jes 50, 1). Apud Jer 3, 1. 8 demum rursus libelli repudii fit mentio idque tamquam rei, quae in ore hominum verteretur. Post exsilium Babylonium, cum Judaei se moribus corruptissimis foedassent, repudia frequentari coepta sunt (Mal 2, 14—16); ex evangeliis (Mt 5, 31; 19, 7. Mc 10, 4) non minus quam ex Josepho (AJ 15, 7. 10; 18, 5. 4) apparet repudia eo tempore usitata fuisse.

Loco Jes 50, 1 Jahve populum Hebraicum de libello divortii, quo eum dimiserit, interrogat. Ratio enim, quae inter Jahven et populum electum intercedit, a sacris scriptoribus saepius imagine coniugii exprimi solet. Quare cum Jahve permittat, ut Hebraei in exsilium ducerentur et terrâ suâ expellerentur, publico documento testatur se populum illum repudiasse et cum eo divortium fecisse. Eadem imagine Jeremia 3, 1. 8

utitur, cum de Israelitis sive Ephraimitis in exsilium abductis dicit Jahven populo libellum divortii dedisse.

Caput secundum

De procreatione et educatione liberorum

Conferas L. Kotelmann, Die Geburtshilfe bei den alten Hebräern. Marburg 1876; J. Simon, L'éducation et l'instruction des enfants chez les anciens Juifs d'après la Bible et le Talmud [3]. Nîmes 1879; H. Ploss, Das Kind in Brauch und Sitte der Völker. Anthropologische Studien [2]. 2 Bde. Berlin 1881—82; B. Strassburger, Geschichte der Erziehung und des Unterrichtes bei den Israeliten. Von der vortalmudischen Zeit bis auf die Gegenwart. Stuttgart 1885.

De nominibus propriis Hebraeorum videas E. Nestle, Die israelitischen Eigennamen nach ihrer religionsgeschichtlichen Bedeutung. Haarlem 1876; G. Buchanan Gray, Studies in hebrew proper names. London 1896; F. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung. München 1897; G. Kerber, Die religionsgeschichtliche Bedeutung der hebräischen Eigennamen des alten Testaments von neuem geprüft. Freiburg 1897; F. de Hummelauer, Comm. in Numeros 208—213; F. Ulmer, Die semitischen Eigennamen im alten Testament. Leipzig 1901.

I. Matrimonium praecipue ad procreandam sanctam subolem spectat (Gn 1, 28. Mal 2, 15). Quare *fecundus thalamus* benedictio caelestis eventusque faustus habebatur (Ex 23, 26. Lv 26, 9. Dt 7, 14; 28, 4. 11. 41. Ps 107, 41; 113, 9; 127, 3; 128, 3. 6. Prov 17, 6. Koh 6, 3) [1], *sterilitas* divina maledictio (Lv 20, 21. Jes 47, 9; 49, 21. Jer 22, 30. Hos 9, 14. cf. II Sm 6, 23) et imprimis uxoribus probrosa (Gn 16, 2; 30, 1. 23. I Sm 1, 6. Jes 54, 1. Tob 3, 13. Lc 1, 25) [2]. Quare uxores steriles varias temptabant res (velut philtra) ad venerem excitandam et conceptum allevandum. Quam vim imprimis mandragorae tribuisse videntur; quare Rahel quoque, mariti subolisque cupida, vehementissime hunc fructum appetivit (Gn 30, 14 s. cf. etiam Ct 7, 14). Nonnumquam mulieres maritis ancillas concubinas tradebant, quarum prolem postea per adoptionem suae familiae inserebant (Gn 16, 1—3; 30, 3—18). Numquam autem deum rogare atque obsecrare cessabant, ut coniugium numerosa prole benediceret.

[1] Saepius in sacris litteris multi liberi imagine *scaturiginum* significantur (Nm 24, 7. Jes 48, 1. Prov 5, 16) et procreantes cum *fonte* vel *puteo* comparantur (Dt 33, 28. Ps 68, 27. Apc 17, 15). De liberis procreandis haud raro metaphorica loquendi formula בָּנָה בַּיִת לְ *domum alicui aedificavit* usurpatur (Gn 16, 2; 30, 3. Ex 1, 21. Dt 25, 9. Rth 4, 11). Ibn ʿEsra ad Gn 16, 2: „Filius est instar aedificii et pater quasi funda-

mentum". Compluribus locis liberi פְּרִי בֶטֶן *fructus uteri* appellantur, metaphorâ ab arboribus petitâ (Gn 30, 2. Dt 7, 13; 28, 4. 11; 30, 9. Mich 6, 7. Ps 132, 11).

[2] Quam ob rem virginibus quoque tristissimum erat innuptas mori (Gn 19, 30 ss. Jdc 11, 37. Jes 4, 1).

Filii, qui nomen patris in stemmate gentili propagabant (cf. II Sm 18, 18), pluris aestimabantur (cf. I Sm 4, 20. Ps. 127, 4. Rth 4, 15) quam filiae (cf. Sir 42, 9 s.) et nuntius, quo pater ortus filii certior fiebat, gratissimus erat magnoque dono excipi solebat (Jer 20, 15. cf. Job 3, 3). Filius primogenitus (בְּכֹר, πρωτότοκος, πρωτογενής) ex lege Mosaica a ministerio sacro redimendus erat (Ex 13, 13; 34, 20. Nm 3, 45—48; 18, 15 s. cf. Lc 2, 27). Primogenitura vero ei obtingebat, qui respectu patris רֵאשִׁית אוֹנִי *principium roboris eius* i. e. primum paterni roboris vel vigoris monumentum (Gn 49, 3. Dt 21, 17), respectu matris פֶּטֶר רֶחֶם *apertio matricis* (Ex 13, 2; 34, 19. Nm 3, 12. etiam omisso רחם Ex 13, 12 s; 34, 20. LXX et Lc 2, 23 διανοῖγον μήτραν) erat. Patris tamen, cum caput familiae sit, magis hîc ratio habetur, cuius prima ex legitima coniuge suboles mascula iure primorum natalium fruebatur, nullâ ratione habitâ priorum filiorum, si quos ex paelice susceperat. Quam ob rem Ismael, quamquam Isaac aetate anteibat, primogenitus Abraham non habebatur (cf. Gn 21, 10). Atque hîc discrimen inter ius primogenitorum et eos filios, qui ex lege Jahvae consecrandi erant, elucet. De consecratione enim matris habebatur ratio, cum diserte ad בכר פטר רחם *primogenitum aperientem matricem* restringatur. Cum igitur pater ex priore coniuge primogenitum suscepisset, cui soli iura primorum natalium debebantur, tamen primus filius ex secundo matrimonio, qui matris matricem aperuerat, denuo ratione consecrationis habita primogenitus et ex lege redimendus erat. Quare Ruben ratione primogeniturae habita erat primogenitus patris, Joseph primogenitus matris, qui, si iam ea aetate lex lata esset, redimi debebat, quia primus natus erat ex Rahel (Gn 30, 22—24).

Ante Mosen pater etiam filium minorem primogenitum designare poterat [1], quam libertatem lex Dt 21, 15—17 patribus plures uxores habentibus adimebat, quia arbitrariae eius modi dispositiones animos fratrum abalienabant (cf. Gn 27, 42—45), nam primogenitus apud Hebraeos ut apud alias quoque gentes antiquas magna iura habebat, quae בְּכֹרָה *primogenitura* Gn 25, 31. 34; 27, 36. מִשְׁפַּט הַבְּכֹרָה *ius primogeniturae* Dt 21, 17. τὰ πρωτοτόκια (-κεῖα) Hebr 12, 16. τὸ πρεσβεῖον Jos. AJ 2, 1. 1 appellantur. Atque primum obtinebat duplicem paternarum (non etiam maternarum, ut rabbini contendunt) facultatum partem (Dt 21, 17) [2]; deinde accipiebat specialem benedictionem paternam (aetate patriarcha-

rum cum spe ortus messiae ex eius familia coniunctam), quae magni aestimabatur (Gn c. 27); denique fruebatur quadam dignitate praeter reliquos fratres (Gn 25, 23; 27, 29; 49, 3) [3], a quibus peculiari honore colebatur. Hinc primogenitus erat etiam successor in regno (II Chr 21, 3. cf. II Rg 23, 34) [4]. Ex quibus patet, cur vocabulum „primogenitus" interdum singularem dignitatem vel id, quod in aliqua re est excellentissimum, ita ut vim superlativi habeat, significet. Velut Ex 4, 22 Jahve fatetur: „Filius meus, primogenitus meus (est) Israel" i. e. gens praeter ceteras mihi cara, beneficiis divinis maxime ornata. Eadem de causa Ps 89, 28 David „primogenitus regum" dicitur. Christus quoque πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς (Rom 8, 29), . . . ἐκ τῶν νεκρῶν (Col 1, 18. Apc 1, 5), . . . πάσης κτίσεως (Col 1, 15), simpliciter πρωτότοκος (Hebr 1, 6) vocatur.

[1] Velut primogenituram ab Esau ad Jacob tralatam esse ex Gn 25, 31—34; 27, 27—40 manifestum est. A Ruben, qui Jacob patriarchae primogenitus naturâ erat, iura primorum natalium ad Juda et Joseph tralata sunt (Gn 49, 8 ss. 22 ss. I Chr 5, 1 s.). Sunt etiam qui existiment ab Aran quoque primogenituram ad Abram tralatam esse. Velut Augustinus, qui (Quaest. in Heptateuch. 1, 25, 2. MSL 34, 553) censet Abram non ob ortus ordinem, sed ob futurae excellentiae et dignitatis significationem fratribus antepositum esse.

[2] Duplex illa hereditatis pars dupliciter explicatur. Quidam existimant filio maximo unum dimidium totius hereditatis addictum, alterum inter ceteros fratres aequaliter divisum esse. Contra rabbini primogenito duplo maiorem quam ceteris fratribus partem adiudicant.

[3] Apud alias quoque gentes natu maximo maior quaedam dignitas inesse credebatur, velut apud Moabitas (cf. I Rg 3, 27).

[4] Praeter iura, quae enumeravimus, magistri Judaeorum primogenitis et hoc attribuunt, ut ab antiquissimis temporibus in singulis familiis officio sacerdotali functi sint. De qua re supra p. 140—143 egimus.

II. Primis temporibus solae matres filiabus partum edentibus auxilio erant; ad difficiliorem partum matres peritiores et perspicaciores vocabantur. Postea *obstetrices* (מְיַלְּדוֹת), quarum Gn 35, 17; 38, 28. Ex 1, 15—21 prima mentio fit, puerperis subsidium ferebant [1]. Cum doloribus puerperae prophetae haud raro comparant statum populi magna calamitate pressi, qua se liberare non potest, ut puerpera infirma, quae dolores quidem sentit, sed parere nequit (Jes 26, 17. Jer 49, 24; 50, 43. Ps 48, 7).

Natus infans, praeciso funiculo umbilici (שֹׁר), lavabatur, sale fricabatur, fasciis (חַתֻּלָה) involvebatur (Ez 16, 4. Job 38, 9). Aetate antiquiore pater recens natum in sinum suum recipiebat, quo ritu suum esse declarabat (Gn 50, 23. Ps 22, 11. Job 3, 12), quod etiam uxores, quae filios ancillarum suarum adoptabant, imitabantur (Gn 30, 3. cf.

16, 2)[2]. Raro apud Hebraeos factum esse videtur, ut infantes exponerentur. Ezechiel quidem id, quamquam commemorat, gentilium esse indignatus dicit (cf. 16, 5). Dies natalis, praecipue filii, erat festus (Gn 21, 6) et quotannis laetitia et epulis celebrabatur (cf. Job 1, 4., praecipue in aulis principum Gn 40, 20., ubi de natali regis Aegyptiorum, Mt 14, 6., ubi de natali Herodis Antipae agitur).

[1] Quid Ex 1, 16 vocabulum הָאָבְנַיִם significet, J. Döller (BZ VII, 1909, 255—259) bene exposuit.

[2] Ex quo apud Latinos illa loquendi formula orta est: *natos tollere* sive *levare*, quae significat eos e terra elevare et in sinum excipere, qui aut vitâ digni aut incolumes servandi esse putabantur. Cf. Terent. Andria 1, 3, 14: „Quidquid peperisset, decreverunt tollere" parentes. Heautontim. 1, 1, 14: „Si filiam pareres, nolles tolli".

Temporibus antiquis infantibus paulo post partum (Gn 4, 1. 25; 19, 37 s; 21, 2 s; 29, 32—35; 30, 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24. I Sm 1, 20; 4, 20 s.), temporibus recentioribus filiis post circumcisionem octavo a partu die peractam (Lc 1, 59; 2, 21) plerumque matres (Gn 4, 1. 25; 19, 37 s; 29, 32—35; 30, 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24; 35, 18. Jdc 13, 24. I Sm 1, 20; 4, 21. Jes 7, 14), rarius patres (Gn 16, 15; 17, 19; 21, 3; 35, 18. Ex 2, 22. II Sm 12, 24. Hos 1, 4. 6. 9) nomen imponebant [1], quod apud orientales numquam significatione caret.

Atque aetate antiquiore in nomine imponendo plerumque ratio hominum, temporum, rerum gestarum diligenter habebatur (Gn 5, 29; 16, 11; 25, 25; 29, 32—35; 30, 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24; 35, 18; 41, 51 s. Ex 2, 10; 18, 3 s. I Sm 4, 21). Aetate recentiore nomina etiam ex maioribus familiae eligebantur, velut patris (Tob 1, 9. Lc 1, 59. cf. Jos. AJ 14, 1. 3. BJ 5, 13. 2)[2] vel insignis alicuius cognati (cf. Lc 1, 61); quare in libris posterioribus haud pauca nomina antiqua invenimus.

Imprimis nomina propria cum aliquo nomine dei (אֵל, שַׁדַּי, צוּר, יְהוָה idque in formis contractis יָהוּ, יְהוּ, יָהּ, יָהוֹ) componebantur. Et si nomina propria apud alias gentes Semiticas (velut apud Arabes et Babylonios) usitata comparamus, statuendum est vocabula quoque *'âb, 'am, 'âḥ*, quibuscum multa nomina propria Hebraeorum composita sunt (ut *Abner, Abija, Amner, Ahija*), nihil aliud esse nisi appellationes dei. Item inter nomina propria cum aliquo nomine dei composita nonnulla alia, quae in vetere testamento tantum imminuta sine dei nomine leguntur, numeranda sunt (velut *Jacob* ex *Ja'ḳob-el, Joseph* ex *Joseph-el, Isaac* ex *Iišaḳ-el*). Sed quamquam Hebraei saepius plures deos venerabantur, tamen frustra fere homines quaerimus, qui nomen alicuius dei ficti in ulla compositione tulerint. Occurrunt quidem nonnulla nomina

cum בַּעַל composita. Quae sunt vel aetatis iudicum vel primi temporis regum. Velut יְרֻבַּעַל, quo nomine Gideon, cum iussu divino aram Ba'al destruxisset, appellatus est (Jdc 6, 32); אֶשְׁבַּעַל nomen proprium filii Saul (I Chr 8, 33; 9, 39); מְרִיב בַּעַל sive מְרִי־בַעַל nomen proprium filii Jonathan (ib. 8, 34; 9, 40); בְּעַלְיָה nomen proprium unius ex fortibus David (ib. 12, 5); בְּעַלְיָדָע nomen proprium filii David (ib. 14, 7). At in iis nominibus בעל non deum Canaanaeum significare facile demonstratur. Ac primum cum in nomine בעליה posteriorem partem (יה) nomen proprium esse constet, prior (בעל) est nomen appellativum, ut nomen idem valeat quod *Jahve est dominus*. Quod autem Jahve communi nomine בעל appellatur, antiquis temporibus vacat offensione atque ipsos Hebraeos posterioris aetatis deum verum nonnumquam בַּעֲלִי *dominum meum* vocasse aeque ac אֱלֹהִי *deum meum* ex Hos 2, 18 colligi potest. Tum demum, cum Jahvae cultus ab idololatria imprimis prophetarum admonitionibus magis magisque discernebatur, nomen בעל vitabatur. Quare בעלידע in אֶלְיָדָע mutatum atque in aliis nominibus cum בעל compositis nomen בֹּשֶׁת sive בֹּשֶׁת (= αἰσχύνη, *pudor, ignominia*) pro בעל positum est idque idoli contemnendi causâ (cf. Hos 9, 10. Jer 3, 24; 11, 13). Velut ירבעל est idem quod יְרֻבֶּשֶׁת (II Sm 11, 21), אשבעל idem quod אִישׁ־בֹּשֶׁת (ib. 2, 8. 10), מריב בעל idem quod מְפִיבֹשֶׁת (ib. 4, 4; 9, 6 ss.). Similiter de nominibus cum vocabulo מלך compositis iudicandum est. Neque enim, quia in cultu Phoenicum מלך certus quidam deus erat, idcirco omnia nomina cum מלך composita ita intellegenda sunt, ut iis idololatria eius, qui nomen dedit, describatur. In nominibus quidem מִלְכִּיאֵל (n. pr. nepotis Ascher Gn 46, 17. Nm 26, 45), אֲבִימֶלֶךְ (n. pr. filii Gideon Jdc 8, 31 s; 9, 1 s. II Sm 11, 21), אֲחִימֶלֶךְ (n. pr. sacerdotis in urbe Nob commorantis I Sm 21, 2; 22, 9. Ps 52, 2., n. pr. nepotis eius II Sm 8, 17. I Chr 24, 3. 6. 31), מַלְכִּישׁוּעַ (n. pr. filii Saul I Sm 14, 49; 31, 2), עִתַּי־מֶלֶךְ (n. pr. aulici Josiae II Rg 23, 11), עֶבֶד מֶלֶךְ (n. pr. Aethiopis in aula Zedekiae Jer 38, 7; 39, 16), אֱלִימֶלֶךְ (n. pr. soceri Ruth Rth 1, 2; 2, 1), מַלְכִּירָם (n. pr. filii regis Jechonja I Chr 3, 18) quin מלך substantivum appellativum interpretandum et verbo *regis* vertendum sit, non est dubium. Etiam nomen proprium גָּד (Gn 30, 11. I Sm 22, 5. II Sm 24, 11 s.) non ad nomen dei Gad referendum, sed nomen appellativum habendum est atque idem valet quod *fortuna* (cf. Syr. *gadô*): גדי (Nm 13, 11) et גָּדִי (II Rg 15, 14) = *fortunatus,* non: *qui est dei Gad;* גַּדִּיאֵל (Nm 13, 10) = *fortuna dei,* non: *Gad est deus* vel *fortuna mea est deus;* עַזְגָּד (Esr 2, 12; 8, 12. Neh 7, 17; 10, 16) = *fortis fortunâ* [3].

Nonnumquam nomina, quae res futuras indicarent, infantibus imposita sunt; velut שְׁאָר יָשׁוּב = *residuum redibit* i. e. convertetur, nomen

filii Jesaiae (Jes 7, 3; 10, 21. cf. 7, 14; 8, 3. Hos 1, 4. 6. 9). Mulierum nomina haud raro ex floribus et herbis petita sunt, ut תָּמָר = *palma* (n. pr. nurus Judae Gn 38, 6. filiae David II Sm 13, 1. filiae Absalom ib. 14, 27); הֲדַסָּה = *myrtus* (nomen Hebraicum, quo Esther appellabatur, Esth 2, 7); *Susanna,* Σώσαννα = Hebr. שׁוֹשַׁנָּה, *lilium* (Vulg. Dn c. 13). Complura nomina et tribuum et hominum, quae in vetere testamento leguntur, animalia quoque nomina sunt (ut לַאְוָה = *vacca silvestris,* כָּחַל = *avis mater,* שִׁמְעוֹן = vocabulo Arabico *sim'un,* nothus ex lupo et cane hyaena, יוֹנָה = *columba,* דְּבוֹרָה = *apis,* יָעֵל = *ibex,* חֻלְדָּה = *talpa,* נוּן = *piscis*). Quae nomina animalium ad homines appellandos usurpata quidam viri docti ita intellegenda esse dicunt, ut ea animalia pro totem haberentur. At quod eius modi nomina inveniuntur, ita explicandum est, ut nonnullae tribus ab hominibus denominatae sint, qui talibus nominibus vocabantur, homines autem eius modi nomina tulerint, cum pater, qui nomen dabat, vel filio vel filiae virtutes quorundam animalium optaret. Haud pauca autem nomina hominum, quae intellegebantur nomina animalium, aliter interpretanda sunt. Šim'ôn quidem exauditionem (a verbo שָׁמַע = *audivit*) valet, ut filium significet, qui precibus impetratus esse putaretur. Nomen רְאוּבֵן non cum Arabico *ri'bâlun* (= leo) componendum est, sed nihil aliud significat nisi „Videte filium!“ Regem David eius generis fuisse dicunt, cuius totem anguis (נָחָשׁ) fuisset, quod inter eius maiores vir nomine נַחְשׁוֹן commemoretur (Rth 4, 20). At nomen Naḥšôn versimiliter a verbo נִחַשׁ (= *auguratus, ominatus est*) ducendum est. Ceterum nomina ab animalibus ad homines tralata apud omnes gentes inveniuntur, quae lacte atque pecore aut carne ferina vivunt, etiam apud eas, quas totemismo numquam deditas esse constat.

Haud raro nomen primae infantiae mutatum est vel ab ipsis adultis (Noomi-Mara Rth 1, 20. Saulus-Paulus Act 13, 9) vel divino iussu (Abram-Abraham Gn 17, 5. Sarai-Sara ib. v. 15. Jacob-Israel ib. 35, 10) vel humano arbitrio (Gideon-Jerubbaal Jdc 6, 32). Quare non est mirum, si in sacris litteris multos homines duobus nominibus praeditos invenimus. Reges et principes nomina ministrorum quoque et servorum mutare solebant, imprimis si eos recenter acquisiverant aut ad eminentiorem dignitatem evexerant (Gn 41, 45. II Rg 23, 34; 24, 17. II Chr 36, 4. Dn 1, 6 s.)[4]. Quo factum est, ut nomen etiam pro dignitate imponeretur (cf. Phil 2, 9. Hebr. 1, 4. Apc 2, 17).

A temporibus Seleucidarum haud pauca nomina Graeca invenimus (ut Ἀντίπατηρ I Mcc 12, 16. Λυσίμαχος II Mcc 4, 29. Ἡρώδης Mt 2, 1. al.), postea etiam nomina Latina (velut *Justus, Paulus,* Josephus *Flavius*). Praeterea erat mos Judaeorum nomina Hebraica in Graeca

mutare (ut Δωσίθεος II Mcc 12, 19 vel Θεόδοτος ib. 14, 19. III Mcc 1, 2. cf. נְתַנְאֵל = *donum dei* Neh 11, 14. נְתַנְיָה = *donum Jahvae* I Chr 8, 15. 17. יוֹנָדָב = *quem Jahve donavit* II Chr 31, 13) vel in Romana, quae consonant, imprimis quamdiu inter ethnicos commorabantur, ne origo eorum agnosceretur. Quia Judaei olim in Babylonia exsulabant, nonnumquam nomina quoque Assyriaca et Babylonica sibi imposuerunt, ut מְרֹדְכַי (= Bab. *Mardukêa, Marduka*) Esr 2, 2. Neh 7, 7. Quaedam nomina ex singulari quadam re addita esse exemplo est Simon *zelotes* (Lc 6, 15. Act 1, 13). Alia nomina ex regione et patria petita sunt, velut Jesus *Nazarenus,* Maria *Magdalena,* Judas *Iscariotes* (= vir ex Carioth?). Alia sunt patronymica, ut *Bartholomaeus* (= filius Tolmai), *Bartimaeus* (= filius Timaei), Joseph *Barsabas* (= filius Sabae). Interdum duo nomina in usu fuisse exemplo sunt *Thomas Didymus, Joannes Marcus.* Ceterum orientales nomini suo nomen vel patris, etiam avi, proavi, abavi, vel matris addere solebant, ut ab aliis viris eiusdem nominis distinguerentur (Jdc 20, 28. I Sm 23, 6; 30, 7. II Sm 2, 13. Jer 39, 14. al.). Patrem autem a filio primogenito nomen accepisse, id quod apud Arabes usitatum est (velut *Abu'l-Hassan* = pater Hassan), in vetere testamento demonstrari non potest.

[1] Quidam Hebraeorum dicunt moris fuisse, ut patres primogenitis nomen imponerent, post autem genitis matres. Sed et patrem et matrem promiscue apud Hebraeos liberis nomina imposuisse ex locis allatis colligitur.

[2] Etiam in inscriptionibus Phoeniciis nepos haud raro nomine avi appellatur (CJS I, 3. 7. 47. 93. 94. 171. 180. 185. 187. al.). Apud Graecos quoque mos erat liberos ab avis denominare.

[3] Aegyptii haud raro nomina propria formaverunt nomine dei alicuius (velut Ra, Ptah, Eten) cum radice *mr* (= diligere) ita composito, ut ea formam participii perfecti passivi haberet: *mry* = dilectus, *mry-t* = dilecta. Ita nomina propria Aegyptiorum *Mry-Ra* (= dilectus a Ra), *Mry-Ptah* (= dilectus a Ptah), *Mry(t)-Eten* (= dilecta ab Eten) orta sunt. Quod secuti Hebraei quoque nomina propria formaverunt nomine dei יְהוָה vel יָהוּ, pro quo crebro יָם usurpabatur, cum *mry* vel *mry-t* composito, quae vocabula eo tempore, quo ex Aegypto profecti sunt, *meri* vel *mari* sonabant. Ita etiam ex Mry-Jahve nomen *Mry(Meri, Mari)-jam* ortum est (= מִרְיָם i. e. *dilectus* vel *dilecta a Jahve,* n. pr. filii Mered ex filia Pharaonis I Chr 4, 17 s., n. pr. sororis Mosis Ex 15, 20).

[4] Cur Christus Simoni nomen Petri imposuerit, ipse declarat (Mt 16, 18); cur filios Zebedaei, Jacobum et Joannem, Βοανεργές i. e. filios tonitrûs vocaverit (Mc 3, 17), ex eorum indole ferventiore explicari videtur (cf. Mc 9, 37; 10, 35. Lc 9, 54. I Jo 2, 22; 3, 8. II Jo v. 7—11).

Adnotatio de nominibus propriis virorum aetatis Mosaicae. — Codicem sacerdotalem ante exsilium Babylonium conscriptum esse non posse ut demonstrent, complures critici nostrae aetatis (imprimis *J. Wellhausen*) indices nominum, qui Nm cc. 1; 7; 13; 34, 16—28 leguntur, afferunt.

Qui indices cum ad codicem sacerdotalem pertineant, illa nomina tantum ficta esse arbitrantur; neque quidquam simile iis cum antiquis nominibus propriis Hebraeorum esse. At illa nomina, si in exsilio demum aut post formata essent, inter multa illa nomina propria, quae in libris Esra et Nehemia inveniuntur, numero praevalere necesse erat; quae res longe alia est. Nam ea ipsa nomina, quae cum *ʿammî, ṣûr, šaddai* composita sunt, post exsilium prorsus desunt et nomina cum *Jâh* composita multo plura sunt; nomina autem cum *El* composita, si nonnumquam inveniuntur, imitatione nominum aetate Mosaica usitatorum consulto factâ formata esse existimanda sunt. Quae cum ita sint, iudicandum est illa nomina libri Nm sola aetate Mosaica orta esse posse.

Matres, officii naturae minime oblitae, ipsae lactabant infantes (I Sm 1, 23. I Rg 3, 21. Ct 8, 1) idque per biennium trienniumve [1]. Die ablactationis convivium instructum esse videtur (Gn 21, 8); interdum etiam sacrum fiebat (I Sm 1, 24 s.). *Nutrices* (מֵינִקוֹת) non substituebantur, nisi mater aut mortua aut non idonea erat, quae lactaret. Aetate autem posteriore coniuges saepius sibi infirmiores videbantur et officium maternum in nutrices devolvebant, quae iam ab antiquissimis temporibus instar alterius matris honorari solebant; quare etiam in historia diserte memorantur (Gn 24, 59; 35, 8. Ex 2, 7. II Rg 11, 2. Chr 22, 11) [2].

[1] Loco II Mcc 7, 27 mater septem fratrum ab Antiocho occisorum filio natu minimo dicit: „Miserere mei, quae te per novem menses in utero gessi et per triennium lactavi.“ Atque Mosen tempore ablactationis tres annos natum fuisse Josephus AJ 2, 9. 6 memoriae prodit.

[2] In Vulgata etiam II Sm 4, 4 de nutrice filii Jonathan agitur; verum ex textu Hebraico apparet non de nutrice, sed de famula custode sermonem esse. Item Nm 11, 12 de nutritio (אֹמֵן, non מֵנֶקֶת) pueruli agitur. Neque Rth 4, 16 Noomi erat nutrix, sed custos amans pueruli.

Comparatione: ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα (I Thess 2, 7) Paulus apostolus utitur, ut declaret, quanta benignitate, cura, caritate apud Thessalonicenses usus sit.

III. Parentum erat liberos nutrire, erudire, aliquam artem vel aliquod opificium docere, quo se suosque postero tempore honeste alere possent. Atque filii usque ad quintum aetatis annum in gynaeceo manebant (cf. Prov 6, 20; 31, 1), deinde in disciplinam patris transibant atque aliquod negotium, plerumque id, quod patris erat, discebant [1]. Imprimis autem legibus Mosaicis imbuendi erant (Ex 10, 2; 12, 26 s; 13, 8. 14. Dt 4, 9; 6, 7. 20—25; 11, 19; 32, 46), quas vel ipse pater vel aliquis Levita docebat. Principes et divites nonnumquam magistris (אֹמְנִים, παιδαγωγοί) utebantur, qui educationi filiorum praeessent (II Rg 10, 1. 5. Jes 49, 23. Jos. AJ 16, 8. 3. Vit. § 76). Filii regum saepius a quodam propheta docebantur (II Sm 12, 24 s.). Quod Esr 8, 16 Jojarib et Elnathan doctores (מְבִינִים) appellantur, inde apparet

viros in legibus explicandis ac docendis constitutos esse[2]. Filiae in gynaeceo manebant, ubi res domesticas discebant, dum alicui sponso traderentur. Divitum autem et nobilium filiae nulla fere re nisi mundo muliebri occupatae erant ac saepe ex otio inerti et desidioso in varia vitia delabebantur. Raro, et quo maioris erant dignitatis, eo rarius in publicum prodibant (cf. Prov 7, 10—12. II Mcc 3, 19). Ceterum filias quoque doctrinâ legis Mosaicae imbutas esse exemplo Susannae docemur (Vulg. Dn 13, 3).

[1] Ex traditione Judaica, quae prorsus digna est, cui credatur, postea institutum est, ut omnes mares aliquod opificium docerentur (M. Kiddduschin 4, 14). Quare etiam eruditissimi Judaei haud raro operis praebendis vitam tolerabant. Paulus quidem manuum mercede se sustentabat, ne cui oneri esset, quod ipse saepe professus est (Act 18, 3; 20, 34. I Cor 4, 12; 9, 18. I Thess 2, 9. II Thess 3, 8).

[2] Etiam Josephus dicit iam Mosen praecepisse, ut pueri leges summi momenti discerent (AJ 4, 8. 12) et primis elementis sive litteris imbuerentur et leges atque res gestas maiorum cognoscerent, has, ut eas imitarentur, illas, ne eas violarent (CAp 2, 25). Se vero dicit quattuordecim annos natum ex studio litterarum tantam laudem percepisse, ut summi sacerdotes et magistratus urbis ad se ventitarent, ut certius cognoscerent, quae sententia legibus inesset (Vit. § 2). Cf. etiam CAp 1, 12; 2, 18. Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin pueri iam a primis annis legem Mosaicam discerent. In Christianis quoque familiis iam pueri et puellae in libris divinis erudiebantur (cf. II Tim 3, 15: ἀπὸ βρέφους ἱερὰ γράμματα οἶδας).

Adnotatio. — Scholae publicae, in quibus pueri omnis condicionis instituerentur, Hebraeis ante exsilium Babylonium incognitae erant. Nihilo minus artem legendi et scribendi pueris haud incognitam fuisse ex Jdc 8, 14 apparet, ubi adulescens (נַעַר, παιδάριον) ex Sukkôth a Gideon interrogatus ei nomina principum et senum (magistratuum) urbis, septuaginta septem virorum, scripsisse dicitur. Post exsilium saepius memorantur academiae (בֵּית הַמִּדְרָשׁ, pl. בָּתֵּי מִדְרָשׁוֹת), in quas viri docti ad docendum aut disputandum convenire solebant (M. Berachoth 4, 2. Demai 2, 3; 7, 5. Terumoth 11, 10. Schabbath 16, 1; 18. 1. Pesachim 4, 4. al.). Hierosolymis magistri in templo quoque (ἐν τῷ ἱερῷ Lc 2, 46) i. e. in porticibus aut aliquo conclavi atrii exterioris de legibus Mosaicis disserebant (cf. Mt 21, 23; 26, 55. Mc 14, 49. Lc 20, 1. Jo. 18, 20). Discipuli, dum erudiuntur, humi, magister in suggestu quodam sedebant (quare Act 22, 3: παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ). Etiam scholae, ubi litterarum elementa tradebantur, procul dubio iam aetate Christi exsistebant, quod ex Babyl. Baba bathra 21[a] colligere licet, ubi memoriae proditur Josua ben Gamla (qui ca. 63—65 p. Ch. summo sacerdotio fungebatur, Jos. AJ 20, 9. 4. 7) praecepisse, ut in omni provincia omnique urbe magistri puerorum (מלמדי תינוקות) essent, ad quos pueri sex vel septem annorum ducerentur. Ceterum iam Jesaia 28, 9 ss. imagine litterarum discendarum utitur et 50, 4—9 operam servi Jahvae imagine pueri, quem

ludimagister erudit, describit. Ex loco Prov 22, 17—21 apparet dictata quoque excipere apud antiquos Hebraeos in usu fuisse. Scholarum institutio paene sola in lege Mosaica versabatur, in סֵפֶר *libro* κατ' ἐξοχήν, quam ob rem בֵּית הַסֵּפֶר *domus libri* appellabantur. Ceterum cum synagogis quoque haud raro scholae coniunctae erant, in quibus de lege scripta (בתי הספר) et de eo, quod sermone hominum posteris memoriae traditum est (בתי תלמוד *domus doctrinae*), disserebatur atque iuvenes a doctoribus, qui magnâ erant auctoritate et famâ, doctrinâ religionis instituebantur. Quibus scholis nonnumqam etiam nomen synagogarum tribuitur, praesertim cum Judaei sub imperio ethnicorum viverent. Atque aetate Christi omnibus locis in consuetudinem venerat, ut in synagogis doceretur (Mc 1, 21; 6, 2. Lc 4, 16. 31; 6, 6; 13, 10. Act 13, 14. 27. 42. 44; 15, 21; 16, 13; 17, 2; 18, 4).

Cf. E. van Gelder, Die Volksschule des jüdischen Altertums nach talmudischen und rabbinischen Quellen. Berlin 1872; A. Klostermann, Schulwesen im alten Israel. Leipzig 1909.

Singularis erat ratio scholarum prophetarum, in quibus בְּנֵי הַנְּבִיאִים *alumni prophetarum* (II Rg 2, 3. 5. 7) in lege divina erudiebantur et ad munus propheticum quasi praeparabantur, ad studium musicae vocalis et instrumentalis se applicabant, poeticen attingebant, ad res gestas scribendas se conferebant.

Penes parentes, praecipue penes patrem, si non vitae, attamen ceterarum rerum summa erat in liberos potestas eaque maior in filias quam in filios, quamdiu domi commorabantur (cf. Ex 21, 7. Nm 30, 4—6). In matrimoniis contrahendis liberi potestati patris penitus subiecti erant. Ante constitutam rempublicam Hebraeorum potestas patria vel ad summum supplicium pertinebat (Gn 38, 24), ut olim etiam apud Romanos (Liv. Hist. 2, 41), quod Moses ita restrinxit, ut pater, si filium reum mortis iudicaret, causam in foro ageret, sed simul statuit, ut iudex sententiam mortis ferret, si filius convictus esset patri vel matri maledixisse (Ex 21, 17. Lv 20, 9) vel verbera intulisse (Ex 21, 15) aut si ex indicio parentum coram iudicibus edito constaret filium esse nebulosum, libidinosum, protervum, contumacem neque emendari posse. Quam patriam auctoritatem merito magni aestimantes liberi ipsi quoque patriam benedictionem et maledictionem maximi momenti esse iudicabant. Nam ex quo deus primis parentibus benedixit (Gn 1, 28), homines pro certo putabant pios parentes liberis efficacem benedictionem largiri posse. Et ratas habuit deus benedictionem magnorum patriarcharum eorumque stirpi suam ipse benedictionem promisit (ib. 22, 17 s; 26, 4; 28, 14). Peroptata erat benedictio patris morituri (ib. 27, 4; 48, 15—22; 49, 2—28); contra valde timebatur eius exsecratio, qua iustitia et ira divina provocabatur (ib. 9, 25; 27, 12. Sir 3, 11). Lex Mosaica nec patrium nec regium ius benedicendi resecuit (II Sm 6, 18. I Rg 8, 55—61. Sir 3, 9—11).

Pietas in parentes in libris divinis imprimis salutaris (Ex 20, 12. Dt 5, 16. Sir 3, 1—18), impietas pestifera (Prov 20, 20; 30, 17) esse dicitur. Promissum illud Ex 20, 12: „ut diu vivas in terra, quam Jahve deus tuus tibi dat" (i. e. in Canaan) proprie Hebraeis data est. Dt 5, 16 verbis: „ut bene sit tibi in terra" accuratius explicatur; item LXX Ex 20, 12 et Dt 5, 16: ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς. Simile promissum apud Aegyptios in papyro Prisse legimus.

Secundum ius Babyloniorum antiquorum crimen laesae patriae auctoritatis non tam graviter puniebatur ut apud Hebraeos: Si quis patrem verberavit, manum amittit (CH § 195); eum filium, qui veniâ impetratâ iterum in patrem insultat, patri ex iudicis sententia domo exigere, imprimis autem exheredare licet (§ 168. 169).

Caput tertium

De servorum condicione

Conferas M. Mielziner, Die Verhältnisse der Sklaven bei den alten Hebräern. Kopenhagen 1859; M. Z. Kahn, L'esclavage selon la Bible et le Talmud. Paris 1867; A. König, Die Bibel und die Sklaverei. Neisse 1874; M. Mandl, Das Sklavenrecht des alten Testaments. Hamburg 1886; A. Grünfeld, Die Stellung der Sklaven bei den Juden nach biblischen und talmudischen Quellen. Jena 1886; J. Winter, Die Stellung der Sklaven bei den Juden in rechtlicher und gesellschaftlicher Beziehung nach talmudischen Quellen. Halle 1886; T. André, L'esclavage chez les anciens Hébreux. Paris 1892.

I. Ad familiam servi (עֲבָדִים) quoque et ancillae (שְׁפָחוֹת, אֲמָהוֹת) pertinebant, quorum duplex genus distinguendum est, cum alii origine gentiles essent, licet religione proselyti fuerint, alii Hebraei. Atque magnum inter utrumque genus erat discrimen; nam qui natione Hebraei non erant, perpetuo servitia servilia faciebant, et ipsi et filii ab iis geniti (Lv 25, 44—46); qui autem origine Hebraei erant, famuli potius et mercennarii erant quam servi.

Servi alienigenae ab Hebraeis acquirebantur partim captivitate in bello (Gn 14, 21. Nm 31, 18. 26. 35. Dt 20, 14; 21, 10 s.), partim emptione in pace. Illam complures viri docti primam servitutis originem habendam esse existimant atque ex ea appellationem mancipii i. e. manu capti fluxisse. Haec autem communis erat ratio servos acquirendi. Quare servi *argento empti* (מִקְנַת־כֶּסֶף Gn 17, 12 s. 23. Ex 12, 44. LXX ἀργυρώνητος) vocabantur. Pretium diversis temporibus et pro diversa mancipiorum aetate, sanitate, dexteritate, sexu variabat.

Lv 25, 44 praecipit Moses, ut servi, quibus Hebraei uti vellent, a gentibus finitimis emerentur. Quae gentes non aliae intellegi possunt nisi Ismaelitae, Midianitae, alii ex Abraham orti; neque enim Cananaei, qui

idololatriâ insignem calamitatem Hebraeis inferebant, in servitutem abstrahebantur. Soli incolae urbium Gibeon, Kefira, Beeroth, Kirjath-Jearim, qui versute a Josua foedus obtinuerant, tamquam servi ministerio tabernaculi sacri addicti sunt (Jos 9, 3—27).

Pretium servi triginta siclorum fuisse videtur (Ex 21, 32. cf. Sach 11, 12). Apud Babylonios antiquos pretium inter decem siclos et tertiam partem minae fluctuabat; serva tantum quattuor siclis et dimidio constabat. Postea apud Babylonios servus una vel duabus minis emi solitus est; sed erant, qui minoris emerentur.

Homo Hebraeus servus fiebat: a) si ad inopiam redactus se ipse vendebat. At eius modi venditio proprie erat tantum venditio operae et laboris, non corporis. Quare civis Hebraeus non pro servo, sed pro mercennario habendus erat. Atque de homine Hebraeo, qui se Hebraeo vendidit. Lv 25, 39—43 agitur, de Hebraeo, qui se advenae vendidit, ib. v. 47—55. — b) si aere alieno oppressus creditori addicebatur (II Rg 4, 1. Jes 50, 1. Neh 5, 5. Mt 18, 25). — c) Fur, qui restituere non poterat, quantum lex iubebat, a iudice veniebat (domino, quem furto laeserat, Jos. AJ 4, 8. 27) idque ad rem ablatam compensandam (Ex 22, 2). — d) Liberi ex contubernio geniti mancipia fiebant; nam id matrimonium ad commodum domini contractum erat (Ex 21, 4). Eius modi servi יְלִידֵי בַיִת *domi nati* (Gn 14, 14; 17, 12 s. 23. 27. Lv 22, 11. Jer 2, 14) vel בְּנֵי בַיִת *filii domus* (Gn 15, 3. Koh 2, 7), Graece οἰκότριβες, Latine *vernae* vocabantur, qui, etsi herum non patrem compellarent (cf. Rom 8, 15. Gal 4, 6), tamen ei tamquam patri addicti et fideles erant; quare patriarchae iis arma tradebant (cf. Gn 14, 14; 32, 6; 33, 1).

II. Servitutem, quae iam antiquissimis temporibus pervulgata erat (Gn 9, 25—27; 14, 14; 16, 3; 29, 24. 29; 32, 6; 33, 1. Job 1, 3; 31, 13), Moses, quamquam ob varias causas tollere nec potuit nec debuit, tamen legibus ita circumscripsit, ut condicio servorum apud Hebraeos multo melior esset quam apud alias gentes antiquas.

Atque lex Mosaica statuit **1)** ut omnes servi sabbato et aliis diebus festis omnis laboris immunes quiescerent (Ex 20, 10; 23, 12. Dt 5, 14) atque ad certa quaedam convivia in loco sacro instruenda vocarentur (Dt 12, 12. 18; 16, 11. 14).

2) ne servi crudeliter tractarentur. Herus, qui servum suum (cuiuscumque originis) baculo sive pugno occiderat, a iudice morte multabatur (Ex 21, 20). Si vero mors servi percussi non statim, sed uno alterove die post secuta erat, dominus impunis erat, quia consilium occidendi praesumi non poterat et iactura servi poena sufficiens habebatur (ib. v. 21). Servus a domino oculo vel dente i. e. quocumque

corporis membro laesus ipso facto libertatem recuperabat (ib. v. 26 s.). In Talmud viginti quattuor corporis partes enumerantur, quas si violaverat dominus, servum manu mittere debebat. Causae servorum clementer tractandorum (liberaliterque dimittendorum) duae afferuntur, memoria servitutis Aegyptiacae (Dt 15, 15. cf. Lv 25, 42), et labor servi pretiosior labore mercennarii (Dt 15, 18).

Ne iure quidem antiquorum Babyloniorum dominis licuisse servos interficere verisimile est (cf. J. Kohler-E. Peiser, Hammurabis Gesetz 106); at apud Romanos dominis potestas vitae necisque servorum erat.

3) ut servi Hebraei initio anni septimi servitutis manumitterentur [1] idque non iniquiore condicione eâ, qua servitutem inierant (i. e. cum dono insigni ex pecore minore et frumento, ex vino et oleo dato Dt 15, 13 s., ne paupertate afflicti iterum operam suam in sexennium addicere cogerentur), atque unâ cum uxore, quam secum in servitutem adduxerant (Ex 21, 2 s.). Contubernalis vero sive uxor, quam herus servo dederat, eiusque liberi in servitute retinebantur (ib. v. 4), nam contubernia voluntate heri solvebantur. Ex Dt 15, 12 apparet ancillas quoque Hebraeas aeque ac servos septimo anno libertate donatas esse (cf. Jer 34, 9—11. 16). Quodsi servus (serva) amore erga herum vel uxorem (maritum) vel liberos, quos in servitute genuerat, permotus libertatem oblatam recusaret, symbolicâ quadam caerimoniâ, perforatione auris, in perpetuam servitutem assumebatur (Ex 21, 5 s. Dt 15, 16 s.) [2]. Talis עֶבֶד לְעוֹלָם *servus in perpetuum* num anno iubilaeo manumissus sit, non constat. Vocabulum לעולם sensu obvio significat *per totam vitam,* ut I Sm 1, 22., ubi Samuel עַד-עוֹלָם coram Jahve mansurus esse dicitur. Rabbini autem עולם hîc tempus intellegunt, quod anno iubilaeo finiebatur; nam affirmant unumquemque servum Hebraeum beneficio anni iubilaei uti potuisse neque umquam ad filium heri hereditate pervenisse. Josephus quoque AJ 4, 8. 28 legem illam Mosaicam explicans affirmat talem servum anno iubilaeo liberatum esse. Rabbini et Josephus mitiorem legis interpretationem commemorare videntur [3].

[1] Annus *septimus* dupliciter intellegi potest, vel ut sit annus sabbaticus, qui septimo quoque anno redit (Theodoret. Qu. 35. in Lv. MSG 80, 344), vel ut ab eo tempore numeretur, quo quis servire coepit. Complures iurisperiti Hebraeorum septimum annum post initium servitutis intellexerunt (Philo, De septen. opp. II, 291: ὁ ἀπὸ ἀρχῆς δουλείας ἕβδομος ἐνιαυτός. cf. M. Kidduschin 1, 2. Siphra 270[a]. Jos. AJ 16, 1. 1. Maimonid. De servis 2), id quod verisimillimum est. Nam Moses nusquam, ubi de ea re loquitur, annum manumissionis servorum sabbaticum vocat, sed semper septimum, ubi autem de anno sabbatico agit (Lv 25, 2—7. Dt 15, 1—11; 31, 10—13), nihil dicit de manumissione servorum. Etiam

ante aetatem Mosis tempus servitutis septimo quoque anno absolutum esse ex Gn 29, 18. 20. 27 apparet. Sed si annus iubilaeus in annos servitutis cadebat, servus, licet vel anno ante emptus esset, dimittebatur.

Quod Jeremia 34, 14 âit: „A fine septem annorum (מִקֵּץ שֶׁבַע שָׁנִים) unusquisque dimittat fratrem suum Hebraeum", non repugnat legi Mosaicae Ex 21, 2 (repetitae Dt 15, 12), ut servus Hebraeus, postquam sex annos servierit, septimo anno dimittatur. Id patet ex verbis, quae propheta statim apponit: „postquam tibi servierit sex annos, dimittito eum liberum a te". Ceterum verba „a fine septem annorum" idem significant quod „in fine numeri septenarii" i. e. ipso anno septimo. Qua significatione illa dicendi formula etiam Dt 14, 28; 15, 1; 31, 10 usurpatur.

Aliae causae, cur nonnulli annum sabbaticum servis libertatem dedisse statuant, hae sunt: primum „annus septimus" haud raro pro „anno sabbatico" dicitur, velut Ex 23, 11 et saepius in Talmud; deinde maior talmudistarum numerus eandem sententiam tuetur; denique Dt c. 15 libertas servorum anno septimo promulganda (v. 12—18) excipit legem de debitis anno sabbatico remittendis (v. 1—11). Quas tamen rationes nullius esse momenti nemo non facile intellegit.

[2] Ritus auris perforandae Mose est antiquior, quia apud alias quoque gentes antiquas ut signum servitutis observabatur, velut apud Mesopotamios (Juven. Sat. 1, 104), Arabes (Petron. Arb. Sat. 102), Lydos (Xenoph. Exped. Cyri 3, 1, 31), Carthaginienses (Plaut. Poen. 5, 2, 21). Quae veterum testimonia a scriptoribus itinerum recentioris aetatis confirmantur.

[3] Textus Dt 15, 12—18 et Ex 21, 2—6, qui huc spectant, praeclare inter se cohaerent. Nam Dt 15, 12 idem est quod Ex 21, 2 et Dt 15, 17 idem quod Ex 21, 6. Illud „dimittes liberum" (Dt 15, 12. Ex 21, 2) ita amplificatur, ut dominus Ex 21, 3 s. servum non iniquiore condicione quam eâ, qua servitutem inierit, dimittere, Dt 15, 13 s. eum dono insigni instruere iubeatur. Dt 15, 16 idem est quod Ex 21, 5., nisi quod Ex 21, 5 affirmatur servum potissimum amore in familiam propriam, de qua v. 4 dicitur, Dt. 15, 16 amore in herum eiusque domum commoveri. Uter autem textus antiquior sit, non constat. Fortasse uterque textus ab aliquo textu antiquiore, qui brevior fuisse videtur, originem traxit.

4) Filia non mere et famula, sed eo consilio, ut sive hero sive filio heri desponsaretur, a patre in servitutem vendita aut post emptionem hero desponsata (אָמָה i. q. *amtu* CH § 144. 146) loco Ex 21, 7 servitute egredi dicitur non sicut servi (LXX et Vulgata h. l. pro *servi* habent αἱ δοῦλαι, *ancillae*), i. e. modus servitute egrediendi pro tali filia aliqua ex parte diversus erat a modo, qui ib. v. 2 s. describitur. Quare v. 8—11 dicitur, quo modo condicio talis filiae a condicione servorum diversa fuerit. Atque lex statuit: a) ne herus ancillam, si eam aspernetur vel eâ concubinâ non utatur, eam innuptam in servitio retineat, sed curet, ut alii homini Hebraeo, non tamen non Hebraeo, qui eam ducat, vendat (v. 8). Nam quamquam filiabus Hebraeis viris non

Hebraeis (exceptis Canaanaeis) nubere licebat, tamen tale matrimonium minus honestum habebatur, ad quod ancilla adigi non poterat. Ex quo etiam colligi potest herum nequaquam ius potestatemque habuisse ancillam Hebraeam servo non Hebraeo in matrimonium tradendi. — b) ut ancilla, si herus eam filio (caelibi et in familia paterna viventi) concubinam destinaverit, iam non ancillae, sed filiae sive nurus loco in domo habeatur (v. 9); — c) si autem filius aliam quoque uxorem ducat, ut tamen eius iura de victu, vestitu, congressu maritali intacta maneant (v. 10); — d) quae si neglecta sint, ut ancilla etiam ante sexennium expletum nullo redemptionis pretio soluto discedat (v. 11).

5) ut anno iubilaeo omnibus mancipiis natione Hebraeis exitus e servitute daretur (Lv 25, 39—41). Servi autem ex gentilibus, etiamsi ad opinionem unius veri dei conversi erant, perpetuae servituti subiecti manebant, quippe cum privilegiis sexennii et anni iubilaei non fruerentur. Sed aut manumissione aut redemptione liberari poterant: illa prorsus penes herum erat, haec vel ipsius servi vel alienis opibus fieri poterat.

6) Servum origine Hebraeum, si alienigenae in terra Canaan habitanti venierat, consanguineus vel aliquis alius vel se ipse quolibet tempore redimere poterat soluto dumtaxat pretio pro residuis usque ad annum iubilaeum ministeriis (Lv 25, 47—53).

7) Mulieri (non Canaanaeae) bello captae, antequam herus eiusve filius eam paelicem assumeret, mensis indulgendus erat, quo ereptos parentes et cognatos lugeret ac vitâ in domo heri assuesceret, i. e. tantum tempus, quantum pro luctu hominum maxime insignium concedebatur (Dt 21, 10—14).

8) Servi ex aliqua externa regione in terram Canaan profugi humaniter excipiendi nec dominis suis rursus reddendi erant (Dt 23, 16 s.).

III. Servorum erat eos labores suscipere, quos herus iis assignabat. Plerique servi rem rusticam et pecuariam exercebant (Lc 17, 7), ancillae autem ad labores domesticos adhibebantur, velut ad molam circumagendam (Ex 11, 5. Jes 47, 2. Mt 24, 41. Lc 17, 35), ad ianuam domus custodiendam (LXX II Sm 4, 6: ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου, Jo 18, 16 s: ἡ θυρωρός, *ianitrix, ostiaria*, cf. Act 12, 13). Servus aliquis prudentior dominoque praeter ceteros carus rei familiari praeerat [1], qui בֶּן בַּיִת vocabatur (Gn 24, 2. cf. 15, 2) reliquisque negotia attribuebat et victum distribuebat, nisi id mater familias procurabat (Prov 31, 15). Quidam munere paedagogorum fungebantur (cf. Gal 3, 24 s.), alii hero

ministrabant (Lc 17, 8), ancillae uxoribus operam navabant (Jdth 8, 5; 10, 2 s. 5); qui omnes plerumque meliore sorte utebantur. At ceterorum quoque condicio tolerabilis erat, certe tolerabilior quam apud Graecos et Romanos [2].

[1] Quod etiam Graecorum, Romanorum, aliarum gentium antiquarum moris erat. Velut Joseph familiae Potiphar praefectus est (Gn 39, 4. cf. v. 22) et ipse, libertatem nactus, procuratorem domus gessit (ib. 44, 1). Ex Gn 15, 3 apparet antiquissimis temporibus moris fuisse, ut, si quis sine prole decesserat, hereditas ad vernam familiae praefectum veniret.

[2] Servi Hebraeorum num praeter victum et vestem mercedem quoque acceperint, parum liquet. Nam loci Dt 15, 13 s. 18 contra id, loci Lv 25, 49 et I Sm 9, 3 ss pro eo afferri possunt. Apud *Babylonios* servi peculium habebant, quo parte quadam domino solutâ negotia exercere poterant. Cf. etiam Ḳorân, Sûra 24, 33.

Adnotatio. — Praeter servos, qui dominorum proprii erant, Hebraei mercennarios (שָׂכִיר) quoque habebant, qui in dies singulos pro mercede operas praebebant iisque unoquoque die ante solis occasum merces persolvenda erat (Lv 19, 13. Dt 24, 15. cf. Mal 3, 5. Sir 7, 20). Plerique eorum peregrini erant; sed ex Dt 24, 14 cognoscimus pauperes quoque Hebraeos fuisse, qui operam suam locarent, ut necessarium victum sibi pararent. Ex Dt 15, 18 apparet duos servos ali potuisse pro impensis mercennarii; nam hic et mercedem et cibum vestemque, servus tantum cibum vestemque accipiebat. Cui loco Lv 25, 53 omnino repugnat, secundum quem locum labor servi et labor mercennarii eiusdem pretii reputabatur. Sed fortasse Dt 15, 18 pro משנה legendum est בשנה vel שנה בשנה.

Sectio secunda

De urbanitate

I. Officia urbana apud orientales hodie magnam partem eadem sunt quae antiquis temporibus: quisquis advenit, eum bonis omnibus salutant, quisquis abit, eum bonis omnibus valere iubent. Quas salutationes veteres Hebraei semper sollemnibus et conceptis verbis proferebant. Atque modo dicebant: יְהוָה עִמָּךְ *Jahve tecum* (Jdc 6, 12. cf. Lc 1, 28) et si complures salutabantur: עִמָּכֶם יי *Jahve vobiscum,* et respondebant: יְבָרֶכְךָ יי *Benedicat tibi Jahve* (Rth 2, 4); modo: יָחֹנְךָ אֱלֹהִים *Deus tibi faveat* (Gn 43, 29); modo: (לָכֶם) שָׁלוֹם לְךָ *Pax tibi* s. *vobis* (Gn 43, 23. Jdc 6, 23; 19, 20. I Sm 25, 6. I Chr 12, 18), εἰρήνη ὑμῖν Lc 24, 36. Jo 20, 19); modo: בִּרְכַּת־יְהוָה אֲלֵיכֶם *Benedictio Jahvae* sit *super vos,* ad quae verba reddebant: בֵּרַכְנוּ אֶתְכֶם בְּשֵׁם יְהוָה *Benedicimus vobis in nomine Jahvae* (Ps. 129, 8). Abeuntes prosequebantur salute: לְךָ לְשָׁלוֹם (I Sm 1, 17; 20, 42) vel: לְךָ בְּשָׁלוֹם (II Sm 15, 9)

Vade in pace i. e. bono animo, de felici successu securus. Regibus acclamabant: וְיִחִי הַמֶּלֶךְ לְעוֹלָם *Vivat* feliciter *rex in perpetuum!* i. e. diutissime (I Sm 10, 24. II Sm 16, 16. I Rg 1, 25. 31. 39. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11) vel: שָׁלוֹם הַמֶּלֶךְ *Salve rex!* (II Sm 18, 28). Conferas etiam formulam salutandi, qua Chaldaei et Persae in compellandis regibus uti solebant (Dn 2, 4; 3, 9; 5, 10. Neh 2, 3). Graeci dicebant: χαῖρε, χαίρετε (Mt 26, 49; 27, 29; 28, 9. Mc 15, 18. Lc 1, 28. Jo 19, 3), χαίρειν λέγω (II Jo 10 s.) et simpliciter χαίρειν (II Mcc 9, 19. Act 15, 23; 23, 26. Jac 1, 1), valedicentes: ὕπαγε εἰς εἰρήνην (Mc 5. 34), ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ (Jac 2, 16), πορεύου εἰς εἰρήνην (Lc 7, 50; 8, 48), πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ (Act 16, 36).

Utraque igitur salutatio Hebraeorum plerumque benedictionem complectebatur. Quare verbum בָּרַךְ *benedixit* saepe idem significat quod *salutavit* vel *valedixit*. Atque Gn 47, 7. II Sm 6, 20 usurpatur de adveniente, Gn 47, 10. I Rg 8, 66 de discedente sive valedicente, I Sm 13, 10 de iis, qui advenientem comiter compellant, Gn 24, 60. Jos 22, 6 s. II Sm 13, 25; 19, 40 de iis, qui discedentem bonis votis prosequuntur.

Salutationi haud raro osculum (נְשִׁיקָה a נָשַׁק, Assyr. *našâḳu*) addebatur. Atque consanguinei, amici, familiares, homines aequalis condicionis frontem vel os osculabantur atque inter se amplexabantur (Gn 29, 13; 31, 28; 33, 4; 48, 10. Ex 4, 27; 18, 7. I Sm 20, 41. Rth 1, 9. 14. Tob 9, 8. Lc 7, 45; 15, 20. Act 20, 37). Viri interdum etiam barbam inter se apprehendebant (II Sm 20, 9). Imprimis Hebraeorum quoque moris fuisse videtur advenas osculo excipere (Tob 9, 8; 11, 11. Lc 7, 45; 15, 20) et discedentes osculo dimittere (Gn 31, 28; 32, 1. II Sm 19, 40. I Rg 19, 20. Rth 1, 9. 14. Tob 10, 12. Act 20, 37). Magnae venerationis signum erat osculum, quod alterius manibus (Sir 29, 5) vel pedibus (Lc 7, 38) imprimebatur. Eodem etiam pertinet osculum reverentiae, quod liberi parentibus dare solebant (Gn 27, 26. I Rg 19, 20) et osculum fidelitatis, quod in sollemni principis inauguratione vel ab inaugurante (I Sm 10, 1) vel ab iis, qui imperio subiecti erant (Ps 2, 12), dabatur. Pro more ab antiquissimis temporibus apud omnes gentes orientis recepto si quem submisse honoraturi erant, toto corpore se prosternebant, quo „pulverem pedum eius deosculari“ censebantur (Jes 49, 23. Mich 7, 17. Ps 72, 9). Haud raro osculum erat signum clementiae principis (II Sm 19, 39). Memoratu dignum est osculum adulantis (Absalom II Sm 15, 5), simulantis (Joab II Sm 20, 9), prodentis (Judae apostoli Mt 26, 49), idololatrae (I Rg 19, 18., ubi memoriae proditur Israelitas Baal osculatos esse; Hos 13, 2., quo loco traditur Israelitas vitulum aureum in urbe Bethel erectum osculis veneratos esse).

Cf. A. Wünsche, Der Kuß in Bibel, Talmud und Midrasch. Breslau 1911.

Amicorum salutatio plerumque verbosior erat. Nam multis interrogationibus de salute et valetudine variisque confabulationibus inter se detinere solebant. Quare festinantes neminem in via salutare iubebantur, ne detinerentur (II Rg 4, 29. Lc 10, 4). Hinc verba שָׁאַל לְ/ לְשָׁלוֹם *interrogavit aliquem de salute,* i. e. quo modo valeat, idem significant quod *aliquem salutare* (Gn 43, 27. Ex 18, 7. Jdc 18, 15. I Sm 10, 4; 17, 22; 30, 21. II Sm 8, 10). Loquendi formulâ הֲשָׁלוֹם לְ *benene valet* hic vel ille? Hebraei de salute absentis interrogare solebant (Gn 29, 6. II Sm 18, 32 [v. 29 particulâ interrogandi omissâ] II Rg 4, 26). Respondebant שָׁלוֹם (Gn et II Rg ll. cc. cf. Gn 43, 28).

Coram regibus et nobilibus Hebraei genua flectebant (cf. II Rg 1, 13. Mt 27, 29). Interdum, imprimis si quis ab altero aliquid implorabat, usque ad terram se inclinabant (הִשְׁתַּחֲוָה, קָדַד, προσκυνεῖν). Velut Lot duos angelos Sodomam ingressos reverenter excepit „incurvans se facie in terram“ (Gn 19, 1). Quod etiam Abraham Chittaeis (Gn 23, 7), Mephiboseth et Nathan regi David (II Sm 9, 6. I Rg 1, 23), Cuschi duci Joab (II Sm 18, 21) praestiterunt, quin etiam mulieres regiae, ut Bathseba (I Rg 1, 16. 31) [1]. David ter procumbens Jonathan servatorem suum veneratus est (I Sm 20, 41) atque Jacob coram Esau septies ad terram se inclinasse dicitur (Gn 33, 3) [2]. Nonnumquam se totos in terram prosternebant (הִשְׁתַּחֲוָה אַפַּיִם אַרְצָה Gn 42, 6. I Sm 24, 8. נָפַל עַל פָּנָיו I Sm 25, 23. II Sm 14, 4. I Rg 18, 7. πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον Jdth 10, 23. לְפָנָיו אַרְצָה Gn 44, 14. לְפָנָיו ib. 50, 18. אַרְצָה II Sm 1, 2. לִפְנֵי פ/ ib. 19, 19. cf. Mt 2, 11) [3]. Qui autem iumento vel curru vectus alteri occurrebat, venerationis ei praestandae causâ descendebat (II Rg 5, 21), quod ipsae feminae observabant (Gn 24, 64. I Sm 25, 23) [4]. Magna erat in oriente iam ab antiquissimis temporibus veneratio senum (Lv 19, 32. Prov 16, 31; 20, 29. Job 32, 4. 6 s. Sir 8, 6. cf. Herod. Hist. 2, 80) atque parum reverentiae erga homines ob senectutem venerabiles saepius graviter reprehenditur (Dt 28, 50. Thrn 5, 12. Sap 2, 10). Senes nomine patris compellare ut apud Graecos et Romanos, ita apud Hebraeos usitatum fuisse videtur. In vetere tamen testamento magis personae sanctae ita compellantur (II Rg 6, 21; 13, 14).

[1] Flexus corporis ad terram etiam nunc in oriente signum venerationis habetur, quo non modo qui rogant, sed etiam qui gratias agunt, utuntur.

[2] Sunt qui hîc numerum finitum pro infinito poni velint; nam numero septenario ab Hebraeis multitudinem exprimi notum est (cf. Jes 4, 1. Ez 39, 9. 12. 14. Prov 24, 16). Sed sane hic mos in usu fuisse potest, ut, qui magnum principem adibat, eum septies salutaret.

[3] Verbum סָגַד (Arab. *saǵada*) = *procubuit* adorandi causâ nisi de idolorum cultu non usurpatur.

[4] Ex equo vel camelo descendere etiam nunc in oriente signum venerationis est, quo etiam feminae viros afficere solent.

Summus honor publicus regibus eorumque legatis ac viris bene meritis urbem sollemniter ingredientibus exhiberi solebat. Qua occasione plateae aquis adspergebantur, ne pulveres excitarentur, ac floribus, frondibus, tapetis sternebantur (II Rg 9, 13. Mt 21, 8. cf. I Mcc 13, 51. II Mcc 10, 7. LXX Jdth 15, 12); fenestrae ad plateam vergentes aperiebantur (II Rg 9, 30); spectantes manibus plaudebant et undique clamores laetantium resonabant (I Sm 18, 6. I Rg 1, 39—41. II Rg 9, 13. Jos. AJ 11, 8. 5: 16, 2. 1); noctu faces quoque incendebantur (II Mcc 4, 22).

In sermone cum viris dignitate superioribus neque raro etiam cum hominibus aequalis condicionis Hebraei se ipsi עֲבָדִים *servos,* quos alloquebantur, אֲדֹנִים *dominos* appellabant (Gn 18, 3. 5; 19, 2. 19; 32, 5; 33, 5; 44, 18. 24. 33. Jdc 19, 19. I Sm 17, 32. 34; 20, 8. Jes 36, 11. Dt 1, 12; 2, 4. 7; 10, 17) atque de se ipsi eâ modestiâ loquebantur, quae nobis nimiae humilitatis esse videtur (I Sm 24, 15. II Sm 9, 8. II Rg 8, 13). Absentibus quoque, quos favori patronorum commendare volebant, nomen *servorum* imponebant (Gn 32, 18. 20: 43, 28; 44, 30). Honoris ac reverentiae causâ reges et principes tertiâ personâ loco secundae alloquebantur. Gn 27, 31 Esau patrem alloquitur: „Surgat pater meus et comedat“. Dn 2, 7 magi Nebucadnezar alloquuntur: „Rex somnium dicat servis suis“ i. e. nobis.

Honorum nomina apud Hebraeos nota non erant praeter ea, quibus munus aliquod significabatur, velut *rex, princeps, iudex.* Prophetae honoris causâ plerumque *patres* salutabantur, etiam a regibus (II Rg 2, 12; 5, 13; 6, 21. Jes 22, 21). Aetate Christi ad alios, imprimis scribas, salutandos et cum reverentia alloquendos titulus רַבִּי, Graece ῥαββί usitatus erat (Mt 26, 25. 49. Mc 9, 5; 11, 21. Jo 1, 39; 3, 26; 4, 31; 6, 25; 9, 2). Maior reverentia titulo רִבּוֹנִי sive רִבּוֹנִי (= רִבּוֹן sive רִבּוֹן c. suff.), Graece ῥαββουνί sive ῥαββονί exprimebatur (Mc 10, 51, Jo 20, 16). Ceterum pro רבי in novo testamento etiam ponitur κύριε (Mt, 8, 2. 6. 8. 21. 25. al.) vel διδάσκαλε (Mt 8, 19; 26, 18. Mc 13, 1; 14, 14. Lc 22, 11. Jo 13, 13) vel ἐπιστάτα (Lc 5, 5; 8, 24. 45; 9, 33. 49; 17, 13).

Pharao Gn 41, 45 Joseph titulo צָפְנַת פַּעְנֵחַ ornavit (Graeci Alexandrini et eae versiones, quae ad eos revocandae sunt, Ψονθομφανήχ legunt). Quod vocabulum unde ducendum sit, viri docti (*R. Lepsius, H. Brugsch, A. Erman, E. Naville, G. Steindorff,* alii) dissentiunt. Potissimum pro-

bandae sunt eae originationes, quas vel F. Chabas vel J. Lieblein proferunt, quorum ille *sfnt-pʿnḫ* = *ḏef-nt-pa-ânḫ* = *abundantiam vitae,* hic *ḏefenti-pa-ânḫ* = *qui vitam alit* intellegit. Cf. H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I, 258—261.

II. Delectationis et communionis sermonis causâ ad portas urbanas conveniebatur (Gn 19, 1; 34, 20. II Sm 19, 9. Job 29, 7. Thrn 5, 14). Ibi de rebus et publicis et privatis agebatur (Prov 31, 23. 31); ibi irrisiones et maledicta audiebantur (Ps. 69, 12 s. Job 30, 9. Thrn 3, 14); ibi quin res bellicae quoque maiorum narratae et cantatae sint, ut hodie in oriente, dubium non est. Ruri ad puteos quoque conveniebatur (Gn 29, 3 ss.); ibi et Jahvae carmina canebantur (Jdc 5, 11) et alia, ut fortasse canticum putei (Nm 21, 17 s.).

Qui quem visitare (פָּקַד, Arab. *phaḳada*) cupiebat, fores domus pulsare solebat simulque interdum clamare, dum dominus vel ianuae custos egressus eum introduceret (Jdc 19, 22. Mt 7, 7. Lc 12, 36; 13, 25. Act 10, 7 s; 12, 13. cf. II Rg 5, 9). Aegrotos visitare commendatione dignissimum habebatur (Sir 7, 39. Mt 25, 36. 43. Conferas etiam illud talmudistarum: „Quicumque non visitat aegrotos, perinde est ac si effunderet sanguinem“). Viris nobilibus non modo adventus prius significandus, verum etiam dona (מַתָּנָה, מִנְחָה) ad venerationem testificandam apta ferenda erant [1]. Cuius moris origo a primis regibus, qui nulla tributa exigebant, ducenda esse videtur (I Sm 10, 27; 16, 20. I Rg 4, 21; 10, 25. II Chr 9, 24; 17, 5). Quod ad postremum in consuetudinem abiit, ut nemo, qui regem adibat, sine dono accederet. Qui mos ad alios quoque viros nobiles (Gn 43. 11. I Sm 9, 7 s. Jdth 10, 5. Mt 2, 11), quin etiam ad homines aequalis condicionis, qui visitabantur (Esth 9, 19. 22. Prov 18, 16), transiit. Dono offerebatur, quodcumque utile esse poterat, non modo argentum (I Sm 9, 8. II Sm 18, 11), vestimenta, arma, ornamenta (Gn 24, 53. I Rg 10, 25), sed etiam fructus, pecudes, alimenta varii generis (Gn 32, 13—21; 33, 10 s; 43, 11. I Sm 9, 7; 16, 20. I Rg 10, 25; 14, 3. II Chr 17, 11). Ut etiam nunc in oriente moris est, dona ad reges et principes sollemniter a servis et iumentis portabantur et quodlibet munus, etiam pondere levissimum, a singulari viro aut iumento ferebatur (cf. Jdc 3, 18. II Rg 8, 9). Res autem parvi pretii non ipsis principibus, sed in usum domesticum offerri solebant (I Sm 25, 27). Ceterum reges et ipsi iis, quibus favebant, varia munera, imprimis vestimenta et alimenta, dare solebant (Gn 41, 42. II Sm 11, 8. Esth 2, 18; 6, 8; 8, 15. Du 5, 16. 29. Jos AJ 12, 2, 13) [2]; etiam aliis regibus dona mittebant (II Rg 20, 12. Jes 39, 1). Reges autem inferiores potentioribus, si ab iis auxilium petunt, munera deferre mos vetus est, imprimis in

oriente usitatus (I Rg 15, 19. II Rg 16, 8., e quibus locis apparet munera illa praecipue ex auro et argento constitisse; verumtamen locus Hos 12, 2 docet inter munera, quae Ephraimitae in Aegyptum miserunt, etiam oleum fuisse). Neque antiquiores prophetae dona sibi oblata recusabant (I Sm 9, 7. I Rg 14, 2 s. II Rg 4, 42; 8, 8 s.), nisi interdum ex indignatione (I Rg 13, 7—9. II Rg 5, 16). Postea vero cum falsi prophetae vaticinia sua pro ratione donorum ederent (Ez 22, 25. Mich 3, 11), veri prophetae dona respuebant [3].

[1] Quam consuetudinem apud alias quoque gentes antiquas reperimus. Velut Aelianus Var. hist. 1, 31 de regibus Persarum memoriae tradit: Νόμος οὗτος Περσικὸς ἐν τοῖς μάλιστα ὑπ' αὐτῶν φυλαττόμενος, ὅταν εἰς Πέρσας ἐλαύνῃ βασιλεύς, πάντες αὐτῷ Πέρσαι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἕκαστος προσκομίζει. Etiam nunc orientales, si quem dignitate conspicuum adituri sunt, praemissis muneribus accessum sibi faciliorem reddere propitiosque animos sibi conciliare solent. Munera oblata repudiare maximi contemptus habetur.

[2] Maior erat honor, si quis vestem, qua indutus erat, alteri donabat (I Sm 18, 4). Nonnumquam dominus cenae omnibus hospitibus ante convivium vestimenta largiebatur, quibus induti ad cenam ibant. Atque reges habebant מַלְתָּחָה sive conclave, in quo magna vestimentorum copia servabatur (II Rg 10, 22). Ceterum novam vestem donare apud principes orientis etiam hodie signum singularis benevolentiae esse, quo haud raro ii quoque ornantur, quibus novum idemque grave munus demandatur, ex commentariis itinerum constat.

[3] Severe vetita erant dona (שֹׁחַד), quae animos iudicum et testium excaecant eorumque sententias pervertunt (Ex 23, 8. Dt 10, 17; 27, 25). Tamen frequentes sunt quaerelae de iudicibus iniustis, qui muneribus corrupti insontibus ius eripiunt, reos et suppliciis obnoxios innocentes declarant (cf. I Sm 8, 3. Jes 1, 23; 5, 23; 10, 1 s; 33, 15. Jer 22, 3. Am 2, 6 s; 5, 12; 6, 12. Mich 3, 11; 7, 3. Ps 26, 10. Prov 18, 5; 24, 2).

III. Hospitalitatem, quae ex magna vitae morumque simplicitate profecta erat, Hebraei iam ab antiquissimis temporibus exercere solebant (Gn 18, 1 ss; 19, 1 ss.). Neque enim apud Hebraeos publica deversoria erant neque quisquam hospitibus excipiendis quaestum faciebat. Omni autem tempore fuisse loca quaedam publica sine supellectile, ubi viatores gratuito recipiebantur neque tamen cibi ministrabantur (eius modi loca hodie in oriente *Mensils, Châns* appellantur), ex nonnullis sacrarum litterarum locis colligitur (מָלוֹן Gn 42, 27; 43, 21. Ex 4, 24. גֵּרוּת Jer 41, 17 [quo loco Josephus AJ 10, 9. 5 גֵּדֵרוֹת legisse videtur], κατάλυμα Lc 2, 7. πανδοχεῖον ib. 10, 34).

Praecipua hospitalitatis officia erant: peregrinis obviam progredi eosque benevole invitare (Gn 18, 3; 19, 2. Ex 2, 20. Jdc 13, 15; 19,

20), eorum pedes lavare (Gn 18, 4; 19, 2; 24, 32; 43, 24. Jdc 19, 21. I Sm 25, 41. Lc 7, 44) [1], quaecumque et ipsis et iumentis necessaria erant, iis ministrare (Gn 18, 5—8; 19, 3; 24, 25. 32. Ex 2, 20. Jdc 13, 15; 19, 20 s.), eos discedentes aliquantum spatii comitari (Gn 18, 16; 31, 27) [2]. Hospites recusare (Jdc 19, 15) vilissimi hominis habebatur (Job 22, 7; 31, 31 s.). Etiam temporibus recentioribus φιλοξενία, etsi minus necessaria erat quam aetate antiqua, tamen Judaeis commendatione dignissima videbatur (cf. Rom 12, 13. I Tim 5, 10. Hebr 13, 2. I Ptr 4, 9).

Hospitum iura sancta erant eorumque saluti et incolumitati omni modo consulebatur (cf. Gn 19, 7 ss. Jos 2, 2 ss. Jdc 19, 16 ss.) [3]. Atque etiam nunc apud plerasque gentes orientis, quin etiam apud Arabes latrocinantes iura hospitum sancta habentur. Et profecto in illis regionibus incultis, ubi nulla fere deversoria peregrinis patent, nisi in urbibus magnis, quae longis intervallis distant, hospitalitas et aequa et necessaria est [4].

Conferas M. Löhr, Gastfreundschaft im Lande der Bibel einst und jetzt (Palästinajahrbuch II, 1906, 52—63).

[1] Quod in oriente, itinere longinquiore confecto, maxime necessarium est, quippe cum orientales soleas tantum pedibus alligent aut nudis pedibus incedant. Quapropter ablutio pedum symbolum erat hospitalitatis (I Tim 5, 10).

[2] Apud Graecos hospitum honoris causâ etiam sacra facta esse ex eo colligitur, quod apud Homerum Iliad. 6, 174 rex Syriae Bellerophontem mactatis sacrificiis excepisse dicitur: ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν. Augustinus, Quaest. in Heptateuch. 7, 53 (MSL 34, 822 s.) existimat Jdc 13, 15 s. etiam Manoah angelum non simpliciter tamquam hospitem cibo haedi excipere, sed haedum ipsum in sacrificium eucharisticum offerre, deinde pro more sacra facientium in convivium convertere voluisse; angelum vero non sacrificium eucharisticum, sed holocaustum voluisse. At verisimile non est Manoah quidquam aliud intendisse nisi ut epulum aliquod hospitale angelo pararet idque sine sacrificio. Neque enim in vetere testamento aliud exemplum reperitur, ex quo hospites sacris eucharisticis exceptos esse constet. Neque est, quod Augustinus, ut opinionem suam probet, verbum נַעֲשֶׂה *faciamus* (v. 15) premat, cum עָשָׂה *facere* et ab Hebraeis et a Latinis de opera sacra facientis usurpetur. Nam id verbum saepius etiam ad operam parandorum ciborum significandam adhibetur, ut Gn 18, 7 s. II Sm 12, 4.

[3] Auctor libri Sapientiae 19, 13. 15 scelus Aegyptiorum ex eo auctum esse iudicat, quod εὐεργέτας ξένους (i. e. populum Israeliticum), quos antea μετὰ ἑορτασμάτων receperant, postea in servitutem redegissent.

[4] In sacris litteris is quoque hospes appellatur, qui aliquem hospitio excipit, velut Rom 16, 23.

Sectio tertia

De litteris et studiis altioribus

Caput primum

De litteris

Praesidia doctrinae. — L. Reinke, Ueber die Schreibkunst bei den Hebräern im mosaischen und vor- und nachmosaischen Zeitalter (Beiträge V, 201—237. Münster 1863). — H. Brugsch, Ueber Bildung und Entwicklung der Schrift. Berlin 1868. — Js. Taylor, The alphabet. London 1883. — Ph. Berger, Histoire de l'écriture dans l'antiquité. Paris 1891. — Frd. Delitzsch, Die Entstehung des ältesten Schriftsystems. Leipzig 1897. — M. Lidzbarski, Ephemeris für semitische Epigraphik I, 2 (Gießen 1901) 109—136: Der Ursprung der nord- und südsemitischen Schrift; I, 3 (1902) 261—271: Der Ursprung des Alphabetes. — L. Blau, Studien zum althebräischen Buchwesen und zur biblischen Literaturgeschichte. Budapest 1902. — F. Praetorius, Ueber den Ursprung des kanaanäischen Alphabets. Berlin 1906. Das kanaanäische und das südsemitische Alphabet (ZDMG LXIII, 1909, 189—198). — A. S. Zerbe, The antiquity of Hebrew writing and literature, or problems of Pentateuchical criticism. Cleveland 1911. — H. Hirschfeld, Recent theories on the origin of the alphabet (Journal of the Royal Asiatic Society 1911, 963—977).

I. Quaestio originis litterarum antiquorum Cananaeorum (Hebraeorum) ne nunc quidem ad exitum adducta est. Plerique putant eas ex Aegypto profectas esse, id quod iam Tacitus (Annal. 11, 14) existimavit (J. Olshausen, F. Lenormant, F. J. Lauth, G. Ebers, H. Brugsch, E. de Rougé, G. Maspero, J. Halévy, B. Stade, alii). Atque J. Halévy litteras antiquorum Semitarum ex scriptura hieroglyphica, E. de Rougé ex signis hieraticis, quae ex signis hieroglyphicis orta sunt, ducendas esse putavit. At utraque sententia haud sine gravibus causis dubitatur. Alii litteras Semiticas ex scriptura cuneiformi Assyriorum posterioris aetatis ducendas esse demonstrare student (W. Deecke). Contra quod item multa et gravia afferuntur. Alii putant scripturam Semiticam ex quadam scriptura in Babylonia inventa, in qua singuli soni quibusdam lineis inter se iunctis (Strichelschrift) significati sint, manasse (M. A. Levy). At talem scripturam umquam fuisse effici non potest. Alii opinantur litteras Hebraicas ex scriptura Chittaeorum pendere (E. Meyer). Quod probari vix potest, cum lingua Chittaeorum non in linguis Semiticis adnumeranda sit. Alii denique existimant scripturam Cananaeorum (Hebraeorum) antiquorum in terra Semitica ortam esse (P. de Lagarde),

quod verisimillimum esse putandum est. Nam id ea re confirmatur, quod ex viginti duabus litteris certe tredecim nihil aliud sunt nisi rudis imago eius rei, quae nomine litterae significatur. Auctor verbi causâ stimulum boum adumbravit eamque imaginem significationem pro ל intellexit, quia ita celerrime de vocabulo למד admonebatur. Quae cum ita sint, dubium non est, quin Semitae antiqui, scripturam hieraticam Aegyptiorum imitati, litteras excogitaverint, i. e. acrophoniam, quae vocatur, ad eas formandas adhibuerint, ex qua apud Aegyptios verbi causâ manus *(tot),* litteram *t,* leo *(laboi)* litteram *l* significat (M. Lidzbarski, E. Kautzsch, E. König).

De ordine litterarum Hebraeorum sero demum iis carminibus, quae acrosticha nominantur (Ps 9. 10. 25. 34. 37. 111. 112. 119. 145. Prov 31, 10—31. Thrn 1—4), docemur. Sed ex ratione scribendi, quae nomine *Atbaš* significatur, secundum quam in vocabulis pro prima littera ordinis illius ultima, pro secunda paenultima etc. substituebatur, cognovimus illum ordinem veterem esse (cf. Jer 25, 26 et 51, 41); idem numeris Graecorum demonstratur (α = 1, ι = 10, ρ = 100). Longe alius erat apud Aethiopas ordo litterarum, qui ex duplici serie undenûm litterarum constabat, ita tamen ut posterior series (ת-כ) priorem locum obtineret.

II. Hebraei non ab initio iisdem litteris, quas in antiquis codicibus Hebraicis invenimus, usi sunt, sed antiqua Hebraeorum scriptura *formae Canaanaeae,* posterior (quae כְּתָב מְרֻבָּע *scriptura quadrata* vocatur) *Aramaeae* est.

1) Memoratu dignissimum monumentum scripturae Canaanaeae est *lapis Mesa,* regis Moabitarum, anno 1868 a F. H. Klein, missionario Germanico, in ruinis urbis Dîbôn (nunc Dîbân) inventus. Quem lapidem, qui, cum ex nigro basalte constet, integer manserat, consul Germanicus, qui eo tempore Hierosolymis erat, frustra sibi comparare studuit. Paulo post C. Clermont-Ganneau, interpres consulis Franco-gallici, exemplar inscriptionis quamvis mancum confecit. Sed ipsum lapidem, cum eum acquirere conaretur, Arabes superstitionibus imbuti vexationesque Turcarum veriti contuderunt. Fragmenta autem maiora minoraque paulatim conquisita Lutetiam Parisiorum delata sunt ibique in Louvre asservantur. Ope primi illius exemplaris progrediente tempore tota fere inscriptio componi et critica ratione explanari potuit. Quae inscriptio virorum doctorum est dignissima. Nam cum monumentorum Semiticorum antiquissimum sit (i. e. noni a. Ch. n. saeculi), ad notas litterarum Semiticarum indagandas et linguam Hebraicam illius aetatis cognoscendam maximi est momenti. Nec minus pertinet ad veteris testamenti de Moabitis narrationes confirmandas, illustrandas, complendas.

Altitudo lapidis est 1·13 m, latitudo 0·70 m, crassitudo 0·35 m. In inscriptione triginta quatuor linearum rex Mesa de victoriis de gente Israelitica reportatis et de operibus suis (de viis restauratis et de capite regni ornato) narrat; ab Omri, rege Israelitarum, eiusque filio (Ahab) diu Moabitas vexatos esse; cum autem Israel perisset (i. e. domus Omri a Jehu regno spoliata esset), se fines Madeba vi recuperasse finesque regni ad septentriones protulisse. Id vero Mesa non dicit se ipsum etiamtum tributum Israelitis pependisse (II Rg 3, 4), neque belli a Juda et Israel contra Moabitas communiter suscepti, quod pro Moabitis felicem exitum habuit (ib. v. 6—27), mentionem facit [1].

Pari aetate, fortasse vetustiore est ea inscriptio anno 1876 in Cypro inventa, quae deo *Baʿal-Lebânôn* ab homine, qui se „ministrum Hiram, regis Sidoniorum“ appellat, dicata est [2].

Quarum inscriptionum litteris pares aequalesque sunt formae eius inscriptionis sex linearum inaequalium, quae a *Siloah* vocatur et a C. Schick anno 1880 apud introitum ad meridiem spectantem eius canalis, quo fons dominae Mariae (ʿAin Sitti Marjam) cum fonte Siloah (ʿAin Silwân) coniungitur, inventa est. Quam inscriptionem, quae breviter tradit, quo modo canalis ille ducenta cubita (= 537·6 m) longus e rupe excisus sit, octavi a. Ch. n. saeculi esse verisimile est [3].

Praeterea quadraginta illi *lapides signatorii*, qui adhuc in Palaestina inventi sunt, scripturam Canaanaeam ostendunt [4]. Item ea inscriptio (circiter sexti a. Ch. n. saeculi), quae anno 1908 in *Dschezer* inventa est atque opera agricolarum per singulos annos facienda enumerat [5]. Litteris Canaanaeis etiam *ostraca* in Tell Sebasṭîje inventa conscripta sunt. Sunt septuaginta quinque testae fictiles, quae breves adnotationes calamo et atramento scriptas exhibent et medii saeculi noni sunt [6].

Eodem *signa* quoque *amphorarum ansis impressa* pertinent, quorum plurima in collibus ruderum plenis planitiei Šephela inventa sunt. Multa modo sigillorum nomen tantum possessoris eiusque patris ostendunt. Haud pauca autem praeter symbolum (scarabaeum, orbem solis alatum) etiam vocabulo למלך (= *regi*) et nomine urbis cuiusdam (*Hebrôn*, *Ṣôhoh*, *Zîph*, *Mamšet* vel fortasse rectius *Morešet*). Quas amphoras vinum vel oleum continuisse, quod urbes illae regi tradiderant, et a figulis regiis in Netaʿîm et Gedera commorantibus, quorum I Chr 4, 23 mentio fit, confectas esse verisimile est [7]. In Tell es-Sulṭân (Jericho) etiam tredecim testae, quibus nomen *jah* vel *jahu* inscriptum est, inventae sunt [8].

Eadem fere scriptura in *nummis* Simonis principis eiusque successorum et in iis nummis, qui, cum Judaei rebellarent, Vespasiano et

Hadriano imperatoribus procudebantur. Neque Samaritanorum scriptura quidquam aliud est nisi immutata scriptura antiquorum Hebraeorum, id quod ipsi testantur.

[1] R. Smend-A. Socin, Die Inschrift des Königs Mesa von Moab. Freiburg 1886; M. Lidzbarski, Handbuch der nordsemitischen Epigraphik I, 103—105. 415 s; A. Jeremias, Das AT im Lichte des AO[2] 540—543; H. Gressmann, Altorientalische Texte und Bilder zum AT I, 172 s; S. R. Driver in EB III, 3040—3048. — A multis dubitatum est, verane inscriptio sit, sed iniuriâ, quod E. König (ZDMG LIX, 1905, 233—251. 743—756) demonstravit.

[2] Js. Taylor, op. all. I, 213 s; Ph. Berger, op. all. 122 ss.

[3] ZDPV III, 1880, 54 s. (A. Socin). IV, 1881, 102—114 (E. Kautzsch), 250—271 (H. Guthe). V, 1882, 205—218 (E. Kautzsch); M. Lidzbarski, op. all. I, 439. II, tab. 21; H. Gressmann, op. all. I, 174 s.

[4] B. Stade in ZAW XVII, 1897, 204—206; J. Benzinger, Hebräische Archäologie[2] 222—226.

[5] H. Vincent in RB N. S. VI, 1909, 243—269; K. Marti in ZAW XXIX, 1909, 222—229.

[6] RB N. S. VIII, 1911, 290—293.

[7] P. Thomsen, Kompendium der palästinischen Altertumskunde 86.

[8] E. Sellin und C. Watzinger, Jericho 158 s.

Scripturae Cananaeorum antiquorum eadem fere ac par est scriptura Phoenicum. Atque de inscriptionibus in Phoenice inventis magni est momenti inscriptio arcae regis *Ešmunazar*. Quae arca anno 1855 in loco funeribus destinato, qui apud urbem Ṣaida situs est (Murârat Ablûn), inventa nunc Parisiis (in Louvre) asservatur. Inscriptio, quarto a. Ch. n. saeculo orta, viginti duas lineas (nongenta nonaginta verba) continet et in nigro basalte incisa est. In qua inscriptione rex templa a se aedificata commemorat; se fines imperii protulisse gloriatur; si quis sepulcrum suum violarit, devovet [1].

Memoratu quoque dignae sunt duae tabulae, quarum una anno 1845 *Massiliae* [2], altera anno 1858 *Carthagine* [3] inventa est. Quae inscriptiones anno fere a. Ch. n. trecentesimo ortae sunt et varia praecepta de sacrificiis, caerimoniis, vectigalibus sacerdotibus pensitandis, aliis eius modi rebus continent, quae aliqua ex parte cum legibus Mosaicis congruunt. Prior inscriptio in museo Massiliensi, posterior in museo Britannico Londini asservatur.

[1] CIS I, 3. K. Schlottmann, Die Inschrift Eschmunazars, Königs der Sidonier. Halle 1868; M. Lidzbarski, op. all. I, 97 s. 417 s. II, tab. IV, 2.

[2] CIS I, 165. M. Lidzbarski, op. all. I, 97. 164. 428. II, tab. XI; H. Gressmann, op. all. I, 177 s.

[3] CIS I, 167. M. Lidzbarski, op. all. I, 429. II, tab. XII, 1; H. Gressmann, op. all. I, 178 s.

2) Antiquissima monumenta scripturae Aramaeae ex effossionibus in Syria ad septentriones vergente (Gerǧîn-Zenǧîrlî) factis profecta sunt. Eius scripturae est inscriptio regis Panammu a Ja'udi, quae in simulacro quodam dei Hadad legitur et triginta quattuor lineas continet („inscriptio Hadad"). Anno 1890 in Gerǧîn inventa et probabiliter priore parte octavi a. Ch. n. saeculo orta est [1]. Deinde inscriptio viginti trium linearum in lapide, quem rex Bir-rôkeb a Šam'al patri Panammu bar Bir-ṣûr exstruxit [2]. Quem Panammu cum eundem esse atque eum Panammu, cuius in numero eorum principum, qui regi Tiglat-Pileser III tributa pendere debebant, mentio fit, verisimile sit, illa inscriptio anno 1888 inventa octavi saeculi est. Inscriptio regis Kalumu (כלמו, Ka-lu-mu-um) in Zenǧîrlî inventa litteris Canaanaeis confecta est. Probabiliter altera parte noni saeculi orta est et Berolini asservatur [3]. Aliae quoque inscriptiones eodem pertinent.

[1] M. Lidzbarski, opp. all. I, 440—442.
[2] Ib. I, 442 s.
[3] Cf. J. Hehn in BZ X, 1912, 113—124.

Quarum inscriptionum litterae haud raro similes sunt formis inscriptionis Mesa atque illius inscriptionis, quae in Cypro inventa est. At paulatim singulae litterae immutatae sunt. Eius modi mutationes praeter alias inscriptiones etiam inscriptio illa Aramaea, quae a J. Euting in Arabum urbe Teimâ inventa est et ante annum a. Ch. n. quingentesimum confecta esse videtur, exhibet. Magis mutata est scriptura et papyrorum, quas Aramaei in Aegypto scripserunt, et inscriptionum Nabataeorum et Palmyrenorum. Ex papyris et testis in urbe Assuân et insula Nili Elephantine inventis optime cognoscimus, qualis fuerit scriptura Aramaea aetate Esra. Formas scripturae quadratae in inscriptione quadam, quae in ʿArâk el-Emîr apud ruinas regiae Hyrcani inventa et fortasse anno a. Ch. n. centesimo septuagesimo sexto orta est, deprehendimus. Plane expressa est scriptura quadrata in inscriptionibus prope Hierosolyma inventis: in inscriptione, quae in sepulcro sancti Jacobi, quod vocatur, inventa et fortasse primo a. Ch. n. saeculo orta est; in inscriptione arcae sepulcri Helenae (matris regis Izates, qui regnum Adiabenen imperiis Romano et Parthico finitimum gubernavit), quae primi p. Ch. n. saeculi est; in compluribus inscriptionibus, quae in Kafr-Birʿim prope Safed sito inventae et secundi p. Ch. n. saeculi sunt. Qui autem fuerit adspectus textus biblici vetustissimâ formâ scripturae quadratae exeunte primo

saeculo conscripti, papyrus Nash ostendit. Denique ad historiam scripturae quadratae inscriptiones sepulcrales in urbe Aden inventae, quae ex annis p. Ch. n. 717—718 et 916—917 profectae sunt, pertinent.

Ex iis, quae dicta sunt, apparet scripturam Hebraeorum antiquorum sensim atque pedetentim submotam esse. Neque merito Judaei (Babyl. Sanhedrin 21^b) et nonnulli patres ecclesiae (velut Origenes et Hieronymus) affirmant Esra scripturam quadratam, quam ex Babylonia secum tulerit (quare etiam כְּתַב אשורי *scriptura Assyria* appellatur), induxisse; quodsi Esra re vera fecisset, explicari non posset, scripturam Hebraeorum antiquorum etiam per complura saecula in usu fuisse, id quod nummis Judaeorum demonstratur.

III. Recentissima aetate de genere antiquissimae scripturae Hebraeorum nonnulli viri docti longe aliter iudicant atque prius doctum est, cum scripturam et linguam antiquissimarum partium veteris testamenti Babyloniam fuisse existiment.

Ac primus quidem H. Winckler (Altorientalische Forschungen III, 165 ss.) dixit scripturam cuneiformem apud Hebraeos fuisse scripturam religionis et administrationis reipublicae. Post eum A. Jeremias (Das AT im Lichte des AO^2 263) affirmavit decalogum litteris cuneiformibus Babyloniorum scriptum fuisse; qui Hebraeos etiam temporibus prophetae Jesaia eo scribendi genere ut sacro usos esse existimat. Longius J. Benzinger (Hebräische Archäologie^2 178) processit, cum diceret Hebraeos usque ad aetatem regis Josia scripturâ Babyloniâ usos esse. Tum E. Naville (La découverte de la loi sous le roi Josias 29 s.) docuit scripturam et linguam Babyloniorum ab omnibus Hebraeorum scriptoribus, qui ante regem Salomo fuerunt, adhibitam esse. Postremo P. Riessler (Das alte Testament und die babylonische Keilschrift. ThQ XCIII, 1911, 493—504) in libris veteris testamenti complura vestigia deprehendi, unde scriptores textibus cuneiformibus usos esse appareat, demonstrare studuit.

Contra quae dicimus haec: **1)** De scriptura Babyloniorum ab Hebraeis usurpata haec cogitanda sunt: Praeter tabulas fictiles in Tell el-ʿAmârna et in Tell Taʿannek effossas, quae temporis sunt, quod immigrationem Hebraeorum in terram Canaan antecedebat, tres textus litteris cuneiformibus conscripti, qui ad tempus posterius pertinent, in Palaestina inventi sunt: duae tabulae emptionis Assyriorum linguâ et litteris conscriptae, quae in Tell Dschezer inventae et annis 651 et 649 confectae sunt, et pars inscriptionis litteris cuneiformibus expressae, quae in Tell Sebaṣtîje effossa est. Quamquam autem tabulae in Taʿannek inventae documento sunt Cananaeos non solum in commercio principum et civitatum, sed etiam alias scripturâ et linguâ Babyloniâ usos esse, tamen ex ceteris textibus in Palaestina effossis concludi non potest Hebraeos antiquioribus temporibus scripturam Babyloniam adhibuisse; nam scrip-

turae cuneiformes in Sebaṣtîje et Dschezer inventae ab Assyriis quoque profectae esse possunt, qui post annum 722 in media Palaestina imperare coeperunt. Pars illa inscriptionis cuneiformis in Sebaṣtîje inventa in infimo muro quodam, qui Babylonio structurae genere aedificatus erat, inventa est, tabulas autem emptionis in Dschezer effossas propterea Assyriorum esse verisimile est, quod ea urbs saeculo septimo vel praesidium vel coloniam Assyriorum habebat. Quod utcumque se habet, ea inventa non sunt testimonia Hebraeos etiam tum scripturâ cuneiformi usos esse, si suâ linguâ scribebant, neque dubium est, quin tum suâ quoque scripturâ usi sint. Atqui studiis nuperrime factis demonstratum est Phoenicum litteras, quibus Hebraei quoque antiqui utebantur, multo esse vetustiores, quam ultimis decenniis vulgo existimabant. Ad litteras Phoenicum (antiquorum Semitarum) excolendas longiore temporis spatio opus fuit, id quod vestigiis satis certis confirmatur. Nam id ut defendamus, cum aliis rebus tum hac ipsa adducimur, quod scriptura eorum Semitarum, qui ad meridiem versus habitabant, non ex litteris lapidis regis Mesa, sed ex alia specie scripturae antiquorum Semitarum sive Phoenicum manavit, ut illa scriptura multo ante regem Mesa paulatim exculta esse existimanda sit [1]. Ad hoc rerespiciendum est litteras Phoenicum a Graecis iam aetate, quae est inter annum a. Ch. n. millesimum ducentesimum et millesimum, receptas esse [2]. Praeterea W. M. Flinders Petrie prope montem Sinai inscriptionem invenit, quam propter signa minime exculta ad millesimum quingentesimum fere a. Ch. n. annum refert [3]. Etiam monumento quodam Aegyptio, quod circiter ad annum a. Ch. n. millesimum centesimum refertur, vetustas scripturae Phoenicum comprobatur. Nam Wen-Amon Aegyptius principi Bybliorum quingenta volumina papyri (sine dubio ut calamo et atramento, non litteris cuneiformibus ut lateres et lapides inscribantur) tradit et is princeps „commentarios patrum“ afferri et recitari iubet (qua in re solis de voluminibus papyri, non de tabulis fictilibus cogitari potest) [4]. Apud Hebraeos autem tabulas fictiles in usu fuisse nusquam accepimus. In Tell el-Mutesellim testae inventae sunt inter saecula sextum decimum et tertium decimum ortae cum signis, quae litteris א et ת scripturae Hebraeorum antiquorum respondent [5]. Atque si אורים et תמים cum prima et ultima littera elementorum Hebraeorum antiquorum cohaerent, scripturam eorum usque ad aetatem Mosis pertinere iudicare licet [6].

Quod utut est, constat ex sacris litteris effici non posse scripturam cuneiformem ad libros veteris testamenti adhibitam esse. Velut verba Ex 32, 16 מִכְתָּב אֱלֹהִים nihil aliud valent nisi *scripturam dei* neque in legibus scribendis propriam et sacram scripturam i. e. scrip-

turam cuneiformem adhibitam esse significant. Item falso dicitur Deuteronomium Babyloniorum scriptura (et lingua) conscriptum fuisse, quod inde appareat, quod Hilkia summus sacerdos id, cum in templo renovando anno a. Ch. n. 621 invenisset, legere non potuerit. Nam primum cogites Hilkia, quod II Rg 22, 8 ad Saphan scribam dicit: „Librum legis (סֵפֶר הַתּוֹרָה) repperi in domo Jahvae", non Deuteronomium intellexisse neque dici id tum primum ut legem Mosis promulgatum esse. Sed vocabulum תורה hîc potissimum idem valere videtur ac *doctrina, institutio,* ut verba ספר תורה Dt c. 5—28, imprimis c. 5—11 intellegenda sint, quae pars sacrarum litterarum aliquo modo in templo amissa et, cum id reficeretur, rursus inventa est. Certe tantum de libro legis iam noto, non de novo libro legis tum promulgato agitur. Accedit, ut verba extrema II Rg 22, 8: „Qui (Saphan) legit illud (volumen)" non in verba: „Qui recitavit ei (pontifici) illud" commutare liceat. Ceterum ea verba, quae II Chr 34, 15 non leguntur, aliena manu addita esse (ex v. 10) existimanda sunt. Neque ex Jes 8, 1 colligi potest fuisse, quod differret inter scripturam Babyloniam ut sacram et Hebraicam ut profanam; nam si ita fuisset, de sententia divina a propheta populo renuntianda profana scriptura electa esset („Scribe בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ" i. e. magnis neque coniunctis litteris, quas simplices homines et qui pauca scribant facere solent, cf. Gal 6, 11); praeterea si diversitas significaretur, quae inter peregrinam et vernaculam scripturam intercederet, dicendi modus alius esset, ut: Scribe בחרט עברי i. e. Hebraicâ scripturâ!

Denique in libris veteris testamenti nullum vestigium occurrit, quo quasdam eius partes ex scriptura cuneiformi Babyloniorum postea in scripturam antiquorum Hebraeorum transcriptas esse demonstratur. Quod autem nonnulli tale vestigium Esr 7, 6 in cognomine Esra סֹפֵר מָהִיר בְּתוֹרַת מֹשֶׁה deprehendisse sibi videntur, etiamsi vocabulum ספר hîc non librorum sacrorum peritum, sed scribam significat, tamen inde effici non potest legem Mosaicam ab Esra ex scriptura cuneiformi in aliam transcriptam esse. Ceterum Babyl. Sanhedrin 21^{b} legimus initio legem genti Israeliticae Hebraicis litteris, aetate autem Esra aliis conscriptam datam esse, quae כתב אשורי *scriptura Assyria* i. e. *scriptura Aramaica* appellantur.

Opinionem autem eorum, qui in compluribus textibus Hebraicis veteris testamenti clara vestigia reperiri dicunt, unde eos antea Babyloniorum linguâ et scripturâ conscriptos fuisse, sed cum in Hebraeorum linguam converterentur eorumque in scripturam transcriberentur, haud recte intellectos esse appareat, nequaquam iustis argumentis inniti iis textibus diligentissime perpensis demonstratum est.

[1] F. Praetorius in ZDMG LXIII, 1909, 191.
[2] Cf. A. S. Zerbe, op. cit. 136.
[3] Ibidem 152 s.
[4] H. Gressmann, Altorientalische Texte und Bilder zum alten Testament I, 227. 229.
[5] R. Kittel, Geschichte des Volkes Israel I², 120.
[6] E. Sellin, Einleitung in das alte Testament 8.

2) De lingua ab Hebraeis adhibita id imprimis spectandum est, quod Abrahamidae in terram Canaan immigrantes non linguâ Babyloniâ, sed propriâ, quae linguae Cananaeorum-Phoenicum simillima est, locuti sunt [1]. Neque usquam quidquam apparet, quo Hebraeos antiquos umquam linguam mutasse demonstretur. Atque ne in iis quidem, quae in libris sacris de commercio Hebraeorum et Cananaeorum memoriae traduntur, ullum vestigium reperitur, unde eos interpretis indiguisse appareat.

Linguam autem Hebraicam a Babylonia-Assyria diversam esse ex Jes 28, 11 cognoscimus, ubi propheta hostes Assyrios in regnum Juda irruptionem facturos לַעֲגֵי שָׂפָה *balbutientes labiis* i. e. barbare loquentes vocat, quia ii, qui peregrinâ linguâ loquuntur, hominibus eam ignorantibus balbutire videntur. Apparet igitur linguam Assyriam, quamvis ad familiam Semiticam pertineat et multa verba cum lingua Hebraica communia habeat, tamen ab Hebraeis temporibus prophetae Jesaia intellectam non esse. Et quod idem propheta 33, 19 Judaeis minatur Assyrios adventaturos hostesque ita describit, ut sint „populus profundi labii ab audiendo“ (i. e. barbarâ linguâ utens, quae obscurior est quam ut intellegatur), „populus linguae peregrinae, quam non intellegis“, constat linguam Assyriam, quamvis quodam modo Hebraicae similis sit, tamen tanto discrimine ab ea differre, ut Judaeis lingua peregrina fuerit. Idem ex Jes 36, 11 (= II Rg 18, 26) colligendum est, ubi memoriae proditur Hiskia regnante legatos Judaeorum a Rabsace duce petivisse, ne Hebraice, sed Aramaice secum loqueretur, ne a populo Judaico intellegeretur. Si igitur Judaei linguam Aramaicam non intellegebant, multo minus Assyriam. Sunt quidem qui dixerint, etsi loco allato linguae Aramaicae mentio fieret, tamen Assyriam quoque eodem vocabulo intellegi posse, quod multi Aramaei iam pridem in Babylonia et Assyria habitavissent et scriptura Aramaica in Talmud (Babyl. Sanhedrin 21^b) כתב אשורי appellaretur. At respiciendum est Assyriam et Assyrios omnibus aliis locis libri prophetae Jesaia vocabulo אשור significari (ut 7, 20; 36, 1 s. 4. 8. 14) et vocabulum אַרְם, ubi simpliciter ponitur, semper Syriam occidentalem (Jdc 3, 10. I Rg 10, 29; 11, 25; 15, 18. II Rg 5, 1 s.) et imprimis Damascenam (Jes 7, 1. 8. Am 1, 5)

valere, ut Jes 36, 11 quoque ita intellegendum esse videatur. Posterioribus autem saeculis cum vocabulum אשור etiam ad regna Babyloniorum et Persarum significanda usurparetur (II Rg 23, 29. Esr 6, 22), scriptura quoque in novo regno Syrorum usitata אשורי appellari potuit. Neque vero inde efficitur priore illo tempore contrarie „Aramaice" (Jes 36, 11) pro „Assyriace" dictum esse [2].

Itaque ex locis allatis clare apparet octavo saeculo linguam Babyloniam-Assyriam Hebraeis ignotam fuisse. Neque demonstrari potest eam saeculis prioribus ad linguam Hebraicam pertinuisse, nisi forte vocabula חֲנִיךְ (Gn 14, 14) et *ḫanakuka* (tab. Ta'annek VI, 8) inter se cohaerere existimantur. Ex septimo demum saeculo i. e. ex eo tempore, quo inter Babylonios et Hebraeos perpetuum commercium intercessit, auctoritas Babyloniorum in lingua Hebraeorum aliquid valere coepit.

Denique animadvertendum est in vetere testamento nusquam dici has vel illas eius partes ex alia lingua conversas esse. Etiam ex Prov 25, 1 id tantum cognoscimus „viros regis Hiskia" sententias ab aliis locis in corpus quoddam transtulisse (הֶעְתִּיקוּ, LXX ἐξεγράψαντο). Et quod Neh 8, 8 Levitae „in libro, in lege dei distincte (מְפֹרָשׁ)" coram populo legisse dicuntur, primum cogitandum est id vocabulum ratione habita, quid verbum פָּרַשׁ alibi significet (= *separavit, distinxit, distincte dixit*), non „translative" valere; deinde linguam Hebraicam ab eo tempore (circa annum 444 a. Ch.) per saecula in usu fuisse; denique „translative" in vetere testamento alio vocabulo exprimi, sc. מְתֻרְגָּם, quod et ibi usurpatur, ubi de versione in aliam linguam sermo est (Esr 4, 7).

Quae cum ita sint, pro opinione eorum, qui Hebraeos linguâ Babyloniorum-Assyriorum ad leges vel res gestas conscribendas usos esse dicunt, nihil explorati proferri potest, nonnulla vero ei prorsus repugnant [3].

[1] Id quod E. König (Historisch-kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache I, 15 s.) demonstravit. Quam late autem similitudo linguarum Hebraicae et Phoeniciae pateat, B. Stade (Morgenländische Forschungen 1875, 167 ss.) circumscripsit.

[2] Ceterum diversitas linguae Hebraicae a Babylonia nostra aetate duabus illis linguis diligenter comparatis clare reperta est. Velut Gn 2, 6 vocabulum אֵד (= vapor terrae, nebula, unde nubes oriuntur) non cum vocabulo Babylonio *edû* (= fluctus, inundatio) componi potest, quod cum verbis „universa superficies terrae" non convenit, quoniam loco allato non de inundatione terrarum agitur. Neque magis vocabulum שָׂדֶה (= campus, ager) cum Assyrio *šadû* (= mons) componi aut dici potest id vocabulum „montem" quoque significare, quoniam iis locis, ubi id significare dicitur (Nm 23, 14. Dt 32, 13. Jdc 5, 18. II Sm 1, 21 [ubi שְׂדֵי מוֹת pro

שְׂדֵי תרומות legendum sit] Jes 56, 9. Jer 17, 3; 18, 14. Ez 21, 2. Ps 50, 11; 80, 14; 96, 12), re vera id non significat. Velut si Jdc 5, 18 legimus: עַל מְרוֹמֵי שָׂדֶה id clare demonstratur. Etiam Hebraicum זָכַר non idem valet quod Assyrium *zakâru*; nam illud „meminisse, recordari" hoc „nominare, loqui" significat. Neque Hebraicum שַׂר (= princeps) idem est quod Assyrium *šarru* (= rex).

[3] Conferas E. König, Die babylonische Schrift und Sprache und die Originalgestalt des hebräischen Schrifttums (ZDMG LXIV, 1910, 715—732). Das alte Testament und die babylonische Sprache und Schrift (Neue kirchliche Zeitschrift XXIV, 1913, 87—118).

IV. Scientiam artis scribendi iam patriarchis Hebraeorum notam fuisse sine ulla dubitatione existimare possumus. Nam compluribus locis codicis Ḫammurapi ponitur multitudinem litteras cognosse; velut saepius pactiones nuptiales et chirographa commemorantur (§ 128. 151. 171. 177. al.). Cum autem Abraham ex Babylonia emigraret, et eum artem scribendi cognosse iudicandum est. Item anulo signatorio Judae (Gn 38, 18. 25) multis sigillis cum litteris effossis fides facta est. Exempli causâ sigillum illud litteris cuneatis conscriptum pono, quod E. Sellin, cum Tell Taʿannek effoderet (1902—03), invenit, quod circiter anno a. Ch. n. bis millesimo factum est. Multo magis id, quod prius creberrime negatum est, Mosen quidquam scripsisse posse, quod eius aetate litterae nondum inventae essent, compluribus inscriptionibus multis saeculis vetustioribus in Aegypto et Mesopotamia effossis probandum non esse manifestum est. Tabulae fictiles in Tell el-ʿAmârna et in Tell Taʿannek inventae documento sunt etiam in Canaan circiter anno a. Ch. n. millessimo quingentesimo artem scribendi vulgo exercitatam fuisse. Omnes reges terrae Canaan illo tempore scribis aulicis utebantur; ex omnibus fere urbibus terrae Canaan epistulae vel a regibus et praefectis invicem missae exstant. Hebraei autem cultum atque humanitatem Cananaeorum terrâ potiti non exstinxerunt, sed receperunt, etiam igitur eorum artem scribendi. Quare etiam quod Jdc 8, 14 memoriae proditur, prorsus probabile est, Gideon per adulescentem captum ex Sukkôth nomina septuaginta septem principum eius urbis scribenda curasse. Inter aulicos regum Hebraeorum cancellarium (מַזְכִּיר II Sm 8, 16; 20, 24. I Rg 4, 3. II Rg 18, 18. 37. Jes 36, 3. 22. I Chr 18, 15. II Chr 34, 8) et scribam (סֹפֵר II Sm 8, 17; 20, 25. I Rg 4, 3. II Rg 12, 11. al. Jes 36, 3. 22; 37, 2. Jer 36, 10. al. I Chr 18, 16; 24, 6. II Chr 24, 11; 34, 15. 18. 20) invenimus, ut iam Mosis temporibus scribae (שֹׁטְרִים), qui populo praesunt, commemorantur (Nm 11, 16. — Ex 5, 6—19 dubium est, utrum scribae Aegyptii sint an Hebraei). David scribere scisse ex II Sm 11, 14., item Izebel ex I Rg 21, 8 apparet. Samuel ius regni conscripsit et coram Jahve reposuit

(I Sm 10 25), ut Josua in urbe Sichem verba foederis (Jos 24, 26) et Moses nonnullas partes Pentateuchi (cf. Ex 17, 14; 24, 4. 7; 34, 27. Nm 33, 2) conscripsit. Itaque inde ab antiquissimis temporibus artem scribendi apud Hebraeos late diffusam fuisse hodie iam negari non potest. Imprimis autem sacerdotes Hebraeorum artem scribendi coluisse ex analogia orientis antiqui colligi licet.

Nonnulli ex verbis בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ *cum stilo hominis* i. e. scriptura vulgari, inter homines usitata (Jes 8, 1) coniciunt apud Hebraeos diversa scribendi genera fuisse, ut olim apud Aegyptios (scriptura hieroglyphica, hieratica, demotica) et Cretenses (iam ca. 1800 a. Ch.) erant atque etiam nunc apud Persas sunt. Quae opinio nullo documento probari potest. E. König (ZDMG LXIV, 1910, 721) putat verbis illis magnas neque cohaerentes litterarum formas significari, quas ii faciunt, qui non multa scribunt.

V. Quaenam prima materia scripturae fuerit, non liquet. Antiquitus materiae usitatae erant: *folia arborum,* imprimis palmarum, et liber (βίβλος) sive intimus quarundam arborum cortex (Plin. Hist. nat. 13, 21), e quo resoluto et rursus compacto postea charta corticea conficiebatur; *linteum* aut pannus xylinus; *pugillaris* (πίναξ, πινακίδιον) sive tabula e pinu facta (Lc 1, 63. cf. Jes 30, 8. Ez 37, 16. Hab 2, 2), quae tamen in oriente vix, ut in occidente, cerâ illita est; *tabulae fictiles,* quae insculptis litteris igni coquebantur (tabulae in Tell el-ʿAmârna, Tell Taʿannek, Tell Dschezer inventae)[1]; *tabulae aeneae* (praecipue pro monumentis perpetuis I Mcc 8, 22; 14, 18. 26) et *plumbeae* (Job 19, 24?), quae apud Graecos quoque et Romanos in usu erant; *lapides,* quibus imprimis res memoratu dignae insculpebantur (Ex 24, 12; 31, 18; 32, 15 s. 19. Dt 5, 22; 9, 10; 27, 2 s. 8. Jos 8, 32); *charta papyracea* (II Jo 12), quae ex divisis papyri arundinibus conficiebatur[2], et *charta pergamena* sive μεμβράνα (II Tim 4, 13. Jos. AJ 12, 2. 11)[3].

Instrumentum, quo Hebraei scribebant, pro diversa scripturae materia erat diversum. Memoratur *stilus* (עֵט Jer 17, 1. Job 19, 24 [probabiliter etiam *calamus* Jer 8, 8. Ps 45, 2], חֶרֶט Jes 8, 1) i. e. instrumentum acuminatum, quo litterae ligno lapidive incidebantur, et *calamus arundineus* (κάλαμος III Jo 13. cf. γραφικοὺς καλάμους III Mcc 4, 20), ad quem scindendum *culter* (תַּעַר הַסֹּפֵר Jer 36, 23) adhibebatur. Atramentum (דְּיוֹ Jer 36, 18), cuius usus iam Nm 5, 23 pro noto ponitur, plerumque erat nigrum (II Cor 3, 3. cf. II Jo 12. III Jo 13). Hebraeos vel auro sacros libros scripsisse Josephus AJ 12, 2. 11 memoriae prodit. Vasculum atramenti (קְסַת הַסֹּפֵר *vasculum scribae*) in cingulo gestare solebant (Ez 9, 2 s. 11)[4].

[1] Ut Assyrii et Babylonii in molli latere, antequam aestu solis obduraretur, litteras cuneatas imprimebant, ita Ezechiel 4, 1 Hierosolyma in latere describere iussus est.

[2]) Papyrus (*Cyperus papyrus* L.) est celeberrima illa herba palustris, olim in Aegypto frequentissima et laudibus totius antiquitatis celebrata. Hodie in Aegypto iam non invenitur; tantum in Nubia et in regione fontibus Nili vicina, praeterea in paludibus iuxta oram Palaestinensem inter Joppen et Carmelum sitis, circa lacum Ḥûle et Ṭabarîjê et in valle Jordanis etiam nunc crescit, ex Aegypto antiquitus eo adducta.

[3] Hebraeos a Mosis temporibus usque ad exsilium imprimis cutibus (caprarum et ovium) ad scribendum usos esse et ex Nm 5, 23 (ubi materia ponitur, de qua scriptura ita elui potuerit, ut materia ipsa non dilaberetur) et ex Jer 36, 23 (ubi volumen cum scalpello scribae dissecatur, non ut papyrus discindi potest) apparet. Ceterum ex ostracis in Tell Sebaṣṭije inventis concludendum est homines in materia scribendi eligenda interdum non fastidiosos, sed etiam testis urceorum fractorum contentos fuisse. Syngraphae et epistulae in tabellis fictilibus scriptae plerumque in cista quadam fictili asservabantur; velut in Tell Taʿannek (in arce principis Ištarwasur) epistulae in cista fictili inventae sunt (cf. etiam Jer 32, 14).

[4] W. M. Müller קסת non vasculum atramenti, sed discum colorum ligneum cum calamis insertis et duabus cavernis coloris aridi plenis, qui aquâ admixtâ atramentum praeberet, fuisse putat. Qui discus apud Aegyptios *gest(j)* nominabatur. Cf. OrLz III, 49. — Ceterum orientalium hodieque moris esse, ut in publicum prodeuntes atramentarium et thecam calamariam inter lumbos et cingulum gestent, itinerum scriptores testantur.

Videas L. Löw, Graphische Requisiten und Erzeugnisse bei den Juden. 2 Tle. Leipzig 1870—71.

VI. Antiquis temporibus homines epistulas (סֵפֶר II Sm 11, 14 s. II Rg 5, 5—7; 10, 2. 6 s. Jer 29, 1. 29. סְפָרִים I Rg 21, 8 s. II Rg 10, 1. Jes 39, 1 = II Rg 20, 12. Jer 29, 25. Esth 1, 22 al. אִגְּרוֹת [sgl. אִגֶּרֶת cf. Assyr. *egirtu*] Neh, 2, 7—9; 6, 5. 17. 19. Esth 9, 26. 29. II Chr 30, 1. 6. Aram. אִגְּרָא Esr 4, 8. 11; 5, 6) raro scribebant; quae absentibus communicare volebant, ea verbis nuntiorum dicere solebant, qui quae responsa erant, voce referebant (Nm 24. 12). Posterioribus temporibus frequentior epistularum usus reperitur (II Sm 11, 14. I Rg 21, 8. II Rg 10, 1. 6. Jer 29, 1. II Chr 21, 12; 30, 1. 6). In libris quoque Esther (1, 22; 3, 12; 8, 5; 9, 20. 29. Vulg. 13, 1—7; 16, 1—24), Esra (4, 7. 11; 5, 6; 7, 11), Nehemia (2, 7; 6, 5. 17. 19), Maccabaeorum (I, 12, 19—23; 16, 18 s. II, 1, 1—10[a]; 1, 10[b]—2, 19; 11, 27. 34) epistularum saepe mentio fit. Etiam reges exteri epistulas misisse dicuntur, ut Hiram ad Salomo (II Chr 2, 11), rex Syriae ad regem Israel (II Rg 5, 5), Sanherib ad Hiskia (II Rg 19, 14 = Jes 37, 14), Merodach Baladan ad Hiskia (II Rg 20, 12 = Jes 39, 1).

Epistulae antiquissimae sine salutatione et incohantur et finiuntur. Postea vero usus (Persicus cf. Esr 4, 7—11. 17) invaluit, ut et nomen scriptoris eorumque, ad quos mittebantur, et prolixiorem salutationem continerent. Velut Esr 4, 11: „Artaxerxi regi servi tui, viri, qui sunt trans fluvium, salutem dicunt". Vulg. Esth 13, 1: „Rex maximus Artaxerxes ... principibus et ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem". II Mcc 11, 27: Βασιλεὺς Ἀντίοχος τῇ γερουσίᾳ τῶν Ἰουδαίων καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰουδαίοις χαίρειν. Apostoli salutatione Graeca ita uti solebant, ut omisso consueto χαίρειν (exceptis Act 15, 23. Jac 1, 1), benedictionem religiosam adiungerent (Rom 1, 7. I Cor 1, 3. II Cor 1, 2. Gal 1, 3. Eph 1, 2; 6, 23. Phil 1, 2. Col 1, 2. I Thess 1, 1. II Thess 1, 2. I Tim 1, 2. II Tim 1, 2. Tit 1, 2. I Ptr 1, 2; 5, 14. II Ptr 1, 2. II Jo 3. Apc 1, 4). Plerumque epistulae cum sigillo impresso mittebantur (I Rg 21, 8. Esth 8, 10) [1] et per speciales nuntios reddebantur (I Rg 21, 8. II Rg 19, 14. II Chr 30, 6) [2]. Nonnumquam is, qui epistulam dictabat, complura verba sua manu scripta addere solebat, quae signo essent epistulam esse sinceram (I Cor 16, 21. Gal 6, 11. Col 4, 18. II Thess 3, 17). Epistulae commendaticiae (ἐπιστολαὶ συστατικαί), quales alicui dari solent, qui ad alienos proficiscitur, quibus nondum satis notus est, II Cor 3, 1 memorantur.

[1] Epistulae sigillo non signatae Neh 6, 5 memorantur. Epistulae ad principes missae haud raro in crumena pretiosa recondebantur.

[2] Ut litterae regiae celerius in provincias deferrentur, Cyrus (vel ex aliorum opinione Xerxes) in regno suo certis locis inter se modicum spatium distantibus equilia (ἱππῶνας) et tabellarios constituit, quorum ministerio litterae celerrime in loca remota perferrentur. Illis ἀγγάροις (= רָצִים Esth 3, 13, 15; 8, 10. 14) ex auctoritate regia licebat quemlibet hominem et cuiusvis equos ad operam praestandam adigere. Cf. Xenoph. Cyrop. 8, 6, 9. Herod. Hist. 8, 98.

Ceterum videas G. Beer, Zur israelitisch-jüdischen Briefliteratur (Atl St 20—41).

VII. Libri (סְפָרִים) iam temporibus Mosis noti erant (Ex 17, 14. Nm 21, 14). Si in materia flexibili descripti erant, in formam cylindri circa lignum teres (si liber erat longior, ex duabus partibus extremis circa duos baculos) convolvi (גָּלַל) solebant [1]. Lector librum vel locum libri revolvebat (ἀναπτύσσειν τὸ βιβλίον Lc 4, 17. LXX IV Rg 19, 14) et lecto loco convolvebat (πτύσσειν τὸ βιβλίον Lc 4, 20). Libri autem in materia non flexibili descripti anulis dorso tabularum applicatis ac bacillis intromissis conectebantur. Nonnumquam ob peculiares causas libri sigillo apposito claudebantur (Jes 29, 11. Dn 12, 4. Apc 5, 1).

Litterarum monumenta Hebraeorum non inde demum, cum gens Hebraica ex Aegypto proficiscens a deo sua gens electa est, initium capiunt, sed ex certis vestigiis a temporibus patriarcharum repetenda sunt. In primo libro Mosis non solum ea, quae ex antiquissimis temporibus de originibus (Urgeschichte) generis humani sermone hominum posteris tradita, sed etiam ea, quae ante Mosen litteris mandata sunt, memoriae produntur; haec posteriora patriarchae vel ipsi perscripsisse vel iam in Chaldaea patria perscripta accepisse videntur. Sed auctor litterarum monumentorum Hebraeorum Moses existimandus est, qui iis libris, qui ab eius nomine appellantur, fundamenta litterarum sacrarum gentis Jahvae posuit. Qui rerum scriptores, poetae, prophetae postea exstiterunt, ii omnes eius vestigia secuti sunt atque quae Moses incohavit, excoluerunt perfeceruntque, dum David et Salomo regnantibus poetarum, nono autem saeculo prophetarum opera ad summum fastigium pervenerunt. Sed cum pietas moresque populi magis magisque corrumperentur, ut postremo exsilio multaretur, litterae sacrae Hebraeorum ex illo fastigio delabi coeperunt, dum circa annum a. Ch. n. quadringentesimum earum finis fuit, postquam et prophetae exstincti sunt et antiqua lingua Hebraica interiit. Nam quamquam etiam canone Hebraico sacrarum litterarum confecto et absoluto varii libri partim linguâ Hebraicâ vel Aramaicâ, plerumque autem dialecto illâ Graeca, quam κοινήν vocant, conscripti et ii, qui ad religionem pertinebant, in versionem Alexandrinam veteris testamenti recepti sunt, tamen eorum librorum scriptores sacras litteras antiquorum Hebraeorum haud feliciter aemulari existimandi sunt [2].

[1] Unde vocabulum מְגִלָּה *volumen* descendit. Ps 40, 8 verba מְגִלַּת־סֵפֶר *volumen libri* de codice legis usurpantur. Atque Judaei etiam nunc legem divinam non solum in libris, qui vulgatâ formâ ex foliis mollibus constant, sed etiam in oblongis membranis, quae ex more antiquo super cylindrum ligneum in orbem circumvolvuntur, scriptam habent.

[2] Quamquam ab antiquissimis temporibus Hebraeorum nulli libri praeter sacros ad nostram aetatem pervenerunt quique pro talibus venditantur, suppositicii sunt, tamen dubium non est, quin complures alii ab Hebraeis conscripti sint (Koh 12, 12). A scriptoribus biblicis praeter „librum bellorum Jahvae“ et „librum iustorum“ imprimis complures annales regni commemorantur, e quibus ea, quae in sacris litteris de regibus memoriae produntur, deprompta esse videntur. Nec dubitari potest, quin ad rei litterariae incrementum non solum bibliothecae privatae, sed etiam publicae institutae sint (cf. Esr 6, 1), cuius moris vestigia in bibliothecis, quae aetate posteriore cum synagogis coniunctae esse solebant, servata sunt.

Caput secundum

De studiis altioribus

Nulla hîc habetur ratio neque theologiae, quoniam in religionis historia tractanda est, neque iuris disciplinae, quoniam apud Judaeos eo demum tempore excolebatur, quod iam huic operi propositum non est.

Iam ante originem reipublicae Hebraeorum doctrinis nobiles et clari erant Aegyptii et Babylonii, postea etiam Phoenices. Hebraei in hac re aetate demum David gloriam consecuti sunt, imprimis autem regnante Salomo, qui omnes alios doctrinâ et perspicaciâ superasse dicitur eamque ob causam a celeberrimis alienigenis invisebatur. Atque eius sapientia praecipue cernitur in iudicii acumine, in plurimarum rerum, maxime naturae cognitione, in carminum sententiarumque copia, quae vel ipse composuerat vel memoriâ tenebat, in rebus humanis recte iudicandis, de quibus omnibus sacrae litterae multa exhibent documenta. Exemplum tanti regis procul dubio alios quoque in imitationem traxit. Post Salomo vero Hebraei vix progressi sunt, nisi quod in exsilio Babylonio multas notiones exteras receperunt, deinde a Graecis quoque haud pauca vera et falsa mutuati sunt.

Litteris, quae in artibus versantur, Hebraei minime carebant. Saepius earum in vetere testamento mentio fit. Koh 12, 12 scriptor etiam abundantiam earum queritur: „Facere libros multos non est finis et meditationem multiplicare est fastigatio carnis“. Exteras quoque gentes haud ignorasse Hebraeos doctrinam magni aestimare ex Dn 1, 4 cognoscimus. Neque dubitandum est, quin ut viri docti aliarum gentium, ita Hebraeorum quoque homines eruditi doctrinas aetatis suae scientiâ comprehenderint.

Litteris eruditi olim חֲכָמִים *sapientes* appellabantur (Prov 1, 6; 13, 20; 22, 17; 24, 23. Koh 9, 17; 12, 11), ut apud Graecos σοφοί. Aetate Christi nomine γραμματεῖς = סוֹפְרִים *litterati* significabantur et honoris titulo ῥαββί = רַבִּי salutabantur. Ipsi autem se *filios* sive *discipulos sapientiae* vocabant, quod cum Graeco φιλόσοφος convenit.

I. Hebraeorum philosophia erat theosophia sive ratio, qua tota vita ad normam legis divinae instituebatur, ergo plane sacra et religiosa, magis activa quam contemplativa. In exsilio Judaei complures novas notiones receperunt atque in rem suam converterunt. Post reditum ex Babylonia multi Judaei (imprimis Aristobulus et Philo) studio exterae philosophiae operam dederunt, quam cum religione Mosaica coniungere ad eamque accommodare conabantur. Nam ea aetate Graecorum cultus atque humanitas ad Judaeos vehementer pertinere coepit, imprimis cum in Graecorum imperium dicionemque cecidissent atque Alexander Magnus id ageret, ut imperium omnium gentium conderet,

cuius lingua et cultus humanitasque Graeca esset. Ptolemaei quoque et Seleucidae, qui post eius mortem in Palaestina regnabant, Graecorum humanitatem ibi diffundere studebant. Accessit, quod philosophi Graeci tum operam dabant, ut praecepta et decreta sua a multitudine reciperentur, quo factum est, ut quisquis doctus videri volebat, eum quendam numerum dogmatum philosophorum nosse necesse esset. Neque dubium est, quin et ii Graeci, qui cum Judaeis mercaturam faciebant, nonnullas opiniones pervulgaverint. Maccabaei autem bellis contra Antiochum IV Epiphanen gestis id unum effecerunt, ut Judaei religionem suam servarent, sed impedire non potuerunt, quin Graecorum cultus atque humanitas magis magisque diffunderetur. Posteriores vero principes Hasmonaei moribus institutisque Graecorum amicos se praebebant, ut nomina Graeca (Aristobuli, Alexandri, Antigoni) ferrent et nummos Graecos cuderent. Etiam Herode Magno eiusque successoribus regnantibus Graecorum cultus atque humanitas magnos progressus in in Palaestina habebat atque etiam tum valebat, cum Judaei Hierosolymis a Romanis exstinctis se prorsus a peregrinorum consuetudine removebant. Multo vero vehementius quam ad Judaeos Palaestinae Graecorum cultus atque humanitas ad eos Judaeos, qui in terris externis commorabantur, pertinebat. Qui operibus philosophorum, poetarum, rerum scriptorum Graecorum studebant et Judaeorum litterae, quae in terris externis exortae sunt, Graecorum exempla imitabantur.

Philosophi Graeci non apud omnes philosophos Judaicos eandem habebant auctoritatem, cum ex his alteri illorum dogmata et praecepta magis, alteri minus sequerentur. Sed omnes religionem Mosaicam retinent; nam non solum deum unum esse et dei providentiâ mundum gubernari, ita ut malos poenâ, bonos praemio afficiat, diserte affirmant, sed etiam sibi persuaserunt revelatione veteris testamenti summam cognitionem rerum divinarum humanarumque datam esse, ita ut religio Mosaica ad veram sapientiam veramque virtutem ducat. Neque uniuscuiusdam philosophi Graeci doctrinam philosophi Judaici amplexi sunt; sed praecipue in Platonis Pythagoraeque et Stoicorum sententia et disciplina multa repperunt, quae cum religione Mosaica convenirent.

1. Atque Aristobolus philosophus Alexandrinus (II Mcc 1, 10), qui aetate Ptolemaei IV Philometoris (180—145 a. Ch.) fuit, nominatim Pythagoram, Socratem, Platonem affert, quorum doctrinam haud ignorat. Scripsit explanationem quandam librorum Mosis (τὴν τῶν ἱερῶν νόμων ἑρμηνείαν sive ἐξηγήσεις τῆς Μωυσέως γραφῆς sive βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωυσέως νόμου), ubi satis non habet demonstrare legem Mosaicam, dummodo recte intellegas, quidquid optimi philosophi Graeci postea docuerunt, continere, sed id ipsum dicit eos doctrinam suam ex Mosis libris hausisse atque ipsos poetas ut Homerum et Hesiodum nonnulla ex iis mutuatos esse, cum iam multo antequam Ptolemaeo Philadelpho regnante

Pentateuchus in Graecam linguam conversus sit, eae Pentateuchi partes, quae summi sint momenti, Graece redditae sint. In qua autem philosophia Aristobulus versatus sit, ex reliquiis scriptorum eius, quae ad nos pervenerunt, perspici non potest. Sed ex pluribus philosophis ea, quae probavit, elegisse videtur; imprimis autem Peripateticos eum secutum esse testimoniis patrum ecclesiae confirmatur, qui eum una voce Peripateticum esse dicunt.

2. Etiam Philo id agit, ut quae philosophi Graeci docent, ea iam in libris Mosis reperiri demonstret. Eius scripta, quae ad philosophiam pertinent, sunt haec: 1) Ζητήματα καὶ λύσεις, *Quaestiones et solutiones,* ubi libri Genesis et Exodus querendo et respondendo breviter explicantur. 2) Νόμων ἱερῶν ἀλληγορίαι, *Legum allegoriae,* qui commentarius allegoricus electorum locorum Genesis caput operum Philonis est et dimidium fere eius scriptorum, quae adhuc manent, explet. Summa sententia, qua tota interpretatio regitur, est haec: Historia hominum, quae in libro Genesis narratur, nihil aliud est nisi magna psychologia et ethica; varii enim homines, qui hic describuntur, et boni et mali, varios animi status (τρόπους τῆς ψυχῆς) significant. Qui ut ostendantur indeque praecepta morum ducantur, ei libro est propositum. 3) Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, *Unumquemque probum liberum esse.* Qui liber posterior pars eius operis est, in cuius priore, quae periit, res contraria tractatur: περὶ τοῦ δοῦλον εἶναι πάντα φαῦλον. 4) Scripta περὶ προνοίας, *De providentia,* et Ἀλέξανδρος ἢ περὶ τοῦ λόγον ἔχειν τὰ ἄλωγα ζῶα, *De Alexandro et quod propriam rationem muta animalia habeant,* nonnullis reliquiis Graecis exceptis tantum in Armenicum conversa ad aetatem nostram pervenerunt. In iis Philo ad quaestionem explicandam dialogum elegit.

3. Scriptis, quae sunt de philosophia, etiam liber quartus Maccabaeorum adnumerandus est, cuius propositum oratione peragitur. Auctor eius, quem complures scriptores ecclesiastici Josephum Flavium esse falso dicunt, Stoicorum philosophiae deditus est. Monstrare autem studet difficile non esse pie vivere, dummodo facta ad praecepta piae rationis dirigas, nam αὐτοδέσποτός ἐστι τῶν παθῶν ὁ εὐσεβὴς λογισμός. Quae sententia quid sibi velit, postquam disseruit, factis ex historia Judaica depromptis, imprimis martyrio Eleazari et septem fratrum Maccabaeorum, eam veram esse demonstrat. Eum librum primo p. Ch. n. saeculo confectum esse plerique viri docti sibi persuaserunt.

4. Aetate recentiore nonnulli (imprimis M. Friedländer, Griechische Philosophie im alten Testament. Berlin 1904) demonstrare studuerunt eo tempore, quod inter Alexandrum Magnum et Maccabaeorum bella cum Syris gesta intercedit, etiam universas veteris testamenti de sapientia litteras (maiorem partem Psalmorum, Proverbia, Job, Kohelet, Siraciden, Sapientiam) ortas esse easque ita, ut dogmata philosophorum Graecorum magni fuerint momenti; nam quarto a. Ch. n. saeculo exeunte Graecorum philosophiam in Palaestina innotescere et se insinuare coepisse atque ad religionem Judaeorum tantam habuisse vim, ut se antiquam fidem exstincturam minaretur. In quam sententiam E. Sellin (Die Spuren griechischer Philosophie im alten Testament. Leipzig 1905) diligentissime inquisivit eamque reiecit.

Ceterum videas A. F. Dähne, Geschichtliche Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religionsphilosophie. 2 Tle. Halle 1834; J. F. Bruch, Weisheitslehre der Hebräer. Straßburg 1851; G. F. Oehler, Die Grundzüge der alttestamentlichen Weisheit. Tübingen 1854; C. Siegfried, Philo von Alexandrien als Ausleger des alten Testaments. Jena 1875; F. Klasen, Die alttestamentliche Weisheit und der Logos der jüdisch-alexandrinischen Philosophie. Freiburg 1878; J. Drummond, Philo Judaeus. 2 vol. London 1888; E. Schürer, GJV III^4, 503—528; P. Heinisch, Die griechische Philosophie im Buche der Weisheit (Atl Abh I, 4). Münster 1908. Griechische Philosophie und altes Testament. I. Die palästinensischen Bücher (BZF VI, 6—7) ib. 1913. II. Septuaginta und Buch der Weisheit (BZF VII, 3) ib. 1914. K. Kautzsch, Die Philosophie des AT. Tübingen 1914.

II. Historiae studium iam antiquitus in oriente viguisse ipsae sacrae litterae testantur, ubi res praecipuae a creatione mundi usque ad quintum a. Ch. n. saeculum narrantur, multi alii libri historici laudantur, complura quoque monumenta in memoriam rerum gestarum erecta commemorantur.

1. Antiquitus historia ore tradebatur. Brevi tempore interiecto accesserunt cantica historica (Ex 15, 1—19. Nm 21, 14. Dt 32, 1—43. Jdc 5, 2—31. cf. Jos 10, 13. II Sm 1, 18—27), varia monumenta, interdum inscriptionibus ornata (lapides et altaria Gn 26, 25; 28, 18; 31, 45; 35, 1. 14. Ex 17, 15. Jos 4, 8 s. Jdc 6, 24. I Sm 7, 12. arbores Gn 21, 33. Jdc 4, 5), festa historica, quibus memoria magnorum factorum teneretur (cf. Ex 12, 25—27. Jdc 11, 39 s.), nonnumquam etiam reliquiae (Dt 3, 11. I Sm 17, 54). Quando res gestae conscribi coeptae sint, reperiri non potest. Fortasse id initio carminibus epicis et genealogiis factum est, quibus posterioribus orientales etiam nunc magnam tribuunt vim. Reges Hebraeorum *scriptorem rerum gestarum* (מַזְכִּיר) habebant, cuius erat res gestas regis et historiam imperii conscribere. Inde a temporibus David eius saepe mentio fit (sub David II Sm 8, 16; 20, 24. I Chr 18, 15. sub Salomo I Rg 4, 3. sub Hiskia II Rg 18, 18. 37. sub Josia II Chr 34, 8). Idem munus apud alias quoque gentes (praecipue apud Persas Esr 4, 15; 6, 2) invenimus. *Scribam* (סֹפֵר) autem, qui et ipse ex aetate David saepius commemoratur (II Sm 8, 17. al.), res gestas memoriae prodidisse verisimile non est, quod negotia ad pecuniam pertinentia procurasse dicitur (II Rg 12, 10; 22, 3 s.) et postea principem locum inter ministros regios obtinebat (sub Hiskia II Rg 18, 18. 37; 19, 2. sub Josia ib. 22, 3. sub Jojakim Jer 36, 10 ss.). Ab illis scriptoribus rerum eas partes historiae regum, in quibus singularis cura domus regiae atque institutorum publicorum cognoscatur, profectas esse dubium non est; in quarum numero sunt enumeratio filiorum domus regiae (II Sm 3, 2—5; 5, 14—16), brevis expositio bellorum a David gestorum (ib. 18, 1—15), indices ministrorum et virorum fortium David (ib. 8, 16—18; 20, 23—26; 21, 16—22; 23, 8—39. I Chr 11, 10—12, 40). Contra „liber verborum dierum regum Israel“ (I Rg 14, 19. al.) et „liber verborum dierum regum Juda“ (ib. v. 29. al.) non a rerum scriptore regio conscripti sunt, quod existi-

mandum est in iis etiam res huius modi memoriae proditas esse, quo modo prophetae ad fortunam domorum regiarum pertinerent (velut propheta Ahija I Rg 11, 29—39) et quam infenso animo nonnulli reges adversus prophetas se gererent (I Rg 22, 13—28. al.). Etiam *prophetae* vaticiniis historiam suae aetatis inserere solebant (II Chr 9, 29; 12, 15; 13, 22; 26, 22; 32, 32. al.). Quae in libris Regum de Elia et Elisa uberius narrata sunt, dubium non est, quin a discipulis prophetarum conscripta sint. Denique *sacerdotes* quoque in historia scribenda versatos esse verisimillimum est, cum eorum esset leges divinas servare (cf. Dt 33, 8—11). Sacerdotes autem custodes earum legum esse saepe commemoratur (Lv 10, 11. Jer 18, 18. Ez 22, 26; 44, 23 s. Hos 4, 6. Mich 3, 11. Zeph 3, 4. al.). Atque leges in sacrario servatas esse saepius diserte dicitur: de decalogo (Ex 40, 20: „in arca"), de lege populo in campestribus Moab denuo praedicta (Dt 31, 26: „in latere arcae foederis Jahvae"), de iure regni (I Sm 10, 25: „coram Jahve"), ut „liber legis", qui aetate regis idololatrae Menasse amissus est, in templo inveniri posset (II Rg 22, 8). Quare optimo iure tabularium templi fuisse dicitur atque complures partes sacrorum librorum ad id pertinuisse videntur. In quo numero iam sunt ea, quae summo sacerdote Eleazar praeside de divisione terrae Canaan scripta sunt (Jos 14, 1), et quae Jos cc. 13—21 memoriae produntur, certe a sacerdotibus conscripta sunt. Etiam narrationem de aedificatione templi (I Rg 6, 1—38; 7, 13—51), quae historiae regis Salomo (I Rg 2, 10—11, 43) inserta est, a sacerdotibus profectam esse verisimile est. Praeterea quae II Rg 11, 1—21; 12, 3—16; 16, 10—18; 18, 14—16; 22, 3—20; 25, 13—17 leguntur, a sacerdotibus conscripta esse videntur. Nonnulla quoque stemmata a sacerdotibus contexta esse verisimillimum est; nam cum necesse esset eos demonstrare se ex quibusdam familiis originem ducere, ne a ministerio sacro excluderentur (Esr 2, 59. 62. Neh 7, 61. 64), stemmatum faciendorum haud ignari erant.

Antiqua historia plerumque magis in originibus et rebus gestis singularum familiarum quam in descriptione temporum versabatur; quare vocabulum תּוֹלְדֹת *generationes, familiae, gentes* pro *historia* usurpatur (Gn 6, 9; 37, 2). In sacris litteris autem hoc vitium per stemmata chronologica et numeros annorum certae temporis periodi nonnumquam insertos aliqua ratione compensatur. In stemmatibus sine chronologia Hebraei interdum aliquot generationes omittebant (Rth 4, 18—22. Esr 7, 1—5. Mt 1, 5. 8. 11). Nomen alicuius per posteros in stemmate conservari magno honori ducebatur; quare iam antiquitus Hebraei publicos *genealogos* (שֹׁטְרִים) habebant.

2. Praeter libros de historia scriptos, quos vetus testamentum continet, complures alii, qui perierunt, fuerunt. In iis numerandi sunt: a) *„Liber bellorum Jahvae"* (Nm 21, 14), ubi res bellicae narratae erant, quae Jahve duce et ad eius honorem gestae sunt. F. de Hummelauer (Comm. in Num. 244) scheda militaris, Gall. un ordre du jour, Germ. ein Armeebefehl significari existimat. — b) *„Liber iustorum"*, quod nomen inde duci potest, quod in eo exempla virorum vere proborum, iustorum, sanctorum celebrantur. Inde verba Josua: „Sol, in Gibeon subsiste et (tu) luna in valle Ajjalon!" (Jos 10, 12 s.) et carmen lugubre David, quo Saul et Jonathan mortuos queritur (II Sm 1, 18—27), proferuntur. — c) *„Liber*

verborum dierum Salomonis" (I Rg 11, 41); „*liber verborum dierum regum Israel*" (I Rg 14, 19), qui liber in historia regum regni decem tribuum paene usque ad tempora ante interitum eius regni affertur (II Rg 15, 31); „*liber verborum dierum regum Juda*" (I Rg 14, 29), qui liber in historia regum regni Juda usque in aetatem regis Jojakim affertur. — d) Complures historiae, quae perierunt, in libris Chronicorum nominantur, velut „*liber verborum dierum regis David*" (I Chr 27, 24), „*liber regum Juda et Israel*" (II Chr 16, 11), cui „*liber regum Israel et Juda*" (ib. 27, 7) idem et par est. Et quod „*liber regum Israel*" (ib. 20, 34) et „*verba regum Israel*" (ib. 33, 18) in ipsa historia duorum regum regni Juda (Josaphat et Menasse) afferuntur, et ea opera „*libro regum Juda et Israel*" eadem et paria esse videntur. Praeterea commemorantur: „*verba Samuel videntis et verba Nathan prophetae et verba Gad videntis*" (I Chr 29, 29), de historia regis David; „*verba Nathan prophetae et vaticinium Ahija Silonitis et visio Iddo videntis*" (II Chr 9, 29) de historia regis Salomo; „*verba Semaja prophetae et Iddo videntis*" (II Chr 12, 15) de historia regis Rehabeam; „*verba* (lege דִּבְרֵי pro מִדְרַשׁ) *Iddo prophetae*" (II Chr 13, 22) de historia regis Abia; „*verba Jehu, filii Hanani, quae libro regum Israel adiecta sunt*" (II Chr 20, 34), de historia regis Josaphat; „*res gestae* (regis) *Usia, quas scripsit Jesaia, filius Amos propheta*" (II Chr 26, 22); „*commentarius* (מדרש) *in librum Regum*" (II Chr 24, 27) i. e. commentarius historicus, supplementa continens (fortasse autem vocabulum מדרש hîc interpretatio aliena est).

De quaestione illa, num in libris veteris testamenti ad historiam pertinentibus falsa memoriae produntur, viri docti numquam consentire putandi sunt. Cum alteri non solum singulas res in historia gentis Israeliticae, sed totam eius historiam falsam esse dicant, alteri vetus testamentum ab omni suspicione rerum falsarum defendere student. Id quidem constat libros veteris testamenti ad historiam pertinentes haud paucos locos continere, quae difficultates chronologicas, ethnographicas, historicas habeant. Ad quas expediendas recentiore aetate variae viae monstratae sunt, de quibus videas J. Nikel, Alte und neue Angriffe auf das alte Testament[4] 38—44 (BZF I, 1) Münster 1912.

Ceterum conferas H. Schmidt, Die Geschichtschreibung im alten Testament (Religionsgeschichtliche Volksbücher II, 16), Tübingen 1911; E. König, Die Geschichtschreibung im alten Testament (BZSF VIII, 10), Berlin-Lichterfelde 1913.

III. Hebraeos antiquos non omni scientia geographiae destitutos fuisse ex ipsa accurata paradisi descriptione colligi potest. Vocat enim auctor nomen regionis, in qua hortus ille amoenissimus situs erat; loquitur de fluvio, qui eum irrigabat, et describit cursum quattuor fluminum, in quae dividebatur; nomina regionum, quas illa percurrebant, adnotat et fructus regionum illarum proprios enumerat (Gn 2, 8—14). Gn c. 10 documentum ethnographicum affertur, quod autem non omnes gentes, quae tum terram incolebant, enumerat (nam Americani, Sinenses, Mongoli, Melanesii, Nigritae, aliae multae gentes non

commemorantur), neque eas tantum, quae scriptori cognitae erant (nam de Amalekitis et nonnullis aliis gentibus, quarum in Pentateucho saepe mentio fit, silet), sed probabiliter solas gentes familiae Caucasiae, quae antiquitus Asiam anteriorem et finitimas Europae et Africae regiones incolebant, licet nonnulla nomina nondum plane perspecta sint. In historia patriarcharum auctor summa cum diligentia nomina et indolem regionum et urbium, quas illi perlustrarunt vel inhabitarunt, indicat. Quanta autem incrementa scientia geographiae postea apud Hebraeos ceperit, testatur terrae Cananaeorum descriptio, quae occasione distributionis singularum eius urbium et provinciarum inter duodecim tribus Israeliticas facta est (Jos c. 13—21).

Ceterum Hebraeis ut omnibus gentibus antiquitatis terra medius mundi universi locus est, nam caelum nihil aliud est nisi tabernaculum supra terram expansum (Jes 40, 22. Ps 104, 2. cf. Jes 34, 4) vel concameratio columnis montium sustentata (Job 26, 11; 37, 18) cum portis (Gn 28, 17. Ps 78, 23) et fenestris (Gn 7, 11; 8, 2. II Rg 7, 2. 19, Jes 24, 18), quibus pluvia defluit. Terra autem in mari sita est (Ps 24, 2), unde fontes originem habent (Gn 49, 25. Dt 33, 13. Prov 3, 20): plerumque quasi discus rotundus (Jes 40, 22), interdum in columnis situs cogitatur (Ps 104, 5. al.) vel a deo omnipotente sustentatus et supra nihil suspensus (Job 26, 7). Num Hebraei ut ceterae gentes orientis antiqui terrae orbem oceano circumdatum esse opinati sint, ex libris divinis (Ps 104, 6. al.) non clare cognoscitur. Babylonii orbem terrae oceano circumdari putabant eumque *apsû* appellabant. In sacris litteris saepius de terminis (אפסים) caeli et terrae sermo est. Quaeri potest, num vocabulum אפס in ea coniunctione non terminum, sed oceanum significet.

Hebraei antiqui in eo vehementer erraverunt, quod Arabiam paeninsulam esse non cognoverunt, sed eam cum Aegypto superiore (Aethiopia) cohaerere putaverunt. Quare Cuschitae modo Africani (praeter Aegyptios, velut Jes 20, 3 ss.), modo Arabes (ut Gn 10, 7 ss.) esse dicuntur et Gihon, quod flumen paradisi terram Cusch circumfluit (Gn 2, 13), Nilum esse sibi persuaserant (LXX Jer 2, 18. Jos. AJ 1, 1. 3). Hebraeos autem putavisse suam terram mediam partem orbis terrarum esse, Hierosolyma umbilicum eius (Ez 5, 5; 38, 12), mirum esse non potest.

IV. De artibus mathematicis et geometricis quidquid Hebraeis notum erat, id partim a Cananaeis mercaturae deditis partim ab Aegyptiis aliisque populis accepisse videntur.

Quarum rerum scientia in Hebraeis haud magna fuit. Quattuor rationis genera illa quidem haud ignorabant; de additione conferas Nm 1, 22 ss; 26, 7 ss. de subtractione גָּרַע Lv 27, 18. עֵרֶךְ Ex 16, 23. Lv 25, 27. de multiplicatione Lv 25, 8. Nm 3, 46 ss. de divisione Lv 25, 27. 50. Neque tamen, etsi nonnullas formas geometricas ut quadratum (Ex 27, 1; 28, 16) et circulum (חוּג, cf. מְחוּגָה circinus Jes 44, 13) non ignorabant et perpendiculo (אֲנָךְ Am 7, 7 s.) et libra aquaria (מִשְׁקֶלֶת II Rg 21, 13. Jes 28, 17) utebantur, difficiliora opera, ad quae illae artes pertinent, efficere

poterant. Conferas etiam I Rg 7, 23., ubi de circuli cum diametro ratione computanda (30 : 10, secundum LXX 33 : 10) agitur. Hebraeos rectum quoque angulum nosse inde colligi potest, quod iis libra aquaria haud ignota erat.

Praecipue Babylonii in artibus mathematicis excellebant atque iam triginta saeculis a. Ch. omnes mensuras accurato systemate ordinaverant.

V. Initia medicinae tam vetera sunt quam universus cultus atque humanitas. Imprimis *Babylonii* ut in aliis multis disciplinis, ita in medicina quoque floruerunt. Atque magnus exstat numerus textuum magicorum, quibus variae incantationes formulaeque superstitiosae exhibentur, quas Babylonii antiqui ad curandos morbos adhibebant. Quod autem nonnulli scriptores tradunt apud Babylonios etiam moris fuisse aegrotos in viis publicis exponi, ut transeuntes consulerent, quid ipsis simili morbo affectis conduxisset, id falsum esse ex novis inquisitionibus apparet. Vetustissima chirurgia quoque Babyloniorum videtur esse. Iam Ḥammurapi mercedem sectionis, quae successisset, constituit; idem decrevit, ut medicus propter sectionem, quae non successisset, puniretur.

Fons antiquissimus, unde scientiam medicinae *Aegyptiorum* haurimus, est papyrus Ebers, quae medio septimo decimo a. Ch. n. saeculo scripta est. Ceterum de Aegyptiorum scientia medicinae, cuius eos magnam partem a Babyloniis mutuatos esse ex compluribus papyris elucet, viri docti discrepant; uni eam laudant, alteri parvi aestimant. Id autem certum est medicinam apud Aegyptios omni tempore exercitatam esse atque ab iis ad Graecos transisse, quorum medici Aegyptios multo superarunt.

Apud *Hebraeos* medicinam a solis sacerdotibus exercitatam esse sine iustis causis affirmatur; saepe enim in sacris litteris de medicis (רְפָאִים) sermo est neque ii sacerdotes fuisse dicuntur (Jer 8, 22. II Chr 16, 12. Sir 38, 1—8. Mc 5, 26. Lc 5, 31; 8, 43. Col 4, 14. cf. Jos. AJ 17, 6. 5. BJ 2, 8. 6). Neque vero negandum est sacerdotes medicinae haud ignaros fuisse, quippe qui in quibusdam casibus iudicare deberent (Lv c. 13. 14. Dt 24, 8. Mt 8, 4. Lc 17, 14).

1. Inter remedia, quae extrinsecus adhibentur, in sacris litteris commemorantur unguenta (praecipue ex balsamo Jer 8, 22; 46, 11; 51, 8. et oleo Jes 1, 6. Ez 30, 21. Lc 10, 34. cf. M. Schabbath 14, 4). Ficus siccatae ulceribus Hiskia regis impositae (II Rg 20, 7 s. Jes 38, 21 s.) ex quorundam interpretum opinione symbolum, non remedium fuerunt. Aquas et medicatas et calidas (Tiberiadis et Callirrhoës) Josephus AJ 17, 6. 5; 18, 2. 3. BJ 1, 33. 5; 2, 21. 6 memorat; idem AJ 17, 6. 5. BJ 1, 33. 5 de balneis oleariis mentionem facit. Remediorum, quae intrinsecus adhibentur, etsi dubitari non potest, quin Hebraei iis uterentur, tamen in sacris litteris mentio non fit (excepto melle Prov 16, 24). Sed

plures species in Talmud commemorantur (M. Schabbath 14, 3; 22, 6. Joma 8, 6). Antiquis Hebraeis etiam variarum herbarum vires innotuisse ex Gn 30, 15 colligitur. Neque dubitandum est, quin antiqui Hebraei saepe etiam magicis superstitionibus morbis mederi studuerint. Nam quod lex Mosaica etiam atque etiam magicas superstitiones adhiberi vetat neque prophetae queri desinunt, quod multitudo magicis superstitionibus dedita sit, non solum praedictio rerum futurarum, sed etiam exorcismus eorum daemonum describi videtur, qui morbos aliaque damna vel efficere possint vel iam effecerint. Josephus quoque AJ 8, 2. 5 memoriae tradit multitudinem ad varias superstitiones, amuleta, carmina, similia confugere, ut se a morbis tutentur. Contra qui Jahven pie colebant, Jahven se in morbis sanaturum sperabant; nam „ego Jahve, sanator tuus" (Ex 15, 26). Atque sacrae litterae memoriae produnt in nonnullis morbis deum ipsum opem tulisse vel extraordinaria remedia ordinavisse (Nm 21, 9. II Rg 5, 10) atque piscinam Bethesda quoque vim medicam a deo accepisse (Jo 5, 2—4) multi interpretes contendunt.

De chirurgia veterum Hebraeorum nihil fere memoriae traditum est, sed eos aliquam eius notitiam habuisse ex eo ipso apparet, quod vulnus circumcisione inflictum curandum ac sanandum erat. M. Schabbath 6, 5 commemoratur dentes arte factos insitos esse.

2. De medicis veterum Hebraeorum certa memoria prodita non est. Josephus BJ 2, 8. 6 tradit imprimis Essenos multiplici medicinae scientia, quam ex scriptis antiquis hausissent, floruisse. Talmudistae de medicis haud bene iudicant: „Optimus medicus meretur gehennam" (Babyl. Kidduschin 82[a]). Melius de iis sentit Siracides 38, 1—8. Quod LXX Jes 26, 14 legitur: ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσουσι, non irrisio medicorum intellegenda est, sed mendum est ex falsa interpretatione vocabuli רפאים ortum. Idem de lectione Vulgatae et LXX Ps 87 (88), 11 iudicandum est: „medici suscitabunt", ἰατροὶ ἀναστήσουσιν. Nam utroque loco viribus destituti sive manes infernorum intellegendi sunt. Utique verbum רפא artem medici significat (= sanavit); unde origo illius mendi apud Graecos Alexandrinos et in Vulgata explicari potest.

Cf. R. J. Wunderbar, Biblisch-talmudische Medizin. Riga 1850—60; J. Berendes, Die Pharmacie bei den alten Culturvölkern (I, 82—124) Halle 1891; W. Ebstein, Die Medizin im alten Testament. Stuttgart 1901. Die Medizin im neuen Testament und im Talmud. ib. 1903; F. Küchler, Beiträge zur Kenntnis der assyrisch-babylonischen Medizin. Leipzig 1904; F. v. Oefele, Keilschriftmedizin in Parallelen[2] (AO IV, 2) ib. 1904; L. Kotelmann, Die Ophthalmologie bei den alten Hebräern. Hamburg 1910; J. Preuss, Biblisch-talmudische Medizin. Beiträge zur Geschichte der Heilkunde und der Kultur überhaupt. Berlin 1911.

VI. Astronomiae imprimis *Babylonii* operam dabant, id quod documentis cuneiformibus egregie confirmatur. Cursu solis motibusque lunae et stellarum diligentissime observatis partes anni accurate determinarunt atque etiam eclipses solis et lunae aliasque res astronomicas diligenter observarunt. Sed octavo demum saeculo Babylonii astronomiam ad artem et praecepta revocare coeperunt brevique effecerunt, ut

maxime floreret. Quod Panbabylonistae qui vocantur dictitant iam plus duobus milibus annorum a. Ch. n. apud Babylonios doctrinam astronomiae fuisse, falsum est. Id nuperrime F. X. Kugler certo demonstravit et quae argumenta eius rei protulit, ea a C. Bezold confirmata sunt. Nam Babylonii vernum aequinoctium vel medio secundo a. Ch. n. saeculo quinque diebus post verum tempus constituebant et constat ante medium octavum saeculum nullum vestigium, quo vernum aequinoctium ad initium anni definiendam adhibitum esse demonstretur, reperiri posse. Babylonios autem et Assyrios astrologiae quoque sive arti ex sideribus divinandi maximopere studuisse et eorum litterarum monumenta et vetus testamentum (Jes 47, 13. Dn 2, 27. al.) testantur.

Antiquos *Hebraeos* in sideribus cognoscendis versatos esse nusquam in libris divinis commemoratur, etsi Salomo cursum anni et dispositionem stellarum novisse dicitur (Sap 7, 19). Neque tamen dubitandum est, quin ut ceterae gentes orientis antiqui, ita Hebraei quoque caelum et stellas diligenter observaverint. Astronomiam autem, ex cuius notitia Abraham magnis celebratur laudibus (Jos. AJ 1, 8. 2), apud eos minus quam aliae disciplinae excultam esse procul dubio inde explicatur, quod ea doctrina apud alias gentes cum astrologia, quam Hebraei omnino vitare debebant (Dt 4, 19; 17, 3. cf. Jer 10, 2), arte coniuncta erat (Jes 47, 13).

1. Sidera ab Hebraeis צְבָא הַשָּׁמַיִם *exercitus caeli* appellabantur (Dt 4, 19; 17, 3. II Rg 17, 16; 21, 3. 5; 23, 4 s. Jes 34, 4. Jer 8, 2; 19, 13; 33, 22. Zeph 1, 5. Dn 8, 10. II Chr 33, 3. 5) idque ratione cum numeri tum ordinis eorum habita. Crebro in sacris litteris eorum innumerabilis multitudo (Gn 15, 5; 22, 17. Ex 32, 13. Dt 1, 10; 10, 22; 28, 62. Jer 33, 22. Neh 9, 23. Vulg. Dn 3, 36. Hebr 11, 12), clarus splendor (Dn 12, 3), pulchritudo (Sap 7, 29) altitudo supra terram edita (Jes 14, 13. Obad v. 4. Job 22, 12) praedicantur. Deus sidera procreavit (Gn 1, 14—18. Jer 31, 35. Am 5, 8. Ps 8, 4; 74, 16; 136, 7—9. Job 9, 9. Sir 43, 9) procreatisque certos cursus tribuit (Jer 31, 35; 33, 25. Job 38, 33). Quare deo parent (Jes 40, 26; 45, 12. Ps 147, 4. Job 9, 7. Vulg. Bar 3, 34 s; 6, 59) ab eoque nominibus vocantur (Jes 40, 26). Unde autem minime efficitur scriptores veteris testamenti sidera pro animantibus habuisse, id quod haud magis ex ceteris locis, quibus illa sententia affirmari solet (Gn 1, 16. Dt 4, 19. Jdc 5, 20. Jes 24, 21—23. Job 38, 7), colligi potest.

Constat gentes orientis antiqui stellas corpora animata esse cogitasse; neque enim aliter intellegi potest eas stellis honores divinos tribuisse. Idem autem, quamquam religioni Jahvae repugnat, multi Hebraei quoque sensisse existimandi sunt; neque enim aliter eos vehementer ad stellarum cultum inclinasse et saepius in eum recidisse explicatur. Neque vero quod scriptores veteris testamenti eam superstitionem non impugnaverunt, id-

circo colligendum est et ipsos idem sensisse. Nam ut vera religio defenderetur ac servaretur, id unum necesse erat eos restitisse, ne stellae unius dei loco colerentur, quod acerrime fecerunt.

2. In sacris litteris nonnulla nomina stellarum earumque, quae splendore suo maxime oculos in se convertunt, ut ab antiquis poetis inter praecipuas caeli stelliferi laudes recensentur, reperiuntur. Atque commemorantur: 1) הֵילֵל Jes 14, 12. *stella lucida* i. e. stella matutina (hinc loco allato additur בֶּן־שַׁחַר *filius aurorae*), Aramaice בּוֹכַב נְגַהָּא, Sir 50, 6 ἀστὴρ ἑωθινός, Apc 2, 28 ἀστὴρ πρωϊνός et 22, 16 ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὁ πρωϊνός, *Veneris* sidus, *phosphori* sive ἑωσφόρου (LXX) nomine notum, quod ex loquendi more poetarum diem praevenit eumque ducit, signum aurorae. Alii *lunam* (cf. Arab. *hilâl*) eamque decrescentem intellegunt. — 2) עָשׁ Job 9, 9 sive עִישׁ ib. 38, 32., quod vocabulum veteres *congregationem* stellarum explicant atque *Pleiadas* (LXX), *caudam arietis* vel *caput tauri* (talmudistae) intellegunt. Alii עש per aphaeresin pro נְעָשׁ accipiunt et sidus *ursae maioris* sive *septem trionum* interpretantur (Saʿadja, Ibn ʿEsra), cui sideri Arabes, qui illud *feretrum* appellant, filias tribuunt (ut Job 38, 32), quas tres stellas in cauda ursae intellegunt. Vulgata *arcturum* vertit, quod nomen stellam primae magnitudinis in sidere, quod Bootes vocatur, significat. Recentiores stellam *Aldebaran* (i. e. stellam primae magnitudinis eamque lucidissimam in sidere tauri) unà cum Hyadibus intellegunt. — 3) כְּסִיל Am 5, 8. Job 9, 9; 38, 31. *Orion,* sidus australe iuxta frontem tauri situm, ex triginta octo stellis conspicuis constans, quod orientales *gigantem* appellant atque tamquam figuram gigantis *impii* (כסיל = stultus, impius) caelo alligati sibi cogitasse videntur. Id sidus ortu nimbos et tempestates excitare putabatur; quare a Vergilio Aeneid. 1, 535 „nimbosus Orion" appellatur. Graeci Alexandrini vocabulum כסיל Job 9, 9 interpretantur ʿΕσπερον, ib. 38, 31 Ὠρίων, Am 5, 8 omittunt. Pluralis כְּסִילִים Jes 13, 10 est locutio poetica et significat *Oriones* sive gigantes caeli i. e. maiora sidera, Orioni similia, ut *Cicerones, Scipiones* appellantur viri Ciceroni et Scipioni similes. 4) כִּימָה Am 5, 8. Job 9, 9; 38, 31. etymologice *cumulum* stellarum significat (a radice כום), inde *Pleiades* sive *Vergiliae,* quae sunt septem stellae maiores aliaeque minores arte conglomeratae in cauda tauri, unde nonnulli totum hoc sidus nomine Hebraico significare existimant. Hieronymus vocabulum כימה Job 9, 9 interpretatur *Hyadas,* ib. 38, 31 *Pleiadas,* Am 5, 8 *arcturum.* Ex recentioribus alii *Pleiadas,* alii *Sirium,* alii *Scorpionem* intellegunt. — 5) נָחָשׁ Job 26, 13 ex nonnullorum interpretatione est sidus *serpentis* sive draconis, quod conspicitur inter duas ursas. Multas habens spiras serpentis figuram quodam modo in caelo refert, haud procul a polo arctico, et septem orbibus sese intorquens atque ursam minorem circumiens, caudâ suâ tamquam vecte eam ab ursa minore separat. Est maximum et maxime conspicuum in caelo sidus; quare a Vergilio Georg. 1, 205 „lucidus anguis" appellatur (cf. v. 244 s). — 6) Duodecim signa orbis signiferi, quae Hebraei solis deversoria per duodecim menses esse putabant et cultu superstitioso prosequebantur, II Rg 23, 5 vocantur מַזָּלוֹת i. e. *deversoria, hospitia,* cf. Arab. *manzilun* = statio (idem vocabulum quod מְנָרוֹת Job 38, 32 litteris ל et ר permutatis); quare Hebraei posterioris aetatis orbem signiferum גֻּלְגַּל הַמַּזָּלוֹת *orbem sidereum* appellant. Fortasse vocabulum מזלות ex Babylonio *mazzaltu* (pro

manzaztu a *nazâzu*, stare) = *statio* deorum sidereorum explicandum est. Sed alii negant eo vocabulo circulum signiferum indicari (ZAW III, 1883, 109 s. ZDMG XL, 1886, 732 s.). — 7) חַדְרֵי־תֵימָן Job 9, 9 *penetralia austri* sunt sidera in penetralibus austri recondita vel constellationes caeli antarctici.

3) De divisione stellarum in *errantes*, *inerrantes*, *crinitas*, quas Graeci *cometas* vocant, in vetere testamento nullum reperitur vestigium. In novo testamento commemorantur ἀστέρες πλανῆται, quibuscum homines inconstantes vel doctores falsi et impii comparantur (Jud v. 13). Solis siderumque reliquorum defectionibus haud raro ingentem maerorem significari ex Ez 32, 7 s. Am 8, 9. Koh 12, 2 constat.

Cf. Ch. L. Ideler, Untersuchungen über den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen. Berlin 1809; J. M. Neumann, Zusammenstellung aller astrognostischen Benennungen im alten Testament. Breslau 1819; J. H. Kurtz, Die Astronomie und die Bibel [2]. Berlin 1849; O. M. Mitchel, The astronomy of the Bible. New York 1863; G. Schiaparelli, L'astronomia nell'antico testamento. Milano 1903 (Ed. Germ. W. Lüdtke, Die Astronomie im alten Testament. Gießen 1904); W. Lotz, Sterne (RE[3] XIX, 10—16).

De astronomia Babyloniorum cf. J. Epping-J. N. Strassmaier, Astronomisches aus Babylon oder das Wissen der Chaldäer über den gestirnten Himmel. Freiburg 1889; F. X. Kugler, Sternkunde und Sterndienst in Babel. Münster 1907 ss. Im Bannkreis Babels 89—94. Münster 1910; C. Bezold, Astronomie, Himmelsschau und Astrallehre bei den Babyloniern. Heidelberg 1911.

VII. In physiologia Hebraei simplicissimas cognitiones haud multum transisse videntur, nisi quod rex Salomo super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete, atque de iumentis et volucribus, de reptilibus et piscibus dixisse i. e. diligentissime in doctrina de rerum natura versatus esse traditur (I Rg 5, 13. Vulg. 4, 33). Naturam variorum, vel externorum animalium observatam esse liber quoque Job et Proverbia testantur; neque vero inde quidquam reperiri potest, quam amplae eae cognitiones fuerint.

Saepe fit, ut scriptores veteris testamenti tempestates, pluvias, ventos, grandinem, nivem commemorant, et etiamsi singulas leges naturae rerum non cognoverant, tamen eos non fugit, quae in rerum natura fiunt, ea ad normam quandam ac leges dirigi (Job 28, 25. Sap 11, 21). Praecipue vero si de iis, quae in rerum natura fiunt, loquuntur, religione commoti deum, auctorem et dominum mundi, admirantur atque praedicant. Velut tempestatem ita describunt, ut deus, dominus universi, eâ maiestatem suam designet (Ps 18, 7—16; 29). Pluviam donum dei (Dt 28, 12), penuriam aquae poenam dei (ib. 11, 17) esse dicunt. Pluviam autem ita exsistere putant, ut aquae superiores de caelo defluant (Gn 7, 11; 8, 2. II Rg 7, 2. Mal 3, 10. Ps. 78, 23). Ventum calidum solum exsiccare (Gn 8, 1. Ex 14, 21) et nubes vi radiorum solis evanescere (cf. Hos 6, 4; 13, 3.

Job 7, 9) haud ignorant. Neque vero nubes ipsas aquam esse, sed tantum receptacula eius sibi persuaserunt; eas aquâ impleri impletasque eam effundere (Job 36, 27). Ut pluvia, ita ros de caelo fluit et cum nubibus artissime cohaeret (Gn 27, 28. 39. Dt 33, 13. Jes 18, 4. Hagg 1, 10. Sach 8, 12. Prov 3, 20). Fontes e mari, quod sub terra porrigitur (Dt 33, 13: „et ab abysso iacente deorsum" i. e. a laticibus et fontibus, quibus stirpes aluntur), escendunt; indidem flumina proficiscuntur (Koh 1, 7. Sir 40, 11). Ventus nubes pluviasque affert, idem rursus dissipat (Prov 25, 14. 23). Crebro de quattuor ventis mentio fit, qui ad quattuor plagas caeli significandas usurpantur (Jer 49, 36. Ez 37, 9. Dn 7, 2; 8, 8; 11, 4. Sach 2, 6; 6, 5. I Chr 9, 24. Mt 24, 31). Quod nonnulli viri docti dicunt scriptores veteris testamenti ventos in cameris, quae in inferiore parte caeli sunt, coerceri putasse idque locis Jer 10, 13; 51, 16. Ps 135, 7 demonstrare student, fieri potuisse concedendum est, ut Hebraei opinionem camerarum ventorum haberent, sed ex locis allatis id demonstrari non potest, cum in iis tantum poetarum loquendi mos agnoscendus esse videatur. Item certe temerarium est cameras grandinum et nivium aliquid aliud existimare atque poetarum loquendi morem; nam Hebraei, cum nives et grandines dei verbo liquefieri scirent (Ps 147, 18), iidem eas ex aqua ortas esse scivisse putandi sunt.

Ceterum dubium non est, quin in libris veteris testamenti haud pauci errores ad physica pertinentes legantur. Nos quidem existimamus scriptores librorum sacrorum ut sciebant, ita dixisse atque scripsisse, ut ex iis, quae dixerunt et scripserunt, eorum cognitiones colligendae sint, et in ea sententia perseverandum esse, dum eam falsam esse demonstratum sit; quod cum ex libris sacris demonstrari non possit, pro certo habemus scriptores veteris testamenti in physicis in iisdem erroribus versatos esse, quibus eorum aequales. Quod doctrinae catholicae de inspiratione nequaquam repugnat; nam quatenus vis divina ad scriptores librorum sacrorum pertinuerit, adhuc diiudicatum non est. Id nisi ex libris ab iis conscriptis reperiri non potest. Ex quibus si apparet scriptores in physicis communi loquendi more usos esse, statuendum est inspirationem divinam eos non adeo adiuvisse, ut in cognitionibus ad res profanas pertinentibus errores aequalium effugerint.

Ceterum conferas N. Peters, Bibel und Naturwissenschaft nach den Grundsätzen der katholischen Theologie. Paderborn 1906; L. Fonck, Die naturwissenschaftlichen Schwierigkeiten in der Bibel (ZkTh XXXI, 1907, 401—432); J. G. Hagen, Astronomische „Irrtümer" in der Bibel (ib. 750—755); A. Schmitt, Bibel und Naturwissenschaft (BZF III, 7) Münster 1910. Praeterea E. Dennert, Bibel und Naturwissenschaft. Gedanken und Bekenntnisse eines Naturforschers.[4] Stuttgart 1906.

Sectio quarta

De artibus liberalibus

Quod prioribus temporibus saepius dictum est gentes antiqui orientis atque imprimis gentes Semiticas nullam artem exercuisse, id

effossionibus recentiore aetate factis refutatum est. Velut a *Babyloniis* iam antiquitus variae artes diligenter colebantur, atque licet posterioribus temporibus neglectae sint, tamen reliquiae in ruinis urbium antiquissimarum Nippur et Lagaš inventae (simulcra, alia opera sculptilia, vasa pulcherrime ornata, similia) documento sunt iam quadraginta et triginta saeculis a. Ch. artes apud Babylonios magnopere floruisse. *Assyrii* quoque variis artibus insignes erant. Praesertim in templis regiisque aedificandis et in rebus fingendis Babylonios facile superabant, cum montes prope Niniven siti alabastrum, marmora, alios lapides ad aedificia et sculpturas aptissimos suppeditarent, solum autem Babylonium tantummodo lutum ad lateres fingendos praeberet. Iam vero *Aegyptios* antiquos varias artes singulari industria coluisse eorum monumentis confirmatur. Item *Cananaeos-Phoenices,* alias gentes orientis antiqui artibus studuisse constat. *Hebraeos* autem et ipsos artes nequaquam neglexisse ex iis, quae statim dicemus, apparebit.

Caput primum

De architectura

I. Quo modo Hebraeorum ars aedificandi progressa sit, describi non potest, quod et pauca antiqua opera exstant et eae descriptiones, quae de eius modi operibus ad nos pervenerunt, ad Salomonis opera sola pertinent.

Reliquias aedificiorum, quae adhuc exstant, si respicimus, sepulcra, putei, cisternae, piscinae sive stagna, aquaeductus commemoranda sunt.

1) Sepulcra Hebraeorum, quae plerumque in speluncis vel naturâ vel arte factis erant, ornamentis carebant; ubi autem ea exstant, in iis peregrina, plerumque Graeca ars agnoscenda est, velut in introitu „sepulcrorum regum“ et „iudicum“ [1]. Sepulcra picturis ornata in Palaestina inventa non sunt exceptis iis, quae in Mareša (hodie *Tell Sandaḥanne,* qui locus 1·5 km a *Bêt Dschibrîn* distat) effossa sunt. Ea tertio a. Ch. n. saeculo aedificata sunt; picturae autem ad Graecos pertinent [2]. Etiam ad sepulcra supra terram, imprimis in valle Kidron (ut sepulcrum Absalomis et Zachariae), posita ars Graecorum aut Aegyptiorum posteriorum temporum pertinet. Quae omnia posterioris aetatis sunt, nisi quod „monolithus Siloensis“, quem vocant, in cuius introitu Aegyptiorum ars agnoscitur, ex eo tempore, quod exsilium antecessit, profectus esse videtur.

[1] „Sepulcra regum“ *(Ḳubûr es-Salâṭîn),* quae vocantur, cum sepulcris regum Juda, quorum in vetere testamento mentio fit, aequanda non sunt, sed sepulcrum Helenae, reginae Adiabenes (quod regnum inter imperia Romanum et Parthicum situm erat), esse verisimile est. Quae regina unâ cum Izates filio ad religionem Judaeorum transiit et Hierosolymis sepulta est (Jos. AJ 20, 4. 3). Quod sarcophago cum inscriptione duorum versuum ibi invento comprobatur. Quorum versuum prior hic est: צדן מלכתא *(= Zaddan regina),* posterior: צדה מלכתה *(= Zadda regina).* Utriusque versus lingua Aramaica est, scriptura autem prioris Syriaca (Estranghelo), posterioris Hebraica (scriptura quadrata). Id ita tantum explicatur, ut regina Zaddan sive Zadda, quae haud dubie religionem Judaicam amplectebatur, alicuius domus regiae Syrorum fuerit, quae domus haud alia nisi Adiabenorum esse potest. Sarcophagus ille ex anno 1864 Parisiis in museo Louvre servatur. Praeterea in sepulcris regum pars vasis fictilis cum nomine הלנא *(Helena)* litteris antiquorum Hebraeorum conscripto inventa est.

„Sepulcra iudicum“ *(Ḳubûr el-Ḳuḍât),* quae vocantur, eum locum esse, ubi antiqui iudices Hebraeorum conditi essent, posteriore demum tempore dictum est. Eadem „sepulcra prophetarum“ *(Ḳubûr el-Anbijâ)* nominabantur. Sunt, qui dicant ibi viros posterioris cuiusdam iudicii Judaeorum sepultos esse.

[2] Quorum sepulcrorum pulcherrimum id est, quod circa annum a. Ch. n. ducentesimum quinquagesimum familiae eius, qui coloniae Phoenicum praeerat, factum est. Constat ex vestibulo et tribus cellis, in quarum parietibus sepulcra excisa sunt. Picturis venatio repraesentatur: primum vir cum tuba, deinde eques contra leopardum adequitans, praeterea variae bestiae. Ad portam ante cellam maximam a sinistra parte gallus, a dextera canis Cerberus triceps pictus est. Pictura illius, quae in vasis Atticis quinti et quarti a. Ch. n. saeculi conspicitur, similis est. Ceterum conferas J. Peters and H. Thiersch, Painted tombs in the necropolis of Marissa (Marêshah). London 1905.

2) Putei (בְּאֵר, Arab. *bîr*) erant foveae, plerumque ex ipsa rupe excisae, ubi „aquae vivae“, i. e. aqua fontana vel aqua subterranea, colligebantur, quas tamen, si neglegenter constructae erant, propter fissuras rupis continere non poterant (Jer 2, 13). Aqua hydriâ (כַּד Gn 24, 16) vel situlâ (דְּלִי Jes 40, 15) longo funi alligatâ educebatur. Pecori adaquando canales potatorii (רְהָטִים Gn 30, 38. 41. Ex 2, 16. שִׁקֻּת Gn 24, 20; 30, 38) e ligno vel lapide facti inserviebant. Putei os lapide magno, plerumque rotundo, claudebatur (Gn 29, 2 s. Thrn 3, 53).

Antiquitate insignis est puteus Jacob (πηγὴ τοῦ Ἰακώβ Jo 4, 6. hodie *Bîr Jaʿḳûb* = Hebr. *Beʾêr Jaʿaḳôb*), qui a Jacob patriarcha prope Sichem (hodie *Nâbulus*) effossus (ib. v. 12) ab eodem nomen traxit; etiamnunc 23 m profundus est. Atque iam antiquitus etiam in domibus privatis puteos fuisse ex II Sm 17, 18 s. apparet.

Hodie Hierosolymis notissimus est puteus ille, qui ad latus templi occidentale situs *Bîr ḥammâm el-šefâ* nominatur. Praeterea in domibus

privatis et in area templi *(Ḥarâm el-šerîf)* complures putei inveniuntur. Extra urbem autem situs est *Bîr Ejjûb* = puteus Job (cf. Ḳorân, Sûra 38, 40 s.), qui in nonnullis scriptis Judaeorum *Bîr Juab* = puteus Joab, a Christianis inde a saeculo sexto decimo *puteus Nehemiae* vel *puteus ignis* appellatur, quod eum fontem puteum, cuius II Mcc 1, 19 ss. mentio fit, esse putabant.

3) Cisternae (בּוֹר) i. e. foveae, ubi vel aquae pluviae vel aquae aliunde adductae colligebantur, antiquis temporibus plerumque saxis incisae erant, varia magnitudine et forma, modo oblongae, modo quadratae, modo rotundae, maiores vel minores, prout condicio loci permiserat vel necessitas rerum postulaverat. Recentiore aetate etiam muris et concameratione arte factis construebantur. Plerumque duo, rarius complura, ora habebant, quorum alterum ad excipiendas, alterum ad hauriendas aquas destinatum erat. Cisternam parvam, id quod iam commemoravimus, omnis fere domus amplior, imprimis Hierosolymis, habuit (cf. Jes 36, 16. Prov 5, 15. Inscr. Mesa l. 25), maiora aedificia etiam complures, quae magnam optimae atque frigidae (cf. Jer 6, 7) aquae copiam praebebant. Cisternae siccae, sub finem aestatis iam non aquam, sed lutum continentes, etiam captivis includendis adhibebantur (Jer 38, 6—13. cf. Sach 9, 11. Ps 69, 3. Thrn 3, 53).

4) Piscinae sive stagna (בְּרֵכָה) eodem fere modo atque cisternae aedificabantur, sed maiorem amplitudinem habebant et tecto vel concameratione carebant. Plerumque saxis incisae, in vallibus etiam muris aggeribusque formatae ad imbres colligendos vel aquas aliunde adductas excipiendas destinatae erant.

In libris sacris complures piscinae Hierosolymis sitae commemorantur: 1) Piscina Bethsaida sive Bethesda (= בית חסד *domus misericordiae*), Vulg. *probatica piscina,* in textu Graeco ἐπὶ τῇ προβατικῇ sc. πύλῃ (Jo 5, 2). Habebat quinque porticus, in quibus aegroti commorabantur. Vulgo opinantur eam iuxta portam ovium (sive *portam gregis* Neh 3, 1. 31; 12, 38. ἡ πύλη ἡ προβατική LXX) sitam fuisse, nisi forte aut duae piscinae distinguendae sunt, altera probatica, altera Bethsaida prope priorem sita (ἐπὶ τῇ προβατικῇ sc. κολυμβήθρᾳ), aut nomen Bethsaida de quinque porticibus iuxta (ἐπί) piscinam explicandum est. Anno 1888 C. Schick prope ecclesiam S. Annae reliquias magnae piscinae geminae et quinque porticuum cum sacrario, quod media aetate equites rei Christianae propugnatores exstruxerunt, effodit. Cum porta gregis ex opinione communi parvo spatio inde distaret, complures viri docti recentioris aetatis eum locum pro piscina probatica habent. Alii autem eam cum piscina Siloah componunt aut alio loco sitam fuisse existimant. — 2) Fons et piscina Siloah (מֵי הַשִּׁלֹחַ LXX τὸ ὕδωρ τοῦ Σιλωάμ, Vulg. *aquae Siloe* Jes 8, 6. בְּרֵכַת הַשִּׁלֹחַ Vulg. *piscina Siloe* Neh 3, 15. κολυμβήθρα τοῦ Σιλωάμ, Vulg. *natatoria Siloe* Jo 9, 7) sub monte Sion. Cuius fontis aquas salubres fuisse ex Jo 9, 7. 11 intellegitur. Cf. etiam Jos. BJ 5, 4. 1 s. al. Hodie *ʿAin Silwân* ostium meri-

dianum eius canalis subterranei appellatur, qui a fonte dominae Mariae (*ʿAin Sitti Marjam)* sive fonte graduum (*ʿAin ummu el-dereǧ)* extra murum antiquum decurrens, deinde sub muro urbem intrans usque ad piscinam (superiorem) Siloah, 16 m longam et 5·6 m latam, ducitur. Nam distinguenda est piscina Siloah superior, quam incolae vici vicini (*Kafr Silwân* ad orientem torrentis Kidron siti) hodie simpliciter piscinam *(el-Birke)* vocant, a piscina inferiore (*Birket el-Ḥamrâ* sive piscina rubra), in quam a fonte dominae Mariae canalis apertus, antiquior, brevior ducebat. Haud procul a fonte Siloah erat πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ (Lc 13, 4), quo nomine aliqua turris prope murum urbis exstructa intellegenda esse videtur. Ceterum piscina Siloah eadem videtur esse ac piscina regis (בְּרֵכַת הַמֶּלֶךְ Neh 2, 14). Minus verisimile est vel lacum inter duos muros situm, ad quem aquae *piscinae veteris* (הַבְּרֵכָה הַיְשָׁנָה Jes 22, 11) colligebantur, vel *piscinam inferiorem* (הב׳ הַתַּחְתּוֹנָה Jes 22, 9) cum piscina Siloah aequandam esse; quae ubinam fuerint, non constat. Idem cadit in eam piscinam, quae Neh 3, 16 in aedificandis muris prope sepulcrum David et domum fortium commemoratur et הב׳ הָעֲשׂוּיָה Vulg. *piscina, quae grandi opere constructa est,* appellatur. Neque de piscina superiore (הב׳ הָעֶלְיוֹנָה II Rg 18, 17. Jes 7, 3; 36, 2), neque de operibus regis Hiskia (II Rg 20, 20. II Chr 32, 3 s. 30. Sir 48, 17) quidquam certi affirmari posse videtur. Quamquam complures nomen piscinae superioris ei piscinae, quae hodie *Birket el-Mâmilla,* nomen piscinae Hiskiae ei, quae hodie *Birket Hammâm el-Baṭraq* appellatur, tribuunt. 3) A Josepho praeterea Hierosolymis commemorantur κολυμβήθρα Σολομῶνος prope Siloah sita (BJ 5, 4. 2); Στρούθιον prope arcem Antoniam (ib. 5, 11. 4), probabiliter eadem piscina, quae nunc Birket Isrâ'în nominatur; Ἀμύγδαλον, i. e. piscina turrium (ib.), eadem, quae hodie Birket Hammâm el-Baṭraq vocatur; ἡ τῶν ὄφεων ἐπικαλουμένη κολυμβήθρα (cf. Neh 2, 13) iuxta monumentum Herodis in superiore parte vallis Hinnom (ib. 5, 3. 2), fortasse Birket el-Sultân.

Ceterum in libris divinis etiam piscinae in Gibeon (II Sm 2, 13), in Hebron (ib. 4, 12), Samariae (I Rg 22, 38), in Hesbon (Ct 7, 4) commemorantur.

Ad occidentem urbis Bethlehem prope vicum ʿArṭâs quattuor fontes et tres lacus monstrantur, qui regi Salomo adscribuntur et anno 1865 restaurati sunt. Lacus primus sive supremus, 116 m longus, 69—72 m latus, circiter 7·6 m altus, partim rupi incisus, partim ex magnis lapidibus quadratis constructus est. Lacus secundus sive medius, qui a primo 49 m distat, 129 m longus, 48—76 m latus, circiter 12 m altus, totus fere rupi incisus est. Lacus tertius et pulcherrimus, qui a medio 48 m distat, 177 m longus, 45—63 m latus, circiter 15 m altus, partim rupi incisus, partim ex magnis lapidibus constructus est.

5) Aquaeductus plerumque supra terram atque antiquo tempore semper ita facti erant, ut valles vitarentur. Romani demum eos ingentibus arcubus supra valles ducere conati sunt. Aquaeductus, qui a piscinis Salomonis usque ad Hierosolyma perducti sunt, saltem superiores, eo tempore, quod exsilium Babylonium antecessit, exstructos esse verisimile est.

Ex aquaeductibus in rupes incisis imprimis canalis Siloah memoratu dignus est, qui 1200 cub. = 537·6 m longus ab utroque fine eodem tempore fodi coeptus est. Octavo a. Ch. n. saeculo factus esse dicitur. De quo opere „inscriptio Siloah" anno 1880 a *C. Schick* inventa agit. Atque nonnulli eum canalem aetate Ahas regis effossum esse existimant. At quae pro sententia sua proferunt (imprimis locum Jes 8, 6., ubi aquae Siloah molliter fluentes commemorantur) parum probabilia sunt, quoniam Jesaia non solum aetate Ahas, sed etiam aliorum regum florebat. Opinio autem canalem Hiskia regis, de quo II Chr 32, 30 agitur, ad canalem Siloah referendum esse, probabilitate prorsus caret. Ceterum ex comparatione longitudinis 1200 cubitorum et 537·6 m apparet cubitum vulgare = 0·45 m fuisse, id quod infra diligentius exponemus.

II. Quod ad aedificia ante exsilium exstructa attinet, de operibus regis Salomo solis certius aliquid accepimus, quamquam ne id quidem sufficit, ut illa clare cognoscamus. Atque praeter templum Hierosolymitanum, de quo supra egimus, hîc imprimis regia, quam sibi Salomo tredecim annis aedificavit, memoranda est (I Rg 7, 1—12. Jos. AJ 8, 5. 1 s.). Quae compluria comprehendebat aedificia ex saxis quadratis lignisque cedrinis exstructa. Et primum quidem *domum saltus Libani* (בֵּית יַעַר הַלְּבָנוֹן), quae centum cubita longa, quinquaginta lata, triginta alta erat et nomen traxit ex tribus ordinibus quinarum denarum columnarum, quae ex ligno cedrino factae erant atque ex nonnullorum interpretum opinione, quae tamen minus probabilis videtur, superiorem quandam contignationem sustinebant; etiam tectum (sine dubio planum) ex eodem ligno confectum erat. Cui domui adiuncta erat *porticus columnarum* (אוּלָם הָעַמּוּדִים), quinquaginta cubita longa, triginta lata, et *porticus solii* (א' הַכִּסֵּא) vel *iudicii* (א' הַמִּשְׁפָּט), in qua fortasse erat solium Salomonis, quod I Rg 10, 10—20 = II Chr 9, 17—19 describitur. Quibus porticibus continuabantur domus Salomonis et domus filiae Pharaonis, de quarum structura in sacris litteris nihil traditur. Ceterum arx regia et templum unum corpus efficiebant atque magnis muris circumdata erant. Cum I Rg 7, 2—8 partes arcis regiae a meridie ad septentriones enumeratas esse verisimile sit, a meridie primo domus saltus Libani, deinceps porticus columnarum, porticus solii, domus Salomonis, domus filiae Pharaonis fuisse videntur. De quibus operibus etsi nihil certius accepimus, id tamen constat ea exemplis ab externis populis (ab Aegyptiis, probabilius a Phoenicibus vel Syris) petitis exstructa esse.

De operibus a Salomo exstructis videas B. Stade, Der Text des Berichtes über Salomos Bauten 1 Kön. 5—7 (ZAW III, 1883, 129—177); Th. Friedrich, Tempel und Palast Salomo's. Denkmäler phönikischer Kunst. Innsbruck 1887. Die vorderasiatische Holztektonik ib. 1891; A. Šanda, Salomo und seine Zeit 49—67 (BZF VI, 1—2) Münster 1913.

Post exsilium Babylonium imprimis Herodes Magnus arte architectonica excellebat, qui permultum Graecis debebat, quos in iis quoque, quae cum religione Mosaica non conveniebant, imitari studebat (Jos. AJ 15, 8. 1; 15, 9. 4. 6; 15, 10. 3. BJ 1, 21. 1). At Phoenicum (et Aegyptiorum) structura non prorsus relicta est et etiam in Mischna aularum Tyriarum et fenestrarum Tyriarum (et Aegyptiarum) domorum mentio fit (Maaseroth 3, 5. Baba bathra 3, 6).

Regiam magnificentissimam quin Herodes structuram Graecorum et Romanorum secutus sibi aedificaverit, dubium non est (videas eius descriptionem apud Jos. BJ 5, 4. 3—4). Idem cadit in ceteras domus et monumenta, quae illa aetate in Palaestina exstructa sunt. Vel templum Hierosolymitanum Graecorum structurâ aedificatum est, etsi Herodes formam aedis sacrae (ναός) mutare audere non debebat.

Ceterum conferas E. Schürer, GJV I⁴, 387—392.

Caput secundum

De pictura, sculptura, scalptura gemmarum

I. De pictura apud Hebraeos dici non potest. Id partim ex eorum odio in imagines apparet, quod tempore procedente magis magisque crevit, partim ex eorum significationibus colorum, cum inde intellegatur eorum sensum colorum parum excultum fuisse. Velut vocabulum אָדֹם *ruber* non solum de veste sanguine conspersa (Jes 63, 2) et de genis rubicundis (Ct 5, 10) usurpabant, sed etiam de equo fusco (Sach 1, 8; 6, 2), de vacca rufa (Nm 19, 2), de lentium rubedine (Gn 25, 30); vocabulum יָרָק *viridis* non solum ad significandam frondem viridem, sed etiam de pallescente facie (Jer 30, 6) et de rubigine frumenti (I Rg 8, 37). Vocabulum לָבָן *albus* etiam de bysso et luna, quorum album in sufflavum inclinatur, legitur. Vocabulum שָׁחֹר *niger* de nigro capillo (Lv 13, 31. 37) et de colore faciei nigricante (Ct 1, 5) usurpatur, sed etiam de aurora (שַׁחַר Gn 19, 15. Jos 6, 15). Purpura *caerulea* nomine conchae תְּכֵלֶת, color *coccineus* nomine cocci ilicis תּוֹלַעַת, quidquid purpurâ infectum est, nomine muricis sive conchae purpurariae אַרְגָּמָן significatur. Quod apud Ezechiel de imaginibus parietum sermo est, lineamenta aguntur, quae in parietibus incisa erant (8, 10) et quodam colore quoque clariora videntur facta esse (23, 14: „viri depicti in pariete, imagines Chaldaeorum depictae minio“; quo modo etiam locus Jer 22, 14 intellegendus est). Ceterum eae imagines ut imitatio moris gentilium a propheta vituperantur. Praeterea accepimus vasa fictilia picturis ornata fuisse.

Cf. F. Delitzsch, Iris. Farbenstudien und Blumenstücke. Leipzig 1888.

II. Artem variarum rerum ex *auro, argento, aere, argilla,* fabricandarum Hebraei studiose colebant. Quod probatur duobus cherubim in arca foederis (Ex 25, 18—20; 37, 7—9), labro aeneo tabernaculi Mosaici (Ex 38, 8), vitulo aureo, quem Aaron sub monte Sinai formandum curavit (Ex 32, 4), serpente aeneo iussu dei a Mose confecto (Nm 21, 8 s.), idolis artificiose confectis (Ex 20, 23; 32, 31; 34, 17. Lv 19, 4. Jes 2, 20; 44, 9—12. al.), variis ornamentis (Jes 3, 18—23). Vasa aenea templi Salomo per artificem quendam Tyrium (Hûrâm-Abî) facienda curavit, qui ea in planitie fluminis Jordan inter Sukkôth (hodie ʿAin es-Sâkût) et Ṣaretân fudit (I Rg 7, 13—46. II Chr 2, 12 s.). Verisimile est aurea quoque et argentea templi vasa a Phoenicibus facta esse, qui in ea arte excellebant et quorum opera omnibus locis, imprimis in Aegypto venibant. Neque dubium est, quin Hebraei in arte metallica multa a Phoenicibus didicerint.

Ad aetatem nostram praeter nonnulla Astartes simulacra ex aere fusa sola opera figlina, deorum simulacra et bestiarum imagines, quibus vulgo vel ansis urceorum vel lucernis vel ad res nobis ignotas utebantur, pervenerunt. Quae opera modo rudius modo elegantius facta sunt, unde tamen non maior aut minor vetustas, sed tantum maior aut minor sollertia artificis colligenda est. Pulcherrimae figurae figlinae in ara ad odores incendendos destinata, quae in Tell Taʿannek effossa est, inveniuntur.

De sculpturis lapideis in vetere testamento nihil traditur. Nusquam ornamenti lapidei domuum, nusquam simulacri lapidei mentio fit. Neque loculi lapidei, quos et in Phoenica et in Aegypto invenimus, Hebraeis noti sunt. Cippi lapidei (מַצֵּבוֹת) semper simplici erant forma, fortasse interdum imaginibus insculptis ornati (cf. Hos 10, 1); neque vero umquam ut apud alias gentes simulacra dei facta sunt. Nam Hebraei lapidem artificiose tractare nesciebant (cf. II Sm 5, 11). Neque adhuc ullum signum lapideum effossum est.

In sculptura vero lignea Hebraei antiquitus versabantur. Duo cherubim in sanctissimo templi Hierosolymitani ex ligno oleagino sculpti erant (I Rg 6, 23—27. II Chr 3, 10—13). Item portae et parietes templi sculpturis ornati erant (I Rg 6, 18. 29. 35. cf. Ez 41, 17—20). Idola ex ligno confecta saepius memorantur (Hos 4, 12. Jes 40, 20; 44; 13—17; 45, 20. al.). Simulacra ex ligno aut argilla confecta laminis aureis vel argenteis inducere Hebraei sciebant (cf. אֶפֹד Jes 30, 22). Verisimile est vitulum quoque aureum a Jerobeam I in Bethel erectum (I Rg 12, 28. 32) simulacrum laminis aureis indutum fuisse.

Solium Salomonis ebore ornatum et auro inductum (I Rg 10, 18—20 = II Chr 9, 17—19) num ab Hebraeis factum sit, non accepimus.

Aetate Christi Judaei imagines et signa omnino abhorrebant. Cum Herodes Magnus in theatro tropaea Caesaris exhiberet, id indignissime ferebant (Jos. AJ 15, 8. 1). Quantos autem tumultus excitaverint, cum Pilatus imagines Caesaris in urbem inferre temptaret, notum est (AJ 18, 3. 1. BJ 2, 9. 2). Ne signa quidem militaria Romanorum ferebant, cum multa simulacra in iis essent (AJ 18, 5. 3). Rigorosissime igitur mandatum illud divinum interpretabantur: „Ne facias tibi sculptam imaginem aut simulacrum ullius rei, sive in caelo sit sive in terra sive in aqua sub terra“ (Ex 20, 4) neque considerabant solam idololatriam eo prohiberi neque cogitabant in ipsa suppellectile sacra imagines non defuisse.

III. Scalptura gemmaria Hebraeis iam satis mature nota fuit; nam Gn 38, 18 anuli signatorii ita mentio fit, ut Hebraei eo antiquitus usi esse videantur. Ex Jer 17, 1 accepimus homines eius artis peritos stilo ferreo cum mucrone adamantino ad gemmas scalpendas usos esse. Quam artem Hebraeos a Phoenicibus didicisse verisimile est, qui ut Syri commercio cum oriente habito coacti sigilla gerebant; nam in terris ad Euphraten sitis mos erat omni pacto sigilla partium id pactum ineuntium imprimere. Sed fieri potuit, ut Cananaei quoque eam artem Hebraeos docerent.

Neque vero explorari potest, quid Cananaei in scalptura gemmaria effecerint. Nam quamquam multa sigilla exstant, tamen raro reperiri potest, quae aut Hebraeorum aut Phoenicum aut alterius earum gentium, quae circa erant, fuerint. Praeter anulos signatorios (plerumque lapides ex longo rotundos, qui partim digito inserebantur, partim lino circa collum gestabantur) apud Hebraeos tres formas sigillorum invenimus: scarabaeos, quibus praecipue Aegyptii utebantur; cylindros, qui imprimis in Babylonia usitati erant; sigilla in coni formam redacta. In Tell Ta'annek quadratum quoque sigillum inventum est. Ex quibus sigillis plurima rudis sunt operis; nam Hebraeorum scalptura gemmaria magis in pictura lineari versabatur quam in arte fingendi, cum solas extremas lineas earum figurarum, quae ornamento essent, ducerent. Plerumque solas figuras varii generis, rarius nomen possessoris litteris Hebraicis scriptum ostendunt, velut sigillum 'Amdijâhu filiae Śebanjâhu. Sigilla elegantiore manu ficta sine dubio opera artificum externorum sunt, ut sigillum Śema', ministri et adiutoris consiliorum regis Jerobeam II, quod in Tell el-Mutesellim inventum et aut in Babylonia aut ab artifice aliquo Babylonio, qui aulae regis Israelitarum arte sua serviebat, factum est.

Caput tertium

De poetica

Conferas R. Lowth, De sacra poesi Hebraeorum praelectiones academicae Oxonii habitae. Oxonii 1753; J. G. Wenrich, De poeseos

hebraicae atque arabicae origine, indole mutuoque consensu atque discrimine. Lipsiae 1843; F. Delitzsch, Geschichte der jüdischen Poesie. Leipzig 1863; A. Werfer, Die Poesie der Bibel. Tübingen 1875; J. Döller, Rhythmus, Metrik und Strophik in der biblisch-hebräischen Poesie. Paderborn 1899; E. König, Stilistik, Rhetorik, Poetik inbezug auf die biblische Literatur komparativisch dargestellt. Leipzig 1900. Die Poesie des alten Testaments. ib. 1907. Hebräische Rhythmik. Halle 1914; E. Sievers, Metrische Studien. I. Studien zur hebräischen Metrik (I. Untersuchungen. II. Textproben). ib. 1901—02; E. Kautzsch, Die Poesie und die poetischen Bücher des alten Testaments. Tübingen 1902; J. Ecker, Porta Sion 122*—182*. Trier 1903; J. W. Rothstein, Grundzüge des hebräischen Rhythmus und seiner Formenbildung nebst lyrischen Texten mit kritischem Kommentar. Leipzig 1909; V. Zapletal, De poesi Hebraeorum in vetere testamento conservata[2]. Friburgi 1911; S. Euringer, Die Kunstform der althebräischen Poesie (BZF V, 9—10) Münster 1912.

Alia opera infra afferuntur.

Nulla est ars, in qua antiqui Hebraei magis excellebant, quam in poetica, ita ut eius pulchritudine ad antiquos Graecos proxime accederent, sublimitate autem et maiestate eos multo superarent.

I. Quod ad argumentum attinet, poesis Hebraeorum sacra est et religiosa; nam partim motus animi religiosos exprimit, partim in exponendis doctrinis salutaribus versatur, partim futura praenuntiat. Constat igitur ex carminibus *lyricis,* quae plerumque ad cantum destinata sunt, *didacticis, propheticis.*

Atque poesis *lyrica* imprimis florebat a Mose usque ad David, „egregium psalten Israel“ (II Sm 23, 1), qui in psalmis ad summum gradum huius generis poesis provectus est. Quem complures alii psalmistae et aequales et posteri secuti sunt. Ad poesin lyricam Threni quoque, Canticum canticorum, nonnulla alia poemata pertinent. Poesin *didacticam* maxime coluit promovitque Salomo in Proverbiis et libro Koheleth, quamquam etiam lyricam non neglexit. Eodem quoque referendi sunt libri Siracidis et Sapientiae atque omnium poematum sacrorum perfectissimum celeberrimumque, liber Job. In poesi *prophetica* Jesaia regnante Hiskia summum gradum assecutus est. Nonnumquam varia poesis genera permixta sunt. Velut liber Job, qui didacticus est, haud paucos locos lyricos habet; nonnulli psalmi potius didactici vel prophetici sunt quam lyrici; poesis prophetica inter utrumque genus media saepius ad didacticam, saepius ad lyricam inclinat.

Libri sacri neque epicum neque dramaticum poema norunt. Drama enim, quo res praeteritae vel praesentes coram spectatoribus aguntur, ex intima sua natura est quaedam fictio atque etiam poemata epica res gestas, quas narrant, multis rebus fictis exornant; in libris autem inspiratis fictioni locus esse non potest. Errant igitur, qui in libro Job et in Cantico canticorum vera dramata agnoscenda esse censent.

At carmina profana Hebraeis non defuisse probant canticum Lamech ob arma ferrea a Tubalkain inventa (Gn 4, 23 s.), epinicia, quae cantabant Hebraei (Nm 21, 27—30), Simson (Jdc 15, 16), mulieres Hebraeae (I Sm 18, 7; 21, 11), carmen lugubre David (II Sm 1, 19—27), alia similia. Cf. Jes 24, 9. Am 8, 10.

II. Quod ad formam attinet, poesis Hebraeorum, ut aliarum gentium, ab oratione prosa varie differt. Nam primum non solum orationem solutam evitat, sed etiam proprio quodam et exquisito dicendi genere ad leges euphoniae utitur, vocabula nova et artificiosas verborum conformationes, quam maxime autem troporum frequentiam et audaciam amat. Deinde singulari quadam indole excellit, *parallelismo membrorum* i. e. rhythmo non vocabulorum aut syllabarum, sed sententiarum et idearum („eurhythmiâ idearum"), quo magis animi quam aures suaviter delectantur eiusque vi aliqua sententia non simpliciter proponitur, sed in suas partes aequaliter distribuitur, ita ut singula eius membra aequaliter sibi respondeant.

A materia triplex parallelismus membrorum distinguitur: 1) *synonymus* (in poesi lyrica frequentissimus), qui oritur, si eadem sententia bis terve verbis idem fere significantibus ita exprimitur, ut quae in priore membro proposita sunt, in sequenti repetantur, ut res rebus, verba verbis quasi respondeant. Longe frequentissime duobus membris continetur (Ps 3, 2; 8, 5; 20, 3; 42, 3., duo disticha synonyma videas Ps 26, 1. 3. Prov 3, 9—12; 23, 15 s.), sed inveniuntur etiam tristicha (Ps 1, 1. Job 10, 17. Thrn 1, 1) et tetrasticha synonyma (Ps 91, 5 s.). — 2) *antitheticus* (qui ad praecepta morum tradenda aptissimus est), si membrum membro opponitur, opposita oppositis dilucidantur (Ps 20, 9. Prov 10, 1. 17. Lc 1, 51—53). — 3) *syntheticus,* si sententia unius membri in sequenti membro magis evolvitur vel gradatione (Ps 51, 15) vel probatione (Ps 3, 6) vel comparatione (Ps 42, 2). — Forma parallelismi est aut *perfecta,* aut *imperfecta,* prout singula membra aut eodem (Ps 51, 3) aut diverso (Ps 22, 5 s.) modo composita sunt.

Ex natura parallelismi *structura stropharum* oritur. Nam membra parallela, cum vel terna vel quaterna coniuncta completam sententiam exhibeant, simul etiam strophas duorum vel trium vel quattuor stichorum constituunt, atque si per integrum canticum eadem ratione disticha vel tristicha vel tetrasticha repetuntur, totidem strophae distinguuntur, quae aut versu primo vel ultimo repetito (Ps 42, 6. 12; 43, 5) aut alio intercalari (Jes 9, 12. 17. 21) aut aliis signis indicari solent. Quam divisionem, quae praecipue in psalmis invenitur, verisimile est ratione vocis fidibus iunctae habitâ ortam esse.

Cf. D. H. Müller, Die Propheten in ihrer ursprünglichen Form. Die Grundgesetze der ursemitischen Poesie etc. Wien 1896. Strophenbau und Responsion. ib. 1898; J. K. Zenner, Die Chorgesänge im Buche der

Psalmen. Ihre Existenz und ihre Form nachgewiesen. 2 Tle. Freiburg 1896; P. P. Szczygiel, Der parallelismus stropharum (BZ XI, 1913, 10—27. 129—142).

Sunt carmina, quae alphabetica vocantur, quia litterae initiales aut stichorum aut versuum secundum ordinem alphabeticum dispositae totam litterarum seriem exhibent. Atque in Ps 25. 34. 145. Prov 31, 10—31. Thrn 1. 2. 4 singuli versus, in Ps 111 et 112 singula versuum membra, in Thrn 3 terni versus, in Ps 119 octoni versus, in Ps 9. 10. 37 primum ternorum vel senorum versuum membrum a litteris alphabeticis incipiunt. Quae forma non est merum artificium poeticum, neque ad memoriam iuvandam tantum adhibita, sed ideo electa, ut iis carminibus, quae pro natura sua non perfecte tractanda neque exhaurienda sunt, saltem decurso ordine litterarum signum absolutionis imprimatur.

III. Utrum poetae veteris testamenti in carminibus veris metris usi sint necne, in disceptatione versatur. Atque patribus ecclesiae et antiquis scriptoribus persuasum erat Hebraeos distinctione et variatione longarum breviumque syllabarum eadem fere metra, quae Graeci et Latini, atque metrorum variatione artificiosas strophas formasse. Velut Josephus (AJ 2, 16. 4; 4, 8. 44; 7, 12. 3), Eusebius (Praep. evang. 11, 5. MSG 21, 852 s.), Hieronymus (Ep. 30, 3. MSL 22, 442 s. cf. Praef. in Euseb. Chron. ib. 27, 36. Praef. in Job. ib. 28. 1140 s.), alii de hexametris, pentametris, tetrametris, trimetris Mosaicis et Davidicis dicunt. Quare mirum non est, quod haud pauci viri docti recentioris aetatis metra illa, quae scriptores antiqui in vetere testamento invenisse dicunt, detegere voluerint. At omnes fere, etiam operosissimi hominum eruditorum conatus alicuius metri poesis Hebraicae explorandi successu optato caruerunt. Minime tamen linguae Hebraicae ideo derogari potest facultas metrum formandi atque versus extremis verbis inter se consonantes faciendi, id quod ex sacris litteris (Gn 4, 23. Jdc 16, 23. Ps 6, 2; 8, 5; 34, 5 s; 106, 4 s. Job 7, 18; 10, 8—11. Thrn 5. cf. BSt VI, 1901, 39—56) atque etiam ex litterarum monumentis Judaeorum posteriorum apparet.

Nonnulli existimant versus Hebraeorum quantitate et mensura syllabarum regi ideoque in carminibus sacris eam pedum varietatem quaerendam esse, quam poetae Graeci et Latini distinxerunt. Ita C. G. Anton (Coniect. de metro Hebr. psalm. exempl. illustr. Lipsiae 1770), G. Jones (Poes. Asiat. comment. ll. VI. ib. 1777), A. F. Manoury (Lettre sur la versification hébraique. Bar le Duc 1880).

Alii leges metrorum Hebraicorum ab accentu pendere affirmaverunt. Quam opinionem defendunt J. J. Bellermann (Versuch über d. Metrik

d. Hebräer. Berlin 1813), J. L. Saalschütz (Von d. Form d. hebr. Poesie nebst einer Abhdlg. über die Musik der Hebräer. Königsberg 1825. Form und Geist d. bibl.-hebr. Poesie. ib. 1853), E. Meier (Die Form d. hebr. Poesie nachgewiesen. Tübingen 1853), B. Neteler (Anfang d. hebr. Metrik d. Psalmen. Münster 1871. Grundzüge d. hebr. Metrik d. Psalmen. ib. 1879), imprimis J. Ley (Die metr. Formen d. hebr. Poesie. Leipzig 1866. Grundzüge d. Rhythmus, d. Vers- und Strophenbaues in d. hebr. Poesie. Halle 1875), cuius systema etiam nonnulli theologi catholici approbarunt *(J. K. Zenner, J. Hontheim, V. Zapletal).*

G. Bickell (Metrices bibl. regulae exempl. illustr. Oeniponte 1879. Suppl. metr. bibl. ib. 1879. Carmina vet. test. metrice. ib 1882) leges metricas Hebraeorum e poesi Syrorum sumendas esse coniecit et statuit: in versibus syllabas numerandas esse, nullâ quantitatis ratione habitâ, sed accentu ita observato, ut syllaba tono instructa cum syllaba, quae tono caret, perpetuo alternet; nullos igitur esse pedes metricos praeter iambos et trochaeos tono instructos. Quod systema complures interpretes adoptarunt, imprimis G. Gietmann (De re metrica Hebr. Friburgi 1880), qui tamen in haud paucis rebus ab eius auctore dissentit textuique tradito artius inhaeret, *A. Rohling, J. Knabenbauer, M. Flunk, V. Vigouroux, F. Raffl;* alii reprobarunt (cf. J. Ecker, Prof. Dr. Bickells „Carmina VT metrice", Das neueste Denkmal auf d. Kirchhofe d. hebr. Metrik. Münster 1883).

H. Grimme (Grundzüge d. hebr. Akzent- und Vokallehre. Freiburg 1896. Abriß d. bibl.-hebr. Metrik, ZDMG L, 1896, 529—584. LI, 1897, 683—712. Psalmenprobleme. Untersuchungen über Metrik etc. Freiburg 1902) rem metricam Hebraeorum accentuatione et quantitate inniti contendit. Quod systema N. Schlögl (De re metrica vet. Hebr. Vindobonae 1899. Die echte bibl.-hebr. Metrik, BSt XVII, 1. Freiburg 1912) solum genuinum esse comprobare studet. Idem in praefatione libri, qui inscriptus est: Ecclesiasticus 39, 12—49, 16 (Vindobonae 1901) summam eius utilitatem ad primi textus Hebraici restitutionem demonstrare conatur. Cf. etiam eius opera: Canticum canticorum (Viennae 1902), Die Psalmen (Graz-Wien 1911).

F. Zorell (De arte rhythmica Hebr. in *J. Knabenbauer,* Comm. in Prov. Parisiis 1910, 247—270. Einführung in die Metrik und die Kunstformen der hebräischen Psalmendichtung. Münster 1914) existimat versus Hebraicos neque certo ordine longarum breviumque syllabarum effici (ut versus Latinos, Graecos, veteres Arabicos) neque constantem vel determinatum numerum syllabarum habere (ut Gallicos, Polonicos, Syriacos); si quis rhythmus carminibus Hebraicis insit, eum ab accentu vocabulorum pendere (ut in lingua Germanica et Anglica); multum igitur interesse cognosci, quaenam vocales, ut lectio rhythmica fiat, pronuntiandae, quae silentio praetereundae vel tam debiliter efferendae sint, ut in numero syllabarum nullae computentur. Itaque antiquâ pronuntiatione Hebraeorum exquisitâ fundamenta iacere studet, ut textu haud multum commutato metrum reperiat.

Si consideres, quas sententias viri docti adhuc de legibus metricis poesis Hebraicae protulerint, id unum probandum videtur esse, Hebraeos

ad verum rhythmum et fortasse ad metrum quoque pervenire coepisse, sed tantum intra rhythmum sententiarum haud satis exactum constitisse.

IV. Sunt qui inter carmina Hebraeorum et Babyloniorum quasdam similitudines intercedere demonstraverint atque Babyloniorum auctoritatem in hac re apud Hebraeos permultum valuisse contenderint.

Velut apud Hebraeos, ita etiam in carminibus Babyloniorum et Assyriorum *parallelismum sententiarum* sive *eurhythmiam idearum* invenimus. At ea re minime comprobatum est illum rhythmum primum apud Babylonios exstitisse. Nam et fieri potest, ut apud varias gentes ita usitatus esse coeperit, ut suum quaeque ingenium de eo sequeretur neque aliud imitaretur; et eius modi rhythmum etiam apud Aegyptios antiquos invenimus atque nonnulla carmina Aegyptia cum rhythmo illo innotuerunt, quae Hebraicis antiquiora sunt.

Ut apud Hebraeos, ita apud Babylonios versus *numerum* quendam *syllabarum* continent, quarum una ut „arsis" tono instructa sit, alterae ut „theses" tono careant. Velut in tabula quadam litteris cuneiformibus regni novi Babyloniorum conscripta versus tribus lineis directis in quattuor partes divisi sunt, quibus quattuor versus membra distinguantur.

Ut in vetere testamento, ita apud Babylonios et Assyrios *carmina lugubria* invenimus. Neque tamen dici potest formam carminum lugubrium Hebraeorum propriam *(kîna)*, ubi longiorem versum semper brevior sequitur (idque secundum rationem 3 : 2 vel 4 : 2 vel 4 : 3), formâ carminum lugubrium Babyloniorum et Assyriorum clariorem fieri; in omnibus autem, quae in talibus carminibus ad religionem pertinent, haec illis multo superantur.

Ut apud Hebraeos, ita apud Babylonios quoque et Assyrios *carmina alphabetica* invenimus. Sed respiciendum est acrostichidis sive carminis alphabetici artificium apud alias quoque gentes usitatum fuisse, velut apud Samaritanos, Syros, Arabes.

Item in nonnullis carminibus Babyloniorum et Assyriorum *eadem sententia saepius repetitur,* ut id Ps 136 invenimus, ubi Jahve propter bonitatem suam, quam partim creatione universitatis rerum partim beneficiis in gentem Israeliticam collatis demonstravit, laudatur et post unamquamque laudem haec verba repetuntur: „Nam in aeternum manet gratia eius".

Quidquid autem simile inter Hebraeorum et Babyloniorum carmina inventum est, ex propinquitate linguarum eorum et ingenio omnium gentium orientis antiqui communi explicari potest neque necesse est eas similitudines eo referri, quod Babyloniorum auctoritas in ea quoque re apud Hebraeos valuerit.

Adnotatio. — Eloquentia imprimis a prophetis et non solum ad populi in deum fidem confirmandam diligenter exercitata, sed etiam magnopere perfecta est. Quas orationes Jesaia, Micha, Amos, alii prophetae habu-

erunt, eae et altitudine cogitationum et gravitate dictionis excellunt. Atque quamquam iis neque disserendi subtilitas eloquentiae Graecorum neque exculta verborum compositio Romanorum inest, tamen et simplicitate dicendi et vicissitudine minarum vel promissionum, admonitionum vel consolationum animos vehementer commovent. Neque usquam in iis orationibus, partibus lyricis vaticinationum exceptis, discrimen eloquentiae et poesis sublatum est, quamvis et dictione et parallelismo membrorum saepe ad poesin prope accedant.

Caput quartum

De cantu, musica, saltatione

I. Cum cultu poeticae Hebraei semper coniungebant musicam cum vocalem tum instrumentalem, de cuius tamen natura ac vi, quoniam obsolevit et a nostris moribus longe distat, per coniecturas solas disserere possumus. At certum esse videtur Hebraeorum musicam plurium vocum melodiâ unisonâ constitisse, secluso tamen concentu harmonico. Nam nostrorum temporum concentus, qui ex varia tonorum vocumque comparatione oritur, Hebraeis penitus ignotus erat, id quod cum hodierno Judaeorum in synagogis cantu (cantillatione monotona, quem canendi modum Judaei procul dubio a maioribus hereditarium acceperunt) indicatur tum instrumentis musicae Hebraicae subicitur. Scala in usu erat non chromatica vel enharmonica, sed diatonica. Accentus textus masorethici, qui quidem positi sunt, ut flexiones vocis in cantillatione Psalmorum in synagogis indicentur, non esse notas musicas antiquorum Hebraeorum ex ipsa sera origine illorum accentuum apparet.

Aliqua ad canendi genus Hebraeorum illustrandum fortasse in inscriptionibus psalmorum latent, quae tamen tam obscurae sunt, ut iam aetate interpretum Alexandrinorum non intellegerentur. Sunt qui putent iis interdum varios canendi modos ad normam aliorum canticorum, quae nota fuerint, significari; nonnumquam etiam vocem gravem *(basso)* et vocem acutam *(soprano)* indicari, velut I Chr 15, 20 s. vocabulo עַל־הַשְּׁמִינִית vocem gravem, vocabulo עַל־עֲלָמוֹת vocem acutam significari.

Cantores et cantrices in omnibus aulis regum orientis fuerunt. Quod loco II Sm 19, 36 etiam de aula David memoriae proditur. Salomo sententias et carmina collegit (I Rg 5, 12), procul dubio carmina heroica et carmina bellica, quae a cantoribus canebantur. Sunt qui putent mulieres in templo quoque cantasse, cum Esr 2, 65 et Neh 7, 67 cantrices (שָׁרוֹת) memorentur; quod alii negant et dicunt ita appellari cantorum uxores vel intellegi cantrices, qualium verbi causâ II Sm 19, 36 mentio fit.

Origo musicae instrumentalis ad antiquissima tempora referenda est; nam Gn 4, 21 memoriae proditur Jubal inventorem citharae et tibiae fuisse. Inde musica unâ cum poesi et cantu excoli non desinebat atque poeta carmen suum ipse canebat suamque vocem fidibus iungebat. Hinc aeque ac poesis magni fiebat brevique ad altum perfectionis gradum pervenisse videtur; nam Gn 31, 27 iam de toto choro mentio fit. Exercebatur autem musica ab utroque sexu in festis et domesticis (Jes 5, 12; 24, 8. Am 6, 5. Thrn 5, 14. Koh 2, 8. I Mcc 9, 39. cf. 3, 45) et publicis (I Rg 1, 40. II Chr 20, 28. Jdth 15, 15) nec non in expeditionibus bellicis (Jos. c. 6. Jes 18, 3. Job 39, 25), in sacrario autem, ut iam supra diximus, a ministris sacris. Imprimis sacerdotum erat diebus festis, singulis calendis, sacris sollemnibus tubis argenteis canere, quarum sonitu populus ad Jahven celebrandum excitaretur, Jahvae populus in memoriam revocaretur (Nm 10, 10). Postea Salomo ad musicam sacram singularem curam contulit. Josephus AJ 8, 3. 8 memoriae prodit eum haud minus viginti milia tubarum et quadraginta milia aliorum instrumentorum, cum templum a se exstructum dicaturus esset, fieri iussisse (?). Post mortem regis Josaphat musica sacra neglecta est atque periit, sed ab Hiskia et Josia restituta est (II Chr 29, 27 s; 35, 15). In exsilio et cantus et fides obmutuerunt: „Ad flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion. Ad salices in medio eius suspendimus citharas nostras“ etc. (Ps 137, 1—4). Templo autem denuo aedificato musica quoque revivixit (Esr 3, 10. Neh 12, 27 ss.), et cum rursus perisset, a Juda Maccabaeo denuo instituta est (I Mcc 4, 54). In sacris concentibus מְנַצֵּחַ *praecentor* praesidere solebat, qui musicam ad numerum dirigebat.

Quod Sanherib (*Sin-aḫḫê-rîba,* rex Assyriorum 705—681 a. Ch.) in inscriptione quadam in tributis, quae ex Hierosolymis accepit, symphoniacos quoque et symphoniacas enumerat (H. Gressmann, Altorientalische Texte und Bilder zum alten Testament I, 121), nonnulli viri docti artifices intellegunt, qui, cum in templo sacra fierent, nervis et tibiis canere soliti sint. Num autem etiam mulieres et virgines cultum Jahvae nervorum et tibiarum cantu celebraverint, ex libris veteris testamenti demonstrari non potest. At etiamsi et ipsae in cultu versatae esse putantur, inde non efficitur eas sacerdotes fuisse.

II. Varia erant instrumenta musicae (כְּלֵי־שִׁיר *vasa cantici* Am 6, 5. II Chr 34, 12. et simpliciter כֵּלִים *vasa* I Chr 23, 5. etiam כְּלֵי דָוִיד *vasa David* II Chr 29, 26 s. כְּלֵי־שִׁיר דָּוִיד *vasa cantici David* Neh 12, 36), quibus Hebraei utebantur, *chordis instructa, manibus pulsata, ore inflata.* Quae instrumenta recentibus effossionibus monumentorum in Aegypto et Babylonia Assyriaque vel maxime illustran-

tur. Nam et cognitum est ea non Hebraeorum propria, sed ab Aegyptiis quoque et Babyloniis Assyriisque recepta et cum iis communia fuisse; et in illis monumentis passim effigies instrumentorum musicorum inveniuntur (velut effigies magni psalterii undecim chordis instructi variorumque musicorum, quae in monumento quodam cernuntur, quod aetate Gudea, principis urbis Lagaš, ortum est), nonnumquam instrumenta in sepulcris recondita (qualis est tibia illa Aegyptia, quae nunc in museo Florentino asservatur).

A) Instrumenta chordis instructa:

1) כִּנּוֹר Aeg. *k(e)nnôr(û)*, LXX interpretes in libris Rg et Neh κινύρα, in aliis plerumque κιθάρα (cf. קִיתָרוֹס, Qerê קִתָּרוֹס Dn 3, 5. 7. 10) Vulg. *cithara* (a Pers. *ciar* = quattuor et *tar* = chorda), instrumentum antiquissimum (Gn 4, 21), cum in sacris (II Sm 6, 5. Ps 33, 2; 43, 4. Neh 12, 27. I Chr 13, 8; 15, 16. al.) tum in profanis sollemnibus (Gn 31, 27. Jes 5, 12; 24, 8. Ez 26, 13. Job 21, 12) atque etiam in luctu (Job 30, 31. cf. Jes 16, 11., ubi sonus lugubris ei tribuitur) usurpatum, ita maxime ut carmina ad eius sonum decantarentur (cf. Ps 33, 2; 43, 4; 49, 5; 57, 9; 71, 22; 137, 2; 149, 3; 150, 3). Antiquissima eius forma in imagine quadam conspicimus, quae in sepulcro nomarchi Ḫnumhotep in Beni-Hassan (in Aegypto superiore sito) inventa est et nomades ex Asia in Aegyptum immigrantes repraesentat. In Assyriorum quoque et Babyloniorum monumentis saepius simplicissima forma eius instrumenti invenitur. In nummis Hasmonaeorum citharae aliae octo, aliae tribus chordis instructae sunt. Fortasse prior est κιθάρα, posterior κινύρα, quae duo nomina I Mcc 4, 54 distinguuntur. Procedente tempore chordarum numerus auctus esse videtur. Josephus enim AJ 7, 12. 3 citharae decem chordas tribuit: ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. Quod autem plectro i. e. virgula quadam ferrea sive recurvo quodam ligno illam pulsatam esse tradit, contra locos I Sm 16, 16. 23; 18, 10; 19, 9 repugnat, ex quibus illud instrumentum manu tractatum esse intellegitur.

In cithara tractanda maxime excellebat David, quem iam eo tempore, cum adulescens in paternis laribus vitam pastoriciam agebat, artem citharoedicam excoluisse inde apparet, quod, cum citharoedus quaereretur, qui ferocem regis Saul animum fidium pulsu demulceret, in universo populo Davide nemo praestantior deprehendi potuit (I Sm 16, 16—23).

2) נֵבֶל sive נְבֶל, plenius נֵבֶל־עָשׂוֹר (Ps 71, 22. I Chr 16, 5), LXX interpretes in Chr νάβλα (cf. Chaldaicum נִבְלָא), in Ps ψαλτήριον et κιθάρα, aliis locis ὄργανον, Vulg. *nablium, psalterium, lyra*[1], instrumentum triangulare, inverso Δ simile, decem (auctore Josepho AJ 7,

12. 3 duodecim) chordis, quae digitis tangebantur, instructum; quare etiam עָשׂוֹר *decachordum* (Ps 92, 4), plenius נֵבֶל עָשׂוֹר *nablium decachordum,* LXX ψαλτήριον δεκάχορδον (Ps 33, 2; 144, 9)[2] vocabatur. Usurpatur in sollemnibus profanis (Jes 5, 12; 14, 11. Am 6, 5), maxime autem in cultu divino (I Sm 10, 5. II Sm 6, 5. Am 5, 23. Ps 57, 9; 81, 3; 92, 4; 108, 3; 150, 3. Neh 12, 27. I Chr 13, 8; 15, 16. 20. 28; 25, 1. 8. II Chr 5, 12; 20, 28; 29, 25). Antiquissimam imaginem nablii in illo monumento aetate principis Gudea fabricato conspicimus, quod iam commemoravimus. Aegyptiorum nablium variis est formis. In regno antiquo tantum mediocre nablium, quo sedentes, et magnum, quo stantes canebant, in usu erat. In regno novo minoribus quoque nabliis, quae portari poterant, utebantur[3].

[1] Sed *lyra* interdum aliud instrumentum significat, velut I Chr 15, 16. ubi cum *nabliis,* ib. 16, 5. ubi cum *psalteriis* coniungitur.

[2] Nonnulli נבל et עשור diversa instrumenta fuisse ex Ps 92, 4 colligendum esse existimant, ubi dicitur: עֲלֵי־עָשׂוֹר וְעֲלֵי־נָבֶל. Atque עשור a נבל ita differre opinantur, ut hoc duodecim, illud decem chordis instructum fuerit.

[3] Vocabulum Aegyptium *nfr* (= lyra, quae unâ chordâ instructa est) saepius cum Hebraico נבל comparatur (A. Erman in ZDMG XLVI, 1892, 112). At Aegyptium vocabulum *nfr* = lyra nullum exstat. Falso ex littera quadam hieroglyphica repetitum est, quae minime lyram effingit. Cf. W. M. Müller, Egyptological researches I, 15.

3) שַׂבְּכָא LXX σαμβύκη, Vulg. *sambuca* (Dn 3, 5. 7. 10. 15), instrumentum apud Babylonios usitatum, a nablio haud multum diversum, triangulare, quattuor chordis instructum, soni acuti; non plectro, sed digitis tangebatur. Item פְּסַנְתֵּרִין (Dn 3, 7) sive פְּסַנְתֵּרִין (ib. v. 5. 10. 15) instrumentum Babyloniorum erat, citharae simile, saltem decem chordis instructum, quae in alveo concavo et foraminibus cribrato extendebantur. LXX ψαλτήριον, Vulg. *psalterium.*

B) Instrumenta pulsatilia:

1) צֶלְצָלִים LXX κύμβαλα, Vulg. *cymbala* sive duae magnae patinae (Jos. AJ 7, 12. 3: κύμβαλά τε ἦν πλατέα καὶ μεγάλα χάλκεα), quarum unam musicus manu dextera, alteram sinistra tenet et utramque invicem ad numerum musicae concutit; quare etiam numero duali מְצִלְתַּיִם vocabantur (I Chr 13, 8; 15, 16. 19. 28; 16, 5. 42; 25, 1. 6. II Chr 5, 12 s; 29, 25. Esr 3, 10. Neh 12, 27). Nonnulli duplex cymbalorum genus distinguunt, unum minoris formae, quo mulieres saltantes utebantur (= Castagnetten), alterum maioris formae, quali hodie milites in musica castrensi utuntur. Haec maiora צִלְצְלֵי תְרוּעָה *cymbala clangoris,* illa minora צִלְצְלֵי־שָׁמַע *cymbala auditus* (Ps 150, 2) fuisse opinantur.

2) מְנַעֲנְעִים LXX σεῖστρα, Vulg. *sistra* (II Sm 6, 5) i. e. ferrum in modum baculi extensum et aut in rotunditatem aut in duos angulos rectos flexum anulisque mobilibus instructum, ut agitatum et ferro alio ad numerum musicae pulsatum vel percussum (cf. verba נוע et σείω) tinnitum acutum ederet. Aliud huius instrumenti genus erant שְׁלִשִׁים *triangula,* quae ferro plectebantur et plerumque a mulieribus tractabantur (I Sm 18, 6).

3) תֹּף Arab. *duffun*, unde Hispan. *adufe,* LXX τύμπανον, Vulg. *tympanum,* quod ex circulo ligneo vel aeneo membranâ obducto et crepitaculis aeneis instructo constabat. In vetere testamento ut instrumentum occurrit, quod nonnumquam viri (I Sm 10, 5. Ps 81, 3; 149, 3; 150, 4), plerumque mulieres in pompis sollemnibus et choreis sacris tractabant (Gn 31, 27. Ex 15, 20. Jdc 11, 34. I Sm 18, 6. Jer 31, 4. Ps 68, 26). Etiam nunc unum fere instrumentum est, quod in oriente a mulieribus tractari solet. Sed tympana hodie in illis regionibus usitata minora sunt atque ex altera tantum parte aut etiam utraque clausa, qualia sunt, quae Francogallice *tambours de Basque* (Schellentrommeln) vocantur.

C) Instrumenta flatilia:

1) עוּגָב LXX ὄργανον, κιθάρα, ψαλμός, Vulg. *organum* (Gn 4, 21. Ps 150, 4. Job 21, 12; 30, 31) est antiquissima fistula pastoricia (σῦριγξ), quae primo una alterave, dein pluribus fistulis ex arundine paratis et longitudine deficientibus componebatur. Onkelos aliique interpretes Chaldaici עוגב vertunt אַבוּבָא, unde Horatii interpretes illud Sat. 1, 2, 1: „ambubaiarum collegia“ deducunt, quod ambubaiae fuerint tibicines, mulieres vagae, tibiarum cantu se alentes. Aegyptii et Assyrii tribus generibus tibiarum utebantur: simplici tibiâ ex ligno vel arundine variae longitudinis facta; tibiâ transversâ, quâ ut nostrâ tibiâ canebatur; duplici tibiâ variae formae. Apud Syros in lucto de Adonide instituto] arva tibia palmaris acri et flebili sono usurpabatur.

2) חָלִיל, cf. Assyr. *ḫalḫallatu,* LXX αὐλός, Vulg. *tibia,* cuius apud veteres cum in sollemnibus et sacris et profanis (I Sm 10, 5. I Rg 1, 40. Jes 5, 12; 30, 29. M. Arachin 2, 3. Sukka 5, 1) tum in luctu mortuorum (Jer 48, 36) frequens erat usus, ex ligno, arundine, cornibus, ossibus conficiebatur.

3) שׁוֹפָר *tuba, lituus* (etiam שׁ הַיּוֹבֵל *tuba clangoris* Jos 6, 4. 6. 8. 13. קֶרֶן הַיּוֹבֵל *cornu clangoris* ib. v. 5. simpliciter הַיּוֹבֵל Ex 19, 13), LXX σάλπιγξ, κερατίνη. Vulg. *bucina,* instrumentum antiquissimum. Erat cornu arietinum excavatum vel bovillum in summa parte abscis-

sum (cf. Hieronym. Comm. in Hos 5, 8. MLS 25, 861). Eius clangor consuetum signum erat, quo populus belli pro patria gerendi causâ (Jdc 3, 27; 6, 34; 7, 18. I Sm 13, 3), ad sollemnia profana (II Sm 15, 10. I Rg 1, 34. 39. 41. II Rg 9, 13) et sacra (in neomenia mensis septimi Lv 23, 24. Nm 29, 1. et decimo eiusdem mensis die Lv 25, 9) convocabatur.

4) חֲצֹצְרָה et חֲצוֹצְרָה LXX σάλπιγξ, Vulg. plerumque *tuba,* ex aere confecta, paulo crassior quam tibia, infra in formam campanulae desinens. Quod instrumentum in publica laetitia (II Rg 11, 14. II Chr 23, 13), maxime a sacerdotibus in sacris sollemnibus (Nm 10, 10. I Chr 13, 8; 15, 24. 28; 16, 6. 42. II Chr 5, 12s; 29, 26—28. Esr 3, 10. Neh 12, 35. 41. Ps 98, 6) inflari solebat et propterea sacrae supellectili adnumeratur (II Rg 12, 14). Forma eius tubae, quae aetate templi secundi usitata erat, etiam nunc in arcu triumphali Titi Romae conspici potest. Ex qua forma colligendum est eâ tubâ paucos, probabiliter unum tantum sonum effici potuisse.

Conferas Bl. Ugolini Thes. XXXII; P. J. Schneider, Biblisch-geschichtliche Darstellung der hebräischen Musik. Bonn 1834; J. B. Rust, The music of the Old Testament and the religion of Israel (Reformed Quarterly Review 1891, 169—193); J. Weiss, Die musikalischen Instrumente in den heiligen Schriften des alten Testaments. Graz 1895; F. Vigouroux, Les instruments de musique dans la Bible (Bible polyglotte IV, 1903, 631—656); H. Gressmann, Musik und Musikinstrumente im alten Testament. Gießen 1903; F. W. Davies, Sacred music among the ancient Hebrews and in the Christian church. London 1904; J. Braunberger, Die Musik der Juden. Kulturhistorische Skizze (tschech.). Prag 1904; F. Leitner, Der gottesdienstliche Volksgesang im jüdischen und christlichen Altertum (26—68). Freiburg 1906; S. Rubin, נגינה וכלי זמר במקרא Die Musik in der Bibel. Krakau 1908; J. Stainer, The music of the Bible. New edition. London 1914.

III. Ut musica, ita saltatio apud Hebraeos res sacra erat, qua splendor dierum festorum augebatur. Velut mulieres Hebraeae in litore maris rubri gentis servationem ab Aegyptiis carminibus et choreis celebraverunt (Ex 15, 20). Cum arca foederis Hierosolyma traduceretur, „David et omnis Israel coram Jahve" saltavit (II Sm 6, 5. 14. I Chr 15, 29). In psalmis diserte postulatur, ut Jahvae nomen choreis laudetur (Ps 149, 3; 150, 4). Primâ vesperâ festi tabernaculorum Judaei post exsilium Babylonium in atrio mulierum Jahvae cum facibus saltabant. Apud Essenos et Therapeutas saltationes sacrae crebrae erant (Philo, De vit. contempl. opp. II, 485). Hebraei quoque idololatrae deos commenticios choreis colebant. Sacerdotes Ba'al aram, ubi deo sacra faciebant, circumsaltabant (I Rg 18, 26). Etiam festum, quod

Hebraei sub monte Sinai vitulo aureo (simulacro Jahvae) agebant, epulis sacrificalibus et saltationibus celebrabatur (Ex 32, 6. 19).

Unum tamen neglegendum non est. In religione ceterarum gentium Semiticarum saltationem ad cultum ipsum pertinuisse constat; idem in religionem Mosaicam cadere demonstrari non potest.

Ex communi antiquarum gentium more Hebraei etiam in variis festis profanis ad symphoniae cantum saltare solebant (Jdc 11, 34. I Sm 18, 6; 21, 12; 29, 5. Jer 31, 4. 13. Mt 14, 6. Mc 6, 22. Lc 15, 25). Nec non processiones virginum tympana pulsantium, quibus cantores et fidicines praeibant (Ps 68, 26. cf. Jdc 21, 19—23), in saltationibus numerandae sunt. Etiam pueri puellaeque saltando laetitiam exprimebant (Job 21, 11. Mt 11, 17. Lc 7, 32). Neque ex II Sm 6, 16 (I Chr 15, 29) colligendum est saltare viris indignum existimatum esse [1], id quod ex v. 20 apparet, ubi turpitudo imprimis in corpore nudato consistere dicitur [2]. Saltatrices publicae num apud Hebraeos quoque fuerint, incertum est.

Verbo שָׂחַק *saltare ad tibiarum fidiumque cantus,* verbo רָקַד (cf. Assyr. *raḳâdu*) *saltare* ac *salire,* verbis כָּרַר, חוּל, חָגַג *saltare in orbem* significatur. Quare מָחוֹל (Jer 31, 4. 13. Ps 30, 12; 149, 3; 150, 4. Thrn 5, 15) sive מָחֹלָה (Ex 15, 20; 32, 19. Jdc 11, 34; 21, 21. I Sm 18, 6; 21, 12; 29, 5. Ct 7, 1) *orbem saltatorium* valet, quem Hebraei ita agebant, ut qui choream ducebat, praecederet et diversas arte nequaquam carentes mutationes pedum, gesticulationes manuum, inflexiones totius corporis formaret, quas reliqui in orbem sequentes ad iustum musicae numerum, plerumque tympano (nonnumquam etiam citharis, cymbalis, tibiis, aliis instrumentis II Sm 6, 5) indicatum imitabantur [3]. Posteriore tempore nobiles familiae Judaicae saltationes Graecas recepisse videntur, ut haud sine causa putes locis Mt 14, 6. Mc 6, 22 de talibus saltationibus, quae imprimis in epulis luxuriosis usitatae erant, agi.

[1] Apud Romanos saltare viros dedecere existimabatur. Cf. Cicer. Or. pro L. Muraena c. 6: „Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit". Sed sacrae saltationes apud eos in usu erant, unde Salii appellati sunt (Ovid. Fast. 3, 387).

[2] Cf. J. Döller, Davids Tanz vor Jahve (ZkTh XXIX, 1905, 576—579).

[3] Ceterum saltationem amborum generum Hebraei ignorabant. Neque tam sui delectandi causâ saltabant quam ut eos gaudio afficerent, qui ad festum convenerant, id quod etiam nunc in oriente fieri solet. Conferas R. Zehnpfund, Tanz bei den Hebräern (RE³ XIX, 378—380); J. K. Zenner, Die Chorgesänge im Buche der Psalmen I, 84—86 (Reigenlyrik im alten Testament).

Sectio quinta

De mensuris, ponderibus, nummis

Praesidia doctrinae. — Pro mensuris et ponderibus: H. Müller, Die heiligen Maße des Altertums, insbesondere der Hebräer und Hellenen. Freiburg 1859. — J. Brandis, Das Münz-, Maß- und Gewichtswesen in Vorderasien bis auf Alexander den Großen. Berlin 1866. — B. Zuckermann, Das jüdische Maßsystem und seine Beziehungen zum griechischen und römischen. Breslau 1867. — J. Oppert, L'étalon des mesures Assyriennes. Paris 1875. — R. Lepsius, Die babylonisch-assyrischen Längenmaße nach der Tafel von Senkereh. Berlin 1877. — F. Hultsch, Griechische und römische Metrologie[2]. Berlin 1882. — H. Nissen, Griechische und römische Metrologie. München 1892. — C. F. Lehmann-Haupt, Das altbabylonische Maß- und Gewichtssystem als Grundlage der antiken Gewichts-, Münz- und Maßsysteme. Leiden 1893. — ZDMG LXI, 1907, 379—402, 948—950. LXV, 1911, 625—696 *(F. H. Weissbach);* LXVI, 1912, 607—696 *(C. F. Lehmann-Haupt).* — J. Germer-Durand, Mesures de capacité des Hébreux au temps de l'Évangile. Conférences de Saint-Étienne 1909/10, 89—105 (Judaeorum mensurae cavae secundum exemplaria recenter inventa describuntur).

Pro nummis: J. Eckhel, Doctrina nummorum veterum. 8 vol. Vindobonae 1791—98. — J. Ch. Rasche, Lexicon universae rei nummariae. 7 tom. Lipsiae 1785—97. Suppl. 3 tom. 1804—06. — F. D. Schimko, Commentatio de nummis biblicis. 2 part. Viennae 1835—38. — E. Bertheau, Zur Geschichte der Israeliten. Göttingen 1842 (Gewichte, Münzen und Maaße der Hebräer). — C. Cavedoni, Numismatica biblica o sia dichiarazione delle monete antiche memorate nelle Sante Scritture. 2 part. Modena 1850. Vers. Germ. procuravit *A. v. Werlhof.* Hannover 1855—56. — F. de Saulcy, Recherches sur la numismatique Judaïque. Paris 1854. Numismatique de la terre sainte. Description des monnaies autonomes et impériales de la Palestine et de l'Arabie Pétrée. ib. 1874. — M. A. Levy, Geschichte der jüdischen Münzen. Breslau 1862. — A. Hager, Die Münzen der Bibel. Stuttgart 1868. — E. Merzbacher, De siclis, nummis antiquissimis Judaeorum. Berolini 1873. — F. W. Madden, Coins of the Jews. London 1881. — Th. Reinach, Les monnaies juives. Paris 1887. — G. C. Williamson, The money of the Bible. London 1894. — E. Schürer, GJV I[4], 761—772 (Die jüdischen Sekel- und Aufstandsmünzen).

Caput primum

De mensuris

Hebraei variis temporibus rationes mensurarum earum gentium, quibuscum commercium habebant, mutuati esse videntur. Eorum maiores in Mesopotamia commorantes mensuris Babyloniis usos esse veri-

simile est. Postquam ex Aegypto egressi sunt, mensuris Aegyptiis utebantur; nam Mosen, qui omni sapientia Aegyptiorum institutus atque eruditus est (Act 7, 22), etiam mensuras Aegyptiorum genti suae dedisse proxime ad verum accedit. Postea, cum maxima orientis pars in Assyriorum et Babyloniorum imperium dicionemque cessisset, Hebraei procul dubio earum gentium mensuris utebantur.

Mensurae Hebraicae, quarum in sacris litteris mentio fit, aut *ad spatia metienda* aut *ad rerum* (sive aridarum sive liquidarum) *modum definiendum* spectant. Sed cum de earum magnitudine nihil certi constet, tantum ex coniecturis de iis disserere possumus.

I. Ex mensuris spatiorum (מִדָּה a rad. מָדַד, Assyr. *madâdu* = mensus est), quas omnes fere gentes antiquae a partibus corporis humani sumpserunt, id quod ex earum nominibus apparet, apud Hebraeos usitatae erant hae: 1) אֶצְבַּע LXX δάκτυλος, digitus (Jer 52, 21) i. e. latitudo digiti, minima mensura, quae apud Graecos μονάς vocabatur. — 2) טֶפַח (I Rg 7, 26. II Chr 4, 5) sive טפח (Ex 25, 25; 37, 12. Ez 40, 5. 43; 43, 13) LXX παλαιστή, palmus minor i. e. spatium quattuor digitorum proxime iunctorum sive sexta pars cubiti, id quod ex ipsis sacris litteris apparet; nam crassitudo maris aenei I Rg 7, 26 et II Chr 4, 5 טפח eademque Jer 52, 21 אַרְבַּע אֶצְבָּעוֹת *quattuor digitorum* esse dicitur. Quare etiam Hieronymus vocabulum טפח Ex 25, 25 *quattuor digitos* et I Rg 7, 26 *tres uncias* sive pollices, qui quattuor digitis aequales sunt, interpretatur. — 3) זֶרֶת LXX σπιθαμή (Ex 28, 16; 39, 9. I Sm 17, 4. Jes 40, 12. Ez 43, 13) palmus maior i. e. spatium trium palmorum minorum sive duodecim digitorum, id spatium, quod extensis digitis inter pollicem et digitum minimum continetur, dimidium cubiti; id patet, si locus Ex 25, 10 cum iis, quae Josephus AJ 3, 6. 5 memoriae prodit, comparatur; nam longitudo arcae foederis, quae est duorum cubitorum et dimidii (Ex l. c.), a Josepho longitudo quinque spithamarum appellatur. Etiam vocabulo גֹּמֶד (Jdc 3, 16), quod Graeci Alexandrini σπιθαμήν, Hieronymus *palmam,* Syrus et Arabs *cubitum* interpretantur, *palmus maior* significari videtur. — 4) אַמָּה — Assyr. *ammatu,* LXX πῆχυς, cubitum i. e. ea longitudo, quae a flexu bracchii usque ad extremum digiti, qui index vocatur, porrigitur; continet sex palmos minores sive viginti quattuor digitos. Quae mensura antiquissima, iam ante diluvium usitata (Gn 6, 15), ex qua ceterae mensurae determinabantur, ubicumque in vetere testamento vocabulum אמה solum legitur neque ulla narrationis res alio spectat, intellegenda est. Ceterum in vetere testamento duo cubita invenimus. Nam etsi ex verbis Dt 3, 11

אַמַּת אִישׁ (LXX πῆχυς ἀνδρός, Vulg. *cubitus virilis*) colligi non potest Hebraeos cubitum sacrum et cubitum vulgare distinxisse, quoniam illa verba nihil aliud significant nisi cubitum commune (cf. Jes 8, 1 חֶרֶט אֱנוֹשׁ), tamen ex Ezechiel clare intellegimus eius aetate aliud cubitum usitatum fuisse atque antiquis temporibus; nam 40, 5 et 43, 13 mensuras templi sui tali cubito definit, quod est longitudine cubiti et palmi, tali igitur cubito maiore, quod palmo sive quattuor digitis vulgare superabat. Quae mensura II Chr 3, 3 diserte mensura prima vel antiqua vocatur. — 5) Ut spatia metirentur, Hebraei קָנֶה arundine = Assyr. *ḳanû* (Ez 41, 8. plenius קְנֵה הַמִּדָּה *pertica mensoria* ib. 40, 3. 5; 42, 16—19) aut חֶבֶל fune (II Sm 8, 2. Am 7, 17. plenius חבל מדה *fune mensorio* Sach 2, 5) utebantur. Utrumque autem nonnulli nonnumquam pro certa mensura habent eamque sex cubitorum maiorum fuisse ex Ez 40, 5; 41, 8; 43, 13 colligunt. Conferas Graecorum κάλαμον = $6^2/_3$ cubitis.

Quarum mensurarum proportionem haec tabella explicat:

Calamus	1			
Cubitum	6	1		
Palmus maior	12	2	1	
Palmus minor	36	6	3	1
Digitus	144	24	12	4

Apparet igitur mensuras spatiorum ad *systema duodecimale* referri.

Manifestum est, si una earum mensurarum definita esset, ceteras quoque futuras esse. Ea vero definitio difficilis est. In qua rabbini a minima mensura orsi latitudinem digitalem cum sex hordei granis compositis aequant. At ita nihil exacti effici potest. Meliorem viam viri docti recentioris aetatis ingressi a cubito initium ceperunt. Ex vetere autem testamento longitudo cubiti Hebraici cognosci non potest. Quare mensuras eorum populorum, quibuscum Hebraei plurimum commercii habebant, Aegyptiorum et Babyloniorum, adhiberi necesse est.

Atque antiquissimum et gravissimum testimonium, ex quo longitudinem cubiti Babyloniorum antiquorum definire possumus, est mensura in statua regis Gudea, quae in Babylonia meridionali, in loco ruinarum Telloh (Lagaš) inventa est, incisa. Inde effici potest longitudinem cubiti vulgaris 495 mm fuisse. Praeterea Babylonii cubito „regio“ utebantur, quod 550 mm aequabat. Quod cum cubito „regio“ Aegyptiorum aequiperari solet. Nam Aegyptii quoque duplex cubitum habebant, minus (vulgare) et maius (regium); illud in sex palmos vel viginti quattuor latitudines digitales, hoc in septem palmos vel duodetriginta latitudines digitales dividebatur; illud 450 mm (R. Lepsius) vel 452 mm (H. Brugsch), hoc 525 mm (R. Lepsius) vel 527 mm (H.

Brugsch) aequabat. Id monumentis Aegyptiis probatur. Velut mensura illa antiqua, qua Aegyptii prope Elephantinen altitudinem Nili fluminis metiebantur, ex septem palmis constat et in cubitis Aegyptiis, quae in ruinis veteris Memphidis effossa sunt, utraque ratio notata est; nam continent septem palmos sive duodetriginta latitudines digitales, ita tamen ut quattuor ultimae proprie notatae sint et aliud mensurae genus manifesto significent. Sed postea etiam cubitum maius in sex palmos vel viginti quattuor latitudines digitales proportione latiores dividebatur. Quae cum ita sint, falso cubitum Babylonium cum Aegyptio aequiperatur; nam ut undecim ad decem et viginti duo ad unum, ita illud ad hoc.

Cum Babyloniorum cultus atque humanitas, iam antequam Hebraei in terram Canaan immigraverunt, apud Syros magni esset momenti, sunt qui putaverint etiam Hebraeorum mensuras longitudinis ex Babyloniis receptas esse. Quod falsum esse demonstratum est; nam si Hebraeorum antiquorum cubitum cubito regis Gudea i. e. 495 mm aequiperamus, cubitum minus est 424 vel 425 mm, quae mensura nusquam reperitur, nisi quod parvum Phoenicum cubitum (= 412·5 mm) ad id accedit. Ratio autem duorum cubitorum Aegyptiorum eadem est quae duorum cubitorum Hebraicorum i. e. quae sex ad septem. Quare cubitum Hebraeorum idem fuisse dicendum est quod cubitum Aegyptium, id quod viri docti hodie vulgo probant. Dubium vix est, quin ipsum vocabulum Hebraicum אמה, quo cubitum significatur, origine Aegyptia sit atque cum Aegyptiorum antiquorum vocabulo *mahe* et Coptorum *mahe* vel *mahi,* cum praefixo *ammahi,* cohaereat, ita ut Hebraei cubitum unâ cum nomine ab Aegyptiis mutuati sint. Atque cum iam antiquissimis temporibus Aegyptiis magnum commercium cum incolis terrae Canaan et Syriae esset, facile fieri potuit, ut hi cubitum ab Aegyptiis mutuarentur. Quare etiam G. F. Hill (EB 5293) cubitum Hebraicum originis Aegyptiae esse contendit. Cum autem ut Babylonii, ita Hebraei perticâ mensoriâ, quae sex cubita aequabat, utantur, prorsus negari vix potest Babylonios in mensuris apud Hebraeos aliquid valuisse. Nam Aegyptii solâ orgyiâ quattuor cubitorum, cuius mensurae in vetere testamento mentio non fit, utuntur.

Quae cum ita sint, longitudinem cubiti maioris 525 mm, minoris 450 mm aequasse dicendum est. Inde ceterae mensurae facile erui possunt.

Maius	cubitum	= 0·525 m
	palmus maior	= 0·2625 m
	palmus minor	= 0·0875 m
	digitus	= 0·021875 m

Minus cubitum	=	0·450 m
palmus maior	=	0·225 m
palmus minor	=	0·075 m
digitus	=	0·01875 m

Adnotatio. — Antiquos Cananaeos Babyloniorum mensuris longitudinis usos esse verisimillimum est. Lateres terreni in effossionibus in Tell el-Mutesellim et Tell Taʿannek inventi (qui antiquissimorum temporum sunt, cum postea lapidibus caesis aedificaretur) secundum mensuram antiquorum Babyloniorum, quae in tabula in gremio statuae regis Gudea posita exstat, formati sunt.

Aliae mensurae longitudinis, quarum in sacris litteris mentio fit, sunt hae: 1) Stadium (στάδιον), mensura a Graecis recepta, 600 pedes Graecos aequabat. Pro diversitate pedum erat diversum: stadium Atticum = 177·6 m, stadium Pythicum = 165 m, stadium Olympicum = 192·27 m, stadium pedestre vulgare = 198 m, stadium Ptolemaeum = 185 m. Stadium Romanorum 625 pedes Romanos i. e. 185 m aequabat. Romani autem eâ mensurâ non utebantur nisi ad spatia maritima metienda. Josephus Flavius stadio Alexandrino sive Aegyptio, quod ex quadringentis cubitis Aegyptiis constabat, usus esse videtur; nam AJ 20, 8. 6 montem olivarum quinque stadia ab Hierosolymis abesse tradit; Act 1, 12 distantia iter sabbati esse dicitur; quinque stadia Alexandrina autem efficiebant duo milia cubitorum Aegyptiorum i. e. iter sabbati. Unde confirmatur cubitum Hebraeum aequale fuisse Aegyptio [1]. Idem scriptor AJ 15, 11. 3 omnem templi Herodiani ambitum quattuor stadiorum esse dicit eique unius stadii longitudinem et latitudinem assignat; templum autem cum atriis stadium Graecum multo excedit, cum Alexandrino congruit. — 2) Iter diei (דֶּרֶךְ יוֹם Gn 30, 36; 31, 23. Ex 3, 18. I Rg 19, 4. II Rg 3, 9. מְהַלַּךְ יוֹם Jon 3, 3 s. ἡμέρας ὁδός Lc 2, 44) apud Romanos 160 stadia aequabat. 3) כִּבְרַת הָאָרֶץ (Gn 35, 16; 48, 7. II Rg 5, 19. Syr. *phars'ho,* Pers. *farsang,* Graec. παρασάγγης) mensuram viae esse plerique interpretes agnoscunt, etsi definiri vix potest, quanta mensura intellegenda sit. Secundum Herodotum (Hist. 2, 6; 5, 53) et Xenophontem (Anab. 2, 2, 6; 5, 5, 4) est spatium triginta stadiorum i. e. 5940 m, si stadium pedestre vulgare supponitur. Graeci Alexandrini interpretantur Χαβραθά, τὸν ἱππόδρομον Χαβραθά, Δεβραθὰ τῆς γῆς. Fortasse autem omnino de certa mensura cogitandum non est. — 4) צֶמֶד *iugum* sive *iugerum* (I Sm 14, 14. Jes 5, 10) est ea pars agri, quae iugo boum uno die arari potest. Iugerum Romanum 2523 m² = 0·2523 ha aequabat. Conferri potest ἀρουρά Aegyptia = 2756 m² = 0·2756 ha. — 5) Μίλιον (Mt 5, 41) rabb. מִיל, *milliare* Romanum i. e. spatium mille passuum = 1·479 km. — 6) Ὄργυια (Act 27, 28) est mensura Graeca, quae

quattuor πήχεις, sex πόδες i. e. 1·776 m aequabat. Describitur ut mensura utrumque extensum bracchium aequans (= Klafter, brasse)[2].

[1] Quibus non repugnant ea, quae Jo 11, 18 memoriae produntur, ubi Bethania ad montem olivarum sita quindecim stadiis ab Hierosolymis abesse dicitur; quindecim autem stadia Alexandrina sex mille cubita Hebraica vel tria itinera sabbati efficiunt. At Bethania in ulteriore parte montis olivarum posita erat, ut longius ab Hierosolymis remota esset quam ipse mons, a cuius radicibus usque ad Hierosolyma unum sabbati iter i. e. quinque stadia Alexandrina ibatur; mons autem olivarum altitudine montem Sion superabat et in plura stadia porrigebatur.

[2] Pro exigua distantia nonnumquam proverbii loco כַּף רֶגֶל *planta pedis* (Dt 2, 5), βῆμα ποδός (Act 7, 5) usurpatur. At mensuram pedis apud Hebraeos, ut apud alias gentes antiquas, umquam in usitatas mensuras receptam esse non constat, licet vocabulum פַּעַם *ictus pedis* (Tritt), inde *passus* (Ez 41, 6) a nonnullis eo trahatur. Etiam צָעַד (II Sm 6, 13) et פֶּשַׁע (I Sm 20, 3) *gressus* a multis mensurae genus esse dicitur; sed ne hac quidem mensura Hebraeos usos esse patet; ceterum qui ea vocabula ita accipiunt, in ea mensura determinanda dissentiunt. Rabbini tamen saepius mentionem passuum faciunt, quorum medios cubitis maioribus aequales esse dicunt.

II. Mensurae, quae ad *res* vel *aridas* vel *liquidas* pertinent:

A) Mensurae, quibus Hebraei res aridas dimetiebantur: 1) חֹמֶר (Lv 27, 16. Nm 11, 32. Jes 5, 10. Ez 45, 11. 13. Hos 3, 2. Assyr. *imêru*) et כֹּר (I Rg 5, 2; 5, 25 [?]. II Chr 2, 9; 27, 5. κόρος Lc 16, 7. Assyr. *gurru* vel *kurru?*) est mensura maxima. Vulgata eam „triginta modios“ interpretatur (Lv 27, 16). Continet decem epha. Quod Josephus AJ 15, 9, 2 dicit: ὁ κόρος δύναται μεδίμνους Ἀττικοὺς δέκα, medimnos et metretas confundere videtur. Dimidius corus Hos 3, 2 לֶתֶךְ vocatur; LXX A ἡμίκορος, B νέβελ (οἴνου). — 2) אֵיפָה, rarius (Lv 5, 11; 6, 13) אֵפָה, ex Aeg. *'pt;* LXX οἰφ(ε)ί, cf. Copt. *uoipe, oipe;* Vulg. *modius* Lv 19, 36. Dt 25, 14. Jdc 6, 19. Jes 5, 10. *mensura* Am 8, 5. Mich 6, 10. Prov 20, 10. *amphora* Sach 5, 6 ss. Est decima pars cori. — 3) סְאָה (fortasse ex Assyr. *še'u, šû,* frumentum), LXX μέτρον Gn 18, 6. II Rg 7, 1. 16. 18. οἰφί I Sm 25, 18. σάτον Mt 13, 33. Lc 13, 21. Vulg. *satum.* Est tertia pars epha sive trigesima pars cori; secundum Jos. AJ 9, 4. 5 sesquimodium Italicum aequat. — 4) עֹמֶר LXX γομόρ, Vulg. *gomor* Ex 16, 16. 18. 22. 32 s. 36. sive עִשָּׂרוֹן — *decima* pars epha, LXX δέκατον Ex 29, 40. Lv 14, 10; 23, 13, 17. Nm 15, 4 (ubi LXX δέκατον τοῦ οἰφί, Vulg. *decima pars ephi*, cf. Nm 28, 5 עֲשִׂירִת הָאֵיפָה LXX, Vulg.). Bene Epiphanius (De mens. et pond. c. 24. MSG 43, 282 s.) gomor $7\frac{1}{5}$ sextarios continere dicit. Josephum AJ 3, 6. 6 errare manifestum est, cum dicat: ἀσσάρων, ὃ μέτρον Ἑβραίων

ἑπτὰ κοτύλας Ἀττικὰς ἔχει. — 5) קַב LXX κάβος, Vulg. *cabus* (II Rg 6, 25). Josephus AJ 9, 4. 4 pro quarta parte cabi scribit sextarium. Secundum rabbinos cabus erat sexta pars sati sive 24 ova gallinae continens. Judaei enim cum plerisque gentibus antiquis mensuras ad numerum ovorum gallinae redigere solebant.

B) Mensurae **rerum liquidarum** (מִשְׁרָה Lv 19, 35. Ez 4, 11. 16. I Chr 23, 29): 1) חֹמֶר sive כֹּר, κόρος est mensura maxima non solum rerum aridarum, sed etiam liquidarum (I Rg 5, 25. Ez 45. 11. 14). — 2) בַּת est decima pars cori, eiusdem igitur mensurae atque epha, id quod Ez 45, 11 diserte dicitur. A Graecis Alexandrinis בַּת redditur vocabulo χοεύς I Rg 7, 26. 38. μέτρον II Chr 2, 9. μετρητής ib. 4, 5. βάτος Esr 7, 22. κεράμιον Jes 5, 10. χοῖνιξ Ez 45, 10 s. κοτύλη ib. v. 14; in Vulgata plerumque *batus*, nonnumquam *metreta* II Chr 2, 10; 4, 5. *laguncula* Jes 5, 10. Josephus AJ 8, 2. 9 tradit: ὁ βάτος δύναται ξέστας ἑβδομήκοντα δύο. — 3) שְׁלִישׁ sive שָׁלֹשׁ *triens, triental;* Jes 40, 12 LXX δράξ, Vulg. *tres digiti;* Ps 79 (80). 6 LXX ἐν μέτρῳ, Vulg. *in mensura.* Tertiam partem bati intellegendam esse verisimile est. — 4) הִין LXX εἶν, ἴν, ὶν, χοῦς, Vulg. *hin*, cuius etiam pars dimidia, tertia, quarta, sexta commemoratur (Ex 29, 40: 30, 24. Lv 23, 13. Nm 15, 4—7. 9 s; 28, 5. 7. 14. Ez 4, 11; 45, 24; 46, 5. 7. 11. 14). Teste Josepho AJ 3, 9. 4. δύο χοᾶς ἀττικούς sive duodecim sextarios vel sextam partem bati continet. — 5) לֹג LXX κοτύλη, Vulg. *sextarius* (Lv 14, 10. 12. 15. 21. 24) ex opinione rabbinorum sex ova gallinae continet. Quare 720 log aequant corum.

Quarum mensurarum proportionem haec tabella explicat:

Mensurae rerum aridarum:

Ḥomer	1						
Letek	2	1					
Epha	10	5	1				
Sea	30	15	3	1			
ʿOmer (ʿIssarôn)	100	50	10	$3\frac{1}{3}$	1		
Ḳab	180	90	18	6	$1\frac{4}{5}$	1	
(Log)	720	360	72	24	$7\frac{1}{5}$	4	1

Mensurae rerum liquidarum:

Kor	1				
Bat	10	1			
Hin	60	6	1		
Ḳab	180	18	3	1	
Log	720	72	12	4	1

Manifestum est eas mensuras non ad unum quoddam systema, sed ad *coniunctionem systematis decimalis cum systemate sexagesimali* relatas esse. Praevalet posterius, quod in mensuris quoque Babyloniis invenimus. Si autem mensuram ʿOmer (ʿIssarôn) omittimus, haec tabella efficitur:

Mensurae rerum aridarum:

Homer	1				
Epha	10	1			
Sea	30	3	1		
Kab	180	18	6	1	
(Log)	720	72	24	4	1

Mensurae rerum liquidarum:

Kor	1				
Bat	10	1			
Hin	60	6	1		
Kab	180	18	6	1	
(Log)	720	72	24	4	1

Ita systema mensurarum habemus, cui systema sexagesimale subiectum est, ut originem Babyloniam prae se ferat et procedente demum tempore systemate decimali addito immutatum sit.

Mensuras rerum aridarum et liquidarum apud Babylonios usitatas J. Brandis ex mensuris Persarum, Hebraeorum, Phoenicum, Aegyptiorum hoc modo restituit:

Kor	1							
Metretes	6	1						
Bat	10	$1^2/_3$	1					
Maris	12	2	$1^1/_5$	1				
Saton	30	5	3	$2^1/_2$	1			
Hin	60	10	6	5	2	1		
Kapitha	180	30	18	15	6	3	1	
Mina	720	120	72	60	24	12	4	1

Mensura Persarum Maris 30·31 l continet. Mina idem est quod 0·506 l. Log eadem mensura est quae Mina. Mensurae igitur rerum aridarum et liquidarum apud Hebraeos usitatae ad nostram rationem metricam ita revocandae sunt:

Mensurae rerum aridarum:

Homer	=	364·400 l
Epha	=	36·440 l
Sea	=	12·148 l
Kab	=	2·024 l
(Log)	=	0·506 l

Mensurae rerum liquidarum:

Kor	=	364·400 l
Bat	=	36·440 l
Hin	=	6·074 l
Kab	=	2·024 l
Log	=	0·506 l

Adnotatio. — In effossionibus Hierosolymis factis multa vasa inventa sunt, quae mensurae cavae, quarum in vetere testamento mentio fit, esse putabantur, quod sine iusta causa dicitur.

III. Mensurae extraneae, quarum in sacris litteris mentio fit: 1) *Artaba,* ἀρτάβη (Dn 14, 2) est mensura Persarum, quae ex opinione Herodoti (Hist. 1, 192) χωρέει μεδίμνου ἀττικοῦ πλέον χοίνιξι τρισὶ ἀττικῇσι. Unde, cum μέδιμνος quadraginta octo χοίνικας caperet, artaba erat μέδιμνος et sexta decima eius pars i. e. 55·08 l. Epiphanius (De mens. et pond. c. 24. MSG 43,282) dicit: Ἀρτάβη . τοῦτο τὸ μέτρον παρ' Αἰγυπτίοις ἐκλήθη . ἔστι δὲ ἑβδομηκονταδύο ξέστων. Artaba Medorum aequabat 51·84 l et artaba Aegyptiorum aetate Ptolemaeorum 39·3 l. — 2) *Amphora,* ἀμφορεύς apud Romanos et Graecos mensura rerum liquidarum est. Amphora Romana quadraginta octo sextarios = 26·199 l continebat, Attica (Atheniensis) sive μετρητής (Jo 2, 6) septuaginta duos = 38·88 l, postea 39·294 l; itaque eiusdem cum bat capacitatis erat. In textu Graeco pro amphora I Rg (I Sm) 1, 24 legitur νέβελ, Dn 14, 2 μετρητής, Lc 22, 10 κεράμιον. Nonnullis locis Vulgatae, velut Sach 5, 6. amphora pro mensura indefinita ponitur. — 3) *Modius,* μόδιος memoratur Mt 5, 15. Mc 4, 21. Lc 11, 33. Quibus locis tamen non agitur de capacitate mensurae. In vetere testamento (Vulg.) modius sumitur partim pro sato, partim pro epha, partim pro cuiusvis mensurae specie. Modius Romanus tertiam partem amphorae sive 16 sextarios i. e. 8·733 l continebat. — 4) *Sextarius* (Vulg. Lv 14, 10. ξέστης Mc 7, 4. 8), mensura Romana rerum et liquidarum et aridarum, quae log Hebraeorum aequabat. — 5) Χοῖνιξ (Apc 6, 6. Vulg. *bilibris* = bis-libra, mensura duarum librarum) est mensura Graeca rerum aridarum, quadragesima octava pars medimni, octava fere pars modii Romani = 1·08 l. Choinix frumenti, cum diurno victui hominis satis esse existimaretur, saepe ἡμερέσιος τροφή appellatur (Diod. Sic. Bibl. hist. 19, 49. Xenoph. Anab. 1, 5, 6).

Caput secundum

De ponderibus

(מִשְׁקָל Lv 19, 35; 26, 26. מִשְׁקּוֹל Ez 4, 10).

I. Iam sexto decimo a. Ch. n. saeculo in Syria *pondus Babylonium* usurpabatur. Quod inde apparet, quod tributa, quae Pharaonibus a Syria redibant, ex ponderis Babylonii ratione computata sunt. Quamquam in inscriptione quadam templi in Karnak siti tributa Syrorum Pharaoni reddenda ex ponderis Aegyptii ratione enumerantur, tamen

ipsis numeris imparibus demonstratur ea tributa ratione ponderis mutatâ effecta esse.

Talentum Babylonium 60 minas vel 3600 siclos valebat. Ex ponderibus in ruinis regiarum Babyloniarum et Assyriarum inventis, quae „regia“ appellantur (velut *mana ša šarri* = mina regis), apparet et grave et leve talentum fuisse; illud formam leonis cubantis *(pondus leonis, Löwengewicht),* hoc anatis *(pondus anatis, Entengewicht)* habebat; illud altero duplo gravius erat. Talentum autem grave valebat 60600 gr, leve 30300 gr, mina *(mana, manû)* gravis 1010 gr, levis 505 gr, sexagesima minae gravis *(šiklu)* 16·83 gr, sexagesima levis 8·41 gr. Praeter id pondus „regium“ in Babylonia levius quoque usitatum erat, pondus „vulgare“: eius mina gravis valebat 982·2 gr, levis circa 489·6 vel 492·9 sive plus minusve 491·2 gr (vel unam libram Romanam et dimidiam, si. ut fieri solet, libram 327·45 gr aestimes). Cui rei congruit, quod Josephus AJ 14, 7. 1 dicit minam auream duas libras Romanas et dimidiam valere: ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἰσχύει λίτρας δύο ἥμισυ (= 818·62 gr), neque vere congruit, quod ib. 3, 6. 7 talentum Hebraicum ἑκατὸν (Atticas) μνᾶς et ib. 3, 8. 2 siclum Hebraicum ἀττικὰς δράχμας τέσσαρας vel duas drachmas Alexandrinas valere dicit. Ibi cum mina quinquaginta siclis aequiperetur, efficitur grave talentum sexaginta minarum 58·932 kg, minam sexaginta siclorum 982·2 gr, sic um 16·37 gr fuisse. Verisimile est ex eo leviore pondere grave regium[1] profectum esse.

Quorum ponderum inter se collatio et proportio ex hac tabella clarius elucescet:

Pondus regium

		1	=	16·83	gr
	1	60	=	1010	gr
1	60	3600	=	60600	gr
Talentum grave	Mina gravis	Siclus gravis			

		1	=	8·41	gr
	1	60	=	505	gr
1	60	3600	=	30300	gr
Talentum leve	Mina levis	Siclus levis			

Pondus vulgare

		1	=	16·37	gr
	1	60	=	982·2	gr
1	60	3600	=	58932	gr
Talentum grave	Mina gravis	Siclus gravis			

		1	= 8·185	gr
	1	60	= 491·2	gr
1	60	3600	= 29466	gr
Talentum	Mina	Siclus		
leve	levis	levis		

II. Apud *Hebraeos* quoque antiquo tempore talentum (כִּכָּר) in 60 minas (מָנֶה), mina in 60 siclos (שֶׁקֶל), talentum ergo in 3600 siclos dividebatur. Praeter siclum, qui in viginti Gêrâ (גֵּרָה) dividebatur (Ex 30, 13. Lv 27, 25. Nm 3, 47; 18, 16. Ez 45, 12), dimidius quoque siclus (בֶּקַע Gn 24, 22. Ex 38, 26) et quarta pars sicli (רֻבַּע שֶׁקֶל I Sm 9, 8) commemorantur. Tertia pars sicli (שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל) erat tributum, quod Judaei post exsilium singulis annis templo Hierosolymitano conferebant (Neh 10, 33). Distinguitur autem talentum ponderis a talento pecuniae. Talentum ponderis Ez 45, 12 describitur, ubi mina 20 + 25 + 15 = 60 siclis constare dicitur. Itaque talentum ponderis 3600 siclis constat, talentum autem pecuniae 3000 siclis, id quod loco Ex 38, 25—28 confirmatur. Nam quod ibi stipes, quas sescenta tria milia quingenti quinquaginta viri Hebraei ad tabernaculum foederis exstruendum sua sponte conferebant, 100 talentûm et 1775 siclorum fuisse dicuntur, inde colligitur talentum 3000 siclorum, minam 50 siclorum fuisse. Itaque mina 818·5 gr, talentum 49·11 kg erat. Eius modi talento 3000 siclorum etiam aliae gentes antiquae utebantur. Persae quoque et Graeci minam in quinquaginta, non in sexaginta partes dividebant, cum talenti divisio in sexaginta minas omnibus locis reperiatur. Verisimile est minam prius de pecunia, deinde de pondere in quinquaginta partes divisam esse. Quod ubi et quando factum sit, demonstrari non potest; id unum constat eam divisionem ad Aegyptiorum auctoritatem referendam esse.

Quorum ponderum proportionem haec tabella explicat:

			1 =	0·8185	gr
		1	20 =	16·37	gr
	1	60	1200 =	982·2	gr
1	60	3600	72000 =	58932	gr
Talentum	Mina	Siclus	Gêrâ		

			1 =	0·8185	gr
		1	20 =	16·37	gr
	1	50	1000 =	818·5	gr
1	60	3000	60000 =	49110	gr
Talentum	Mina	Siclus	Gêrâ		

Exempla ponderum (mensurarumque) Moses in sacrario servanda curavit, ut pondera (ac mensurae) in vita communi usitata ad ea ac-

commodari et examinari possent, quo eorum adulteratio praecaveretur. Quae exemplaria nonnumquam „pondera (mensurae) sacrarii“ appellantur (שֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ. Ex 30, 13. 24; 38, 24. Lv 5, 15; 27, 3. 25. Nm 3, 47. 50; 7, 13. 19. 25 ss; 18, 16). Eius modi pondera accuratissima etiam apud Babylonios et Assyrios inventa sunt, apud quos sine dubio iam antiquitus in usu erant. David pondera et mensuras Levitis servanda commisisse dicitur (I Chr 23, 29). Neque dubium est, quin etiam apud Aegyptios sacerdotes iis praefecti fuerint. Hebraei igitur eam institutionem in Aegypto didicisse videntur, nisi iam patriarchae eam in Mesopotamia cognoverunt. Itaque non est, cur cum nonnullis interpretibus recentioris aetatis Ex 30, 13 aliisque locis allatis vocabulum קדש postea insertum esse existimes.

Complures viri docti *duplicem siclum* fuisse dicunt, et sacrum, ad tributa in usum sacrum conferenda destinatum, et profanum vel regium, ad res profanas, velut in negotiis civilibus et in omnibus rebus contrahendis, adhibitum. Ille siclus hunc duplo superasse dicitur. At siclus sacer vocatur, quia exempla ponderum in sacrario asservabantur, non ita vocatur, quia duplex erat siclus et siclus sacrarii duplo gravior profano. Atque cum non solum res sacrae, sed etiam profanae siclo sacrarii aestimentur neque dimidia pars sicli umquam siclus profanus vel communis vel regius appelletur, cum neque Josephus neque Maimonides neque alii scriptores antiqui fide digni eius mentionem faciant neque ullus siclus profanus usquam conspectus sit et viri docti, qui distinctionem illam sequuntur, nihil certi afferant, concludendum esse censeo numquam duplicem siclum in usu fuisse, sed semper unum, qui, quamquam sacer vocabatur, tamen in rebus quoque profanis vel in omnibus negotiis civilibus usitatus erat.

Caput tertium

De nummis

Ante exsilium Babylonium apud Hebraeos nulla cusorum nummorum, quales nos habemus, vestigia invenimus. Neque verisimile est apud eos, quippe cum ex lege Mosis ab omni quaestu alienissimi essent, tam mature argentum signatum in usu esse coepisse. In exsilio Hebraei procul dubio nummis Babyloniorum usi sunt. Post exsilium primo nummi peregrini (Persarum, Macedonum, Ptolemaeorum, Seleucidarum), deinde principibus Hasmonaeis regnantibus domestici, postremo, postquam Romani Palaestinam in dicionem suam redegerunt, Romani in usum venerunt.

Contra opinionem, quae Hebraeos antiquos nummos cusos habuisse negat, locus I Sm 9, 8 allatus est, ubi memoriae traditur puerum, qui Saul prosequebatur, quartam partem sicli secum tulisse. At ex eo loco id

unum apparet iam tum, licet nummi cusi non fuerint, homines particulas auri et argenti talis ponderis habere consuevisse, quale saepius exigebatur. Neque errabimus, si eas in certas omnibusque notas formas fusas fuisse putabimus. Nam cum talentum כִּכָּר *(= orbis, circulus)* appelletur, colligendum est eas partes auri et argenti, quibus olim in commercio utebantur, formam anulorum habuisse, quos apud Aegyptios in usu fuisse monumenta quaedam ostendunt. In tributis conferendis metalla saepius formam laterum habebant. Achan in urbe Jericho linguam auream pondere quinquaginta siclorum abstulit (Jos 7, 21. 24), quales linguae et in Tell Dschezer ex illo fere tempore inventae sunt. Ceterum Hebraeos antiquos eas partes auri et argenti ad certum pondus exactas in *crumenam* (צְרוֹר) condidisse loco Gn 42, 35 confirmatur. Aetate quoque posteriore Hebraei crumenis utebantur (Prov 7, 20) atque etiam nunc in oriente mercatores crumenas usurpant.

I. Cum antiqui Hebraei argentum non numerarent, sed lapidibus publice probatis ponderarent (cf. Gn 23, 16. Ex 22, 16. II Sm 18, 12. I Rg 20, 39. Jes 33, 18; 46, 6; 55, 2. Jer 32, 9 s.), ea nomina, quibus pondera significabantur etiam iis segmentis auri et argenti, quibus in commercio utebantur, imposita sunt. Ex ponderibus inscriptione signatis, quae in Babylonia et Assyria inventa sunt, atque ex iis, quae Josephus AJ 3, 8. 2; 14, 7. 1 memoriae prodit, apparet siclum aureum (qui etiam simpliciter זָהָב vocabatur Gn 24, 22. Jdc 8, 26. II Rg 5, 5) ut siclum ponderis 16·37 gr, siclum autem argenteum tantum 14·55 gr aequasse; nam ad id pondus sicli argentei, qui inventi sunt, accedunt, cum 14·50 ad 14·65 gr valeant. Secundum id pondus habita ratione pretii nummorum Germanorum siclus aureus 45 M, argenteus 2·50 M valebat. Etiam de mina inter minam ponderis et pecuniae distinguendum est. Illa 60 siclos sive 60 × 16·37 = 982·2 gr, haec 50 siclos habebat. Quod antea saepe dictum est minam centum siclorum fuisse (II Chr 9, 16. cf. I Rg 10, 17), id, cum pro mendo מאות vocabulum מנות restitutum est, refutatum est. Sexaginta minae talentum efficiebant, ut ex tribus milibus siclorum constaret. Mina argentea (quae ad rem nummariam spectat) 50 × 14·55 = 727·5 gr, aurea 50 × 16·37 = 818·5 gr habebat. Cum nummis Germanicis comparata mina argentea 50 × 2·5 = 125 M, aurea 50 × 45 = 2250 M valebat. De talento quoque inter talentum ponderis et pecuniae distinguatur necesse est. Talentum ponderis 60 × 982·2 = 589·32 gr = 58·932 kg habebat. Talentum aureum (quod ad rem nummariam spectat) 60 × 818·5 = 49·11 kg, argenteum 60 × 727·5 = 43·65 kg habebat. Cum nummis Germanicis comparatum talentum aureum 3000 × 45 vel 60 × 2250 = 135000 M, argenteum 3000 × 2·5 vel 60 × 125 = 7500 M valebat.

Quae modo diximus, ea ex hac tabella clarius perspici possunt.

Pecunia aurea

		1	=	16·37	gr	=	45 M
	1	50	=	818·5	gr	=	2250 M
1	60	3000	=	49110	gr	=	135000 M
Talentum	Mina	Siclus					

Pecunia argentea

		1	=	14·55	gr	=	2·5 M
	1	50	=	727·5	gr	=	125 M
1	60	3000	=	43650	gr	=	7500 M
Talentum	Mina	Siclus					

II. Antiquissimus nummus, qui in vetere testamento memoratur, est Persicus, daricus (δαρεικός), quo Judaei in dicionem potestatemque Persarum redacti utebantur.

Atque darici *aurei,* qui per complura saecula omnibus aliis nummis orientis praeferebatur, mentio fit I Chr 29, 7 (quo loco, ubi de aetate regis David agitur, auctor, qui post exsilium fuit, pondus vel nummum haud signatum Hebraeorum secundum pretium nummorum Persarum aestimavit), Esr 8, 27 (ubi ut I Chr 29, 7 ex אַדַרְכֹנִין pluralis אַדַרְכֹנִים legitur), Esr 2, 69. Neh 7, 70—72 (quibus locis sine א prosthetico ex דַּרְכְּמוֹן pluralis דַּרְכְּמוֹנִים legitur). Nomen traxit non a Dario quodam rege Persarum, sed ex nonnullorum opinione a vocabulis Persicis *dâra* (rex) et *kamân* (arcus) = arcus regis; ostendit enim una parte virum barbatum, coronâ radiatâ tectum, veste longa indutum, qui uno genu flexo dexterâ hastam tenet, sinistrâ arcum tendit; altera pars plane informis est. Alii id nomen idem significare existimant quod *dari-ka* = aureus, aureolus. Graeci Alexandrini modo χρυσοῦν (I Chr 29, 7. Neh 7, 70), modo νόμισμα χρυσοῦ (Neh 7, 71), modo χρυσίου δραχμάς (Esr 2, 69 A; μνᾶς Esr 2, 69 B) vertunt. Vulgata minus recte modo *solidos* (I Chr 29, 7. Esr 2, 69; 8, 27) modo *drachmas* (Neh 7, 70 s.) reddit, a quo vocabulo nonnulli etiam nomen Hebraicum ducendum esse existimant. Daricus pretio aequabat duas drachmas aureas vel viginti drachmas argenteas i. e. viginti M, pondere 8·4 gr, accuratius 8·26 ad 8·5 gr. Erant etiam darici *argentei* pondere 5 ad 5·7 gr (σίγλος Μηδικός = $^1/_{20}$ darici aurei; fortasse hic nummus Neh 5, 15; 10, 33 vocabulo שֶׁקֶל intellegendus est). Et alias Persarum nummos in Palaestina in usu fuisse, quamquam demonstrari non potest, tamen per se intellegitur.

Adnotatio. — Vocabulum *kebes* (כֶּבֶשׂ = agnus), quod in papyris Aramaeis, quae in Elephantine-Syene inventae sunt, legitur, non nummum signatum, sed partem metalli formâ agni significat (A. E. Cowley). Alii putant non כֶּבֶשׂ, sed כֶּרֶשׂ *(karaš)* legendum esse, quod Persarum nummo *karaša* aequandum sit (M. Lidzbarski).

Nummos quoque ab Alexandro Magno cusos (velut staterem aureum sive Ἀλεξάνδρειον, varios nummos argenteos, ut tetrachma) in Palaestina usitatos fuisse recentissimis effossionibus demonstratur.

Cum Palaestina sub dicionem Ptolemaeorum, postea Seleucidarum redacta esset, nummi ab iis signati in usu versabantur. Qui nummi in una parte caput regis, saepe pulcherrime effictum, ostendunt. Pars altera aureorum apud Ptolemaeos plerumque cornu copiae, argenteorum et aeneorum aquilam, apud Seleucidas Apollinem, Jovem in solio sedentem, Minervam vel similes imagines habet.

Complures autem urbes maiores Seleucidis regnantibus ius nummorum signandorum assecutae sunt, ut Tyrus et Sidon. Ratio autem aeraria, secundum quam ab aetate Alexandri Magni in urbibus Phoenicae et Palaestinae nummi argentei percutiebantur, modo Attica modo Phoenicia-Hellenistica erat. Alexander Magnus secundum rationem Atticam, Ptolemaei secundum Phoeniciam, Seleucidae primo secundum Atticam, postea (ab aetate Alexandri Balas) secundum Phoeniciam argentum signabant. Atque ratio aeraria Phoenicum etiam accipienda esse videtur, quotiens in libris Maccabaeorum ex drachmis (II, 4, 19; 10, 20 [quibus locis Vulgata „drachmas“ habet]; 12, 43) et talentis (I, 11, 28; 13, 16. 19; 15, 31. 35. II, 3, 11; 4, 8. 24; 5, 21; 8, 10 s.) numeratur. Qui nummi Phoenicum paulo leviores sunt quam Attici, qui rationi aerariae Romanorum respondent. Postea quoque nummi in urbibus Phoenicae signati in Palaestina in usu erant, cum ibi iam nummi secundum rationem Phoenicum non percutiebantur. Velut νόμισμα Τύριον, quod quattuor drachmas valebat, Josephus BJ 2, 21. 2 memorat (cf. etiam Vit. § 13). Eius modi nummi ex nonnullorum opinione δίδραχμον quoque (Mt 17, 24) et στατήρ (ib. v. 27) sunt; nam tributum, quod Judaei quotannis templo Hierosolymitano solvebant, secundum M. Bechoroth 8, 7 nummis Tyriis pendebatur, cum hi Hebraicis responderent.

Antiochus VII Sidetes, rex Syriae, circa annum 174 aer. Sel. sive 139/138 a. Ch. etiam Simoni Maccabaeo ius ἴδιον νόμισμα cudendi dedit (I Mcc 15, 6. 10), qui iam ex quo tempore populus Judaicus a iugo exterarum gentium se in libertatem vindicavit (anno 170 aer. Sel. sive 143/142 a. Chr. I Mcc 13, 41 s.), nummos quibusdam signis et litteris Samaritanis notatos cuderat. Quare potestate nummorum signandorum ab Antiocho Sidete Simoni datâ tantum ius ab hoc iam antea usurpatum confirmatum esse existimandum est.

Sicli *argentei* a Simone cusi una parte urnae illius imaginem ostendunt, in qua manna conditum esse dicitur, aut (ex aliorum opinione) turibulum incensi cottidiani additis verbis שקל ישראל *siclus Israel* vel חצי (השקל) *semisiclus* (pro nummi pretio) cum nota anni (verbi causâ שא i. e. שנת אחת *annus primus*); altera parte virgam tres flores emittentem, quae florentem virgam Aaron significat, vel (ut alii volunt) ramum olivae cum inscriptione ירושלם קדשה vel ירושלים הקדושה *Hierosolyma sancta*. Alii

nummi, qui sunt *aenei*, quorum tamen in vetere testamento nulla mentio fit, ex una parte duos ramorum manipulos cum fructu ostendunt vel ramorum manipulum inter duos fructus addita inscriptione (pro nummi pretio) et nota anni; ex altera parte palmam inter duos corbes fructuum plenos vel calicem cum verbis לגאלת ציון *liberationis Sion*. Nulli tamen sunt sicli, in quibus ulterior quam anni quarti nota exhibeatur (uno excepto, qui inscriptionem שה = *annus quintus* ostendit), quamquam Simon plus septem annos regnavit (mortuus est anno 177 aer. Sel. sive 136/135 a. Chr. I Mcc 16, 14), neque ulli sicli argentei Joannis Hyrcani, qui post eum rerum potitus est, quamquam triginta annos (135—105 a. Ch.) imperium tenuit. Etiam principes Hasmonaei, qui Joanni Hyrcano successerunt, tantum nummos aeneos cudisse videntur. Atque Joannes Hyrcanus primus nummos suo nomine inscripsit. Eius nummi in una parte varia signa fertilitatis, in altera inscriptionem יהוחנן הכהן הגדל וחבר היהודים vel יהוחנן הכהן הגדל ראש חבר היהודים exhibent. Vocabulum paenultimum quo modo legendum sit, in controversia est; verisimile autem est legendum esse: *cheber hajjehudim* et *cheber* (proprie *societas*) non γερουσία, sed universus populus intellegendus est. Itaque vertendum est: *Jochanan summus sacerdos et populus Judaeorum* vel *Jochanan summus sacerdos, caput populi Judaeorum*. Aristobulus I (104—103 a. Ch.) se in nummis יהודה כהן גדול וחבר היהודים appellat. Alexander Jannaeus (103—76 a. Ch.) primus nummos bilingui inscriptione percussit: יהונתן המלך et ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Hic inscriptione Hebraica nomen Hebraicum Alexandri reddi manifestum est. Jannai est compendium nominis Jonathan, non compendium nominis Jochanan, id quod prius putabatur. Quodsi constat Alexandrum nomen Hebraicum Jonathan gessisse, et eos nummos, qui יהונתן (יתן vel) הכהן הגדל וחבר היהודים inscripti sunt, ad eum referri necesse est.

Adnotatio. — Respiciendum est quaeri, num sicli argentei, qui plerumque Simoni Maccabaeo adscribuntur, re vera ex aetate Hasmonaeorum manaverint, cum ratione habita eius, quod in hac re alibi fieri solebat, Antiochus Sidetes Simoni non ut argentum, sed tantum ut aes percuteret, permisisse possit. Multis rebus probabile est illos siclos argenteos aetatis rebellionis Judaeorum (66—70 p. Ch.) esse. De qua re videas E. Schürer, GJV I⁴, 762—765.

Principes e domo Herodis solos nummos aeneos percutiebant. Qui ut percuterentur, a Romanis plerumque concessum erat, cum tantum quibusdam urbibus liceret argenteos percutere, nemini aureos.

Atque nummi Herodis Magni solam inscriptionem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΗΡΩΔΟΥ variaque signa, nonnulli etiam notam anni exhibent. In nullo nummo effigies regis conspicitur. Nummum autem aeneum cum aquila, cuius complura exempla Hierosolymis inventa sunt, Herodis Magni esse verisimile est. Nummi cum inscriptione ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ quin ab Archelao percussi sint, dubitari non potest; neque enim quisquam princeps e domo Herodis praeter eum ἐθνάρχης appellabatur. Nummi, quos Herodes Antipas signavit, duplicis generis sunt: alteri una parte in-

scriptionem ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ cum annis 33, 34, 37, 38, altera parte nomen urbis ΤΙΒΕΡΙΑΣ ostendunt; alteri in parte adversa inscriptionem ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, in parte aversa inscriptionem ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑΡΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ habent. Quorum nummorum tria tantum exempla cum nota anni ΜΓ = 43 (i. e. 39/40 p. Ch.) exstant. Qui annus cum ultimus regni Herodis Antipae fuisse videatur, etiam nummos cum annis 44 45 fuisse, id quod nonnulli dicunt, verisimile non est. Nummi a Philippo cusi in una parte inscriptionem ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ cum imagine templi cuiusdam et annis 12, 16, 19, 33, 37 ostendunt. Nummi annorum 12 et 16 (i. e. 8/9 et 12/13 p. Ch.) in altera parte caput Augusti et inscriptionem ΚΑΙCΑΡΙ CΕΒΑCΤΩ (nonnullae litterae desunt), nummi annorum 19, 33, 37 caput Tiberii cum simili inscriptione habent. Templum in omnibus nummis effictum templum Augusti, quod Herodes Magnus in urbe Panias exstruxerat (Jos. AJ 15, 10. 3. BJ 1, 21. 3), esse existimandum est. Philippus primus omnium principum Judaeorum nummos imagine hominis ornavit.

Quod nonnulli putant nummos Herodiorum litteris Graecis signatos, quorum multi etiam nunc exstant, vulgares non fuisse, sed tum tantum cusos esse, cum certa quaedam occasio fuerit, id falsum est. Veteres enim, cum quod factum nummis celebrare vellent, semper nummis vulgaribus usi sunt. Id probant nummi Octaviani Augusti cum inscriptione „Aegypto capta“ et „Signis Parthicis receptis“ vel Vespasiani, Titi, Domitiani cum inscriptione „Ἰουδαίας ἑαλωκυίας“, „Judaea devicta“, „Judaea capta“. Ceterum iam ex adspectu Herodiorum illorum nummorum clare apparet eos in usum vulgarem cusos esse.

Nummi *aenei* a procuratoribus Romanis in Palaestina percussi non imaginem imperatoris exhibent idque ratione Judaeorum habita. Loco imaginis apud nomen imperatoris stirps aliqua expressa esse solet. Imago imperatoris, qua nummi *aurei* et *argentei* signati erant (cf. Mt 22, 20. Mc 12, 16. Lc 20, 24), apud Judaeos multum habuit offensionis.

Atque in Augusti nummis cum inscriptione Καίσαρος anni 33, 36, 39, 40, 41 inveniuntur. Qui ex aera Augustana a Kalendis Januariis 727 a. u. c. = 27 a. Ch. n. computandi sunt, ita ut ii nummi ad annos 759—767 a. u. c. = 6—14 p. Ch. n. pertineant. Tiberii nummis, ubi nomen Τιβερίου Καίσαρος plerumque per notas scriptum est, anni imperii eius inscripti sunt. In nonnullis nomen quoque Juliae (Liviae) iuxta nomen Tiberii legitur. Alii unum nomen Juliae exhibent. Nummi Claudii ex annis 13 et 14 imperii eius, nummi Neronis ex anno 5 ad nos pervenerunt. In his unum nomen imperatoris, in illis nomen quoque Juliae Agrippinae uxoris legitur.

Adnotatio. — In nummis tempore rebellionis Judaeorum signatis hae variae formae distinguendae sunt: 1) *Ligullath Sion* = liberationis Sion: Obv. לגאלת ציון Rev. שנת ארבע *annus quartus* vel שנת ארבע חצי *annus quartus* $^1/_2$ vel שנת ארבע רביע *annus quartus* $^1/_4$. Sunt nummi aenei variae magnitudinis, qui varia emblemata Judaica (urceum, uvam,

instrumentum musicae, similia) ostendunt. — 2) *Chêruth Sion* = libertatis Sion: Obv. חרות ציון Rev. שנת שתים *annus secundus* vel שנת שלוש *annus tertius*. Sunt nummuli aenei cum emblematis Judaicis, quorum multi ad nos pervenerunt. — 3) *Annus primus ligullath Iisrael* = liberationis Israel: Obv. אלעזר הכהן *Eleazar sacerdos* Rev. שנת אחת לגאלת ישראל *annus primus liberationis Israel;* Obv. שמעון נשיא ישראל *Simon princeps Israel* Rev. שנת אחת לגאלת ישראל; Obv. ירושלם *Jerusalem* Rev. שנת אחת לגאלת ישראל. Sunt partim nummi argentei partim aenei variae magnitudinis variaeque formae. Unus nummus in parte adversa verba אלעזר הכהן, in parte aversa nomen שמעון exhibet. Qui nequaquam adulterinus est, sed tantum ob errorem quendam in cudendo inscriptiones duorum diversorum nummorum coniunctae sunt. Idem quadrat in alium nummum, qui in una parte inscriptionem שנת אחת לגאלת ישראל, in altera ש׳ ב לחרות ישראל ostendit. — 4) *Annus secundus lechêruth Iisrael* = libertatis Israel: Obv. שמעון *Simon* Rev. ש׳ ב לחרות ישראל; Obv. ירושלם *Jerusalem* Rev. ש׳ ב לחרות ישראל. Sunt rursus partim nummi argentei partim aenei variae magnitudinis variorumque emblematum. Nonnulli eorum tales sunt, ut illa verba nummis Romanis, imprimis imperatoris Traiani, impressa sint. — 5) Nummi cum nomine שמעון in obversa parte, cum in reversa verba לחרות ירושלם (sine anni nota) legantur. Ii quoque nummi et argentei et aenei variae magnitudinis variorumque emblematum sunt. Ex iis rursus multi nummi Romani fuerunt.

Nummi, quos sub 3, 4, 5 commemoravimus, sine dubio tum, cum Judaei Hadriano imperatore rebellabant (132—135 p. Ch.), cusi sunt. Praeter Eleazar et Simon civitas quoque Hierosolymitana ea aetate nummos percussit, qui tamen perrari sunt. Nummi, quos sub 2 commemoravimus, tum, cum Judaei Vespasiano imperatore cum Romanis bellum gerebant, exstiterunt. Difficillimum est constituere, quae sit ratio eorum nummorum, de quibus sub 1 mentionem fecimus. Sunt qui eos cum siclis Judaeorum componant; alii eos aetatis Vespasiani esse dicunt; alii rursus eorum tempus circumscribi posse negant.

III. Praeter Judaeorum nummos nummi Graecorum et Romanorum in Palaestina in usu esse numquam desierunt neque solum aurei et argentei, sed etiam aenei.

Atque ex nummis Graecis in novo testamento memorantur: 1) Στατήρ (Mt 17, 27) et quidem *aureus,* cuius pondus duas drachmas, pretium viginti drachmas Atticas argenteas adaequabat. Quinque stateres minam efficiebant, trecenti talentum. Stater *argenteus* quattuor drachmis Atticis vel uni siclo Hebraico respondebat; quare etiam τέτραχμον appellabatur. Multi adhuc supersunt stateres, qui una parte caput Minervae simplici galea tectum, altera noctuam stantem et monogramma, quod vocant, aut nomen ostendunt. Quo recentiores, eo pulchriores, sed etiam leviores sunt; nam sumptus cudendi postea in pretium eorum computati sunt. — 2) Δράχμη (Lc 15, 8 s.), nummus argenteus, erat quarta pars stateris. Drachma Attica habebat 4·366 gr; pretium argenti computatur 78 ₰. — 3) Δίδραχμον (Mt 17, 24), nummus argenteus, duas drachmas Atticas aut dimidium staterem aut dimidium siclum acquabat. Aetate Christi erat tributum, quod Judaei quotannis templo Jahvae solvebant. — 4) In nummis Graecis etiam

λεπτόν sc. νόμισμα (Mc 12, 42. Lc 12, 59; 21, 2) numerandum est. Erat dimidia pars quadrantis Romani = $^1/_8$ assis = פרוטה sive nummo minimo Judaeorum. Nonnulli quidem λεπτόν nummum Romanum fuisse existimant. At nummis Graecis adnumerandum esse non solum nomen, sed etiam ea verba, quae Marcus loco allato explicationis causâ addit (ὅ ἐστιν κοδράντης), testantur.

Mina Attica, cuius Lc 19, 13—25 mentio fit, pondere centum drachmas aequabat, pretio circiter 78 M. — *Talentum* Atticum, quod Mt 18, 24; 25, 15—28 memoratur, ex sexaginta minis vel sex milibus drachmarum constabat; pretio circiter 4680 M aequabat. — Vocabulum ἀργύριον sc. νόμισμα (= *argenteus* sc. nummus), quod Mt 26, 15; 27, 3. 5 s. 9 legitur, siclum argentum Judaeorum significat. Sed Act 19, 19., ubi de nummis Graecis sermo est, ἀργύριον idem est, quod δραχμή. Nam Graeci pecuniam drachmis numerabant, ut Judaei siclis, Romani sestertiis.

Ex nummis Romanis in novo testamento memorantur: 1) *Denarius* (δηνάριον, talm. דינר) *argenteus* (Mt 18, 28; 20, 2. 9. 13; 22, 19. Mc 6, 37; 12, 15; 14, 5. Lc 7, 41; 10, 35; 20, 24. Jo 6, 7; 12, 5. Apc 6, 6), qui primo (ab anno 269 a. Ch.) decem assibus (unde etiam eius nomen), postea (ab anno 217) sedecim assibus constabat. Antiquior pondere aequabat 4·55 gr, recentior 3·898 gr, pretio circiter 70 ₰. Erat νόμισμα τοῦ κήνσου (Mt 22, 19) et merces diurna operariorum (ib. 20, 2. 9. 13). Denarius *aureus* (talm. דינר זהב), ab anno 207 signatus viginti quinque denarios argenteos valebat; pondere primo 8·18 gr, postea 6·55 gr aequabat. Denarii una parte deam Romam vel Victoriam ostendunt, alteram lupam aut currum, cui duplex equorum iugum iunctum est, cum inscriptione „Roma". Aetate posteriore imagine et inscriptione Caesaris signati erant (Mt 22, 20 s. Mc 12, 16. Lc 20, 24). — 2) *As, assarius* sc. nummus (ἀσσάριον sc. νόμισμα Mt 10, 29. Lc 12, 6. talm. איסר, nonnumquam איסר איטלקי *as Italicus*) ex aere = 5 ₰, postea $4^1/_2$ ₰, una parte olim effigiem Jani, aetate posteriore Caesaris, altera parte puppim ostendebat. Dividebatur in quinarium = 1 ₰ et quadrantem (κοδράντης Mt 5, 26. Mc 12, 42) = $1^1/_5$ ₰. — 3) *Dupondius*, Vulg. *dipondius* (Lc 12, 6) duos assarios, ἀσσαρίων δύο, aequabat. Est idem nummus, qui in Mischna פונדיון, plenius פ׳ איטלקי *pondius Italicus* vocatur (cf. M. Baba bathra 5, 9. Hieros. Kidduschin 58^d. Babyl. Kidduschin 12^a).

Sectio sexta

De temporum computandorum ratione

Praesidia doctrinae. — J. Gumpach, Ueber den altjüdischen Kalender in seiner Beziehung zur neutestamentlichen Geschichte. Brüssel 1848. — A. Schwarz, Der jüdische Kalender historisch und astronomisch untersucht. Breslau 1872. — F. Bachi, I mesi dell'anno ebraico con brevi nozioni di archeologia biblica. Torino 1880. — A. Dillmann, Ueber das Kalenderwesen der Israeliten vor dem babylonischen Exil (Monatsber. d. Berl. Akad. d. Wissensch. 1882, 914—935). — Ch. L. Ideler, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie ². Breslau 1883. —

E. Mahler, Die Zeit- und Festrechnung der Juden. Wien 1889. — W. Muss-Arnolt, The names of the Assyro-Babylonian months and their regents. New-York 1893. — E. Schürer, Grundzüge des jüdischen Kalenders (GJV I^4, 745—760). — H. Winckler, Chronologie und Zeitrechnung (KAT^3 316—336). — E. König, Kalenderfragen im althebräischen Schrifttum (ZDMG LX, 1906, 605—644). — De fastis apud Judaeos nunc usitatis, qui non ut vulgo putatur ex quarto p. Ch. n. saeculo (a Rabbi Hillel II) profecti sunt, sed ut A. Lorenz (Das Alter des heutigen jüdischen Kalenders. Historisches Jahrbuch 1895, 84—99) demonstravit, anno 770 p. Ch. exstiterunt, conferas P. Schegg, Biblische Archäologie 332—335.

Hebraei, cum commercium haberent cum excultissimis antiquitatis populis (Aegyptiis, Babyloniis, Graecis, Romanis) eorumque dicioni identidem subiecti essent, in temporibus describendis nonnulla ab iis recepisse videntur. Quam ob rem quae eorum populorum rationes temporum computandorum fuerint, hic breviter exponendum est.

1) Antiquorum Aegyptiorum annus communis 365 dies explebat i. e. duodecim menses (Thoth, Paophi, Hathyr, Choiakh, Tybi, Mechir, Phamenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni, Epiphi, Mesori) tricenorum dierum, quibus anno exeunte quinque dies intercalares (ἐπαγομέναι) addebantur. Annus a primo die mensis Thoth incipiebat. Cum sextus dies numquam intercalaretur, initium anni paulatim in omnia anni tempora incidit. Praeter eum annum mobilem Aegyptii etiam anno $365\,^1/_4$ dierum utebantur, qui anno a Caesare (46 a. Ch) instituto sive anno Juliano plane respondebat. Erat 365 dierum, sed quartus quisque annus 366 dierum. Initium a stella, quae Sothis-Sirius appellatur, oriente capiebat, unde nomen anni Sothis traxit. Ea stella ante diem quartum decimum Kalendas Augusti sive undevicesimum diem mensis Julii oriebatur; eo die festum Sothis agebatur, quod festum mobile fuisse ex iis, quae diximus, apparet. Quotiens festum Sothis in primum diem mensis Thoth cadebat (post 1460 annos Sothis aut 1462 annos communes), nova periodus Sothis incipiebatur. Astronomice autem haec periodus 1424 annis conficitur.

Ceterum in monumentis Aegyptiis etiam nonnulli alii annorum cycli commemorantur. Inter quos est Apis cyclus viginti quinque annorum, quorum singuli 365 dies numerabant. Quo tempore exacto phases sive mutationes lunae rursus in eosdem dies inciderunt. De cyclo Phoenicis et alio quodam 36525 annorum nihil certi constat. Id vero memoratu dignum est, quod anno 238 a. Ch. in urbe Kanopus (Aeg. *Peguat*) a sacerdotibus Aegyptiis decreto quodam hieroglyphice, demotice, Graece scripto post ternos annos communes annus intercalaris 366 dierum statutus est.

Mensem Aegyptii in tres partes dividebant. Hebdomas sive periodus septenûm dierum quamquam in vita communi locum non habuit, tamen apud astrologiae peritos in usu erat, qui singulis eius diebus singulas ex septem sphaeris caelestibus, quae tum notae erant, praefecerunt. Dies ab ortu solis initium cepisse videtur. Et diem naturalem et noctem naturalem Aegyptii in duodenas horas dividebant.

2) De temporum computandorum ratione apud Babylonios usitata recentiore demum aetate ex nonnullis inscriptionibus cuneiformibus, quas

J. N. Strassmaier, J. Epping, F. X. Kugler investigaverunt, aliquid certi cognovimus. Babylonii et diem et noctem in ternas partes dividebant, quarum singulas in sexagenas earumque singulas denuo in sexagenas partes etc. subdividebant. Diem ab ortu solis, annum a vere exorsi esse videntur. Annus erat lunaris soli accommodatus, duodecim menses vel undetricenûm vel tricenûm dierum continens. Ad intercalandum mensem tertium decimum Babylonii cyclo undecim annorum sive centum triginta sex mensium utebantur, inter quos quattuor menses intercalares erant. In hoc igitur cyclo componuntur trieteris sive cyclus trium annorum cum uno mense intercalari et octaeteris sive cyclus octo annorum cum tribus mensibus intercalaribus. Unde apparet et trieteridem et octaeteridem iam ante Graecorum aetatem apud Babylonios notas fuisse eosque ex utraque cyclum undecim (3 + 8) annorum cum quattuor (1 + 3) mensibus intercalaribus composuisse, quem postea apud Graecos Meton excoluit. Ceterum ex inquisitionibus recentioribus constat temporibus Arsacidarum et probabiliter etiam Seleucidarum cyclum undeviginti annorum apud Babylonios in usu fuisse. Mensis prima luna apparente initium cepit, quod quam diligentissime computabatur. Hebdomadis sive periodi septenûm dierum nullum exstat vestigium. Nam Babylonii, quamquam mensem ita in quattuor partes divisisse videntur, ut dies septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duodetricesimus a ceteris diebus quibusdam interdictis singularibus distincti essent, tamen iis diebus ad mensem dividendum uti non cogitaverunt, praesertim cum dies duodetricesimus in mense undetriginta vel triginta dierum finis hebdomadis esse non posset. In textibus Cappadociis periodus quinque dierum *(ḫamuštu)* commemoratur. Etiam in nonnullis textibus astronomicis Babyloniorum de divisione mensis in sex, de anni in septuaginta duas partes quinûm dierum mentio fit.

3) Graeci diem ab occasu solis orsi esse videntur. Divisionem diei in duodecim horas a Babyloniis acceperunt. Hebdomas sive periodus septenûm dierum astrologiae peritis fortasse ab Aegyptiis innotuit, in vita autem communi sola periodus denûm dierum in usu erat. Menses erant duodecim, sex undetricenûm, sex tricenûm dierum. Annus igitur erat 354 dierum sive annus lunaris, sed soli accommodatus, quippe qui mense tertio decimo suis temporibus intercalato ad solem referretur. Quae intercalatio aetate Solonis trieteride fiebat; nam cum annus lunaris circiter undecim diebus solari brevior esset, tertio quoque anno mensis addebatur. Cum autem ea intercalatio iusto minor esset, Cleostratus circa annum a. Ch. n. 536 octaeride uti coepit. Cum igitur antea tertio quoque anno unus mensis vel intra novenos annos terni menses intercalarentur, Cleostratus intra octonos annos ternos menses intercalabat; anni intercalares eius cycli octo annorum erant annus tertius, quintus, octavus. Verum anno 432 Meton Atheniensis celeberrimum illum cyclum decem et novem annorum instituit, qui Metonis vocatur. Qui cyclus 235 menses continebat, quorum 110 erant cavi sive 29 dierum, 125 pleni sive 30 dierum. Ex his decem et novem annis erant duodecim anni communes duodecim mensium et septem anni intercalares tredecim mensium (annus 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19). Itaque cyclus Metonis nihil aliud est nisi accuratior computatio eius cycli, quo iam Babylonii usi erant.

Cum cyclus Metonis 6940 dies contineat, $9^1/_2$ horis a sole, $7^1/_2$ horis a luna differt, ut $9^1/_2$ horis 19 annos solares, $7^1/_2$ horis 235 menses lunares superet. Quod mendum anno 330 Calippus ita corrigere conatus est, ut cyclum 76 (4×19) annorum sive 27759 dierum instituerit. Verum et hic cyclus plus 14 horis longior fuit quam solis, 6 fere quam lunae cursus. Quare Hipparchus (160—125 a. Ch.) id proposuit, ut cyclo 304 (4×76) annorum praeterito unus dies omitteretur. Id autem, quod Calippus et Hipparchus proposuerant, utrum re vera factum sit necne, non constat.

4) Romani noctem in quattuor vigilias dividebant. Diem totidem partes habuisse probari non potest. Morem et diem et noctem in duodecim horas dividendi Romani a Graecis accepérunt. Pro hebdomade octo dies numeratos esse ex nundinis, quae nono quoque die instituebantur, apparet.

Menses et annus quales initio regni Romani fuerint, certum non est. Temporibus Numae Pompilii annus videtur fuisse lunaris soli accommodatus i. e. duodecim menses lunares continens cum tertio decimo mense intercalari, qui non ex lege cuiusdam cycli, sed magis ad arbitrium addebatur. Pares numeros funestos esse opinati Romani annum lunarem 355 (loco 354) dierum constituerunt atque menses lunares in 29 dies diviserunt, exceptis Martio, Maio, Quintili, Octobri, qui 31 dierum erant. Annum eos a Martio exorsos esse ex nominibus Septembris, Octobris, Novembris, Decembris cognoscimus.

Lunam primam apparere praeco publice annuntiabat sive calabat; quare is dies Calendae appellabatur. Idus lunam plenam vel mensem medium significabant; cum menses pleni erant, Idus in diem quintum decimam, cum cavi, in diem tertium decimum cadebant. Nonae semper erant nono die ante Idus.

Aetate decemvirorum (circa annum a. Ch. n. 450), ut annus lunaris longitudine solari exaequaretur, mensis mercedonius (a mercede solvenda appellatus), qui 22 vel 23 dierum erat, secundo quoque anno addebatur idque post vicesimum tertium diem Februarii factum esse videtur.

Anno 46 a. Ch. Julius Caesar pro anno lunari solarem 365 dierum instituit, quarto autem cuique anno diem intercalarem addidit. Horae diei a media nocte ad mediam noctem (vel etiam a solis ortu ad occasum) numerabantur. Annus a solstitio hiemali ad solstitium hiemale computabatur.

Cf. J. G. Hagen in Lex. bibl. I, 884—889. Realia biblica (Parisiis 1914) 496—499.

I. Diem naturalem sive spatium viginti quattuor horarum Hebraei ab uno occasu solis ad alterum computabant. Atque tempus nocturnum diurno praemittebant, quod illud prius exstitisse credebant (cf. Gn 1, 3 quo loco Judaeos iam coram Alexandro Magno ad eam rem probandam usos esse Babyl. Tamid 66[a] memoriae prodit). Quare Judaei ubi primum stellae apparuerant, diem incipere dicebant; per stellas dies illucescebat (Mt 28, 1. Lc 23, 54) [1]. Eadem ratio cum apud alias

gentes orientis tum apud Germanos antiquos (Tacit. Germ. c. 11) usitata erat.

Diem autem artificiosum sive civilem i. e. tempus ab ortu solis usque ad occasum Hebraei ante exsilium in sex partes inaequales dividebant, quae erant: a) שַׁחַר (in inscriptione lapidis Mesa lin. 15 שחרת, Arab. *saḥarun,* Assyr. *šêru, šêrtu*) *aurora* sive crepusculum matutinum (Gn 19, 15; 32, 25. 27. Jos 6, 15). quod idem נְשֶׁף vocabatur (I Sm 30, 17. Ps 119, 147. Job 3, 9; 7, 4); b) בֹּקֶר *mane,* prima lux, oriente sole (Gn 19, 15; 32, 24): c) חֹם הַיּוֹם *fervor* sive *calor diei,* qui a nona fere hora nostrae temporum rationis incipit (Gn 18, 1. I Sm 11, 11); d) צָהֳרַיִם (in inscriptione lapidis Mesa lin. 15 צהרם) *meridies,* proprie lumen duplex i. e. splendidissimum (Gn 43, 16. 25. Dt 28, 29) et נְכוֹן הַיּוֹם *firmum* sive *stabile diei* (Prov 4, 18) i. e. tempus meridianum, quo sol in vertice caeli immotus stare videtur; e) נְשֶׁף *crepusculum vespertinum* (II Rg 7, 5. 7. Prov 7, 9. Job 24, 15), quo in regionibus orientis ventus frigidior oriri solet, qui Gn 3, 8 רוּחַ הַיּוֹם *ventus diei* appellatur; f) עֶרֶב (talmud. עַרְבִית, Assyr. *êrêb šamši* = solis occasus) vespera (Gn 19, 1. al.), quae duplex erat, utraque ante solis occasum, altera meridiei, altera solis occasui propior. Tempus inter primam et secundam vesperam בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas vesperas* vocabant, quibus verbis ea diei pars significatur, qua agnus paschalis mactandus (Ex 12, 6. Lv 23, 5. Nm 9, 3) et sacrum vespertinum faciendum erat (Ex 29, 39. 41. Nm 28, 4), qua lampades accendebantur et suffimentum adolebatur (Ex 30, 7 s.). Sed iam veteres de hac loquendi formula inter se dissentiebant. Nonnulli (Karaitae, Samaritani) opinantur duas vesperas ab occasu solis incipere et in crepusculo desinere. Eiusdem sententiae est Ibn ʿEsra (ad Ex 12, 6). Alii (Rabbanitae, Pharisaei), eas totum fere tempus pomeridianum intellegentes primam vesperam eam esse contendunt, cum sol post meridiem declinare incipit (= Gr. δείλη πρωΐα), secundam, cum fere occidit (= Gr. δείλη ὀψία). Quam explicationem Judaei aetate Josephi secuti sunt, ut ex BJ 6, 9. 3 apparet: Ἐντάσης ἑορτῆς, πάσχα καλεῖται, καθ' ἣν θύουσιν μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης (cf. AJ 14, 4. 3. M. Pesachim 5, 1). Mosis de hac re sententia cum Karaitis et Samaritanis congruit; nam Dt 16, 6 agnum paschalem בָּעֶרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *vespere circa occasum solis* immolare iubet [2].

[1] Quin Hebraei antiqui diem a vespere inceperint, dubitari non potest. Nam quae in vetere testamento de rebus a deo primo die creatis memoriae produntur, his verbis concluduntur: „Et factum est vespere et mane, dies unus“ (Gn 1, 5), quae ceteris diebus procreationis repetuntur (cf. v. 8. 13. 19. 23. 31). At sunt qui existiment locis allatis dies non a vespere ad vesperum, sed more Babylonio a mane ad mane computari. Ps 55, 18

legimus: „Vespere et mane et meridie querar et ingemiscam et ipse (Jahve) audiet gemitum meum“; vesper igitur mane et meridiem antecedit. Quies sabbati a vespere unius diei ad vesperum insequentis diei pertinebat. Omnia Hebraeorum festa a vespero incipiebant et vespero terminabantur. Velut dies sollemnis expiationis, qui septimo mense celebrabatur, a vespero noni diei incipiebat et vespero decimi diei finiebatur (Lv 23, 32). Festum panum azymorum a vespero quarti decimi diei primi mensis incipiebat et vespero vicesimi primi diei finiebatur (Ex 12, 18). Ita etiam nomen compositum νυχθήμερον (II Cor 11, 25) explicatur, quo dies viginti quattuor horarum significatur, respondens verbis Hebraicis עֶרֶב בֹּקֶר (Dn 8, 14). Ceterum hodie quoque Judaei dies festos a vespero incipiunt.

[2] D. Chwolson (Das letzte Abendmahl Christi und der Tag seines Todes 37 ss.) ex variis textibus rabbinicis discussis erui posse existimat tempus „inter duas vesperas“ fuisse crepusculum ab occasu solis incunte ad adventum trium stellarum mediae magnitudinis (quibus tamen Venus non adnumerabatur), cui crepusculo Judaei in Palaestina commorantes $1^1/_3$—$1^1/_2$ horas assignaverint.

Horae, quas dicimus, Hebraeis antiquis prorsus incognitae erant (cf. Gn 15, 12; 18, 1; 19, 1. 15. 23). Neque apud antiquissimum Graecorum poetam ulla horarum mentio exstat; nam Homerus diem in tres tantummodo partes (mane, meridiem, vesperam) dividit. Homero consentit psalmista (cf. Ps 55, 18., ubi easdem diei partes invenimus). Teste Herodoto (Hist. 2, 109) Chaldaei horas invenisse dicuntur: Τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες. Ab his igitur, non a Romanis neque a Graecis aut Aegyptiis horarum partitionem Hebraei recepisse censendi sunt. Quare Judaei inde a captivitate Babylonia diem in quattuor partes, quarum singulae tres horas communes complectebantur (Mc 15, 25), dividebant. Quae partes hora prima, tertia, sexta, nona vocabantur. Praeterea diem in duodecim quoque horas (minores) dividebant, ex quarum quaternis spatia illa trium horarum constabant, atque prima hora ab ortu solis incipiebat, duodecima occasu solis absolvebatur (Mt 20, 3. 5 s; 27, 45 s. Jo 11, 9; 19, 14. Act 2, 15; 3, 1).

Prima horarum mentio fit Dn 3, 6. 15; 4, 30; 5, 5., quibus locis vocabulum שָׁעָה, quod proprie oculorum obtutum (ein Augenblick) valet, plerique lexicographi horam significare existimant. Ib. 4, 16 idem est quod breve tempus.

Ut dies, ita nox in complures partes distribuebatur, et quidem initio in tres *vigilias* (אַשְׁמֻרוֹת, φυλακαί)[1]. In vetere quidem testamento duae tantum vigiliae memorantur. matutina (אַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר Ex 14, 24. I Sm 11, 11) et media (א׳ הַתִּיכוֹנָה Jdc 7, 19). Unde autem colligitur Hebraeos antiquos tribus vigiliis usos esse; nam media dici non posset, nisi inter primam et ultimam posita esset[2]. Atque prima vigilia ab

occasu solis usque ad horam decimam (ex nostra temporis ratione) durabat, altera inde usque ad horam secundam matutinam, tertia ab illa hora usque ad ortum solis. Postea Judaei, cum Romanorum usum sequerentur, noctem in quattuor vigilias (Mt 14, 25. Mc 6, 48; 13. 35. cf. Lc 12, 38) [3] et horas duodecim dividebant, quae ab occasu solis ad eius ortum numerabantur (Jos. BJ 6, 5. 3). Prima autem quattuor illarum vigiliarum ab occasu solis incipiebat, tres horas durabat et *vespera* sive *conticinium* (ὀψέ) vocabatur. Secunda vigilia usque ad mediam noctem extendebatur atque *media nox* sive *concubium* (μεσονύκτιον) appellabatur. Tertia vigilia a media nocte usque ad horam tertiam (secundum nostram temporis descriptionem) durabat ac *cantus galli* sive *gallicinium* (ἀλεκτοροφωνία) dicebatur [4]. Quarta vigilia, quam *matutinam* vel *diluculum* (πρωΐ vel πρωΐα = ἡ ὥρα ἡ πρωΐα) vocabant, cum oriente sole desinebat.

[1] Partes noctis *vigiliae* appellatae esse videntur a vigiliis, quas Levitae in tabernaculo Mosaico et postea unâ cum sacerdotibus in templo obibant.

[2] Complures interpretes verba רֹאשׁ אַשְׁמֻרוֹת *initium vigiliarum* (Thrn 2, 19) de prima noctis vigilia intellegunt. Sed ego ea de initio singularum vigiliarum accipere malim, sicut quod statim sequitur רֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת *initium platearum* non primam omnium, sed initium singularum platearum significat.

[3] Quattuor vigiliae ex mea opinione etiam Act 12, 4 indicantur, ubi memoriae proditur Petrum apostolum quattuor quaternionibus militum custodiendum traditum esse.

[4] Hîc notandum est gallos in oriente iam circa mediam noctem primum cantare solere. Quare scriptores saepius de secundo gallicinio loquuntur (Mc 14, 30. 72). Ubi autem simpliciter de cantu galli sermo est, illud secundum gallicinium intellegitur. Quare Marcus, cum de secundo gallicinio loquatur, cum aliis evangelistis optime congruit.

Adnotatio. — Ad tempora dimetienda primo adhibebantur *gnomones,* qui meridiem solum indicabant, deinde *horologia solaria,* denique *clepsydrae* sive horologia ex aqua. Horologii cuiusdam solaris aetate Hiskia regis mentio fit; denominatur ab Ahas rege (מַעֲלוֹת אָחָז *gradus Ahas,* quia in gradus divisum scalam exhibebat, II Rg 20, 11. Jes 38, 8), qui illud ex Babylonia accepisse videtur. Nam apud veteres est opinio vulgata Babylonios eius modi horologia in usum induxisse, id quod, cum Chaldaei iam antiquitus multum operae laborisque in computationibus astrologicis consumerent, ad verum proxime accedit. Cf. Herodotum, qui Hist. 2, 109 memoriae tradit: Πόλον μὲν καὶ γνώμονα . . . παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες. Ex nonnullorum opinione etiam duae columnae ante vestibulum templi Salomonis erectae usum horologii praestiterunt.

Cum in reliquis libris sacris nullum vestigium inveniatur, quo ad veram horologiorum Hebraicorum rationem indagandam perducamur, latus coniecturis campus patet. Neque vero certi quidquam afferri potest.

De horologio regis Ahas videas A. Müller, Bibel und Gnomonik. Eine apologetische Studie über die Sonnenuhr des Königs Achaz (Natur und Offenbarung XLVIII, 1902, 257—273. 340—355. 405—419), ubi egregie refutantur, quae C. Flammarion astronomus (Revue d'astronomie populaire, de météorologie et de physique du globe. L'année 1885, 321 ss.) contra miraculum in sacris litteris traditum (II Rg 20, 9—11. Jes 38, 8. Sir 48, 23) protulerat. A. Müller l. c. 410 existimat eos locos omnino explicari, etsi horologium illud non solarium, sed chronometrum quoddam valde simplex et imperfectum fuisse iudices. — A. Šanda (Die Bücher der Könige. Münster 1911—12. II, 304) putat II Rg 20, 9—11 agi de quodam aedificio regiae et de scalis lapideis, quae ab oriente ad id aedificium adscenderent et circiter viginti gradus haberent, vel de quodam obelisco, ad cuius basim undique per scalas adscenderetur, neque verba textus sacri de horologio solario explicanda esse.

II. Vestigia hebdomadis iam aetate patriarcharum inveniuntur. Nam Noah nisi hebdomadem observasset, cur inter emissionem primae et secundae columbae atque iterum inter emissionem secundae et tertiae columbae septenos dies praeterire passus esset? (Gn 8, 10. 12). Clarius hebdomadis indicium ex historia Jacob patriarchae petitur (ib. 29, 27 s.). Joseph eiusque fratres mortem patris septem dies luxerunt (ib. 50, 10). Inde ab aetate Mosis in dubium vocari non potest, quin Hebraei hebdomadem habuerint, idque ob tertium praeceptum decalogi (Ex 20, 8), quod ut observarent, postea saepius moniti sunt (cf. Jes 56, 2; 58, 13. Ez 20, 16; 22, 8. Thrn 2, 6. al.).

Dio Cassius Hist. Rom. 37, 18 inventionem hebdomadum Aegyptiis tribuit. At quidni potior sit auctoritas Mosis, qui originem hebdomadis ex institutione sabbati primaque generis humani religione repetit? Ex ea ad Aegyptios ceterasque gentes promanare potuit.

Spatium septem dierum ab Hebraeis שָׁבוּעַ (Arab. *'subû'* et *'usbû'*), a Graecis ἑβδομάς, *septimana* vocabatur (Gn 29, 27 s. Dt 16, 9. al.) [1]. Septimus dies erat שַׁבָּת *sabbatum* (Ex 16, 26). Unde Graeci Alexandrini Ex 20, 11 et 31, 15 verba יוֹם הַשַּׁבָּת circumlocutione quadam τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην interpretantur. Ab hoc die, ut a praecipua hebdomadis parte, Hebraei etiam totam hebdomadem per synecdochen שַׁבָּת, Graeci τὸ σάββατον, τὰ σάββατα vocabant. Velut Lv 23, 15 s. (cf. Dt 16, 9) Jahve iubet a primo die oblatarum primitiarum in sollemnitate paschatis שָׁבֻעַ שַׁבָּתוֹת (quod LXX interpretes ἑπτὰ ἑβδομάδας transtulerunt) ad pentecosten numerare. Alii hebdomadis dies propriis nominibus carebant et numero tantum distinguebantur, ita ut diceretur *primus* vel (secundum consuetudinem sermonis Hebraici, ex quo pro numero ordinali sumitur cardinalis) *unus a sabbato dies, secundus* . . . (cf. Ex 16, 5. 22), in Talmud חד בשבתא (cf. Syr. *ḥad bešabbâ*), in novo testamento μία i. e. πρώτη (τῶν) σαββάτων vel σαββάτου (cf. Mt 28, 1.

Mc 16, 2. 9. Lc 24, 1. Jo 20, 1. 19. Act 20, 7. I Cor 16, 2)[2]. Sextus hebdomadis dies in Mischna ערב שבת, in litteris Aramaicis ערובתא sive ערובתא דשבא, in libris divinis προσάββατον (in inscriptione Ps 92 [93]. Jdth 8, 6. Mc 15, 42) et παρασκευή (Mt 27, 62. Mc 15, 42. Lc 23, 54. Jo 19, 42) appellatur. Judaei, qui temporibus imperii Romanorum linguâ Latinâ utebantur, eum „cenam puram“ vocabant.

[1] Nonnumquam vocabulum ἑβδομάς ad sabbatum significandum usurpatur, velut II Mcc 6, 11: ἄγειν τὴν ἑβδομάδα = diem sabbati celebrare.

[2] Sunt qui putent loquendi formulam μία σαββάτων ex vocabulo Hebraico שַׁבָּתוֹן ducendam esse, quod in easdem litteras exeat, in quas numerus pluralis linguae Graecae, velut verba χείμαῤῥον τῶν Κέδρων (LXX III Rg 15, 13), χείμαῤῥον τοῦ Κεδρῶν (Jo 18, 1) formata sunt ex נַחַל קִדְרוֹן (I Rg 15, 13). Alii existimant numerum pluralem σάββατα formatum esse, quod sono conveniat cum שבתא, qua de causa etiam Josephus AJ 3, 10. 1 scribit: ἑβδόμην ἡμέραν, ἥτις σάββατα καλεῖται.

Adnotatio. — Praeter hebdomadem dierum aliud triplex genus hebdomadum Hebraeis praescriptum erat, et quidem a) *hebdomas hebdomadum* i. e. periodus septem hebdomadum sive undequinquaginta dierum, a paschate usque ad sollemnitatem pentecostes, quae propterea חַג שָׁבֻעוֹת *sollemnitas hebdomadum* (Ex 34, 22. Dt 16, 10. 16. II Chr 8, 13. sine חג Nm 28, 26. plenius Tob 2, 1: ἅγια ἑπτὰ ἑβδομάδων) appellatur; b) *hebdomas annorum* i. e. periodus septem annorum, ita ut annus septimus esset sabbaticus, quo erat cessatio agrorum totius terrae; c) *hebdomas annorum sabbaticorum* i. e. periodus undequinquaginta annorum, quae anno quinquagesimo sive iubilaeo claudebatur. Josephus AJ 1, 3. 9 etiam periodi duodecim annorum iubilaeorum sive sescentorum annorum mentionem facit eamque τὸν μέγαν ἐνιαυτόν appellat, de qua tamen libri sacri silent.

III. De mense antiquissimis temporibus usitato nihil certi constat. Ex historia autem diluvii haec colligi posse videntur: Die septimo decimo mensis secundi terra inundari coepta est; aquae centum quinquaginta dies eam texerunt; quo tempore elapso paulatim minutae sunt (Gn 7, 11. 24; 8, 3); arca die septimo decimo (secundum textum Hebr. Sam. Chald. Syr. — die vicesimo septimo secundum LXX et Vulg.) mensis septimi super montes Armeniae resedit (ib. 8, 4). Itaque ab initio inundationis usque ad finem (i. e. a die septimo decimo mensis secundi usque ad diem septimum decimum mensis septimi) centum quinquaginta dies transierunt, qui numerus efficitur, si mensis triginta dierum sumitur; nam dies $13 + 4 \times 30 + 17 = 150$. Alii cum menses lunares intellegendos esse existiment, numerum parem 150 pro impari 147 positum esse dicunt. Dein die primo mensis decimi cacumina montium apparuerunt (ib. v. 5); die primo mensis primi anni sequentis

superficies terrae exsiccata et die vicesimo septimo mensis secundi penitus arefacta erat (ib. v. 13 s.). Itaque ex sacris litteris inundatio annum solarem sive 365 dies durasse videtur i. e. annum lunarem sive 354 dies additis undecim diebus (a die septimo decimo mensis secundi usque ad diem vicesimum septimum mensis secundi anni sequentis).

Omnes gentes ad tempus metiendum mense usae sunt, quamquam saepe mensem artificiosum pro naturali usurpatae sunt. Gentis Hebraicae *menses* (חֹדֶשׁ vel יֶרַח cf. Aeth. *wareḫ*, Assyr. *arḫu*) erant *lunares* i. e. id temporis spatium comprehendebant, quo luna in cursu suo a solis coniunctione digressa rursus ad eam revertitur. Quod spatium 29 dies, 12 horas, 44′, 3″ (rectius 2·82″) continet. Quare Hebraei per vices mensibus triginta vel undetriginta dies assignabant. Mensis triginta dierum *plenus* (חדש מָלֵא, μὴν πλήρης), mensis undetriginta dierum *cavus* (חדש חָסֵר, μὴν κοῖλος) vocabatur.

Mensem autem Hebraeorum cum luna conexum esse iam ex vocabulo חדש, quod et *novam lunam* (Nm 29, 6. I Sm 20, 5. 18. 24. al.) et *mensem* (Gn 29, 14. Nm 11, 20 s. Hos 5, 7. al.) significat, colligi potest. Idem Sir 43, 6—8 obscure indicatur: Ἡ σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς ἀνάδειξιν χρόνων καὶ σημεῖον αἰῶνος, ἀπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς, φωστὴρ μειούμενος ἐπὶ συντελείας . μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστὶν, αὐξανόμενος θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει. Quem textum etiam fragmenta Hebraica Siracidis, quae nostra aetate inventa sunt, exhibent. Praeterea nonnulla historiae documenta habemus, quibus mensem Judaeorum, saltem temporibus imperii Graecorum, lunarem fuisse probatur. Velut Philo (De vita Mosis l. 3. opp. II, 169) primum mensem ad cursum lunae accommodatum fuisse affirmat: τῷ μηνὶ τούτῳ περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν, μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς, ἄγεται τὰ διαβατήρια, δημοφανὴς ἑορτή, τὸ Χαλδαϊστὶ λεγόμενον πάσχα. Idem de mensibus primo et septimo Josephus testatur. Nam AJ 2, 15. 2 dicit Hebraeos Aegyptum reliquisse mense Xanthico (qui mensi primo Hebraeorum, Nisan, respondet) πεντεκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, et ib. 3, 10. 5 pascha esse celebrandum mense Xanthico τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην. De septimo autem mense, Tišri sive Hyperberetaeo, ib. 3, 10. 3 memoriae prodit omnes δεκάτῃ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς κατὰ σελήνην ieiunium servasse. Quibus testimoniis narrationes talmudistarum atque sententiae Judaeorum posterioris aetatis, quas collectas reperies in M. Hagen, Lex. bibl. III, 158, addi possunt. At in vetere testamento etiam nonnulla vestigia eius rei deprehenduntur, quod Hebraeis antiquis *solis* quoque *mensis* triginta dierum i. e. ea divisio anni, qua lunae nulla ratio habetur, nota erat. Velut gens Hebraica mortem Mosis triginta dies vel mensem solarem luget (Dt 34, 8). Decas illa dierum (עֲשׂוֹר), de qua

Gn 24, 55 sermo est, nisi tertia pars mensis intellegi non potest. Dies ultimus decadis i. e. dies decimus mensis saepius ad tempus describendum adhibetur (Lv 16, 29. Nm 29, 7. Jos 4, 19. II Rg 25, 1. Ez 20, 1; 40, 1).

Ante exsilium menses simpliciter numerabantur, quamvis etiam nonnulla eorum nomina ab agricultura petita (eadem quae apud Phoenices) occurrant. Inveniuntur autem haec quattuor nomina: חֹדֶשׁ הָאָבִיב *mensis spicarum* maturescentium, Vulg. *mensis novarum frugum, mensis novorum* i. e. mensis primus (Ex 13, 4; 23, 15; 34, 18. Dt 16, 1); זו sive ח/ זו *mensis splendoris,* Vulg. *Ziv* (I Rg 6, 1. 37), targum. ירח זיו צניא *mensis splendoris florum* i. e. mensis secundus; וְיֶרַח הָאֵיתָנִים *mensis perennium fluminum,* Vulg. *mensis Ethanim* i. e. mensis septimus (I Rg 8, 2); ח/ בול *mensis pluviae,* Vulg. *mensis Bul* i. e. mensis octavus (I Rg 6, 38). Ex quibus duo nomina apud Phoenices certe invenimus: בל CIS I, 1, 3. 10. 90 et אתנם ib. 86. Quae sufficere videntur, ut etiam alia duo nomina originis Phoeniciae esse affirmemus.

Loci, ubi menses numeris ordinalibus significantur, sunt hi: Gn 7, 11; 8, 4. 5 a b. 13. 14. Ex 12, 2 b. 18 a; 16, 1; 19, 1; 40, 2. 17. Lv 16, 29; 23, 5. 24. 27. 34. 39. 41; 25, 9. Nm 1, 1. 18; 9, 1. 5. 11; 10, 11; 20, 1; 28, 16; 29, 1. 7. 12; 33, 3. 38. Dt 1, 3. Jos 4, 19. I Sm 20, 27. 34. I Rg 6, 1. 38; 8, 2; 12, 32 s. II Rg 25, 1. 8. 25. 27. Jer 1, 3; 28, 1. 17; 36, 9. 22; 39, 1. 2; 41, 1; 52, 4. 6. 12. 31. Ez 1, 1; 8, 1; 20, 1; 24, 1; 29, 1. 17; 30, 20; 31, 1; 32, 1; 33, 21; 45, 18. 21. 25. Dn 10, 4.

Etiam in libris post exsilium conscriptis menses haud raro simpliciter numerantur: Hagg 1, 1. 15; 2, 1. 10. 18. Sach 1, 1. 7; 7, 1. 3. 5. Esth 2, 16; 3, 7. 12. 13; 8, 9. 12; 9, 1. Esr 3, 1. 6. 8; 6, 19; 7, 8. 9 a b; 8, 31; 10, 9. 16. 17. Neh 7, 73 b; 8, 2. 14. I Chr 12, 15; 27, 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. II Chr 3, 2; 5, 3; 7, 10; 15, 10; 29, 3. 17; 30, 2. 13. 15; 31, 7; 35, 1. I Mcc 9, 3. 54; 10, 21; 13, 51.

In codice quoque Ḫammurapi § 273 (col. 39. lin. 11. 15) menses numeris ordinalibus significari invenimus. In inscriptione, quam in rupe calcaria sub monte Behistûn in regione Kurdistân legimus, quinque menses (secundus, tertius, nonus, decimus, duodecimus) commemorantur (J. Oppert in ZDMG LII, 1898, 260). Sed verba *ina arḫi VI* (ep. ʿAmârna 18, 23) non sextum mensem, sed sex menses significant (cf. ep. 21, 26; 64, 45).

Post exsilium mensibus nomina Assyrio-Babylonia imposita sunt (Hieros. Rosch haschana 56ᵃ. Bereschith rabba c. 48), quorum nonnulla etiam in sacris litteris legimus, quamvis etiam tum (ut modo diximus) menses nonnumquam numerarentur. Ea autem nomina sunt haec:

I/7 * a medio Martio ad medium Aprilem 30, dierum: נִיסָן *Nisân* (Neh 2, 1. Esth 3, 7 a. M. Pesachim 4, 9. Schekalim 3, 1. Rosch haschana 1, 1. 3. 4. Taanith 1, 2. 7; 4, 5. Nedarim 8, 5. Bechoroth 9, 5), Assyr.

* Numeri *Romani* menses anni sacri, *Arabici* menses anni civilis significant.

Nisaannu, Graece Νισάν, Gr. Esr 5, 6. Esth 8, 9. Addit. Esth 1, 1. Jos. AJ 1, 3. 3; 2, 14. 6; 3, 8. 4; 3, 10. 5; 11, 4. 8. Nomen huius mensis Macedonicum apud Josephum obvium est Ξανθικός.

II/8 a medio Aprili ad medium Maium, 29 dierum: אִיָּר *Ijjâr* (Rosch haschana 1, 3), Assyr. *Airu,* Graece Ἰάρ Jos. AJ 8, 3. 1. Maced. Ἀρτεμίσιος.

III/9 a medio Maio ad medium Junium, 30 dierum: סִיוָן *Sivân* (Esth 8, 9. Schekalim 3, 1. Bechoroth 9, 5), Assyr. *Sivanu,* Graece Σιουάν Bar 1, 8. Maced. Δαίσιος.

IV/10 a medio Junio ad medium Julium, 29 dierum: תַּמּוּז *Tammus* (Taanith 4, 5. 6), Assyr. *Duuzu,* Maced. Πάνεμος.

V/11 a medio Julio ad medium Augustum, 30 dierum: אָב *Ab* (Pesachim 4, 5. Schekalim 3, 1. Rosch haschana 1, 3. Taanith 2, 10; 4, 5. 6. 7. Megilla 1, 3. Bechoroth 9, 5), Assyr. *Abu,* apud Jos. AJ 4, 4. 7 Ἀββά, melius Ἀβά, sec. edit. B. Niese Σαβά. Maced. Λῶος.

VI/12 a medio Augusto ad medium Septembrem, 29 dierum: אֱלוּל *Elûl* (Neh 6, 15. Schekalim 3, 1. Rosch haschana 1, 1. 3. Taanith 4, 5. Bechoroth 9, 5. 6), Assyr. *Ululu,* Graece Ἐλούλ I Mcc 14, 27. Maced. Γορπιαῖος.

VII/1 a medio Septembri ad medium Octobrem, 30 dierum: תִּשְׁרִי *Tišri* (Schekalim 3, 1. Rosch haschana 1, 1. 3. 4. Bechoroth 9, 5. 6), Assyr. *Tasritav,* apud Jos. AJ 8, 4. 1 Θισρί, sec. edit. B. Niese Ἀθύρει, Maced. Ὑπερβερεταῖος.

VIII/2 a medio Octobri ad medium Novembrem, 29 dierum: מַרְחֶשְׁוָן *Marḥešvan* (Taanith 1, 3. 4), Assyr. *Araah samna,* Graece Μαρσουάνης Jos. AJ 1, 3. 3. Maced. Δῖος. In inscriptionibus Palmyrenis כנן *Kanun.*

IX/3 a medio Novembri ad medium Decembrem, 30 dierum: כִּסְלֵו *Kislev* (Sach 7, 1. Neh 1, 1. Rosch haschana 1, 3. Taanith 1, 5), Assyr. *Kisilivu,* Graece Χασελεῦ I Mcc 1, 54; 4, 52. II Mcc 1, 9. 18; 10, 5. Jos. AJ 12, 5. 4; 12, 7. 6. Maced. Ἀπελλαῖος. In inscriptionibus Palmyrenis כסלול *Kislul* sive *Kaslul.*

X/4 a medio Decembri ad medium Januarium, 29 dierum: טֵבֵת *Ṭebeth* (Esth 2, 16. Taanith 4, 5), Assyr. *Tibituv,* Graece Τεβέθος Jos. AJ 11, 5. 4. Maced. Αὐδυναῖος.

XI/5 a medio Januario ad medium Februarium, 30 dierum: שְׁבָט *Šebâṭ* (Sach 1, 7. Rosch haschana 1, 1), Assyr. *Sabatu,* Graece Σαβάτ I Mcc 16, 14. Maced. Περίτιος.

XII/6 a medio Februario ad medium Martium, 29 dierum: אֲדָר *Adâr* (Esth 3, 7 b. 13; 8, 12; 9, 1. 15. 17. 19. 21. Aram. Esr 6, 15. Schekalim 1, 1; 3, 1. Rosch haschana 1, 3. Megilla 1, 4; 3, 4. Nedarim 8, 5. Edujoth 7, 7. Bechoroth 9, 5), Assyr. *Addaru,* Graece Ἀδάρ Gr. Esth 2, 16 (in Hebr. Ṭebeth); 3, 7. 13; 8, 12. Ἀδαρ Gr. Esr 7, 5. I Mcc 7, 43. 49. II Mcc 15, 36. Jos. AJ 4, 8. 49; 11, 6. 2; 12, 10. 5. Maced. Δύστρος.

IV. Annus (שָׁנָה, ἐνιαυτός) Hebraeorum complectebatur duodecim menses (cf. I Rg 4, 7. Jer 52, 31. Ez 32, 1. Dn 4, 26. I Chr 27, 1—15) lunares, qui 354 dies, 8 horas, 48′, 38″ complent, cum annus

solaris 365 dies, 5 horas, 48′, 48″ complectatur. Annus igitur solaris (rabb. שְׁנַת הַחַמָּה) et lunaris (rabb. שׁ׳ הַלְּבָנָה) undecim diebus inter se differunt, qui a Graecis ἐπακταί nominantur. Quapropter Hebraei, ut annum lunarem aliquo modo ad cursum solis accommodarent, vel secundo vel tertio quoque anno inter Adar et Nisan tertium decimum mensem interiaciebant (וְאָדָר vel אֲדָר הַשֵּׁנִי M. Edujoth 7, 7), cuius intercalationis in sacris litteris nulla fit mentio.

Ex lege Mosaica non liquet, utrum annus fuerit solaris an lunaris soli accommodatus. Id unum manifestum est non fuisse annum lunarem absolutum, quem vocant, cum menses cum messe ideoque etiam cum cursu solis coniungerentur. Postea autem annum fuisse lunarem soli accommodatum ex testimoniis Philonis, Josephi Flavii, talmudistarum colligitur.

Hebraei antiqui annum *ab autumno* incipiebant. Atque iam iis Pentateuchi locis, qui ex omnium opinione ad antiquissimas eius partes pertinent, i. e. in corporibus legum Ex 20, 22—23, 33 et Ex 34, 10—26 חַג הָאָסִיף *festum collectionis* בְּצֵאת הַשָּׁנָה *exeunte anno* agendum esse (Ex 23, 16) et תְּקוּפַת הַשָּׁנָה *decursum anni* i. e. tempus, a quo decursus anni incipit, significare (Ex 34, 22) dicitur. Loco I Sm 1, 20 s. festum quoddam לִתְקֻפוֹת הַיָּמִים *post decursum dierum* agendum commemoratur. Vocabulum autem ימים compluribus locis *annum* significat (Gn 4, 3. Ex 13, 10. Jdc 11, 40; 17, 10; 21, 19. I Sm 1, 3; 2, 19; 27, 7. al.) et vocabulum תְּקוּפָה Ex 34, 22 et II Chr 24, 23 cum vocabulo שָׁנָה coniunctum est. Quare iudicare possumus verba לתקפות הימים *post decursum anni* interpretanda esse et festum, quod hîc commemoratur, esse festum collectionis, quod tota messe percepta agebatur. Anni igitur initium apud Hebraeos antiquos in idem tempus incidit, quo frigidior pars anni i. e. autumnus initium capit. Et quod Lv 23, 24 et Nm 29, 1 praecipitur, ut neomenia septima (mensis Tišri) eodem modo, quo anni iubilaei initium, i. e. clangore cornuum indicetur, id ita tantum explicatur, ut Hebraei ab ea nova luna novum annum inceperint. Ceterum iam historiâ diluvii (Gn c. 7—8) annus ab autumno incipiens ponitur, nam secundus mensis anni ab autumno incipientis, quo diluvium exortum est, octavus mensis anni a vere incipientis est, a quo proprium pluviae tempus (ipsum tempus hiemale) initium capit. Etiam apud Judaeos posterioris aetatis memoriam anni ab autumno incipientis invenimus.

Primum vestigium, unde Hebraeos ut Babylonios annum *a vere* incepisse apparet, cum Jer 36, 22 demum inveniamus, ubi legimus: „Rex (Jojakim) sedebat in domo hiemis mense nono et focus coram eo ardebat“, morem anni a vere incipiendi inde a quinto anno regis Jojakim (cf. v. 9) i. e. ab anno a. Ch. n. sescentesimo quarto fere ob-

servare possumus. Cum tamen narratio prophetae non eo anno hanc formam, quae nunc legitur, acceperit, sed ea forma Hierosolymis a Babyloniis captis demum a Baruch constituta sit, ex illo loco minime colligitur Hebraeos iam quinto anno regis Jojakim annum a vere incepisse. Quod autem certa vestigia anni a vere incipientis post id demum tempus invenimus, quo auctoritas novi regni Babyloniorum ad regnum Juda pertinere coepit, is modus anni incipiendi ad Babylonios referendus est.

Ex 12, 2 Jahve Hebraeis in Aegypto commorantibus praecipit: „Hic mensis vobis est caput mensium; hic vobis primus anni mensis". Intellegitur mensis Nisân, quo festum פֶּסַח celebrabatur, i. e. is mensis, qui alibi Abîb nominari solet. Ex quo loco colligendum non est Hebraeos iam aetate Mosis annum a vere incepisse; nam in duobus corporibus legum Ex 20, 22—23, 33 et 34, 10—26 de anno a vere incipiendo nihil legitur, cum id, si moris fuisset, praeteriri non posset. Sed res ita se habet. Quamquam annus ab autumno initium capiebat, tamen dies festi a פסח numerabantur. מצות cum פסח primum festum magnum erat, quod vere agebatur, cum messis hordei incipiebatur; septem hebdomadibus post festum קָצִיר agebatur, cum tritici messe finis fiebat messi frugum; postremo festum אָסִיף, quod autumno agebatur, cum omnis perceptio fructuum confecta erat. In magnis igitur anni festis enumerandis cum Hebraei non ab initio anni ordirentur, index festorum nullum habet vestigium alterius finis anni nisi eius, qui in iis diserte indicatur et ex quo solo anni initium effici potest: initium et finis anni eo tempore, quo festum אסיף agebatur, constituebatur. Id unum cum Josepho (AJ 1, 3. 3) dici potest Mosen loco allato mensem Nisân, quo populum ex Aegypto eduxerit, primum quidem esse voluisse, ita tamen ut hoc anni initium in rebus sacris tantum ad numerandum festorum cyclum adhiberetur, cum rebus civilibus pristinus ordo, ex quo annus a mense Tišri initium capiebat, relinqueretur; Nisân igitur esse principium mensium anni, sed Tišri principium anni.

Sunt qui dixerint iam aetate Salomonis annum iam non ab autumno, sed a vere inceptum esse. Quod ut confirment verba II Sm 11, 1: לִתְשׁוּבַת הַשָּׁנָה לְעֵת צֵאת הַמַּלְאָכִים *revertente anno, tempore egressionis regum* afferunt. Egressionem regum nihil aliud intellegendum esse nisi bellum; Assyriorum quoque monumenta testari ver usitatum tempus proficiscendi ad bellum fuisse. At quaeritur, num verba לעת צאת המלאכים nihil aliud sint nisi redundans repetitio antecedentium לתשובת השנה. Quantum equidem iudicare possum, id diiudicandum non est, si propriam vim verborum לתשובת השנה (cf. LXX ἐπιστρέψαντος τοῦ ἐνιαυτοῦ) respicimus. Quae cum ita sint, illa sententia loco II Sm 11, 1 non comprobatur. Id tamen animadvertendum est, simili loco I Chr 20, 1 verba לתשובת השנה לעת צאת המלאכים commutata esse in haec: לעת לתשובת השנה לעת צאת המלאכים. Chronista, cum verba לעת צאת המלאכים antecedentibus לתשובת השנה ita apposita esse iudicet, ut idem valeant, iis verbum לעת anteponit. Praeterea verba אִי יַעֲלֶה חֲנָאֵל מֶלֶךְ אֲרָם (II Rg 12, 18) a chronista in verba לִתְקוּפַת הַשָּׁנָה עָלָה עָלָיו חֵיל אֲרָם (II Chr 24, 23) commutata sunt. Unde apparet

chronistam tempus revertentis anni tempus bellorum i. e. ver initium anni existimasse.

Adnotatio. — In Mischna quadruplex anni initium statuitur: aliud pro festorum sacrorum dispositione, aliud pro rebus civilibus, aliud pro definienda aetate pecorum decumandorum, aliud pro fructibus arborum decumandis (Rosch haschana 1, 1). Quod merum rabbinorum commentum habendum est.

Ut pleraeque gentes antiquae, ita Hebraei quoque annum in quattuor tempora i. e. in duo aequinoctia (vernale et autumnale) et duo solstitia (aestivum et brumale) distinguebant, cuius divisionis vestigia Ex 34, 22. II Chr 24, 23 deprehendimus. Cum autem Hebraeorum cura imprimis in agricultura versaretur, in dispertiendis anni temporibus etiam ad opera rustica respexerunt, ut sex anni tempora constituerent: זֶרַע *sementem* i. e. hiemem, tempus serendi (dimidium Tišri, Marḥešvan, dimidium Kislev), חֹרֶף *autumnum* (dimidium Kislev, Tebeth, dimidium Šebâṭ), קֹר *frigus* (dimidium Šebâṭ, Adâr, dimidium Nisân), קָצִיר *messem* (dimidium Nisân, Ijjâr, dimidium Sivân), קַיִץ *aestatem* (dimidium Sivân, Tammus, dimidium Ab), חֹם *calorem* (dimidium Ab, Elûl, dimidium Tišri). Ceterum in sacris litteris nonnumquam duo tantum anni tempora distinguuntur: קַיִץ וְחֹרֶף proprie *aestas et autumnus,* idem quod *aestas et hiems* (Gn 8, 22. Am 3, 15. Sach 14, 8. Ps 74, 17). Graeci Alexandrini ratione terrae Aegypti habitâ θέρος καὶ ἔαρ verterunt. Nomine ἔαρος hiemem intellexerunt; nam qui nobis menses hiemales, ii Aegyptiis vernales sunt. Sementis hiemi, messis aestati adscribitur (Gn 8, 22).

V. Ullam certam aeram, ex qua plurium annorum orbes computarentur, aetate patriarcharum in usu fuisse non constat. Prima eius modi aera ex ipso Hebraeorum de Aegypto eductorum tempore sive civitatis Hebraicae initio exstitit (Ex 12, 2; 19, 1. Nm 1, 1; 9, 1; 33, 38. I Rg 6, 1). Similiter aera exordium ducere poterat a templo a Salomo exstructo (I Rg 9, 10. II Chr 8, 1) aut ab initio exsilii Babylonii (II Rg 25, 27. Jer 52, 31. Ez 1, 1; 33, 21; 40, 1) aut a quovis alio eventu, qui ad gentem universam spectaret, velut a reditu in patriam aut dedicatione templi secundi. Nonnumquam, et quidem iam primis saeculis, computatio temporum ab aetate virorum illustrium aut principum sumpta est (Gn 7, 11; 8, 13), sed eius modi computatio tantum peculiarem quandam scriptoris rerum observationem continebat, qualem recentiore quoque aetate invenimus (Mt 2, 1. Lc 1, 5; 3, 1). Saepe in libris historicis veteris testamenti annorum descriptio secundum annos regum Judaicorum et Israeliticorum instituitur (in libris Rg et

Chr, praeterea Jes 6, 1: 36 1. Jer 1, 2 s. al.), postea secundum annos alienorum regum, quibus populus subiectus erat (Hagg 1, 1; 2, 10. Sach 7, 1. Esr 4, 24; 6, 15; 7, 7 s. Neh 2, 1; 5, 14; 13, 6). Atque cum Judaei mortuo Alexandro Magno a Seleuco I Nicatore benignissime tractarentur, nobilissimam aeram Seleucidarum, inde ab autumno anni 312 a. Ch. (quo Seleucus Nicator ducem Antigoni fudit regnumque Syriae maxime ampliavit) computatam, receperunt [1]. Sed aetate Simonis principis (ab anno 170 aer. Seleuc. = 143/42 a. Ch.) annos ab eius principatu computare soliti sunt (I Mcc 13, 41 s. cf. 14, 27) [2]. Multo demum post rempublicam a Romanis destructam (ut videtur, saeculo undecimo aerae Christianae) novam temporum descriptionem (octavo saeculo ortam) receperunt annosque inde a mundo procreato computarunt, quem morem etiam nunc sequuntur.

[1] Quam aeram (quam מִנְיַן שְׁטָרוֹת *aeram contractuum* vocabant, cum Judaei eâ in contractibus uti solerent) scriptores utriusque libri Maccabaeorum usurpant. Sed observandum est auctorem libri prioris pro Judaeis in Palaestina commorantibus annis sacris in computatione uti i. e. annum a mense Nisân anni 312 incohare, auctorem libri posterioris, cum computationem Jasonis servet, annis civilibus uti i. e. temporum rationem a mense Tišri eius anni incohare, ita ut de tempore nonnullarum rerum gestarum quaedam differentia exoriatur (cf. I Mcc 6, 16 cum II, 11, 21., I, 6, 20 cum II, 13, 1., I, 7, 1 cum II, 14, 4).

[2] De Romanorum ab urbe condita aera et de Graecorum Olympiadum aera in sacris litteris nullum vestigium invenitur.

Sectio septima

De morbis et morte, sepultura et luctu

Caput primum

De morbis

Praesidia doctrinae. — Ch. T. E. Reinhard, Bibelkrankheiten, welche im alten Testament vorkommen. Frankfurt-Leipzig 1767. — J. Ch. G. Ackermann, Erläuterungen derjenigen Krankheiten, deren im neuen Testament Erwähnung geschieht. Gera 1784. — Th. Sapler, Medica sacra or short exposition of the more important diseases mentioned in the sacred writings. London 1834. — P. P. Trusen, Darstellung der biblischen Krankheiten und der auf die Medizin bezüglichen Stellen der heiligen Schrift. Posen 1844. — P. Pruner, Die Krankheiten des Orients. Erlangen 1847. — J. Benzinger, Krankheiten und Heilkunde der Israeliten (RE³ XI, 64—79).

Primis hominum temporibus morbi erant rari, cum maius esset corporum robur, maior vivendi simplicitas, liberior aëris usus. Etiam aetate patriarcharum vita plerumque longior erat quam postea ac satis vegeta et felix ipsa senectus. Terra quoque Canaan erat saluberrima (Tacit. Hist. 5, 6, 2) atque ipsae leges Mosaicae ad sanitatem civium adiuvandam magnopere comparatae erant.

Lege Mosaica, qui mandata divina observaverit, ei multiplex benedictio et prosperitas rerum promittitur, qui autem neglexerit, ei maledictio et infortunium proponitur (cf. Lv c. 26. Dt c. 27 s.) Ex quo intellegitur morbos ab Hebraeis antiquis poenas peccatorum habitos esse, id quod ex compluribus sacrarum litterarum (imprimis libri Job) locis apparet. Etiam aetate Christi Judaei generatim existimabant omnes morbos in poenam alicuius peccati, sive aegroti sive eius parentum, a deo immitti (Jo 9, 2 s.), quod haud semper verum esse manifestum est (ib. 5, 14). Judaeos autem morbos a diabolo repetivisse et loquendi formulâ „daemones eicere“, quam in novo testamento saepe legimus, nihil aliud significasse nisi „morbos curare“ est merum commentum recentiorum rationalistarum.

In sacris litteris varii morbi commemorantur. Sed ut de aliis rebus humanis, ita de morbis quoque scriptores biblici more multitudinis loquuntur. Quare mirum non est saepius incertum esse, quodnam morborum genus ratione artis medicinae habita significetur.

I. Oculorum morbi. — Ἀχλύς (Act 13, 11) caligo oculorum, per cuticulam in oculo allata, quae visum obscurat. Facile sanatur et progrediente tempore sine medicamento dissolvitur. Imperfecta caecitas ex senectute orta Gn 27, 1. I Sm 3, 2; 4, 15. I Rg 14, 4 memoratur. De caecitate perfecta Tob 2, 10 sermo est: ἐγενήθη λευκώματα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς (cf. תְּבֻלֹּל Lv 21, 10). Lippi oculi Gn 29, 17 memorantur. Mira caecitate (סַנְוֵרִים LXX ἀορασία) percussi sunt Sodomitae (Gn 19, 11. Sap 19, 16). Quod II Rg 6, 18, narratur, non de perfecta caecitate interpretandum est, sed de quodam animi oculorumque stupore. Caecitate in poenam percussus est Elymais magus (Act 13, 11). Saulus quoque Damascum proficiscens caecus factus est (ib. 9, 3—18).

In evangeliis legimus multos caecos a Christo esse sanatos. Atque Christus fide eorum explorata nonnumquam tactu eos sanavit (Mt 9, 29; 20, 34), semel salivâ oculos caeci livit (Mc 8, 23), alium oculis luto ex sputo facto unctis ad stagnum Siloah misit, ut oculos lavaret (Jo 9, 6 s.). Manifestum est evangelistas has sanationes ut res vere gestas memoriae prodere, quibus Christus potentiam, benignitatem, missionem suam divinam probaret hominesque de ea convinceret. Itaque plane perversum est, quod nonnulli viri docti recentioris aetatis excogitarunt, iis narrationibus nihil

aliud contineri nisi doctrinâ Christi homines caecitate mentium esse liberatos et ad agnitionem veritatis adductos, eas narrationes esse sola symbola eorum, quae Christus in mentibus hominum effecerit.

II. Febrium valetudines. — דַּלֶּקֶת (Dt 28, 22) *febris ardens* = πυρετός (Mt 8, 15. Lc 4, 39. Jo 4, 52. Act 28, 8); LXX usurpant vocabulum ῥῖγος, *frigus,* item Vulgata. Etiam vocabulum קַדַּחַת (Lv 26, 16. Dt 28, 22) plerique febrim ardentem interpretantur; alii autem *erosionem* vel *cariem ossium* intellegunt; LXX habent ἴκτερα, *morbum regium*, *auruginem* (die gelbe Sucht); Vulgata vertit ardorem. Qualis morbus vocabulo חַרְחֻר (Dt 28, 22. Sir 40, 9) significetur, haud constat. Nonnulli *catarrhum suffocantem* intellegunt; tale aliquid LXX quoque intellexerunt, cum ἐρεθισμόν vertant, quod vocabulum proprie quidem *incitationem* valet, sed inde catarrhum significare poterat; quodam modo adstipulatur Saʿadja, qui habet *paralysis* (pulmonum). Lv 26, 16 et Dt 28, 22 memoratur שַׁחֶפֶת (cf. Arab. *saḥapha* = removit adipem) phtisis sive febris phtisica. Qui morbus etiam vocabulo דַּוֶּן significatur (Jes 10, 16). Qui eo affectus est, דַּק *macer* appellatur.

III. Variae cutis affectiones. — Imprimis hîc memoratu digna est *lepra* (λέπρα, צָרַעַת), qui morbus Aegypti (Jos. CAp 1, 26), Syriae (I Rg 5, 1), omnium regionum calidarum proprius est, contagiosus et humana arte insanabilis. Plerumque eruptione exiguae maculae, instar vulneris acu puncti, circa nasum aut oculos se ostendit et gradatim totum corpus occupat. Capilli capitis et palpebrarum decidunt; artus extremi sensim praemoriuntur; dentes excidunt; labia, nasus, lingua, palatum pedetentim devorantur atque corpus horrendum in modum mutilatur, dum homo pereat. Qui morbus terribilis etsi vehementes dolores non parit, tamen ingentem debilitatem et melancholiam affert et haud raro hominem ad voluntariam mortem propellit.

Duo distinguuntur in sacris litteris genera leprae: a) *lepra nodosa* vel *tuberculosa* (שְׁחִין מִצְרַיִם *ulcus Aegypti* Dt 28, 27. cf. Plin. Hist. nat. 26, 5: „Aegypti peculiare malum“, שְׁ רַע *ulcus malignum* Dt 28, 35) i. e. lenta artuum destructio, quam medici a cute squamis nigricantibus obducta et pedibus tumescentibus *elephantiasin* appellant (quo morbo Job laborabat 2, 7); b) *lepra alba* (Arab. *baraṣun,* λευκή cf. Ex 4, 6. Nm 12, 10. II Rg 5, 27), a medicis etiam *lepra Mosaica* vel *Hebraeorum* appellata, quae Lv. c. 13 describitur. Quae lepra continetur maculis albis nitentibus, quae per totum corpus extenduntur. Distinguuntur in lege Mosaica duo huius leprae genera, quorum unum in parte cutis non capillatae, alterum in parte cutis capillatae prorumpit. Quae tamen genera leprae unum idemque sunt. Prioris leprae indicia indubia memorantur haec tria: α) scabies in cute apparens, β) pili in ea cutis parte albescentes, γ) scabies non in

cute intumescens, sed in eam demissa; si vero solus candor in cute apparebit, nulla autem cutis depressio vel pilorum mutatio observabitur, homo leprosus non habendus, sed per septem dies recludendus est, et si ille candor obscurior factus erit neque creverit, mundus habendus est (v. 2—8). Lepra tum quoque iudicanda est, cum praeter squamam albam et pilos albescentes cruda caro apparebit; sed si albedo super totum corpus extenditur, id sanitatis indicium est (v. 9—17). Lepra quoque oriri potest in cute ulcere sanato, si squama alba vel subrufa nascitur pilique albescunt; tum homo diutius observari oportet (v. 18—23). Idem observandum est in cute adusta (v. 24—28). In lepra cutis capillatae indicia sunt eadem: macula reliquâ cute demissior est, crinium color mutatur (non in album, sed in flavum), macula diffunditur (v. 29—37).

Ad avertendum contagionis periculum Moses lege statuit, ut leprosi, qui tales a sacerdote declarati erant, procul a societate hominum viverent (hinc leprae nomen Chaldaicum סְגִירוּתָא) et quidem extra castra (Lv 13, 46. Nm 5, 2 s; 12, 10. 14 s.), quamdiu Hebraei in deserto commorabantur, extra urbes (cf. II Rg 7, 3; 15, 5., in nosocomiis cf. Targ. ad II Chr 26, 21), terrâ Canaan occupatâ. Eodem consilio leprosis praescriptum erat, ut vestimenta dissuta haberent, caput nudum et os veste contectum atque occurrentibus acclamarent se immundos et contaminatos esse (Lv 13, 45). Duo priora praecepta non solum eo spectabant, ut leprosi ab omnibus, qui casu vel necessitate iis occurrerent, facile dignoscerentur, sed etiam ut eorum sanitati prospiceretur; nam vestimenta dissuta et nudatio capitis evaporationi pravorum humorum, qui in corpore leprosi latent, favebant, os autem veste contegendam erat, ne halitu alios inficeret. Qui a lepra sanati erant, ad suos redire non poterant, nisi prius sacerdos sublatam esse lepram declaraverat et sacra a lege praescripta facta erant (Lv 14, 2—32).

Lepram, ut hodie in oriente, ita olim apud Hebraeos frequentem fuisse ex utriusque testamenti libris apparet (Nm 5, 2. II Sm 3, 29. II Rg 7, 3; 15, 5 = II Chr 26, 21. Mt 8, 2; 10, 8; 11, 5. Lc 4, 27; 17, 12. al.). De hodierno leprae in Palaestina statu videas ZDPV XVI, 1893. 247 ss. XVIII, 1895, 31 ss. Ceterum cf. G. N. Münch, Die Zaraath (Lepra) der hebräischen Bibel. Einleitung in die Geschichte des Aussatzes. Hamburg-Leipzig 1893. W. Ebstein, Die Medizin im alten Testament 75—94.

Aliae cutis affectiones sunt גָּרָב (Lv 21, 20; 22, 22. Dt 28, 27. Arab. *ǧarabun,* Assyr. *garabu*), et חֶרֶס (Dt 28, 27), quae vocabula *scabiem* significant; quo modo autem inter se distinguantur, non patet; Judaei חרס *scabiem siccam* intellegunt, LXX κνήφην, Vulgata *pruriginem;* גרב fortasse scabiei quoddam genus malignum est, LXX ψώρα ἀγρία, Vulgata *scabies iugis.* Alia scabiei species יַלֶּפֶת esse videtur, LXX λειχήν, Vulgata *impetigo* (Lv 21, 20; 22, 22).

IV. Terribilissimus omnium morborum in vetere testamento דֶּבֶר pestilentia esse dicitur, quae singulari dei iudicio immissa plerumque ingentem edidit stragem (Dt 28, 21. II Sm 24, 15. I Rg 8, 37.

II Rg 19, 35. Jer 14, 12. Am 4, 10. Jos. AJ 15, 9. 1). Quare etiam מָוֶת *mors,* LXX θάνατος (μέγας) appellabatur (Jer 15, 2; 18, 21; 43, 11. Job 27, 15., θάνατος Apc 6, 8; 18, 8. cf. vocabulum Assyrium *mûtânu,* Chaldaicum מותא, Germanicum „schwarzer Tod“ de morbo pestifero mediae aetatis). Atque vocabulo דבר re vera pestilentiam intellegendam esse inde apparet, quod saepissime cum fame et gladio (bello) coniungitur; nam tempore famis et belli morbi quoque contagiosi, velut pestilentia, grassari solent. Quae tria deus populo legis contemptori saepe minatur (Lv 26, 25. Dt 28, 21 s. Jer 14, 12; 21, 9. Ez 6, 11. al.). Ceterum dubium non est, quin nonnullis locis id vocabulum non certum quendam morbum, sed perniciem universam significet. Idem in vocabulum קֶטֶב sive קֹטֶב, quod ad pestilentiam significandam usurpatur (Dt 32, 24. Hos 13, 14. Ps 91, 6), cadit.

A qua pestilentia diversa est ea, qua animalia pereunt (Ex 9, 3. Jer 21, 6. Ez 14, 21). Illa enim pestilentia morbus hominis est; animalia praeter mures rattos eâ corripi non videntur.

V. Morbi nervorum remissione orti. — 1) Παράλυσις sive *nervorum resolutio* quo nomine in novo testamento complures infirmitates significantur: a) apoplexia totum corpus afficiens (apoplexia sanguinea I Sm 25, 37 s. II Sm 6, 7. Act 5, 1 ss.); b) hemiplegia vires unius lateris resolvens; c) paraplegia, quae impotentiam motus in partibus sub cervicibus positis parit; d) catalepsis, quae ex contractione musculorum vel totius corporis vel partis eius oritur; quo pertinet manus, quae non extendi vel extensa non retrahi potest quaeque, cum etiam minuatur et quasi arescat, χεὶρ ξηρά, *manus arida* sive *tabida* appellatur (I Rg 13, 4. Mt 12, 10. Mc 3, 1. Lc 6, 6. 8); e) tetanus (τέτανος, rigor nervorum), qui ex refrigerationibus nocturnis oritur; aliquis artus fit immobilis et modo introrsum modo retrorsum flectitur; aegrotus magnos sentit dolores, similes hominis in equuleum impositi; quare etiam βασανιζόμενος vocatur (Mt 8, 6); paucis diebus post magnis vexatus convulsionibus moritur (I Mcc 9, 55 s.). — 2) *Epilepsia* (cerebralis, medullaris, gangliaris, abdominalis), morbus comitialis, cuius in vetere testamento nulla mentio fit. In novo testamento eo morbo laborantes nonnumquam lunatici (σεληνιαζόμενοι Mt 4, 24; 17, 15) vocabantur, quippe cum eorum malum cum luna crescere et decrescere crederetur.

VI. Varia genera ulcerum, velut tumores in obscoenis partibus corporis sive mariscae haemorrhoidales (עֳפָלִים Dt 28, 27. I Sm 5, 6 ss.). — Angina, qua nonnulli Hiskia regem laborasse affirmant (II Rg 20, 1). Est morbus peracutus, qui tertio die hominem vitâ privat

(cf. v. 5. 8). — Sideratio sive morbus solstitialis (מַכַּת־שֶׁמֶשׁ cf. Ps 121, 6), in regionibus orientis haud infrequens (Jdth 8, 3. fortasse etiam II Rg 4, 19). — Caries ossium (רָקָב) Prov 12, 4; 14, 30 nominatur et Hab 3, 16 tropice de timore omnia ossa pervadente usurpatur. — Hydrops (ὕδρωψ, ὑδρώπισις) sive aquae intercutis morbus Lc 14, 2 commemoratur. — De quo morbo II Chr 16, 12 cogitandum sit, quo loco dolores pedum regis Asa memorantur, incertum manet. Fortasse *podagra,* quae etiam hodie in oriente haud raro invenitur, intellegenda est. — Morbum Antiochi IV Epiphanis (II Mcc 9, 5. 9) nonnulli *rhachioparalysin* (Rückenmarkslähmung), alii *morbum pedicularem* (phthiriasin, Läusekrankheit) intellegunt. — II Tim 2, 17 memoratur γάγγραινα (a γραίνω, *rodo;* Vulg. *cancer*), nomen morbi, quo aliqua pars corporis, vi inflammationis laborans, ita emortua est, ut, nisi medela tempore affertur, malum in dies latius serpens ceteras quoque corporis partes, tandem ossa carie arrodat. Quocum morbo Paulus apostolus loco allato sermones doctrinamque eorum, qui a vera fide exciderunt, maxime Hymenaei et Phileti, comparat. Est enim natura haeresium talis, ut cultro anathematis, ut ita dicam, amputari debeant, ne plura corporis ecclesiae membra in dies inficiantur et pereant.

VII. Varii morbi animi, velut רוּחַ רָעָה *spiritus malus* (I Sm 18, 10) i. e. mala animi affectio, qui effectus intemperiei, quae μελαγχολία vocatur, esse videtur; שִׁגָּעוֹן *insania, furor* (Dt 28, 28. II Rg 9, 20). Locis Dn 4, 13. 22. 30; 5, 21 mentio fit insaniae zoanthropicae, quae *lycanthropia* vel rectius *boanthropia* vocari solet. Constat enim et veterum et recentiorum medicorum testimoniis nonnumquam fieri, ut homines eo insaniae genere corripiantur, quo sibi in aliquam bestiam mutati videantur, ita ut lupi, canis, felis, aliorum animalium voces habitusque imitentur. Cum amentia sacrum aliquid haberetur (nam amens a spiritibus agitatus existimabatur), David, ne a Gathitis occideretur, amentiam simulavit (I Sm 21, 11—16).

VIII. Morbi daemoniaci in novo testamento a morbis naturalibus (et corporis et animi) diserte discernuntur (Mt 4, 24; 8, 16. Mc 1, 32. al.). Homines a daemone obsessi (δαιμονιζόμενοι), de quibus in historia evangelica agitur, quamquam et malis corporis, ut infantia linguae (Mt 9, 32. Mc 9, 16. Lc 11, 14), caecitate et infantia linguae (Mt 12, 22), epilepsia (Mt 17, 14. Mc 9, 17. Lc 9, 39), et malis animi, ut insania (Mt 8, 28. Mc 5, 2—5. Lc 8, 27. 29) affecti sunt, tamen eorum mala non solum corporis aut animi sunt, sed in eo consistunt, ut iis a daemonibus vis allata est (ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων Lc 6, 18. Act 5, 16). Qui morbi nisi daemonibus expulsis sanari non

possunt. Morbus autem eius mulieris, de qua Lc 13, 11 mentio fit, non a daemonibus creatus esse existimandus est; nam etsi loco allato ea mulier πνεῦμα ἀσθενείας habuisse et a satana duodeviginti annos alligata esse (v. 16) dicitur, tamen cogitandum est verbis πνεῦμα ἀσθενείας solam occultam vim morbi significari posse, cum Lucas πνεύματα πονηρά et ἀσθενείας clare discernat (8, 2 cf. 5, 15).

Memorantur nonnulli morbi extraordinarii, ut σκωληκοβρωσία (σκώληξ *vermis*, βιβρώσκω *voro*) Herodis Agrippae I, de qua Act 12, 23 agitur, ex quo loco cum Jos. AJ 19, 8. 2 collato apparet regem torminibus alvi a vermibus profectis vitâ privatum esse.

Caput secundum

De morte

Conferas O. Kirn, Tod (RE³ XIX, 801—805); G. Zietlow, Der Tod. Biblische Studien. Gütersloh 1912; K. Hald, Babylonische Gedanken über Leben und Tod (Theol.-prakt. Monats-Schrift XXIII, 1913, 685—692). Videas etiam F. Schwally, Das Leben nach dem Tode. Gießen 1892; A. Bertholet, Die israelitischen Vorstellungen vom Zustand nach dem Tode.² Tübingen 1914.

I. Ex doctrina veteris testamenti Jahve est auctor vitae; ille homini halitum vitae dat (Gn 2, 7), ille eum in vitae periculo servat (Ps 27, 13; 28, 1; 30, 4; 143, 11. Jes 38, 16 s.). Inde spes manat Jahven iis, qui sibi dediti sint, longinquam vitam daturum (Job 5, 26. Ex 20, 12) eosque a praematura morte defensurum (Ps 102, 25. Jes 65, 20). Contra mors placida in senectute bona, quae Abraham (Gn 15, 15; 25, 8) et David (I Chr 29, 28) contigit, nihil terribile habet. A Jahve autem non modo vita, sed etiam mors proficiscitur (Dt 32, 39. I Sm 2, 6. Ps 90, 3. Sap 16, 13. Tob 13, 2); halitum vitae ut dat, ita rursus aufert (Ps 104, 29. Koh 12, 7). Eiusdem potentia etiam ad infernum pertinet (Am 9, 2. Job 26, 5 s.). Pius ibi a deo separatus non est (Ps 139, 8); iustus ibi requiescit (Jes 57, 2). Job 19, 25—27 vel illud praedicatur homines a morte ad vitam resurrecturos esse.

Hebraei tristem mortis imaginem pro more apud alias quoque gentes, imprimis orientales, usitato sibi lenire conabantur. Inde vitam *iter* vel *peregrinationem* (מָגוֹר) in hac terra esse[1], mortuos autem a parentibus et maioribus defunctis hospitaliter excipi dictitabant. Quare mortem saepe per euphemismum *abitûs* sive *decessûs* significabant (הָלַךְ Gn 15, 2., ubi LXX interpretes ἀπολύεσθαι, Ps 39, 14., ubi iidem

ἀπέρχεσθαι usurpant; πορεύεσθαι Lc 22, 22. ἀπολύεσθαι ib. 2, 29. ἀναλύειν Phil 1, 23. cf. Jos 23, 14. I Rg 2, 2. Koh 5, 14 s; 6, 6), quod etiam apud scriptores Graecos et Romanos haud raro invenimus. Saepius vitam cum habitatione in tabernaculo, quod perennem stabilitatem non habeat, comparare solebant (Jes 38, 12. Jer 4, 20; 10, 20. Prov 14, 11. Job 5, 24; 8, 22; 15, 34), mortem autem cum *quiete* placida et somno simillima (Gn 47, 30. Dt 31, 16. I Rg 2, 10. Jes 14, 8; 57, 1 s. Ez 32, 19. Job 3, 13. 17—19. Dn 12, 2. Mt 9, 24; 27, 52. Jo 11, 11. Act 7, 60. I Cor 11, 30. I Thess 4, 13. II Ptr 3, 4. Apc 14, 13), qua imagine poetae omnium fere gentium saepe utuntur. Imprimis memoratu digna est loquendi formula, ex qua mortuus *ad suos patres* sive *ad suum populum abire* vel *congregari* dicitur (בָּא אֶל־אֲבוֹתָיו Gn 15, 15. נֶאֱסַף אֶל־עַמָּיו Gn 25, 8; 35, 29; 49, 29. 33. Nm 27, 13; 31, 2. Dt 32, 50 vel אֶל־אֲבוֹתָיו Jdc 2, 10. II Rg 22, 20 et simpliciter נֶאֱסַף Nm 20, 26), quas loquendi formulas quidam falso a ritu sepulturae apud Hebraeos finitimasque gentes usitato repetunt, ex quo singulis familiis in speluncis subterraneis spatiosa sepulcra erant. Hospitii apud deum Koh 12, 7 mentio fit.

At haud semper Hebraei tam amabilem imaginem mortis cogitatione fingebant, sed persaepe eam tamquam inimicum terribilem perhorrescebant. Atque nonnumquam mortem vel tamquam *venatorem*, stimulo letifero armatum, retibus et laqueis, quibus hominibus insidietur, instructum (II Sm 22, 6. Hos 13, 14. Ps 18, 5 s; 116, 3. Prov 13, 14. I Cor 15, 54—56) vel tamquam *regem* terribilem *Orci* (שְׁאוֹל, LXX ᾅδης) [2], in quo loco subterraneo omnes defunctos imperio tenet, cogitatione depingebant, ut Pluto, princeps orci, qui apud Sophocl. Oedip. Colon. v. 1558 ἐννυχίων ἄναξ = tenebrarum rex, apud Vergil. Aeneid. 6, 106 „inferni rex“ appellatur. Huic loco profundissimo (Dt 32, 22. Job 11, 8) et caliginoso (Job 10, 21 s. videas contra Jes 14, 9 ss.) a poetis valles (Prov 9, 18), portae vectesque (Jes 38, 10. Job 17, 16) [3] tribuuntur; quare ei etiam nomen שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל, πύλαι ᾅδου (cf. Hom. Ἀΐδαο πύλαι) et שַׁעֲרֵי מָוֶת, πύλαι θανάτου impositum est (Jes 38, 10. Ps 9, 14. Job 38, 17. Mt 16, 18). Nos diceremus *regiam* mortis; nam vocabulum שַׁעַר eius modi portam significat, ubi iudicium exercetur et imperium tractatur, i. e. aulam principis. Hebraei recentiores aliquem *angelum mortis* (מלאך המות) commenti sunt, cui a deo potestas homines occidendi data esset, i. e. ipsum diabolum, summum daemonum principem. Eum pro hominum accusatore apud deum habebant, a quo mortem eorum postulet, postremo eum aegrotis apparere formâ viri poculum illud mortiferum, quod ab iis exhauriendum sit quoque gustato moriantur, manu gestantis indutum [4]. Unde explicandae sunt loquendi

formulae: רָאָה מָוֶת, ἰδεῖν θάνατον (Ps 89, 49. Lc 2, 26. Hebr. 11, 5) et γεύεσθαι θανάτου (Mt 16, 28. Mc 9, 1. Lc 9, 27. Jo 8, 52. Hebr 2, 9).

[1] Qua imagine Gn 47, 9 Jacob patriarcha utitur seque comparat cum aliquo, qui desiderio patriae tenetur et in eam redire cupit.

[2] Originatio vocabuli שְׁאוֹל ignota est. Nomen Babylonium *šu'âlu* inferos significans exstare non videtur (P. Jensen, Kosmologie 223 s.). Neque constat vocabulum *šil(l)ân* (i. e. regionem ad occidentem spectantem) eadem esse radice qua שָׁאוֹל. Quare A. Jeremias (Das AT im Lichte des AO[2] 399) sine iusta causa vocabula *še'ôl, šilân, inferi* inter se aequiperat. Cf. H. Zimmern KAT[3] 636. E. König WB 474[b].

[3] Ita quidem, si Job 17, 16 בַּדֵּי legas. Sed cum versiones antiquae non *vectes* vel *repagula* exprimant, de illa lectione merito dubitandum est.

[4] Cf. F. Weber, Jüdische Theologie[2] 248 s. 252 s. 256.

II. Moris erat Hebraeorum, ut qui mortem instare existimabat, de suis possessionibus ea mandaret, quae post obitum observari vellet; id quod dicebatur צִוָּה לְבֵיתוֹ (II Rg 20, 1. Jes 38, 1) vel צִוָּה אֶל־בֵּיתוֹ (II Sm 17, 23) *domui suae praecepit* i. e. suprema mandata familiae suae dedit, testamentum fecit. Sed qua ratione id fieri soleret, nullo sacrarum litterarum loco notatum reperimus; fortasse coram heredibus et testibus fiebat. Testamentum (rabb. צַוָּאָה) tamen omnino definitum ac rite accurateque perscriptum, quod post mortem diligenter observari necesse esset, antiquis Hebraeis plane ignotum erat. Nam Tob 8, 24 (Vulg.) non agitur de testamento, sed de donatione inter vivos propter nuptias. Postea autem Judaei a Graecis, quod quidem videtur, *testamentorum* usum receperunt (Sir 22, 21. Gal 3, 15. Hebr 9, 17. Jos. AJ 17, 3. 2; 17, 8. 1. BJ 2, 2. 3).

Ex lege Mosaica patre defuncto filii ipsi rei familiari praeesse incipiebant ex hereditate, quae plerumque in aequales partes dividebatur, nisi quod natu maximus duplicem portionem ferebat (Dt 21, 15—17). Filii paelicum (et meretricum cf. Jdc 11, 1 s.) nulla portione hereditaria donabantur, sed arbitrio et amori paterno relicti erant atque solis pecuniae vel aliarum rerum mobilium donis augebantur, id quod in Ismael (Gn 21, 10. cf. Gal 4, 30) et in filiis, quos Abraham ex Ketura suscepit (Gn 25, 6), factum legimus. Etiam ex iure Babyloniorum antiquorum liberi concubinae, quae serva est, nisi pater eos diserte liberos legitimos agnovit, non legitimi neque iure hereditario existimabantur (§ 170. 171). Filiae non modo exheredes erant, sed et ipsae (caelibes) ad hereditatem pertinebant atque a fratribus in matrimonium venibant. A quo more ex nonnullorum opinione divitiores interdum recesserunt, id quod ex Job 42, 15 colligendum esse censent; respiciendum tamen est Job nequaquam inter Hebraeos numerandum esse. At ex Jos 15, 18 s. Jdc 1, 14 s. apparet filias, etsi paternorum bonorum heredes non erant, tamen dotem accepisse, si in matrimonium collocabantur, atque etiam fundos doti addi potuisse,

si tribulibus nubebant, quod alioqui non licebat. Si autem pater filium non habebat, iura possessionis hereditariae in filiam filiasve transferenda erant (Nm 27, 1—8. Jos 17, 3 s.); sed talis filia viro cuidam e tribu paterna nubere debebat, ne possessio eius alii tribui obtingeret (Nm 36, 6—10). Secundum codicem Ḫammurapi sola filia dotata hereditatis expers est (§ 180. 183. 184); filia non dotata partem hereditatis utendam accipit (§ 180), quae fratrum propria est; filiae heredes omnium bonorum non sunt, nisi si filii desunt, id quod ex nonnullis tabulis apparet. Si quis prole orbus ab intestato decesserat, fratres fiebant heredes; si non habebat, patrui: si et his carebat, patrui magni eorumve posteri (Nm 27, 9—11). Maternae consanguinitatis nulla habebatur ratio, ne hereditas in aliam tribum, ex qua mater esse poterat, transferretur. Viduae exheredes quidem erant, sed vel ex filiorum heredum bonis vel a proximis heredibus omnis generis eas sustentari oportebat, nisi aliter testamento dispositum erat. Quae tamen sustentatio cum plerumque non sufficeret, vidua nonnumquam in domum paternam revertebatur (cf. Gn 38, 11. Lv 22, 13), nisi quis erat, qui eam duceret. Quam ob rem prophetae haud raro in neglectionem viduarum invehuntur (Jes 1, 23; 10, 2. Jer 5, 28; 7, 6; 22, 3. Ez 22, 7. Sach 7, 10. Mal 3, 5. Vulg. Bar 6, 37). Aetate Maccabaeorum viduis partem spoliorum et praedae attributam (II Mcc 8, 28. 30) et pecuniam viduarum in templo depositam esse, ut tutior esset (ib. 3, 10), traditur. Ceterum in sacris litteris nonnulla sunt vestigia, unde appareat initio mulieres relictas, ut cetera bona, heredibus cessisse (cf. II Sm 16, 21 s. I Rg 2, 13—25), qui mos apud Arabes usque ad Muhammed permansit. Secundum ius Babyloniorum antiquorum uxori non solum marito mortuo aliquid iuris de eius re familiari est (§ 172), sed etiam tum cum matrimonium sine eius culpa diremptum est (§ 137—140). Praeterea ei licet, cum matrimonium init, recusare, ne aes alienum mariti, quod ante matrimonium contraxerit, solvat (§ 151).

Adnotatio. — Patres familias aliquem in filium heredem adoptare potuisse nonnulli ex variis sacrarum litterarum locis colligunt. Contra quam opinionem alii dixerunt adoptionem stricto iure Hebraeis prorsus incognitam fuisse atque linguam Hebraicam ad eam significandam ipso vocabulo carere. Vulgata bis quidem verbo *adoptandi* utitur, sed non recte; nam Ex 2, 10 legimus filiam Pharaonis puerum Mosen „adoptasse in locum filii“ pro Hebraico וַתְּהִי־לָהּ לְבֵן *et erat ei in filium,* et Esth 2, 7 (cf. v. 15) „Mardochaeum sibi eam (Esther) adoptasse in filiam“ pro Hebraico לְקָחָהּ לוֹ לְבַת *sumpsit eum sibi in filiam.* Neque in lege leviratus est adoptio, quae proprie dicitur, neque Gn 48, 5 sermo est de adoptione, sed de translatione iuris primogeniturae. Quo loco Jacob ad Joseph dicit: „Nunc ergo duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, donec (i. e. priusquam) ad te in Aegyptum veni, mihi erunt; Ephraim et Menasse instar Ruben et Simeon mihi erunt“ i. e. eadem iura habebunt, quae Ruben et Simeon, filii mei primogeniti. Ruben scelere commisso ius filii maximi amiserat, Simeon unâ cum Levi crudelitate in Sichemitas se indignos reddiderant, qui in eius locum succederent. Quae cum ita essent, Jacob eam partem iuris filii maximi, quae in duplici parte hereditatis versabatur, in Joseph confert, cum eius filios ut suos filios tractat, ut

tamquam duae tribus (Ephraim et Menasse) suam partem terrae Canaan acciperent, ius autem filii maximi ipsum Judae delegat (Gn 49, 8—12. I Chr 5, 1 s.).

Caput tertium

De sepultura

Conferas O. Schrader, Begraben und Verbrennen im Lichte der Religions- und Kulturgeschichte. Breslau 1910.

I. Ab antiquissimis temporibus apud Hebraeos usu receptum erat, ut proximi cognati vel amici oculos mortuorum clauderent ac defunctis supremum osculum imprimerent (Gn 46, 4; 50, 1. Tob 14, 15). Quem morem apud alias quoque gentes antiquas invenimus (Hom. Iliad. 11, 452. Odyss. 11, 425 s; 24, 296. Vergil. Aeneid. 9, 487. Ovid. Trist. 3, 3. 43; 4, 3. 43 s.). M. Schabbath 23, 5 legimus mortuo etiam os clausum esse. Quod in vetere testamento non commemoratur, nescio an forte. Utrumque, et oculos et os claudere, eodem spectat, ut mortuus dormientis similis fiat.

Deinde corpus ad sepulturam praeparabatur. Quod Hebraei posterioris aetatis calenti aqua lotum (Act 9, 37) longa sindone (σινδών) unâ cum aromatibus, imprimis myrrha et aloë, involvebant multisque fasciis (ὀθόνια, κειρίαι) ligabant, et quidem, ut videtur, manus et pedes seorsim, caput vero sudario (σουδάριον) subter mentum revincto tegebant (Mt 27, 59. Mc 15, 46. Lc 23, 53. Jo 11, 44; 19, 39 s; 20, 7). Deinde corpus, nisi brevi sepeliendum erat, in cenaculo deponebant (I Rg 17, 19. Act 9, 37). Qui ritus verbo ἐνταφιάζειν i. e. curare τὰ ἐντάφια (Mt 26, 12. Jo 19, 40) vel συγκομίζειν νεκρόν i. e. componere mortuum ad sepulturam (Act 8, 2) comprehenduntur. Hebraei antiquiores eosdem ritus servasse videntur, licet id testimoniis confirmari non possit, nam in vetere testamento nihil de veste mortuorum dicitur. Ex I Sm c. 28. Jes c. 14. Ez 32, 27 nonnulli colligunt mortuos iis vestimentis, quae vivi gestaverant, indutos sepultos esse.

Morem corpora mortuorum *condiendi* (חָנַט) Hebraeos ab Aegyptiis didicisse verisimile est, qui ea singulari cura condire et a corruptione servare solebant. Corpus ita praeparatum vulgo mumia [1] appellatur et in cista lignea figurâ hominis inclusum vel in sepulcro condebatur vel domi asservabatur. Mumiae enim per plura saecula incorruptae manent, ita ut in Aegypto nonnullae et inventae sint et etiam nunc inveniantur, quae ad remotissimam aetatem, decimum aut quintum decimum a. Ch. n. saeculum referendae sunt. Tres modi corporum condiendorum apud Aegyptios usitati ab Herodoto (Hist. 2, 86—88) et Diodoro Siculo

(Bibl. hist. 1, 91) describuntur. Praecipuus et divitum proprius erat is, qui in corpore Jacob patriarchae usurpatus est; is a medicis peractus esse et quadraginta dies occupasse dicitur (Gn 50, 2 s.) [2]. Eodem modo etiam corpus Joseph conditus esse videtur (ib. v. 26). Sed Hebraei, cum in terram Canaan reverterunt, mortuos iam non condiebant [3].

[1] Quod vocabulum, a saeculo tertio decimo demum usitatum, a Persico *mûm* (= cera) ducendum est. Hodie *mûmia* = μουμία apud Persas medicamentum significat.

[2] Diodorus Siculus loco allato ταρίχευσιν corporum dies amplius triginta (ἐφ' ἡμέρας πλείους τῶν τριάκοντα) durasse tradit. Sed in nonnullis codicibus τετταράκοντα legitur. Herodotus loco allato corpora condire ἑβδομήκοντα ἡμέρας durasse dicit. Unde colligas brevissimum tempus mortuorum condiendorum quadraginta dies fuisse.

[3] Mos corporum condiendorum in opinione illa Aegyptiorum positus erat, animum in corpus, quamdiu integrum maneret, redire posse. Joseph quidem, quod corpus patris condiendum curavit, non in eadem opinione, qua Aegyptios, fuisse necesse esse manifestum est; qui opinione illa Aegyptiorum tantum usus est, ut in patrem pium se praestaret.

Corpus ad sepulturam praeparatum in arca (σορός Lc 7, 14. λάρναξ Jos. AJ 15, 3. 2), quae Hebraeis antiquis ignota erat (cf. II Rg 13, 21), reconditum et feretro sive lectulo (מִטָּה II Sm 3, 31. κλίνη AJ 17, 8. 3. Vit. § 62) impositum a filiis (Gn 25, 9; 35, 29. I Mcc 2, 70. Mt 8, 21), propinquis (Jdc 16, 31. Tob 14, 15 s.), amicis (I Rg 13, 29 s. Mt 14, 12. Mc 6, 29), servis (II Rg 23, 30) ad sepulcrum efferebatur (ἐκφέρειν). Atque proceres aliosque, qui rebus bene gestis favorem populi meruerant, quam plurimi prosequebantur (Gn 50, 7—14. I Sm 25, 1. 1 Rg 14, 13. II Chr 32, 33. Jos. AJ 17, 8. 4. BJ 1, 33. 9). Patriarchae mortuos paucis diebus post obitum sepeliebant (Gn 23, 2—19); in Aegypto autem Hebraei sepulturam diutius distulisse videntur (Gn c. 50). Quare Moses immunditiam per cadavera contractam ad septem dies extendit (Nm 19, 11. 14. 16. 19; 31, 19. 24. Jos. AJ 3, 11. 3), ut hoc incommodo populares cogeret mortuos celerius humare. Sed aetate posteriore, fortasse exemplo Persarum ducti, mortuos paulo post obitum sepeliebant (Act 5, 6. 10); si autem interdum corpora aliquot demum diebus post mortem efferebant, id propter exsequiarum apparatum faciebant. Velut funus Tabithae dilatum est, quia Petrus apostolus arcessitus est (Act 9, 37—39).

II. Ex more apud omnes fere gentes orientis recepto Hebraei cadavera in terra defodiebant. Atque divitiores et potentiores habebant speluncas sive cryptas subterraneas, vel naturales vel arte in rupibus

excavatas, plerumque satis amplas, ut totam familiam continere possent, quasdam tam spatiosas, ut columnis suffulcirentur (cf. Gn 23, 19; 25, 9; 35, 8. 19. Jdc 2, 9; 8, 32. Jes 22, 16. II Chr 16, 14. Mt 27, 60; 28, 2. M. Baba bathra 6, 8).

Aegyptii divitiores in mastabis i. e. aedificiis humilibus in planitie Aegyptia exstructis et in speluncis, quae in locis proclivibus montium effossae erant, reges in pyramidibus condebantur. Pauperiorum Aegyptiorum corpora sine dubio ratione simplicissima in arena deserti sepeliebantur, ita tamen ut singula sepulcra lateribus circumdarentur et operirentur.

Effossionibus nostra aetate in Palaestina factis nonnulla de antiquissima sepultura innotuerunt. Velut in Tell' el-Dschezer (Gezer) hypogeum ex rupe excavatum inventum est, quod cineres et fragmenta ossium humanorum continet; insuper variae strues cinerum et ossium distingui poterant et clara vestigia apparebant, quibus ibi aliquantum temporis corpora concremata esse demonstratur; inter cineres et fragmenta ossium plus minusve combustorum vasa figulina varii generis inventa sunt. Ex quibus rebus aliqua parte cognoscimus, quo modo circa 4000—2500 a. Ch. in Dschezer funera facta sint. Sed in eodem hypogeo corpora cineribus illis superposita inveniuntur, quae iam non concremata, sed sepulta sunt. Unde immigratio quaedam aliarum gentium (circa 2500 a. Ch.) sive periodus Canaanaea agnoscitur. Illi incolae corpora ita apponebant, ut ea in latus sinistrum reclinarent et genua usque ad mentum fere attraherent; alia autem corpora in tergo posita cernuntur, extenta, sine illa genuum replicatione. Qua collocatione sepulcra nobilium indicari videntur, quibus etiam supellex uberior apposita est. Nam mortuis non solum arma apposita sunt, sed etiam nutrimenta, carnes coctae, cultri, quibus carnes secarent, magni urcei et phialae minores, quibus potionem haurirent, lampades, varia ornamenta. Praeterea in Dschezer magnum hypogeum more Aegyptio aedificatum atque ornatum inventum est; quare ibi saeculo a. Ch. n. vicesimo quinto colonia quaedam Aegyptia fuisse creditur. Sepulcra Aegyptia etiam in Tell Taʿannek effossa sunt. In Tell el-Ḥasî (Lachis) quoque et in collibus Šephelae hypogea cum urceis, lampadibus, vasis ex alabastro, laminis ex silice vel aere, aliis eius modi rebus inventa sunt. Etiam effossionibus in Tell el-Mutesellim (Megiddo) factis ostenditur antiquis temporibus plerumque vasa fictilia mortuis in sepulcrum addita esse, lampades, pateras, catillos, urnas, amphoras, quae haud raro ossa animalium aliasque reliquias ciborum mortuis destinatorum continent.

Sepulcrum (קֶבֶר) apud Hebraeos בַּיִת *domus* (Jes 14, 18. cf. 22, 16 מִשְׁכָּנָן), plenius בֵּית עוֹלָם *domus aeterna* (Koh 12, 5. cf. τόπον αἰώνιον Tob 3, 6) vocabatur. Similiter apud Latinos vocabulum *domus* de sepulcro usurpabatur, velut apud Tibullum (Eleg. 3, 2, 22 „domus marmorea“) et haud raro in inscriptionibus („domus aeterna“). Atque Diodorus Siculus (Bibl. hist. 1, 51) memoriae prodit Aegyptios quoque *defunctorum sepulcra domos aeternas* appellare, *quod* defuncti *apud inferos illud aevum, quod infinitum est, peragant.* Erant autem He-

braeorum sepulcra diversi generis; nam corpora aut tumulis inferebantur („Senkgräber“) aut in foramina parietum excavata, quae circa 1·8 m longa, 0·45 m lata et alta erant, immittebantur („Schiebgräber“, *kôkhîm*) aut in alveis circa 0·45 m latis et 0·75 m altis ponebantur („Trog- oder Einleggräber“) aut in truncum lapidis 0·60 m fere altum, qui plerumque camerâ contectus erat, imponebantur („Bank- oder Aufleggräber“). Eius modi sepulcra etiam nunc in Palaestina quam plurima supersunt, quorum celeberrima ea sunt, quae ad septentriones Hierosolymorum conspiciuntur et „sepulcra regum“ vocantur. Praeterea Hebraeorum sepulcra erant aut *privata* (singulari cuidam personae vel familiae reservata Gn 23, 20. Jdc 8, 32. II Sm 2, 32. I Rg 13, 22. Tob 14, 12. I Mcc 2, 70; 9, 19; 13, 25)[1] aut *publica* (velut plebeiorum II Rg 23, 6. Jer 26, 23. certo generi hominum destinata, ut Judaeis, qui e terris externis religionis causâ Hierosolyma veniebant ac morte oppressi non habebant, ubi sepelirentur, Mt 27, 7). Ob legem de immunditia sepulcra extra urbes, vicos, pagos esse solebant (Gn 23, 17. II Rg 13, 21. Mt 8, 28. Lc 7, 12. Jo 11, 31. M. Baba bathra 2, 9), qui mos apud complures gentes antiquas servabatur atque etiam nunc in oriente obtinet. Viris tamen principibus aut optime meritis haud raro concessum est, ut in locis, quae incolebantur, componerentur (Jdc 8, 32. I Sm 25, 1; 28, 3. Neh 2, 3)[2]. Nonnumquam corpora mortua sub arboribus frondosis (Gn 35, 8. I Sm 31, 13. I Chr 10, 12), iuxta vias publicas (Gn 35, 19), in hortis (II Rg 21, 18. 26. Jo 19, 41), in montibus (II Rg 23, 16) sepeliebantur.

[1] Sepulcris familiaribus nemo alienus inferri debebat. Quod ex elogiis quoque sepulcris Nabataeorum inscriptis apparet. Ibi quisquis sepulcrum vel deformaverit vel vendiderit vel alienum aliquem sepeliverit, devovetur (J. Euting, Nabatäische Inschriften aus Arabien nr. 2. Berlin 1885). Cf. etiam inscriptionem sepulcralem regis Ešmunazar lin. 3 ss.

[2] Sepulcrum regum Juda erat „in civitate David“. Ibi sepulti sunt David (I Rg 2, 10), Salomo (I Rg 11, 43. II Chr 9, 31), Rehabeam (I Rg 14, 31. II Chr 12, 16), Abia (I Rg 15, 8. II Chr 14, 1), Asa (I Rg 15, 24. II Chr 16, 14), Josaphat (I Rg 22, 51. II Chr 21, 1), Ahasja (II Rg 9, 28), Amazja (II Rg 14, 20. II Chr 25, 28), Jotham (II Rg 15, 38. II Chr 27, 9), Hiskia (II Chr 32, 33). Etiam Asarja II Rg 15, 7 „in civitate David“ sepultus esse dicitur; accuratius autem II Chr 26, 33 memoriae proditur eum in agro prope sepulcrum regum sito sepultum esse. Reges Israel Samariae sepulti sunt (II Rg 10, 35; 13, 9. 13).

Hebraei mortuis in sepulcrum nihil adiciebant nisi signum aliquod condicioni eorum conveniens (velut arma, quibus mortuus in vita usus erat Ez 32, 27. insignia regia Jos. BJ 1, 33. 9). Principum vero

sepulcris ex more inter veteres recepto (cf. Job 3, 15) res quaedam pretiosae inferri solebant. Sed ingentes illae opes, quas sepulcrum regis David recondebat (Jos. AJ 7, 15. 3; 13, 8. 4; 16, 7. 1), ibi repositae esse videntur, quo tempore Antiochus IV Epiphanes omnia se spoliaturum minabatur. Super sepulcrum aut *cippum* (מַצֵּבָה), qui postea inscribebatur, aut magnificum *mausoleum* erigebant (Gn 35, 20. I Sm 10, 2. II Rg 23, 17. II Ch 35, 24) [1]. Principes et divites nonnumquam vivi monumento prospiciebant (II Sm 18, 18 = Jos. AJ 7, 10 3. Jes 22, 16. Mt 27, 60). Prophetarum et piorum sepulcra ornabantur (τὰ μνημεῖα κοσμεῖν), quod plerumque columellis vel cippis fiebat, et collapsa monumenta instaurabantur (τὰ μνημεῖα οἰκοδομεῖν), ut ex Mt 23, 29 et Lc 11, 47 apparet. Morem autem sepulcra quotannis (mense Adar) calce signandi, idque cum ornatus causâ tum ut procul discerni evitarique possent, ne quisquam ab iis contraheret impuritatem (M. Maaser scheni 5, 1. Schekalim 1, 1), pharisaei induxisse videntur (Mt 23, 27). Super corpus hominis extremo supplicio affecti nonnumquam *acervus lapidum* (גַּל et גַּל אֲבָנִים) congerebatur, cui posthac, quicumque praeteribat, ut odium sceleris ostentaret, lapidem adiciebat (Jos 7. 26; 8, 29; 10, 27. II Sm 18, 17). Sepulcra violenter aperire vel spoliare vel ossa inde demere, quod saepe ad artes magicas exercendas fiebat [2], tota antiquitas summam iniuriam existimabat (Jer 8, 1. Bar 2, 24).

[1] Celeberrimum erat *monumentum sepulcrale Maccabaeorum,* quod Simon Maccabaeus parentibus et fratribus in Môdin erexit quodque I Mcc 13, 27—30 et a Josepho AJ 13, 6. 5 describitur. Super aedificium lapidibus quadratis et politis exstructum, quod ab omnibus, qui mare navigabant, procul conspici poterat, erant septem pyramides pulchritudine et magnitudine conspicuae (sex, ut memoriam patris, matris, quattuor fratrum nulla umquam deleret oblivio; septimam Simeon sibi destinavit sperans se in sepulcro paterno conditum iri). Totum monumentum porticu circumdabatur, cuius columnae ex uno lapide excisae signis armorum et navium ornatae erant. — Cum E. Forner anno 1866 vicum *el-Medîje,* qui duabus horis a Lydda orientem versus distat, et ruinas ibi inventas ad Môdin Maccabaeorum pertinere dixisset, V. Guérin ibi effossiones fieri curavit atque in ruinis, quae hodie *Chirbet el-Medîje* vocantur, certa vestigia mausolei illius Maccabaeorum detexit, quae in opere Description de la Palestine, Samarie II, 55—64. 404—426 descripsit.

Ceterum aliarum quoque gentium reges in sepulcra saepe immensos sumptus impendisse notum est et ex pyramidibus regum Aegyptiorum, turri celsissima templi Bêl (quam sepulcri usum praestitisse veteres scriptores docent), sepulcro Cyri Pasargadis exstructo aliorumque principum mausoleis liquet.

[2] Cf. Jes 65, 4 ubi nonnulli verbis „in sepulcris sedent" eos significari putant, qui ad magicas artes exercendas mortuorum corpora e sepul-

cris effodiunt, de quibus Appuleius Metam. l. 2: „Sed oppido formido caecas et inevitabiles latebras magicae disciplinae. Nam nec mortuorum sepulcra tuta dicuntur, sed et bustis et rogis reliquiae quaedam et cadaverum praesegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur". Cf. Horat. Epod. 17, 47 s. Ovid. Heroid. Ep. 6, 89 s. Lucan. Pharsal. 6, 533 s.

Ut humatio in sepulcro paterno magni aestimabatur (quare in sacris litteris adnotari solet defunctum ultimos honores et locum in sepulcro paterno obtinuisse Gn 49, 29; 50, 13. Jdc 8, 32. II Sm 2, 32. al.), ita eo excludi et inter vulgares homines sepeliri pro summa ignominia habebatur (I Rg 13, 22. Jes 14, 19 s. Jer 26, 23). Atque honor sepulcri paterni imprimis leprosis negari solebat, velut regi Asarja (II Chr 26, 23. cf. II Rg 15, 5. 7). Etiam reges invisi sepulturâ liberali privabantur, ut Joram (II Chr 21, 20), Jehoas (ib. 24, 25), Ahas (ib. 28, 27), quod apud alias quoque gentes hominum flagitiosorum merces erat digna. Omni sepultura privari et in agrum proici tamquam praeda ferarum maxima erat contumelia (Jer 8, 2; 9, 22; 14, 16; 36, 30. Koh 6, 3), quod vocatur קְבוּרַת חֲמוֹר *asini* i. e. animalis apud Hebraeos immundi *sepultura* (Jer 22, 19). Idem dicendum est de sepultura clandestina sive sine ulla pompa extra locum honoratum (I Rg 13, 22). Quare etiam viri fortes hostibus saepe minantur se eos privaturos esse funere consueto eorumque corpora canibus, avibus, feris devoranda obiecturos (I Sm 17, 44—46). Unde prophetae quoque clades haud raro describunt tamquam convivia, quae deus feris de hominum occisorum cadaveribus praeparet (Jer 7, 33; 16, 4. Ez 29, 5. cf. I Rg 14, 11; 16, 4; 21, 24. II Rg 9, 10. Ps 79, 2).

Adnotatio. — Corporum *cremandorum* consuetudinem apud Hebraeos viguisse non concedimus; immo mortui combustio pro tanto dedecore habebatur, ut interdum ad maiorem infamiam extremo supplicio adderetur (Lv 20, 14; 21, 9. Jos 7, 15. 25). Neque vero propter singulares causas corpora interdum cremata esse negamus. Regis Saul quidem eiusque filiorum corpora ex muro urbis Bethsean sublata a Jabesitis combusta eorumque ossa sepulta esse constat (I Sm 31, 12). Verum id prorsus singulare fuisse videtur, fortasse ex metu factum, ne corpora sepulta a Philistaeis iterum effoderentur ludibriisque afficerentur. Etiam Am 6, 10 de crematione corporum mortuorum tempore pestis facta agi verisimile est. Quamquam alii putant hoc loco de combustione aromatum pretiosorum cogitandum esse, ne qui aderant, pestilenti odore infestarentur. At tres illi loci, quibus nonnulli probare volunt apud Hebraeos morem fuisse corporum cremandorum, tales sunt, ut res valde dubia sit. Ac primus quidem locus est II Chr 16, 14 ubi de rege Asa memoriae proditur: „composuerunt regem in lecto ferali, quem impleverunt aromatibus et speciebus (i. e. variis aromatum speciebus) coctis in aeno unguentario artis (sc. pigmentariae) וַיִּשְׂרְפוּ־לוֹ שְׂרֵפָה גְּדוֹלָה *et combusserunt ei crematione magnam*". Alter locus est II Chr 21, 19 ubi de rege Joram legitur: „mortuus est לֹא־עָשׂוּ לוֹ שְׂרֵפָה

nec fecerunt ei combustionem secundum combustionem patrum suorum". Tertius locus est Jer 34, 5 ubi de rege Zedekia traditur: „In pace morieris וּבְמִשְׂרְפוֹת אֲבוֹתֶיךָ *et combustionibus patrum tuorum,* regum priorum, qui ante te fuerunt, ita יִשְׂרְפוּ־לָךְ *comburent tibi*". Omnibus locis non dicitur: *combusserunt* אוֹתוֹ *ipsum,* ut 1 Sm 31, 12., sed tantum: *combusserunt* לוֹ *ei* i. e. eius honoris causâ (cf. Dt 12, 31: יִשְׂרְפוּ בָאֵשׁ לֵאלֹהֵיהֶם *combusserunt* filios suos *igni diis suis* i. e. ad deos honorandos). Quae cum ita sint, locis allatis aromata intellegenda sunt, quae circa corpus mortuum incendebantur idque non tam adversi odoris pellendi quam ostentandae magnificentiae causâ. Velut in pompa funebri Herodis Magni milites ducesque sequebantur πεντακόσιοι τῶν οἰκετῶν καὶ ἀπελευθέρων ἀρωματοφόροι (Jos. BJ 1, 33. 9. Cf. AJ 17, 8. 4). Idem etiam verba Assyria *šurupta šarâpu* significant. Judaeos ritum combustionis corporum mortuorum impium existimasse atque ad commenticiorum deorum cultum rettulisse etiam talmudistae (M. Aboda sara 1, 3) et Tacitus (Hist. 5, 5, 4) testantur.

Caput quartum

De luctu

Conferas Bl. Ugolini Thes. XXXIII; F. J. Grundt, Die Trauergebräuche der Hebräer. Leipzig 1868; J. Frey, Die altisraelitische Totentrauer. Dorpat 1894; R. Zehnpfund, Trauer und Trauergebräuche bei den Hebräern (RE^3 XX, 83—90); W. Frankenberg, Israelitische und altarabische Trauergebräuche (Palästinajahrbuch II, 1906, 64—74).

I. Signa luctus, quae et Hebraei et aliae gentes orientis non solum de mortuis, sed etiam ingruentibus rebus adversis et diebus ieiunii edere solebant, erant varia. Atque vestem (in pectore) lacerabant (Gn 37, 29. 34; 44, 13. Nm 14, 6. Jos 7, 6. Jdc 11, 35. I Sm 4, 12. II Sm 1, 2. 11; 3, 31; 13, 19. 31. I Rg 21, 27. II Rg 5, 7 s; 6, 30; 11, 14; 19, 1; 22, 11. 19. Jes 37, 1. Job 1, 20; 2, 12. Esth 4, 1. Esr 9, 3. 5. II Chr 23, 13; 34, 19. 27. Vulg. Bar 6, 30. I Mcc 2, 14; 3, 47; 4, 39; 5, 14; 11, 71; 13, 45. Jos. BJ 2, 15. 2. 4); saccum induebant (Gn 37, 34. II Sm 3, 31. I Rg 20, 31 s; 21, 27. II Rg 6, 30; 19, 1. Jes 15, 3; 22, 12; 32, 11; 37, 1. Jer 4, 8; 6, 26; 48, 37. Ez 7, 18. Am 8, 10. Jon 3, 6. 8. Esth 4, 1. 3. Dn 9, 3. Neh 9, 1. I Chr 21, 16. I Mcc 2, 14; 3, 47. Mt 11, 21. Lc 10, 13. Apc 11, 3) [1]; pulverem aut cineres in caput vel caelum versus spargebant et in cineribus considebant (Jos 7, 6. I Sm 4, 12. II Sm 1, 2; 13, 19; 15, 32. I Rg 20, 38. Jes 58, 5. Jer 6, 26; 25, 34. Ez 27, 30. Jon 3, 6. Mich 1, 10. Job 2, 12. Thrn 2, 10. Esth 4, 1. 3. Dn 9, 3. Neh 9, 1. Jdth 9, 1. I Mcc 3, 47; 4, 39; 11, 71. II Mcc 10, 25; 14, 15. Mt 11, 21. Lc 10, 13. Apc 18, 19. III Mcc 4, 6. Jos.

AJ 20, 6. 1. BJ 2, 12. 5; 2, 15. 4)[2]; vestimenta pretiosa exuebant (Ez 26, 16. Jon 3, 6); unctionem capitis et balnea omittebant (II Sm 14, 2; 19, 24. Dn 10, 3); mentum vel os vel faciem vel caput veste velabant (Lv 13, 45. II Sm 15, 30; 19, 4. Jer 14, 3 s. Ez 24, 17. 22. Mich 3, 7. Esth 6, 12; 7, 8); pectus vel coxas percutiebant (Jer 31, 19. Jos. AJ 16, 7. 5); manus complodebant (II Sm 13, 19. Jer 2, 37); vestimenta illota induebant barbamque in ordinem redigere neglegebant (II Sm 19, 24); nudis pedibus et aperto capite (mulieres passis crinibus III Mcc 1, 9) incedebant (Lv 10, 6; 13, 45; 21, 10. II Sm 15, 30. Ez 24, 17. 23); ieiunabant vinoque abstinebant (I Sm 31, 13. II Sm 1, 12; 3, 35; 12, 16. Joel 1, 14; 2, 15. Esth 4, 3. Dn 9, 3. Neh 9, 1. Jdth 8, 6. I Mcc 3, 47)[3]. Nonnumquam in luctu publico domus claudebantur negotiaque fori cessabant, id quod ex Jes 24, 10—12 colligere licet[4].

[1] Apud Persas nemini lugenti, sacco induto, tamquam immundo regiam ingredi licebat (Esth 4, 2).

[2] Ex quo intellegitur, quid formulae loquendi: „dignitatem alicuius in pulverem prosternere" (Ps 7, 6), „depressa est anima mea ad pulverem" (Ps 44, 26), „pulveri adhaeret anima mea" (Ps 119, 25) significent.

[3]) Ad gravissimum luctum testandum etiam iumenta a cibo cohibebantur saccisque operiebantur (Jon 3, 7 s.), quod eo consilio factum esse videtur, ut homines adspectu mutorum animalium magis ad dolorem commoverentur.

[4] Ex quibus ritibus luctus et paenitentiae imprimis apud Babylonios complures invenimus. In eo numero sunt vestem discindere, propriam vestem ad luctum et paenitentiam spectantem (quae *karru, šaḫḫû, bašâmu,* sed etiam *šaḳḳu* = שַׂק vocatur) induere, coxas vel pectus plangere etc. Quo vocabulo Hebraei de luctu atque imprimis de lamentatione funebri uti solent, idem Babylonii usurpant: סָפַד, *sapâdu, sipdu, sipittu.*

Morem fuisse complurium gentium orientis antiqui cum in cultu deorum tum in funere consanguineorum luctus causâ capillos radere atque se in variis corporis locis incidere notum est. Quem morem etiam nunc apud Arabes invenimus. At Hebraei barbam capillosque radere vel evellere, faciem et corpus unguibus laniare vel figuras et stigmata cuti incidere lege Mosaica vetiti erant (Lv 19, 27 s; 21, 5. Dt 14, 1). Mirum autem est eos ritus in ceteris veteris testamenti libris numquam interdici, quamquam eorum saepe mentio fit. Atque etsi nonnullis locis non de Hebraeis, sed de gentilibus agitur (capillos radere: Jes 15, 2. Jer 9, 25; 25, 23; 47, 5; 48, 37; 49, 32. Ez 27, 31. Vulg. Bar 6, 30.; corpus incidere: Jer 47, 5; 48, 37), tamen ceteri loci ad Hebraeos spectant. Quos ritus observare si non locis Jes 3, 17. 24. Jer 2, 16; 7, 29. LXX Hos 7 14, attamen certe locis Jes 22,

12. Ez 7, 18. Mich 1, 16. Esr 9, 3 fas esse existimatur atque loci Jer 16, 6; 41, 5. Am 8, 10. Job 1, 20 eodem sensu accipiendi esse videntur. Neque vero difficile est explicare, quae ratio locis allatis cum lege Mosaica intercedat. Illi ritus ad gentilium cultum pertinebant. Quos eo tempore, cum Hebraei cum incolis paeninsulae Sinaiticae multas necessitudines haberent, i. e. aetate Mosaica, interdictos fuisse facile intellegitur. Quamquam in gente Hebraica permanserunt, sed ita, ut ad religionem pertinere desierint et tantum ritus lugubres facti sint, in quos lex illa Mosaica iam non cadebat.

Cf. W. Engelkemper, Blut und Haare in der Totentrauer bei den Hebräern (BZ VII, 1909, 123—128).

II. Plerumque cognati mortuos per septem dies lugebant (Gn 50, 10. I Sm 31, 13. I Chr 10, 12. Jdth 16, 29. Sir 22, 10. Jos. AJ 17, 8. 5). Homines autem insigniores universus populus luctu triginta dierum prosequebatur, velut Aaron (Nm 20, 30), Mosen (Dt 34, 8). De patriarcha Jacob Gn 50, 3 legimus: „Fleverunt eum Aegyptii septuaginta diebus“ i. e. mortui et condiendi (40) et lugendi (30) diebus computatis. Haud raro *feminae* quoque *lamentatrices* (מְקוֹנְנוֹת Jer 9, 16. Latine *praeficae*), quae magnos clamores et ululatus ederent, conducebantur. Quae feminae nonnumquam *cantatrices* (שָׁרוֹת) vocantur (ut II Chr 35, 25), quia ad gemitus edendos aliqua vocis modulatione utebantur. *Cantores* (שָׁרִים) quoque ad nenias adhibitos esse ex Am 5, 16 et II Chr 35, 25 apparet. Etiam *tibicines* (αὐληταί), qui modos lugubres canerent, commemorantur (Mt 9, 23). Formulae lamentandi erant hae vel similes (Jer 22, 18): הוֹי אָחִי *heu frater mi!* הוֹי אָחוֹת *heu soror!* הוֹי אֲדוֹן *heu domine!* הוֹי הַדָּה *heu gloria eius!* i. e. regia eius maiestas (cf. הוֹד מַלְכוּת I Chr 29, 25); hinc verbum נָהָה *eiulavit, lamentatus est.* Interdum lamentationibus diras miscere atque illum diem, quo quis obierat, ut infaustum detestari solebant (cf. Ez 30, 2). Ad mortuos nobiliores honorandos cantus lugubres componebantur (II Sm 1, 18—27; 3, 33 s. II Chr 35, 25. I Mcc 9, 21)[1].

Cognatis a funere redeuntibus aliisque lugentibus convivium instruebatur, quod לֶחֶם אוֹנִים *panis lugentium* (Vulg. *panis dolorum*) et כּוֹס תַּנְחוּמִים *calix consolationis* vocabatur (Hos 9, 4. Jer 16, 7). Velut II Sm 3, 35 memoriae proditur ad David Abner sepulto populum venisse, ut cum eo convivaretur. Tobias 4, 17 filio praecipit: Ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων καὶ μὴ δῷς τοῖς ἁμαρτωλοῖς. Josephus BJ 2, 1. 1 Archelaum diebus septem in luctu transactis epulisque feralibus populo exhibitis candida veste indutum ad templum processisse tradit. Aetate Christi ipsi lugentes magnis sumptibus epulum

ferale parabant (Jos. AJ 17, 8. 5. BJ 2, 1. 1), plerumque vespertino tempore (BJ 1, 17. 4). Quia autem omne negotium funebre immundum habebatur, ad talia convivia nihil deo sacrum adhiberi licebat [2]. Mulieres post humationem quoque sepulcrum adire solebant, ut mortuum deplorarent (Jo 11, 31). Temporibus Maccabaeorum etiam sacra pro defunctis fiebant (II Mcc 12, 43).

[1] Fuerunt, qui Threnos idem carmen lugubre esse existimarent, quo Jeremia mortem regis Josia deplorasse II Chr 35, 25 legimus quodque inter nenias litteris consignatas servatum dicitur. Velut Josephus AJ 10, 5. 1, postquam Josia mortuum esse narravit, haec addit: Ἱερεμίας ὁ προφήτης ἐπικήδειον αὐτοῦ συνέταξε μέλος (θρηνητικόν), ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει. Et Hieronymus in comm. ad Sach 12, 11. MSL 25, 1515: „Super quo (Josia) lamentationes scripsit Jeremias, quae leguntur in ecclesia, et scripsisse eum Paralipomenon testatur liber". Quorum virorum sententiam complures interpretes et Judaici (velut *S. Jarchi*) et Christiani (inter quos *Bonaventura, Thomas Aquinas*) amplexi sunt. Alii autem iure contra eam dixerunt, quippe cum omnino alius fuerit rerum status post mortem regis Josia atque ille, qui in Threnis describitur. Quare etiam longe plurimi interpretes Threnorum argumentum statuunt templum per Chaldaeos destructum, urbem vastatam omnemque rempublicam sine spe restitutionis sublatam. Atque Hieronymus priorem suam sententiam ipse refutavit, cum in comm. ad Jes 63, 3 ss. ib. 24, 636 dixit „Jeremiam in lamentationibus Hierosolymorum eversionem plangere".

[2] Cf. Dt 26, 14., ex quo loco is, qui decumas tradebat, loqui debebat: „Non dedi ex eis quidquam mortuis" i. e. nihil harum rerum ad cenam in domum funestam misi (cf. Jer 16, 7) vel: nihil harum rerum mortuo cuiquam in sepulcro posui (ut cibum, non ut sacrificium).

Adnotatio. — Viri docti recentioris aetatis, imprimis F. Schwally (Das Leben nach dem Tode. Gießen 1892), docuerunt ex ritibus lugubribus apud Hebraeos usitatis colligendum esse cultum manium religionem Jahvae antecessisse. Ut crines et barbam tondere sacrificium capillorum, carnem incidere sacrificium cruentum mortuis oblatum existimandum esse; saccum induere, cum prima servorum vestis fuisset, eo spectasse, ut animus mortui verecunde colatur; consuetudine illa, ex qua vestimenta discindebantur, eum, qui lugebat, se servum animi mortui significare voluisse; ne animus mortui vivis noceret, eum sacrificiis placare studuisse; ex eadem causa unâ cum eo (!) et panem edisse et poculum bibisse; item ieiunio vivos gratiam animi mortui sibi comparare voluisse. At cum demonstratum sit primam religionem Hebraeorum nihil ad cultum manium pertinere, ne ritus lugubres quidem Hebraeorum ita explicari possunt, ut reliquiae prioris cultus Hebraeorum sint.

J. Frey (Tod, Seelenglaube und Seelenkult im alten Israel. Leipzig 1898) cum negat ritus lugubres Hebraeorum quidquam aliud spectasse nisi ut ita vivi Jahvae (cum morte eius, qui lugebatur, lugentibus se propinquum esse significasset) se submitterent, vere sibi persuasit ritus lugubres ita ex religione manare, ut lugentes uni vero deo, Jahvae, domino vitae, se submittant.

C. Grüneisen (Der Ahnenkultus und die Urreligion Israels. Halle 1900) putat vestimentis discissis, crinibus detonsis, capite velato, aliis ritibus lugubribus Hebraeos se deformare voluisse, ne ab animis mortuorum agnosci possent. In qua explicatione nemo acquiescere potest, etsi non negat Hebraeos manes, quos רְפָאִים *infirmos, debiles* esse opinabantur, timere potuisse. Cur tandem Hebraei animos mortuorum malevolos ducerent? Neque convenit Hebraeos animos mortuorum timuisse, quod mala afferrent, eosdemque tam stultos putasse, ut facile decipi possent.

Pars tertia

De antiquitatibus civilibus

In exponendis antiquitatibus, quae ad rempublicam pertinent, agendum est primum de forma reipublicae Hebraeorum, deinde de civibus eorumque rationibus et inter se et ad alias gentes, tum de rebus forensibus, denique de rebus bellicis.

Sectio prima

De forma reipublicae Hebraeorum

In describenda forma reipublicae Hebraeorum (de qua conferas D. Hüllmann, Staatsverfassung der Israeliten. Leipzig 1834; E. Schall, Die Staatsverfassung der Juden[2]. ib. 1896) agendum est primum de *imperio patriarchali,* deinde de *imperio theocratico,* denique de *imperii in exsilio et post exsilium forma.*

Caput primum

De imperio patriarchali

I. Prima imperii forma erat patriarchalis. Singulae familiae totidem quasi civitates parvas constituebant, quarum princeps pater erat, quamdiu vivebat. Cui omnes liberi, etsi maturae, immo provectae aetatis aut matrimonio iuncti erant, semper manebant subiecti. Secundus a patre erat filius primogenitus ipsoque iure naturae aliqua fratrum in sorores auctoritas fuisse videtur.

Hanc regiminis formam invenimus aetate patriarcharum Abraham, Isaac, Jacob, qui domum suam amplissima regebant potestate. Cunctas summi magistratus et iudicis partes implebant; non solum universam rem familiarem in potestate habebant, sed etiam reos variis poenis, nonnumquam vel supplicio afficiebant (Gn 38, 24). Praeterea in rebus sacris

(ib. 12, 7 s; 13, 4. 18; 22, 2. 10. 13; 26, 25; 35, 2—4) atque in bello gerendo (ib. 14, 14 ss; 32, 7 s.) principes erant. At in nonnullis rebus, praesertim si honorem totius familiae spectabant, filii maiores haud parva erant auctoritate. Imprimis antiquis temporibus moris fuisse videtur, ut in matrimoniis virginum fratres magis consulerentur quam ipsi parentes et ut omnino fratres ius sororum tuendarum haberent. Cuius rei exempla habemus Gn 24, 50 s; 34, 11. 13 s. Jdc 21, 22. Nonnulli eorum, qui regiones orientis lustraverunt, narrant etiam nunc Arabes uxorum laesum honorem non tam aegre ferre quam sororum. Magni autem a filiis aestimabatur ius primogeniturae (Gn 25, 31—34), cui aliqua auctoritas in fratres iuncta erat (ib. 25, 23; 27, 29; 49, 3).

Adnotatio. — Infinitam potestatem a patriarchis Hebraeorum in liberos exercitatam apud Graecos quoque et Romanos antiquos invenimus. Etiam post Solonem homo Atheniensis filiam interficere poterat, si cognoverat eam pudicitiam usque ad nuptias non servasse. Apud Romanos patri licebat filium in carcerem includere, flagellis verberare, in vincula conicere vel interficere. Apud Graecos tamen patria potestas brevi coercita est. Romae quoque duodecim tabulis patri ius liberorum (saepius quam ter) vendendorum, ab imperatoribus ius liberorum interficiendorum demptum est. — Etiam apud Babylonios antiquos patria potestas inde apparuit, quod filio a patre permittendum erat, ut matrimonium iniret; quod si pater non permiserat, concubinatum solum inire poterat.

II. Populus ex Jacob (Israel Gn 32, 29) originem ducens secundum duodecim filios Jacob in *duodecim tribus* (מַטּוֹת, שְׁבָטִים, φυλαί) dividebatur (Gn 49, 28. Ex 24, 4; 28, 21. Jos 3, 12; 4, 2 s.). Qua in re observandum est, filios Joseph ante patriarchae Jacob immigrationem in Aegyptum natos, Ephraim et Menasse, a patriarcha adoptatos (Gn 48, 5) eoque patres tribuum factos esse, ut proprie tredecim tribus exsisterent. Tamen propterea semper duodecim numerantur, quod Jahve tribum Levi sibi segregavit et ad sacrum ministerium destinavit, ut propriam regionem in terra Canaan non acciperet (Nm 18, 20 s. Jos 13, 14. 33). Quare tribus Levi plerumque ceteris non adnumeratur, cum autem adnumeratur, Ephraim et Menasse uno nomine tribus Joseph comprehenduntur (Nm 26, 28. cf. v. 57. Jos 17, 1. 14. 17).

Origo duodecim tribuum ex hac tabella elucet:

Lea					
Ruben	Simeon	Levi	Juda	Issaschar	Sebulon
Rahel		*Silpa*		*Bilha*	
Joseph	Beniamin	Gad	Ascher	Dan	Naphtali
Ephraim	Menasse				

Singulae tribus per nepotes patriarchae Jacob in *gentes* sive familias maiores (מִשְׁפָּחוֹת, אַלְפִים, δῆμοι). hae autem per eius pronepotes in

domus paternas sive familias minores (בָּתֵּי אָבוֹת et simpliciter בָּתִּים, οἶκοι πατριῶν) dividebantur, quae rursus in singulos *viros* (גְּבָרִים) cum uxoribus et filiis se diffundebant (Nm 1, 2. 18. Jos 7, 14. 16—18. I Sm 10, 19. 21).

Animadvertendum autem est gentes non solum per nepotes Jacob vel filios filiorum ab eo genitorum aut adoptatorum, sed ex parte etiam per nepotes et pronepotes duodecim patrum tribuum conditas esse. Ex quinquaginta septem gentibus Nm c. 26 enumeratis, in quas duodecim tribus ultimo anno commorationis populi in deserto divisae erant, in tribu Juda duae gentes per eius nepotes, filios Perez, constitutae sunt (v. 21); in tribu Menasse una gens per eius nepotem Gilead et sex gentes per filios Gilead sive pronepotes Menasse (v. 29—34); in tribu Ephraim una gens per eius nepotem Eran, filium Suthela (v. 36); in tribu Beniamin duae gentes per eius nepotes, filios Bela (v. 40); item in tribu Ascher duae gentes per eius nepotes, filios Beria (v. 45). Contra Nm c. 26 inter nepotes Jacob, a quibus gentes originem ducunt, complures, qui Gn c. 46 enumerantur, non leguntur: Ohad (filius Simeon v. 10), Er et Onan (filii Juda v. 12), Jiswa (filius Ascher v. 17), Becher, Gera, Rosch (filii Beniamin v. 21), quod ita explicandum esse videtur, ut eorum progenies, cum partim ipsi (ut Er et Onan Nm 26, 19) partim eorum filii sine liberis sexus virilis mortui essent, aetate Mosis iam exstincta fuerit.

Quilibet *pater familias* potestatem paternam in suos domesticos exercebat; plures patres familias ex tota cognatione insigniorem quendam virum *praefectum gentium* vel eligebant vel tacito consensu agnoscebant eiusque monitis oboediebant; quaelibet tribus *principi* parebat, qui primo erat primogenitus auctoris tribus, postea electus esse videtur. Subiecti igitur erant patres familias praefectis gentium sive totius cognationis, hi iterum principibus tribuum. Omnes autem primores populi ex iure consuetudinis et praecepto sanae rationis paterno regimine bonum publicum curabant.

Singularum tribuum principes appellantur נְשִׂיאִים Ex 34, 31; 35, 27. נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל Nm 1, 44; 4, 46; 7, 2. נ׳ מַטּוֹת Nm 1, 16; 7, 2. נ׳ הָעֵדָה Ex 16, 22. Nm 4, 34; 31, 13; 32, 2. Jos 22, 30. רָאשֵׁי הַמַּטּוֹת Nm 30, 2. I Rg 8, 1. II Chr 5, 2. ר׳ שְׁבָטִים Dt 5, 20. ר׳ אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל Jos 22, 21. 30., qui singulis gentibus et domibus paternis praeerant, שָׂרֵי הָאָבוֹת I Chr 29, 6. נְשִׂיאֵי הָאָבוֹת II Chr 5, 2. רָאשֵׁי אָבוֹת Nm 31, 26. Jos 14, 1. I Chr 8, 6; 26, 32. ר׳ בֵּית־אָבוֹת Ex 6 14. I Chr 5, 24. Omnes hi proceres populi significabantur nomine זְקֵנִים I Rg 20, 8; 21, 8. 11. זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל Ex 3, 16. ז׳ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Ex 4, 29. ז׳ הָעֵדָה Lv 4, 15. Jdc 21, 16., non quod omnes essent senes, sed ea ratione, qua apud Romanos de *senatu*, apud Graecos de γερουσίᾳ sermo est, ut senes non tam aetate quam prudentia et moribus essent. Cum Nm c. 26 quinquaginta septem gentes numerentur singulaeque plures familias complexi sint, numerum primatum populi satis magnum fuisse apparet.

Cf. O. Seesemann, Die Aeltesten im alten Testament. Leipzig 1895.

A senioribus populi, qui vocantur, distinguendi sunt שֹׁטְרִים, γραμματεῖς, *scribae,* quorum in sacris litteris saepe fit mentio. In Aegypto populares ad labores compellebant et exactoribus Aegyptiis a Pharaone constitutis rationem reddebant (Ex 5, 6—19), qua in re sine dubio conscriptione rerum actarum vel aliqua consignatione utebantur. In deserto Sinai cum collegio septuaginta virorum, quos sibi Moses e praefectis populi adiunxit (Nm 11, 16), et in urbibus terrae Canaan cum iudicibus coniuncti (Dt 16, 18) commemorantur (aetate recentiore ex Levitis electi I Chr 23, 4; 26, 29. II Chr 19, 11; 34, 13). Ex Dt 1, 15 apparet Mosen iudicibus quoque a se constitutis (Ex 18, 25 s.) scribas attribuisse, qui eos adiuvarent. In iudiciis enim saepius aliqua vel litteris mandari vel e scriptis recitari oportebat; iudices autem non omnes, fortasse pauci tantum scribendi atque legendi periti erant. Scribarum quoque erat mandata principum et iudicum in populum divulgare pronuntiareque et hunc illorum auctoritate, si opus erat, coërcere vel ad aliquid agendum impellere (Dt 20, 5—8. Jos 1, 10; 3, 2).

III. Omnes primores unius tribus in unum congregati *comitia tribus* (Dt 31, 28. II Sm 19, 11. II Chr 34, 29), primores totius populi *comitia generalia* constituebant personamque civitatis gerebant (Ex 3, 16; 4, 29; 12, 21., etiam sub regibus I Rg 8, 1 = II Chr 5, 2. I Rg 20, 7. II Rg 23, 1); quare *legati* sive *deputati coetus* (קְרִיאֵי הָעֵדָה Nm 1, 16; 26, 9. קְרוּאֵי מוֹעֵד ib. 16, 2) vocabantur. In terra autem Canaan, ubi per urbes dispersi erant, etiam *senatum loci* (זִקְנֵי הָעִיר) formabant, qui totam viciniam regebat (Dt 19, 12; 21, 3, 6; 22, 15; 25, 7. Jos 20, 4. al.).

Comitia a rectore reipublicae vel, cum deficiebat, a summo sacerdote convocabantur (Nm 10, 3 s. Jos 23, 2; 24, 1). Locus comitiorum ad ostium tabernaculi foederis fuisse videtur (Nm 10, 3. I Sm 10, 17), nisi alius locus, plerumque celebritate aliqua insignis, indictus erat (Jos 24, 1. I Sm 11, 14 s. I Rg 12, 1 = II Chr 10, 1). Quamdiu Hebraei in deserto castra incolebant, comitia a sacerdotibus clangore sacrarum bucinarum convocabantur (Nm 10, 3 s.), occupatâ autem terrâ Canaan ob locorum distantiam procul dubio per nuntios indicabantur. Ex Nm l. c. apparet et alia comitia fuisse, quorum soli principes tribuum et capita familiarum cum rectore reipublicae participes erant; tertium genus erat eorum, ad quae כָּל־הַקָּהָל *omnis coetus* i. e. scribae quoque et (certe interdum) totus populus convocabatur (Dt 29, 9 s.). In his comitiis Moses mandata Jahvae referebat, quae deinde scribae populo annuntiabant (Ex 19, 7; 35, 1 ss.). Ibidem summa iura exercebantur, bella indicebantur, pax conficiebatur, foedera pangebantur, rectores et belli duces eligebantur; etiam electioni regis a deo peractae proceres nomine populi adstipulabantur, a regibus iusiurandum recipiebant iisque sacramentum dicebant (Ex 24, 3—8. Jos 9, 15. Jdc 20, 1. 11—14. I Sm 10, 24; 11, 14 s. II Sm 2, 4; 5, 1—3. I Rg 12, 1 ss. = II Chr 10, 1 ss. II Rg 11, 17).

A suis quaeque tribus primoribus gubernabatur, ut singularem societatem constitueret et quae a ceteris tribubus non dependeret (cf. Jdc 1, 21. 27. 29—33. II Sm 2, 4). Quaecumque autem res ad plures tribus spectabat, ea a coniunctis tractabatur (Jdc 11, 1 ss. II Sm 3, 17—19. I Rg 12, 1 = II Chr 10, 1. I Chr 5, 18 s.), et cum una tribus negotio se imparem existimabat, cum alia aut cum pluribus tribubus societatem inibat (Jdc 1, 1—3; 4, 10; 7, 23 s.). Quamquam autem singulae tribus sui iuris erant, tamen omnes inter se conexae erant; nam non tantum communes maiores communesque promissiones, quas ab illis quasi hereditate acceperant, erant indissolubile vinculum, quod indigentiâ mutui auxilii firmabatur, sed etiam communis deus, qui idem rex erat, commune templum dei, commune sacerdotale et Leviticum ministerium efficiebant, ut omnes tribus in unam civitatem et ecclesiam coalescerent. Quare unaquaeque tribus ius quoddam inspectionis ceterarum habebat, ut lex divina servaretur, et cum in qua tribu ea neglecta erat, id ceteris tribubus denuntiabatur, ut illa tribus, si aliter ad officium reduci non posset, bello castigaretur (Jos 22, 9—34. Jdc c. 20).

Adnotatio. — Patriarchalis regiminis forma in quibusdam orientis partibus, imprimis in Syria, Palaestina, Arabia etiam nunc viget eiusque consideratione narrationes veteris testamenti egregie illustrantur et confirmantur.

Caput secundum

De imperio theocratico

Foedere inter Jahven et gentem Hebraicam sub monte Sinai inito patriarchalis regiminis forma mutata est in theocratiam, qua Jahve ipse dominationem in gentem obtinebat (Ex 19, 4—7. coll. cum Dt 33, 5. Jdc 8, 23. I Sm 8, 7; 12, 22), ita ut Jahve et Hebraei ut rex eique subiecti inter se coniungerentur atque ecclesia et respublica Hebraeorum arte cohaererent. Quo modo deus sapienter prospexit, ne Hebraei ad fictorum deorum cultum deficerent. Quare gens Hebraica *coetus Jahvae* vel *dei* (עֲדַת יְהוָה Nm 27, 17; 31, 16. קְהַל יְהוָה ib. 16, 3; 20, 4. קְהַל הָאֱלֹהִים Neh 13, 1) appellabatur.

Vocabulo *theocratiae* primus Josephus CAp 2, 16 usus est; quo loco postquam inter alias gentes alias reipublicae formas introductas esse dixit, ut modo monarchiam modo democratiam eligerent, ita pergit: ὁ δ᾽ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, (ὡς δ᾽ ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον) θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, θεῷ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς.

Ceterum aliarum quoque gentium civitates cum religione conexae erant. Velut apud Aegyptios a vetustissimis temporibus imperium erat theocraticum atque Graeci a Cecrope Aegyptio theocraticam imperii formam accepisse dicuntur. At permultum interest inter theocratiam He-

braeorum et gentilium. Nam quod apud gentiles fictum erat, id apud Hebraeos verum erat, et ut religio apud gentiles spectabat ad civitatem conservandam, ita apud Hebraeos civitas ad religionem conservandam.

I. Primis theocratiae temporibus Moses inter Jahven regem et populum intercedebat, praeditus infinita potestate; habebat enim non solum potestatem legum dandarum et iudicandi, sed etiam sacerdotalem usque ad consecrationem Aaron. Ac primo quidem omnia solus administrabat et omnes gentis causas ipse diiudicabat (Ex 18, 13—16); deinde autem, cum tot negotiis subeundis impar esset, soceri sui Jithrô, principis et sacerdotis Midianitarum, consilio adductus deoque ipso rem approbante ex proceribus populi iudices elegit, quorum alii erant decuriones, alii pentecontarchi, alii centuriones, alii chiliarchi; inferiores iudices superioribus ita subiecti erant, ut causae maiores et difficiliores ad superiores, difficillimae ad Mosen ipsum referrentur (v. 17—26). Quod dumtaxat, quoad in deserto migrabant, valuisse videtur, quo tempore populus in certos numeros divisus erat. Postea autem, cum Hebraei in urbibus et pagis habitarent, abrogatum est, ut ex Dt 16, 18 apparet. Etiam collegium septuaginta virorum, quos Moses ex praefectis populi ad onus regiminis allevandum sibi adiunxit (Nm 11, 16 s.), post eius obitum esse desiisse censendum est.

Ceterum pleraque talia manebant, qualia antea erant; principibus tribuum, praefectis familiarum aliisque proceribus conservata est antiqua auctoritas. Cum igitur summa rerum penes Mosen esset, singulis autem tribubus sui manerent principes, per quos res maioris momenti cum populo pertractarentur, quodam modo ea reipublicae forma erat, quae optimatium dominatus populi potentiâ moderatus vocari potest. Talis etiam sub Josua permansit.

II. Mose mortuo Josua, filius Nun, divinitus constitutus est, procul dubio approbante summo sacerdote (Nm 27, 18—23), ut Hebraeos in terram promissam introduceret omniaque dirigeret, quae reipublicae necessaria essent (Dt 3, 21 s. 28; 31, 3; 34, 9). Eum ab anno 1400 usque ad 1390 res suas gessisse verisimile est.

Primis post Josua temporibus nulli fuerunt perpetui duces populi, sed Hebraei sub capitum tribuum principumque familiarum gubernatione vixerunt. Haud multum valebat coniunctio singularum tribuum, quae ad summum foedus inibant, cum salus populi in magno discrimine esse videbatur. Concordiâ nationis laxatâ paulatim idololatria Canaanaea in nonnullas tribus irrepsit, quas dein Jahve invasionibus hostium castigavit duraeque servituti tradidit, dum eas paenitentiâ commotas per insignes illos viros ab oppressoribus denuo liberavit, qui in sacris litteris imprimis nomine iudicum (שֹׁפְטִים, κριταί) significan-

tur (cf. Jdc 2, 16; 3, 10. Dt 17, 9. 12. al.)[1], quorum aetati trecenti fere anni (circiter ab anno 1390 usque ad annum 1090) attribuendi sunt. Eorum erat, ut vel bello vel alio modo vindices populi exsisterent regumque exterorum tyrannidem, qua Hebraei opprimebantur, excuterent, nec non primi iudicis partes implerent[2]. Erant igitur proprie administratores summae potestatis (cf. Jos. AJ 5, 4. 3; 5, 7. 15), qui tamen, etsi quaedam summae potestatis exercebant, iure novas leges condendi et tributa aut vectigalia populo imponendi carebant, quippe cum Jahve ipse princeps populi esset; quare Hebraei, cum regem poscerent, deum reiecisse dicuntur, ne in eos regnaret (I Sm 8, 7. cf. 10, 19; 12, 12). Neque vero omnes hi rectores toti praeerant civitati, sed plures aliquibus tantum tribubus; velut Barak, cui tribus Sebulon et Naphtali (Jdc 4, 10), Gideon, cui praeter Sebulon et Naphtali etiam Menasse et Ascher (ib. 6, 35), Jephta, cui Gilead et Menasse (ib. 11, 29) parebant. Quo munere plerumque per totam vitam fungebantur; interdum autem rebus feliciter compositis ad vitam privatam se recipiebant (cf. ib. 8, 23. 29). nulla potestate praediti, ob egregie tamen factorum memoriam et sapientiae laudem magna auctoritate apud totum populum usi (cf. Jos. AJ 5, 6. 7). Ceterum iudices nulla habebant potestatis insignia, nullis satellitibus cingebantur, nulla accipiebant emolumenta, nisi quae iis benevolentia populi nonnumquam concedebat (ut Gideon inaures in bello contra Midianitas captas Jdc 8, 24—26), nec dignitatem suam hereditate posteris relinquebant, id quod ex duabus rebus apparet, unâ, quod Gideon hereditaria potestas iudicis oblata est (ib. 8, 22), alterâ, quod nullius iudicis auctoritas in filios legitime transiit (nam filii Samuelis dumtaxat pro patre ius dicebant I Sm 8, 1)[3].

[1] Non semper viros, sed etiam feminas munere hoc singulari dei providentia functas esse ex exemplo Debora prophetissae patet (Jdc 4, 4).

[2] Tales populi vindices erant Othniel, Ehud, Gideon, Simson, alii. Quare Neh 9, 7 iudices מוֹשִׁיעִים *liberatores* vocantur. Ceterum plures exstiterunt iudices, qui nulla bella cum hostibus gesserunt, sed tantum iuri dicendo et litibus componendis praefuerunt, ut Thola (Jdc 10, 1 s.), Jair (v. 3), Ebzan (12, 8 s.), Elon (v. 11). Samuel, qui numquam exercitum imperio rexit aut in bellum profectus est, I Sm 7, 15 s. quotannis in oppida Bethel, Gilgal, Mizpa ad lites dirimendas circumiisse dicitur. Eius exemplo etiam constat iudices comitia populi egisse et, quid facto opus sit, in medium consuluisse (ib. v. 5 s.).

[3]) Quamvis autem iudices res gentis Hebraicae gubernarent, summa tamen rerum simul erat penes populum. Regiminis forma igitur iudicum aetate erat popularis, sed ita ut haud pauca principum arbitrio fierent. Cum proximus iudicum a postremo, Eli, esset pontifex, sacerdotium parem in administratione civili auctoritatem recuperavit. Eius successor Samuel iterum omnem potestatem ut alter Moses solus habuit.

Adnotatio. — Similes magistratus apud alias quoque gentes antiquas inveniuntur. Velut apud *Tyrios* sexto a. Ch. n. saeculo regibus successerunt iudices, qui potestate regiae simili instructi esse videntur. Josephus CAp 1, 21 ex historia Phoenicum haec tradit: Ἐπ' Ἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονόσορος τὴν Τύρον ἐπ' ἔτη δεκατρία . μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Βαὰλ ἔτη δέκα . μετὰ τοῦτον δικασταὶ κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν. Sequuntur eorum nomina, adiectis annis, per quos quisque rexit. Etiam summi magistratus *Carthaginiensium,* praesides senatus et consulari fere potestate ornati, eodem, quo rectores illi Hebraeorum, nomine appellabantur, *suffetes* (cf. Liv. Hist. 28, 37; 30, 7; 33, 46; 34, 61), quod dubium non est quin idem sit quod Hebraicum שֹׁפְטִים, immutato paululum vocis sono (aut ex molliore pronuntiatione, aut ex corruptione per exteros scriptores effectâ).

III. Senescente Samuel iudice Hebraei non tam desiderio efficacioris gubernationis quam fide fiduciâque in Jahven imminutâ aliarum gentium exemplum secuti regem postularunt (I Sm 8, 1—5), cuius desiderii iam antea non obscura dederant indicia (Jdc 8, 22s; c. 9). Samuel invitus importunis populi precibus cessit expositoque מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ *iure regio* (vel potius eius pravo usu apud gentes Hebraeis notas, ut populum a desiderio suo deterreret, I Sm 8, 11—18) deo assentiente (magis quam iubente, ib. v. 7—9. cf. Hos 13, 11) Saul, hominem Beniaminitam, regem unxit, cui dein populus in oppidum Mizpa congregatus sacramentum dixit (I Sm c. 9. 10), sed non omnium consensu (ib. 10, 27; 11, 12). Quo modo, munere iudicum abrogato, dignitas regia in Israel instituta est.

Nonnulli interpretes dicunt I Sm c. 8—12 diversas causas assignari, cur Hebraei regem postulaverint: 9, 1—10, 16 et 11, 1—15 angustias temporis sive bella imminentia, 8, 1—22; 10, 18s; 12, 1—25 autem adversam populi voluntatem. Quod se non recte habet. Nam 11, 1—15 quidem legimus eo tempore Ammonitas bellum contra Hebraeos movisse; etiam ex loco 9, 16 collato cum 13, 5 colligere debemus Philistaeos bellum adversus Hebraeos parasse; sed idem 12, 12 quoque et 8, 20 indicatur. Bella igitur imminentia erant occasio, in qua vera causa i. e. adversa populi voluntas apparuit. Quare quaecumque ex duabus illis causis, quae diversae videntur esse, contra auctoritatem et fidem scriptoris librorum Samuelis concluduntur, futilia existimanda sunt. — Cf. H. Wiesmann, Die Einführung des Königtums in Israel I Sam 8—12 (ZkTh XXXIV, 1910, 118—153).

Cum Moses haud ignorans gentis suae animos mobiles et indomitam cupiditatem exterarum gentium mores consuetudinesque aemulandi facile praevidere posset Hebraeos rege invisibili, et quem sacerdotes tantum adirent, non contentos regem petituros esse, quem oculis cernere, precibus adire, exercitibus praeficere, regio splendore

induere possent, varias leges easque eximiae prudentiae tulit regi, si postea crearetur, observandas (Dt 17, 14—20):

a) Ac primum quidem statuit, ne populus suis suffragiis regem crearet (v. 15[a]);

b) deinde, non feminam, sed virum (quod magistri Judaeorum ex vocabulo „regis" demonstrant), non alienigenam, sed Hebraeum ad hanc dignitatem esse vehendum (v. 15[b]), quod iam unius veri dei cultus, qui apud gentem electam servandus erat, postulabat;

c) tum, ne rex multos equos aleret (v. 16). Quibus verbis rex non equis uti vetatur, sed tantum multis equis uti. Cuius interdicti ratio est, ne rex vel repetendae Aegypti consilium ineat vel populo oneri sit vel spem suam magis in praesidiis externis quam in deo ipso collocet;

d) praeterea, ne rex pro more principum orientalium magnum uxorum numerum haberet (v. 17[a]). Quae lex eo consilio lata est, ne reges amore uxorum alienigenarum capti et effeminati animos a deo averterent neve fautores idololatriae vel etiam cultores fictorum deorum fierent. Id quod docet exemplum Salomonis, qui se uxorum alienigenarum gratiâ idolorum cultui addixit (I Rg 11, 1—9. II Rg 23, 13);

e) ad hoc, ne rex thesauris congerendis inhiaret (v. 17[b]). Qua re ei interdictum est, ne populum nimiis exactionibus oneret neve ex opibus vel thesauris immensis turpi luxui se dedat;

f) denique rex obligatur, ut מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה *exemplar legis* divinae accurate descriptae secum haberet et perpetuo legeret, ut continuam religionis et iustitiae curam gerere popularesque non dure, sed cum humanitate et mansuetudine regere disceret (v. 18—20).

Quid verba illa משנה תורה significent, in controversia versatur. Graeci quidem Alexandrini Deuteronomium intellexerunt, cum δευτερονόμιον τοῦτο verterint. Idem Hieronymus sensisse videtur, quamvis verba „deuteronomium legis" plane perspicua non sint. Ii quoque interpretes, qui משנה תורת משה *exemplar legis Mosis,* quod Josua lapidibus inscripsit (Jos 8, 32), totum Deuteronomium esse existimant, dicunt etiam regi totum Deuteronomium describendum fuisse. At vocabulum תורה nusquam nomen proprium totius Deuteronomii exstitit. Neque quod rabbini posteriores id משנה התורה appellaverunt, ideo Deuteronomium intellegere oportet; nam ea appellatio recentior est neque quidquam aliud exprimit nisi opinionem rabbinorum (sed non omnium), qua locis Dt 17, 18 et Jos 8, 32 illis verbis Deuteronomium significari putant. Utique Ps. Jonathan Dt 17, 18 non totum Deuteronomium, sed „sectionem legis huius" i. e. legem de rege Dt 17, 14—20 intellexit. Ex mea opinione verisimillimum est pentalogum Mosis (Dt 6, 1—7, 11), qui proprie התורה vocatur (Dt 4, 44), intellegendum esse. Nam pentalogus est scriptum omnium sacrorum libro-

rum maxime sacrum, augustissimum restituti foederis Jahvae cum gente Hebraica initi instrumentum, quod Moses ipse a se scriptum ad latus arcae foederis reposuit populoque annis sabbaticis praelegendum mandavit.

Adnotatio. — Quo tempore lex de rege data sit, viri docti non consentiunt. Nonnulli auctorem eius legis Mose posteriorem (aequalem Salomonis) fuisse et nomine Mosis locutum esse existimant. Alii eum re vera ante regni institutionem fuisse contendunt, id quod verisimilius esse videtur. Nam institutio regni erat res tam gravis atque a Jahve Ex 19, 6 tam sollemniter praenuntiata (cf. F. de Hummelauer, Comm. in Ex et Lv 190), ut Mosen ipsum de ea aliquam legem ferre necesse esset. Atque potuit solus Moses verba illa v. 16 de populo in Aegyptum non reducendo scribere, cum neque aetate iudicum desiderium Aegypti repetendae animos Hebraeorum occuparet neque quisquam regum id moliretur vel moliri posset, ut populus in Aegyptum remigraret. Optime autem ea verba ex ore Mosis profecta intelleguntur. Quare legem illam Mosi ipsi tribuendam esse iudicare oportet.

Neque vero regiâ imperii formâ theocratia abrogata, sed tantum nova administrandi forma introducta est. Nam rex non erat princeps, penes quem est summa omnium rerum, sed *vicarius* dumtaxat *Jahvae* (ὑπηρέτης τῆς αὐτοῦ βασιλείας Sap 6, 5), cuius nomine ius dicebat (cf. I Chr 17, 14); quare etiam *rex Jahvae* i. e. ab eo constitutus appellabatur (Ps 2, 6; 18, 51). Hebraei cum regem humanum expeterent, illi quidem Jahven ipsum reiciebant solamque formam reipublicae suae spectabant, religionis nullâ ratione habitâ (I Sm 8, 7); Jahve tamen de peculiari eorum regimine, quod susceperat, minime destitit (ib. 10, 17—25; 12, 22) neque in sacrario, ut in regia, instar domini commorari desiit (Ps 24, 7—10; 84, 4). Usque ad interitum regni Judaici nomen legislatoris, iudicis, regis semper retinuit (Jes 33, 22) et reges Hebraeorum perpetuo vicarios suos habuit. Iam in inauguratione primi regis Samuel Jahven regem Hebraeorum et Saul eius vicarium pronuntiavit (I Sm 12, 12—14). Etiam David Jahven regem suum palam agnovit (Ps 5, 3; 68, 25) suumque successorem vicarium Jahvae declaravit (I Chr 28, 5), qualis ab aliis quoque habebatur (I Chr 29, 23. II Chr 9, 8). Quam ob rem regnum Hebraeorum iure meritoque מַמְלֶכֶת יְהוָה *regnum Jahvae* vocabatur (II Chr 13, 8).

Quod regnum ab ingenio formae civitatis theocraticae Hebraeorum abhorrere dicitur, id dictis prophetarum, quibus nemo Jahvae studiosior erat, repugnat. Hosea quidem dicit „sine rege et principe esse“ non minus divinam esse castigationem quam sine cultu divino et sine facultate dei consulendi esse atque addit Israelitas, si tempus gratiae redierit, „Jahven deum suum et David regem suum quaesituros esse“ (3, 4 s.). Jeremia, quamquam tyrannica libidine regum plurima patiebatur, tamen regem fontem vitae esse sibi persuasit: „Spiritus narium nostrarum (spiri-

tus vitalis, per quem spiramus, vivimus), unctus Jahvae, captus est in foveis eorum (hostium), cuius in umbra diximus victuros nos esse (incolumes) inter gentes" (Thrn 4, 20). Sacharja videt duas olivas, quae munus sacerdotale et regium significant, quibus etiam in futurum genti suae gratias attribuet (c. 4), et vaticinatur fore, ut theocratia tum maxime floreat, cum is vir, cuius nomen צֶמַח *germen* est, venerit, qui „portabit maiestatem" et „sedebit et dominabitur super throno suo" i. e. qui dignitatem sacerdotalem et regiam in se coniungit, „et consilium pacis erit inter illa duo", munus sacerdotale et regium (6, 13). Cf. Jes 9, 6 s. Mich 4, 8; 5, 1 ss. Omnino magna auctoritate, qua dignitas regia apud omnes Hebraeos pios erat, probatur eos non dubitasse, quin regnum iure niteretur: „Time Jahven, fili mi, et regem; cum mutantibus (novantibus) ne te commisceas" (Prov 24, 21). „Beata terra, cuius rex est filius nobilium" i. e. ingenio, moribus, virtutibus nobilium illustris (Koh 10, 17). „Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum (rectius: salus est mundi, σωτηρία κόσμου) et rex sapiens stabilimentum (εὐστάθεια) populi est" (Sap 6, 26). „Rex insipiens perdet populum suum et civitates inhabitabuntur (i. e. numero incolarum augebuntur et firmiter consistent) per sensum potentium" (Sir 10, 3).

IV. Ex sacra historia constat omnes Hebraeorum reges aut *divina electione* esse creatos, ut Saul (I Sm 9, 17; 10, 1. 24) et David (ib. 13, 14) in regno Judaico, Jerobeam I (I Rg 11, 31), Baësa (ib. 16, 2), Jehu (ib. 19, 16. II Rg 9, 3) in regno Israelitico, aut *per successionem* ad imperium pervenisse: atque in regno Judaico hereditario plerumque filius primogenitus regis (II Chr 21, 3. cf. II Rg 23, 34. etiam nondum adulta aetate II Rg 11, 21. eius matre vel pontifice in societatem regni assumpto II Rg 12, 1 s.), nonnumquam minor (I Rg 1, 17 ss. II Chr 11, 22 s.) rex factus est, cum ceteri filii regis negotiis specialibus praeficerentur (II Sm 8, 18. II Chr 22, 8); in regno autem Israelitico dignitas regia perpetuis mutationibus obnoxia erat. Nonnulli reges *vi* imperium arripuerunt, ut Athalja regina (stirpe regia praeter Jehoas, qui nondum adulta aetate in aedibus templi delituerat, crudeliter interempta II Rg 11, 1—3) in regno Judaico; Simri, Sallum, Menahem, Pekah, Hosea in regno Israelitico. Nonnumquam *reges a gentilibus constituti* sunt: velut Pharao Necho Jojakim (II Rg 23, 34), Nebucadnezar Zedekia (ib. 24, 17) regno Judaico praefecerunt. Nullus autem rex sive populi sive primorum electione potestatem regnandi accepit. At nonnumquam populus vel divinam electionem vel successionem regum publice et sollemniter approbavit (I Sm 10, 24. II Sm 5, 1—3. I Chr 29, 23 s. I Rg 12, 1 = II Chr 10, 1. I Rg 12, 20. II Chr 22, 1. II Rg 14, 21 = II Chr 26, 1. II Chr 33, 25. II Rg 23, 30 = II Chr 36, 1).

Totius populi reges tantum tres fuerunt, *Saul* [1], qui fundamenta regni iecit, *David,* qui magna cum difficultate potestatem regiam magis magisque amplificavit, *Salomo,* qui eam ad summum evexit fastigium, ita ut neque antea neque post quemquam sibi parem haberet [2]. Postquam autem *Rehabeam* imperium obtinuit, totus populus in regnum Juda et in regnum Israel divisus est, quorum illud, quod ex duabus tantum tribubus Juda et Beniamin constabat atque domui David addictum erat, Hierosolymis, hoc, cuius reliquae tribus erant, primo in Sichem, mox in Thirza, denique in Samaria sedem imperii fixit. Quae regna semper acerbissimo odio inter se arserunt mutuisque cladibus ita vires suas sensim debilitaverunt, ut neutrum validioribus regnis externis resistere posset. *Regnum Israeliticum* undeviginti reges gubernarunt, a Jerobeam I usque ad Hosea, quem Salmanassar, Assyriorum rex, tota regione sibi subiecta ipsaque urbe Samaria post trium annorum obsidionem expugnata, cum universa gente anno 722 in captivitatem abduxit (II Rg 18, 9—12) [3]. *Reges* autem *Juda* inde a Rehabeam fuerunt (unâ cum regina Athalja) viginti, quorum ultimus Zedekia a Nebucadnezar devictus et cum gente reliqua in regiones Babyloniae deductus est (anno 586 = tertia deportatio II Rg 25, 8—21), postquam iam antea complures incolae in exsilium profecti sunt (anno 605 = prima deportatio II Rg 24, 1. II Chr 36, 6. et anno 597 = secunda deportatio II Rg 24, 14—16).

[1] Quamdiu Saul regnaverit, in libris veteris testamenti non dicitur. Act 13, 21 legimus deum populo Saul dedisse quadraginta annis. Ex quibus verbis nonnulli interpretes colligunt Saul quadraginta annos regnasse. Etiam Josephus AJ 6, 14. 9 memoriae prodit eum vivente Samuel octodecim annos, Samuel mortuo viginti duos annos (ἔτη δύο καὶ εἴκοσι, al. lect. δύο) regnasse. Sed verisimillimum est iis quadraginta annis et viginti quoque annos, qui a morte iudicis Eli usque ad Philistaeorum cladem ad lapidem adiutorii praeterierunt (I Sm 7, 2. 12), et quinque decemve annos, quibus Samuel per filios suos munus iudicandi exercendum curavit (ib. 8, 1), comprehendendos esse, ut Saul tantum octo vel quindecim annos regnaverit.

[2] Reges David et Salomo quadragenos annos regnasse dicuntur (I Rg 2, 11 = I Chr 29, 27. I Rg 11, 42 = II Chr 9, 30). Quodsi sententiam multorum virorum doctorum secuti ponimus rempublicam Hebraeorum anno 932 in duo regna Juda et Israel divisam esse, David ab anno 1011 usque ad annum 971, Salomo ab anno 971 usque ad annum 932 regnavit. Neque tamen sine veritatis specie est illum numerum quadraginta annorum regni summatim comprehensum esse.

[3] Ceterum Samaria non a Salmanassar capta est, ut ex textu veteris testamenti colligi potuit, sed a successore eius Sargon II (*Šarru-ukîn,* 722—705 a. Ch.), id quod annales eius testantur (H. Winckler, Keilinschriftliches Textbuch zum alten Testament[3] 37). Qui Sargon cum tan-

tum Jes 20, 1 commemoretur neque apud alios scriptores nominetur, contra auctoritatem et fidem sacrarum litterarum proferri potuit, donec P. E. Botta anno 1843 domum regis Sargon in Khorsabad detexit. Nunc Sargon inter notissimos reges Assyriae numeratur.

Adnotatio. — De annis regum Israel et Juda temporumque determinatione complura menda in libros divinos irrepserunt, quae haud facile ita emendari possunt, ut nihil dubii maneat. Quodsi tempus, quo totus populus in duo regna divisus est, annum 932 fuisse probamus, hanc descriptionem temporum regum Israel et Juda reperimus, in qua tamen re primum respiciendum est regnandi tempus de regibus Juda quinquaginta fere annis, de regibus Israel triginta fere minuendum esse, deinde asteriscis additis eos reges significari, quorum regnandi tempus minuendum est.

Reges Juda:		*Reges Israel:*	
Rehabeam	932—914	Jerobeam I	932—910
Abia	914—912	Nadab	910—909
Asa	912—871	Baësa	909—886
		Ela	886—885
		Simri	885
		Omri	885—874
Josaphat	871—849*	Ahab	874—853
Jehoram	849—842	Ahasja	853—852
Ahasja	842	Jehoram	852—842
Athalja	842—836	Jehu	842—816
Jehoas	836—797	Jehoahas	816—799
Amazja	797—769	Joas	799—784
Asarja (Usia)	769—738*	Jerobeam II	784—744
		Sacharja	745
		Sallum	744
Jotham	738—733*	Menahem	744—738*
		Pekahja	738
Ahas	733—728*	Pekah	738—732*
Hiskia	728—699	Hosea	732—722
Menasse	699—644		
Amon	644—642		
Josia	642—609		
Jehoahas	609—608		
Jojakim	608—597		
Jojachin	597		
Zedekia	597—586		

Si cum nonnullis viris doctis ponimus Rehabeam anno 937 Salomoni successisse, numeri annorum regum Rehabeam usque ad Athalja et regum Jerobeam I usque ad Jehu aliquid augendi sunt. Jehu et Athalja anno 842 ad regnum pervenisse constat.

Ceterum de hac re videas B. Trutz, Chronologie der judäisch-israelitischen Königszeit (Katholik 1906, I, 28—48. 125—144. 214—222); F. A. Herzog, Die Chronologie der beiden Königsbücher (Atl

Abh I, 5) Münster 1909; A. Deimel, Veteris testamenti chronologia monumentis Babylonico-Assyriis illustrata. Romae 1912; D. Argentieri, La soluzione del gravissimo problema della cronologia biblica nel periodo dei re in base ai datti della Bibbia e delle iscrizioni cuneiformi. Aquila 1913.

V. Publica regum inauguratio variis perficiebatur ritibus, inter quos nonnulli primo loco ponunt regis in solio collocationem, id quod ex I Rg 1, 46 colligunt, nos autem ut antiquissimum ita ordine quoque primum fuisse existimamus unctionem (מָשְׁחָה), quae effusione olei in caput peragebatur (I Sm 10, 1, 1. II Rg 9, 6)[1]. Deinde novus rex vestimentis et insignibus regiis decorabatur (cf. II Sm 1, 10. II Rg 11, 12 = II Chr 23, 11. Ez 21, 26. Ps 45, 7)[2] atque iurabat se ad legis Mosaicae praescripta et pactionem (בְּרִית) a populo sibi propositam, qua condiciones imperii praefiniebantur (1 Sm 10, 25. II Sm 5, 3 = I Chr 11, 3. I Rg 12, 1—15. II Rg 11, 17), gubernaturum esse[3], quo facto proceres nomine totius populi oboedientiam ei spondebant (II Sm 5, 3. II Rg 11, 17. cf. I Rg 12, 1—15), quam interdum porrectione manus (I Chr 29, 24) et osculo fidelitatis (cf. I Sm 10, 1. Ps 2, 12) confirmasse videntur. Unâ cum insignibus regiis etiam liber legis regi inaugurando tradebatur (II Rg 11, 12 = II Chr 23, 11), ut hoc ritu commonefieret potestatem sibi creditam pietate et sapientia moderandam esse; quem ritum ex praecepto divino Dt 17, 18 profluxisse verisimile est. Denique rex magna cum pompa, musica quoque resonante (I Rg 1, 39 s.) et populo longam felicemque vitam ei acclamante (plerumque sollemni formula: וְיִחִי הַמֶּלֶךְ, LXX ζήτω ὁ βασιλεύς, *vivat* feliciter *rex!* I Sm 10, 24. I Rg 1, 25. 39. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11)[4] urbem ingrediebatur, ut sacra (pacifica) faceret, quorum carnes ad hilares epulas adhibebantur (I Sm 11, 15. I Rg 1, 25. I Chr 12, 39 s; 29, 21 s.).

Ceterum ex I Sm 10, 24; 11, 15. I Rg 1, 38. 45. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11 apparet in inauguratione regum modo plures, modo pauciores ritus fuisse. Certe plerique rituum commemoratorum omittebantur, cum populo devicto regem designaverat hostis, qui ei plerumque aliud nomen imposuit ab eoque fidem iureiurando firmatam recepit (II Rg 23, 34 = II Chr 36, 4. II Rg 24, 17).

[1] Unctionem regum iam antiquissimis temporibus in usu fuisse ex tabulis, quae in Tell el-ʿAmârna inventae sunt, apparet. Cf. H. Winckler KB V, 99.

[2] Num rex gladio quoque cinctus sit, ex Ps 45, 4 non apparet.

[3] Nusquam autem in sacris litteris diserte dicitur id iusiurandum sive votum in ipsa inauguratione datum esse idque sollemniter et publice.

[4] Regi Jehu populus perpetuam precatus est felicitatem acclamatione יְחוּא מָלַךְ *Jehu regnet!* = vivat rex Jehu! (II Rg 9, 13). Josephus AJ 7, 14. 5 memoriae prodit David mandasse, ut Salomoni per mediam urbem introducto praecinente tubicine multitudo prosequentium acclamaret: Εἰς αἰῶνα Σολόμωνα τὸν βασιλέα καθίσαι ἐπὶ τοῦ βασιλικοῦ θρόνου. David ad regnum evecto etiam Tou, rex Hamath, gratulatus est (II Sm 8, 10).

VI. Quin reges in corporis cultu non semper idem servaverint, sed varias consuetudines vel induxerint vel secuti sint, dubium non est. Certe habebant ornatum regium (הַדְרַת־מֶלֶךְ) sive aliquas peculiares vestes, quibus a multitudine distinguerentur (I Sm 28, 8. I Rg 22, 30. Act 12, 21) et pretiosiores (cf. Mt 6, 29. Lc 12, 27), quibus in publica laetitia vel diebus sollemnioribus, cum prodeundum erat, uterentur. Purpuram autem vestimentum regum, principum eorumque, quos illi honorare vellent, proprium fuisse ex nonnullis sacrarum litterarum locis colligitur (I Mcc 10, 20. 62; 11, 58; 14, 44. cf. Dn 5, 7).

Praecipua regum insignia erant: **1)** Diadema (נֵזֶר II Sm 1, 10. II Rg 11, 12. II Chr 23, 11. cf. Jes 62, 3; צְנִיף מְלוּכָה *cidaris* sive *tiara regni*), quod olim nihil aliud erat nisi vitta capiti vel mitrae circumligata, quae frontem et tempora cingebat et in occipite conectebatur, singulari quadam nota insignita. Ortum est ex illo fune, quo antiquissimis temporibus capilli vel mitrae capiti alligabantur. Color varius fuisse videtur. Regibus Persarum teste Curtio (De reb. gest. Alex. 3, 5) diadema erat purpureum albo distinctum. Ceterum apud Persas etiam cognati regis et alii, quibus rex concesserat, quoddam diadema gestabant (Esth 8, 15).

Inde ab aetate David etiam corona (עֲטָרָה) usitata erat, pleramque exquisito artificio fabricata (II Sm 12, 30. Ct 3, 11. Ez 21, 31). De eius forma nihil constat. Imagine coronae in sacris litteris quidquid homini vel alicui rei ornamento et dignitati est, significatur (Job 19, 9. Prov 12, 4; 14, 24; 16, 31; 17, 6).

II Sm 12, 30 (= I Chr 20, 2) legimus David coronam auream devicti regis Ammonitarum, quae talentum valebat et pretiosis lapidibus ornata erat, suo capiti imposuisse (cf. Ps 21, 4., quo carmine plerique interpretum victoriam, quam David de Ammonitis reportavit, celebrari putant). Certe David coronam illam non perpetuo gestavit. Sed quoniam שֶׁקֶל non solum *pondus,* sed etiam *pretium* significat, vocabulum מִשְׁקָל *pretium* vertendum esse censeo, quippe quod trutinâ examinetur. Pretium unius talenti aurei pro corona regia ex auro facta gemmisque ornata nequaquam nimium esse videtur.

Esth 1, 11 et 2, 17 vocabulo כֶּתֶר corona reginae Persarum significatur. Ibidem 6, 8 secundum Vulgatam כתר capiti hominis, quem rex

honorare volebat, secundum textum Hebraicum capiti equi regii, quo homo ille vehebatur, imponi dicitur. Atque apparent in monumentis Assyriis capita equorum regiorum insigni quodam ornata.

2) Solium (כִּסֵּא cf. Assyr. *kussâ,* etiam *kursû,* כ׳ הַמַּמְלָכָה Dt 17, 18. II Chr 23, 20. כ׳ הַמַּלְכוּת Esth 1, 2. II Chr 7, 18. כ׳ הַמְּלוּכָה I Rg 1 46. כ׳ הַמְּלָכִים II Rg 11, 19) erat sella, crepidine a tergo et cubitalibus instructa, pro more orientis tam alta, ut pedibus scabello (הֲדֹם) opus esset [1]. Ita etiam solium eburneum (כִּסֵּא־שֵׁן) Salomonis, quod I Rg 10, 18—20 = II Chr 9, 17—19 describitur, comparatum erat, nisi quod crepido leviter rotundata et in utroque cubitali effigies leonis (signum potentiae regiae) posita esset. Collocatum erat in pavimento sex gradibus elevato, quibus singulis binae effigies leonis ex adverso positae erant. Septimus gradus erat sella regia. Qui septem gradus eo spectabant, ut imperium orbis terrarum significaretur, velut dii Babyloniorum in turribus septem tabulatis editis universum gubernabant. Quod autem Salomo ut rex orbis terrarum colebatur, quamquam parvum regnum gubernabat, mirum non est. Etiam Babyloniorum reges iam tum, cum eorum regnum etiam parvum erat, „reges universi" appellabantur [2]. De solio aureo Archelai regis cf. Jos. BJ 2, 1. 1.

[1] Solium et ipsa quoque sessio in solio tropice pro gubernatione usurpatur (Gn 41, 40. Dt 17, 18. I Rg 16, 11. I Mcc 10, 52. cf. Job 36, 7). Solium regum Hebraeorum erat כִּסֵּא יְהוָה *solium Jahvae* (I Chr 29, 23) et כ׳ מַלְכוּת יְהוָה *solium regni Jahvae* (ib. 28, 5) appellatur, quia reges Hebraei erant vicarii Jahvae, qui idem erat rex. Ceterum solium non solum ad potestatem regiam, sed etiam ad quamlibet insignem auctoritatem pertinebat; velut summus sacerdos (I Sm 1, 9; 4, 13. 18) et iudices (Ps 122, 5. Prov 20, 8. Sir 38, 33) in sede altiore sedisse videntur et prope solium regium alia minora primoribus constitui solebant. Atque honor maximus erat ad dexteram regis sedere, quod cum ex more veterum et recentiorum populorum tum ex I Rg 2, 19 apparet, ubi Salomo Bathseba matrem ad dexteram suam sedere iubet. Neque honor solum ac dignitas, verum etiam societas imperii et consortium in republica administranda sessione ad dexteram principis nonnumquam indicatur. Huc spectat dictum Jahvae Ps 110, 1: „Sede ad dexteram meam" i. e. regnum a me tibi delatum administra tamquam consors maiestatis et potentiae meae, atque locus Mt 20, 21 (Mc 10, 37), ubi Salome pro filiis suis imperii societatem et locum a rege proximum postulat.

[2] Cf. Ḳorân Sûra 27, 45., ubi solium Salomonis pavimento crystallino, mare pelluciditate referente, impositum describitur, quod reginam Sabaeorum, cum ad regem accederet, veras aquas putasse post Judaeos (cf. Targ. II. Esth. ad 1, 3) Muhammedani fabulantur. Ita Ezechiel quoque 1, 22 pavimentum solii divini כְּעֵין הַקֶּרַח *instar crystalli* vidit, quo modo vocabulum קרח omnes veteres interpretati sunt. Et Joannes Apc 4, 6 pavimentum, in quo solium divinum stabat, ὡς θάλασσαν ὑαλίνην, ὁμοίαν κρυστάλλῳ fuisse dicit. Cf. Ex 24, 10.

3) Sceptrum (שֵׁבֶט et שֵׁבֶט), initio baculus ligneus, in summa parte modo globo modo anulis et clavis aureis ornatus (cf. Hom. Iliad. 1, 234. 245; 2, 186. Odyss. 3, 412), ortum est vel ex baculo pastorali (cf. Mich 7, 14) vel ex iis baculis, quos primores in oriente ad pompam gestare solent (cf. Gn 38, 18. 25). Sceptrum regis Saul erat חֲנִית *hasta* (I Sm 18, 11; 22, 6), ut et aliarum gentium reges loco sceptri hastam gestabant (Justin. Hist. Phil. 43, 3). Tropice sceptrum pro dignitate regia et regimine usurpatur (Gn 49, 10. Nm 24, 17), *sceptrum iustitiae* (Ps 45, 7. Hebr 1, 8) pro iusta gubernatione, *sceptrum ferreum* (Ps 2, 9) pro imperio impios castigante.

Alii Ps 2, 9 (cf. Apc 2, 27; 19, 15) vocabulum שֵׁבֶט non sceptrum, sed baculum sive clavam interpretandum esse contendunt, quia veteres ligneis quidem, eburneis, argenteis, aureis sceptris utebantur, sed non ferreis atque usus, ad quem poeta שֵׁבֶט adhibitum iri dicit, sceptro minus convenit. Dicunt poetam ad morem illum antiquum respicere, quo heroes armorum loco clavas gestabant easque non ligneas tantum, sed etiam ferreas (cf. Hom. Iliad. 7, 140 s.).

Adnotatio. — Magnificum erat palatium regis, imprimis illud Salomonis, quo complura aedificia, partim ad res necessarias partim ad luxum et voluptatem exstructa, comprehendebantur (I Rg 7, 1—12). Iam antiquissima aetate nomine *portae* significabatur (שַׁעַר הַמֶּלֶךְ = *arx regia* Persarum Esth 3, 2 s; 4, 2. 6; 5, 9. 13; 6, 12. תְּרַע מַלְכָּא = *aula regia* Babyloniorum Dn 2, 49. cf. αἱ θῦραι de aula Persarum Xenoph. Cyrop. 1, 3, 2; 8, 3, 2). Imperatoris Osmanorum regiam etiam nunc *kapu* i. e. portam (die Hohe Pforte, la Sublime-Porte) vocari notum est.

VII. Potestas regum Hebraeorum erat summa, nemini obnoxia nisi soli deo; nam reges, soluti ac liberi a legibus humanis, solis divinis subiecti erant (cf. Dt 17, 19). Quare propter peccata aut scelera neque in ius vocari neque puniri poterant. Nam etsi vel multum sanguinem innocentium profuderant ut Saul (I Sm 22, 19) et Menasse (II Rg 21, 16; 24, 4), alterius torum maculaverant et homicidium subornaverant ut David (II Sm 11, 4. 15—17), alienos deos coluerant ut Salomo (I Rg 11, 4—10) aliaque mala commiserant (ib. 21, 8—16), nemo tamen erat, qui eos poenâ afficere posset; soli deo id relinquebatur. Rabbini quidem statuunt propter legem violatam etiam reges in ius vocari poenisque affici potuisse; quod tamen nullo solido fundamento nititur. Nam exemplo Herodis in iudicium vocati, quod nonnulli afferunt, synedrii magni in reges potestas non probatur, quia Herodes, cum in iudicium arcessitus est, non rex, sed praefectus Galilaeae erat (Jos. AJ 14, 9. 4).

Ex parte tamen potestas regia determinabatur *pactione* regibus a populo proposita (I Sm 10, 25. II Sm 5, 3 = I Chr 11, 3. I Rg

12, 1—15. II Rg 11, 17)[1] et per *prophetas,* qui tamquam internuntii divini et custodes regiminis theocratici omnibus actionibus regum usque ad extrema reipublicae tempora invigilabant, piis regibus a consiliis erant iisque promissiones divinas annuntiabant, scelestos vero et idololatras sine discrimine arguebant (cf. I Sm 13, 10—14; 15, 10—35. II Sm 7, 2—17 = I Chr 17, 1—15. II Sm 12, 1—14; 24, 11—14 = I Chr 21, 9—13. I Rg 20, 38—43. II Rg 1, 15 s; c. 19. al.). Accedit, quod etiam *seniores* sub regibus magna pollebant auctoritate (I Rg 20, 7. II Rg 23, 1 = II Chr 34, 29. cf. Jer 38, 4 s.) neque ullum negotium publicum maioris momenti sine eorum interventu suscipiebatur (I Chr c. 28. 29. I Rg 8, 1 = II Chr 5, 2. I Rg 12, 6—8). Etiam *duces belli* interdum plurimum apud reges valebant (cf. II Sm 3, 38 s.)[2].

[1] Cum primus rex eligeretur, Samuel *ius regni* (מִשְׁפַּט הַמְּלֻכָה) promulgavit promulgatumque in librum scripsit atque apud arcam foederis deposuit (I Sm 10, 25). Cuius iuris verba ac litterae nobis ignota sunt. Vix autem errabimus, si ponemus eo regi non infinitam potentiam, qua principes orientis utebantur, concessam, sed lege Mosaica moderatam esse. Atque F. de Hummelauer (Comm. in Dt 61. cf. 279 ss.) existimat ius regni a Samuel promulgatum Dt 12, 1—26, 15 contineri. Saul, primus rex, cum ab illo iure regni defecisset, a deo proiectus est (I Sm 13, 13 s; 15, 26), ut exemplum esset, quo eius successores monerentur, ut rex theocraticus non ad suum arbitrium, sed ad dei voluntatem regnare deberet.

[2] Erat igitur aetate regum civitas, quae unius dominatu tenebatur, sed haec dominatio non infinita vel despotismus, quem vocant, erat; neque enim hîc pro lege stabat regis voluntas, sed regem ipsum legi parere oportebat. Nihilo minus haud pauci reges potestate sua abusi sunt: nonnumquam subiectos pro more principum orientalium mancipiorum fere loco habebant (cf. I Sm 8, 17) iisque onera iusto graviora imponebant (I Rg 12, 4. 11); de ipsa vita et nece ad arbitrium decernebant (II Sm 1, 14 s; 4, 9—12. II Rg 21, 16; 24, 4); ne sacerdotes quidem aut summi pontifices aut prophetae a regiae potestatis perverso usu tuti erant (I Sm 22, 9—19. I Rg 2, 26 s. 35. Jer 36, 1—26).

Reges non modo, ut olim iudices, mandata dabant, verum etiam *potestatem* habebant *novas leges ferendi,* quae nequaquam, ut apud alias gentes, irrevocabiles erant, sed ad arbitrium regis abrogari poterant. Leges per praecones proclamari solebant, plerumque in portis et foro urbium (Jer 11, 6; 17, 19. Prov 1, 21; 8, 3), Hierosolymis etiam in templo, ubi numquam concursus hominum deerat (quare prophetae quoque vaticinia, quae nihil aliud erant nisi edicta summi domini dei, ibi promulgabant, Jer 7, 2; 36, 8); in provincias autem per cursores mittebantur (I Sm 11, 7. II Chr 30, 6—10. cf. 36, 22 s. Esr 1, 1—4). A poenis lege sanctis reges nonnumquam solvisse ex I Sm 11,

13. II Sm c. 14 colligi potest. Quod tamen, qui erant religiosi, rarissime sibi sumebant. David quidem homicidas vindicibus sanguinis tradidit (II Sm 21, 1—14) et alios reos, quos ipse punire non poterat, successori puniendos reliquit (I Rg 2, 5—9).

Edicta regum Medorum et Persarum anulo signata tollere non licebat, ne eorum auctoritas infringeretur (Dn 6, 8. 15. Esth 1, 19; 8, 8. Quare etiam in add. Esth 16, 17 legimus: καλῶς οὖν ποιεῖτε μὴ προσχρησάμενοι τοῖς ὑπὸ Ἀμὰν ἀποσταλεῖσι γράμμασι, ubi Vulg. parum recte: „eas litteras . . . sciatis esse irritas“). Atque eos edicta variis linguis confecta promulgasse (Esth 8, 9) eorum inscriptionibus, quae adhuc exstant, probatur.

Et *iudicis* et *belli ducis* munus Hebraeos a rege, quem petebant, exspectasse ex I Sm 8, 5. 20 apparet. Cum autem iudices inferiores iam ex institutione Mosaica essent (Dt 16, 18; 17, 8—13; 19, 17), regis primum in re iudiciaria officium erat iis invigilare et novos eligere (I Chr 23, 4; 26, 29. II Chr 19, 5—11). Sed reges et ipsi causas cum privatas tum capitales examinabant et iudicabant; in rebus quoque minoris momenti nonnumquam litigatores admittebant, qui omissis iudiciis inferioribus ad summum iudicium provocabant (II Sm 15, 2. I Rg 3, 16—28; 7, 8. Jer 21, 12). Cum autem bellum exarserat, regis erat milites conscribere et lustrare, duces et praefectos constituere (I Sm 18, 13. II Sm 8, 16; 20, 23. I Chr 12, 21), summam totius belli curam gerere, exercitum instruere et cum eo contra hostes strenue dimicare (I Sm 8, 20; 11, 8. II Sm 19, 9). Rex et ipse bellum indicebat et hostibus devictis vel semet dedentibus aut pacem concedebat aut tributum imponebat (I Sm 11, 5 ss. II Sm 8, 6. 1 Rg 9, 20 s. Esr 4, 20. II Chr 27, 5).

Apud antiquissimas gentes reges erant non solum *duces belli* et *iudices*, sed etiam *sacerdotes* (cf. Gn 14, 18 = Hebr 7, 1. Hom. Odyss. 3, 5 ss. Aristot. Polit. 3, 14. Vergil. Aeneid. 3, 80). Apud gentes quoque Hebraeis finitimas sacerdotes, qui idem reges vel principes erant, occurrunt. Velut in loculo Tabnith, regis Sidoniorum, anno p. Ch. n. 1887 invento, rex se nominat „sacerdotem Astartes, regem Sidon, filium Ešmunazar, sacerdotis Astartes, regis Sidon“. Etiam principes Chalcidis ad Libanum (Ptolemaeus, Lysanias, Zenodorus) in inscriptionibus nummorum sibi nomina ἀρχιερεὶς et τετράρχαι imponunt. Apud Hebraeos autem regis potestas ad res sacras non pertinebat, quae solis sacerdotibus et Levitis reservabantur. Id ex II Chr 26, 16—21 apparet, ubi memoriae proditur Asarja (Usia) regem, cum sacerdotis officium sibi arrogans sacro ture adolere neque admonitus ab incepto desistere vellet, subito leprosum factum esse (cf. II Rg 15, 5. Jos. AJ 9, 10, 4). Cum autem rex vicarius Jahvae esset, ius habebat et, quaecumque legi Mosaicae contraria erant, impediendi et, quaecumque ad eius observationem conducebant, mandandi et exsequendi.

Quin etiam de ipso cultu ministris sacris leges praescribebat, id quod ex multis piorum regum institutis colligi potest.

Adnotatio. — A priscis Hebraeorum regibus distinguendi sunt ii, qui Judaeâ in provinciam Romanam redactâ ab imperatoribus Romanis constituti sunt. Hi enim solo nomine reges erant, a voluntate nutuque procuratorum Romanorum omnino pendentes. Quare etiam neglectis Hebraeorum legibus ac ritibus Romanorum moribus se accommodabant.

VIII. Quidquid ad rempublicam gubernandam spectabat, reges vel ipsi vel per suos magistratus, qui I Rg 4, 2 שָׂרִים *principes* appellantur, gerere solebant, ad quos pertinent:

1) Consiliarii regii (יֹעֲצִים II Sm 15, 12. I Chr 27, 32 s. II Chr 25, 16), quorum dignitas ipso nomine satis intellegitur. Quibus accedunt *prophetae,* quos pii reges in dubitationibus consuluerunt (II Sm 7, 2 = I Chr 17, 1. I Rg 22, 13. II Rg 19, 1—7; 22, 12—20), cum reges ethnici hariolos et falsos prophetas in consilium vocarent (Ex 7, 11. Dn 1, 20; 2, 2), et *filii regis,* qui II Sm 8, 18 כֹּהֲנִים appellantur, cuius vocabuli sensus I Chr 18, 17 clare exprimitur, ubi iidem רִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ. LXX οἱ πρῶτοι διάδοχοι τοῦ βασιλέως, Vulg. „primi ad manum regis" appellantur i. e. qui regi proxime accedebant eique a consiliis sunt interioribus; quare LXX loco II Sm 8, 18 vertunt αὐλάρχαι. Etiam *summos sacerdotes* in aula regis magnae fuisse auctoritatis ex II Sm 15, 24 ss. I Rg 1, 7 s. 26. 34. 39 constat. Id theocratiae optime conveniebat [1]. Consiliariorum nobilissimus idemque regi familiaris vocabatur *amicus regis* (רֵעַ הַמֶּלֶךְ sive רֵעַ II Sm 16, 16. I Rg 4, 5. I Chr 27, 33. cf. *ruḫi šarri* ep. ʿAmârna 181, 11), qui interdum etiam officium aulicum administrabat [2]. At I Mcc 10, 65; 11, 26 s. amicus regis is dicitur, qui praestabat, quod rex volebat, eique proximus erat. Apud Persas numerus consiliariorum ad septem definitus erat, id quod ex Esr 7, 14 et Esth 1, 14 cognoscimus.

[1] Apud Aegyptios quoque sacerdotes regi a consiliis erant (Jos. AJ 1, 8. 1).

[2] Summus hic regis consilarius et amicus apud alias gentes etiam *pater regis* salutabatur. Velut Gn 45, 8 Joseph de se ipse dicit: „Constituit me (deus) לְאָב לְפַרְעֹה *patrem Pharaonis*". Esth 13, 6 Artaxerxes, rex Persarum, de Haman scribit: ὑπὸ Ἀμὰν τοῦ τεταγμένου ἐπὶ τῶν πραγμάτων καὶ δευτέρου πατρὸς ἡμῶν. Ubi quaedam excidisse videntur, quae ex 16, 11 illustrari possunt, ubi haec leguntur: ἔτυχεν (Ἀμὰν) φιλανθρωπίας ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἀναγορεύεσθαι ἡμῶν πατέρα, καὶ προσκυνούμενον ὑπὸ πάντων τὸ δεύτερον τοῦ βασιλικοῦ θρόνου πρόσωπον διατελεῖν. Etiam Demetrius, rex Syriae, Lastheni, uni ex eius ducibus bellicis, I Mcc 11, 32 scribit: Βασιλεὺς Δημήτριος Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν. Saracenorum quoque imperatores sive Chalifae praecipuos regni ministros (Vezirios)

patres nominabant. Huc etiam pertinet titulus Turcicus *Atabek* (= pater princeps i. e. princeps, qui alii principi patris loco est) et *Lala* (= pater) de Sadr a'zam sive Vezirio maiore usurpatus.

2) Cancellarius sive historicus (מַזְכִּיר proprie *memoriae prodens,* LXX ἀναμιμνήσκων, ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, Vulg. *a commentariis* II Sm 8, 16; 20, 24. I Rg 4, 3. II Rg 18, 18. 37. Jes 36, 3. 22. I Chr 18, 15. II Chr 34, 8), cuius erat res gestas regis et historiam imperii conscribere. Annales ab eo scripti דִּבְרֵי הַיָּמִים *acta diurna* (I Chr 27, 24. Esth 6, 1) et סִפְרֵי הַזִּכְרֹנוֹת *libri memoriarum* (Esth 6, 1) appellantur.

Idem munus non modo in aula regum Persarum et veterum (ut ex libris Esther, Esra, Nehemia apparet, cf. Herod. Hist. 6, 100; 7, 90; 8, 100) et recentiorum (apud quos hic magistratus *Vakâi-Nuwisch* vocatur), sed etiam imperatorum Romanorum aetate Arcadii et Honorii (sub nomine „magistri memoriae") memoratur.

3) Scriba regius (סֹפֵר הַמֶּלֶךְ LXX γραμματεὺς τοῦ βασιλέως II Rg 12, 11. II Chr 24, 11), cuius erat mandata et edicta regia scribere. Nonnumquam plures scribae regii memorantur (I Rg 4, 3. cf. Esth 3, 12; 8, 9., ubi de scribis Ahasver, regis Persarum, eius edicta in tabulas referentibus, sermo est). Eorum domus Jer 36, 12 לִשְׁכַּת הַסֹּפֵר vocatur.

Esr 4, 8 s. 17. 23 memoratur scriba regius, qui satrapae Persarum ab epistulis erat. Conferas Herod. Hist. 3, 128: γραμματιστὰς δὲ βασιλῆος οἱ πάντες ὕπαρχοι ἔχουσι.

IX. Ministri aulici, qui apud omnes orientis reges plurimi esse solebant, ex more orientalium עֲבָדִים *servi* regis appellabantur (Gn 40, 20; 41, 10. 37 s; 50, 7. Ex 5, 21; 7, 10; 10, 7. I Sm 16, 17; 18, 22; 28, 7. I Rg 1, 47; 9, 27. II Rg 19, 5; 21, 23. Jes 37, 5. Esth 3, 3; 4, 11).

1) Spectatissimum et princeps munus aulae gerebat מִשְׁנֵה הַמֶּלֶךְ *secundus a rege* (II Chr 28, 7., ubi LXX habent διάδοχον βασιλέως, *vicarium regis,* cf. I Sm 23, 17). Cuius dignitatis iura praecipua clare definire non possumus; ea tamen amplissima fuisse oportet.

Apud exteros quoque reges idem munus fuisse ex sacris litteris constat (cf. Gn 41, 40 s. Esth 10, 3; 13, 3. 6; 15, 2). Simili muneri olim apud Chalifas atque etiam nunc apud Osmanorum imperatores Vezirius maior praeest.

2) *Magister palatii* (אֲשֶׁר עַל הַבַּיִת vel simpliciter עַל הַבַּיִת I Rg 4, 6; 18, 3. II Rg 18, 18; 19, 2. Jes 22, 15) sive maior domus, qui similibus officiis fungebatur atque apud divitiores familias servus quidam aetate provectus sive oeconomus (זְקַן בַּיִת Gn 24, 2. cf. 15, 2. οἰκονόμος Lc 12, 42): ministris aulicis imperabat universaeque rei fami-

liari regis praeerat (= maréchal du palais) [1]. Signum huius mùneris erat singularis vestitus, balteus pretiosus, elegans clavis super umerum gestata (Jes 22, 21 s.) [2]. Ceterum dubium non est, quin dignitas praefecturae palatii cum aliqua potestate aut magistratu civili coniuncta fuerit (l. c.).

[1] Gn 41, 40 Joseph a Pharaone עַל־בֵּיתִי constitutus esse dicitur. Similiter apud imperatores Romanos *praefecti palatii,* apud reges Gallorum *maiores domus* omnem fere rerum gerendarum curam susceperunt atque omnia ad arbitrium administraverunt.

[2] Observandum est claves veterum ita formatas fuisse, ut balteo artificioso de umeris penderent.

3) *Praefectus tributorum* (אֲשֶׁר עַל־הַמַּס LXX ἐπὶ τῶν φόρων II Sm 20, 24. I Rg 4, 6; 12, 18. II Chr 10, 18. cf. I Rg 11, 28), qui vectigalibus regiis praeerat.

4) *Praefecti bonorum regiorum* (שָׂרֵי הָרְכוּשׁ I Chr 27, 31; 28, 1), thesaurorum, agrorum, vinearum, cellarum vinariarum, olivetorum et ficetorum, boum, camelorum, asinorum, ovium (ib. 27, 25—31) [1]. Quibus verisimiliter tredecim נְצָבִים *praefecti* provinciarum subditi erant, qui singulis mensibus victum aulicum (Salomonis) procurabant (cf. I Rg 4, 7—19., ubi Judâ omissâ duodecim provinciae regni numerantur) [2].

[1] Idem munus loco Lc 8, 3 videtur intellegendum esse, ubi ἐπίτροπος quidam Herodis Antipae commemoratur. In quo genere custos quoque gazae reginae Aethiopum, de quo Act 8, 27 agitur, numerandus est.

[2] Cf. A. Alt, Israels Gaue unter Salomo (Atl St 1—19).

5) *Custos cubiculi vestimentorum* (אֲשֶׁר עַל הַמִּלְתָּחָה II Rg 10, 22. שֹׁמֵר הַבְּגָדִים ib. 22, 14. II Chr 34, 22), quae rex iis donabat, quos honorare volebat.

6) *Cubicularii* (cf. Act 12, 20: ὁ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως = praefectus cubiculi regii), quorum procul dubio sunt אַנְשֵׁי מַרְאֵי פְּנֵי־הַמֶּלֶךְ *viri, qui faciem regis vident,* quibus liber ad regem aditus patebat (quorum II Rg 25, 19 quinque, Jer 52, 25 septem numerantur) [1]. Plerumque *spadones* (סָרִיסִים LXX εὐνοῦχοι I Sm 8, 15. I Rg 22, 9. II Rg 8, 6; 9, 32; 24, 12. 15; 23, 11; 25, 19. Jer 29, 2; 34, 19; 38, 7; 41, 16; 52, 25. I Chr 28, 1. II Chr 18, 8) erant, qui omnes, cum Hebraeis castratio quacumque ratione effecta lege prohibita esset (Lv 22, 24. Dt 23, 2), ex aliis gentibus, imprimis ex Aethiopia, magno numero conducebantur (Jer 38, 7: Ebed-Melech, vir Aethiops, eunuchus). Apud exteras gentes custodes erant mulierum (cf. Esth 1, 10 s; 2, 3. 14 s; 4, 4 s.) [2]. Apud Hebraeos autem, quantum ex libris historicis colligi potest, ii, qui eunuchi appellantur, numquam ad custodienda

gynaecea regia adhibiti sunt. Cum autem etiam alias res domesticas in palatio regum curarent, factum est, ut nomine סריסים ministri regii omnis generis significarentur [3].

[1] Quam numeri discrepantiam tollere frustra conamur. Hebraei ita efficere student, ut ii loci inter se congruant, ut dicant Jer 52, 25 septem viris interioris admissionis etiam praefectum militum eumque, qui ordines militum conscribat et in album referat, adnumerari, II Rg 25, 19 autem eosdem non adnumerari. At duo illi viri a regis familiaribus Jer l. c. aperte segregantur.

[2] Conferas vocabulum εὐνοῦχος, quod proprie εὐνὴν ἔχοντα i. e. lecti vel cubiculi custodem significat.

[3] Talis erat Potiphar, qui סָרִיס vocatur, quamquam in matrimonio vixit (Gn 37, 36; 39, 1. cf. v. 7). Atque II Rg 25, 19 סריס militibus praefectus est. Neque quidquam impedit, quin רַב (שַׂר) הַסָּרִיסִים *princeps eunuchorum* (Dn 1, 3. 7—11. 18). qui in regia Babylonia Danielem eiusque socios litteras et linguam Chaldaeorum docebat, praefectus aulicorum intellegatur. Similiter etiam nunc in regia imperatoris Osmanorum praefectus eunuchorum (*Kyzlar Agassy* sive *Kislar Aga* i. e. custos puellarum), qui inter primos aulicos numeratur, educationi puerorum regiorum praeest. Et Josephus AJ 16, 8. 1 de aula Herodis Magni memoriae prodit: Ἦσαν εὐνοῦχοι τῷ βασιλεῖ διὰ κάλλος οὐ μετρίως ἐσπουδασμένοι · τούτων ὁ μὲν οἰνοχοεῖν, ὁ δὲ δεῖπνον προσφέρειν, ὁ δὲ κατακοιμίζειν τὸν βασιλέα πεπίστευτο καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς. Etiam temporibus multo posterioribus apud imperatores Byzantinos in eunuchorum manibus omnia fere negotia regni posita erant; quare *patricii* sive *patres principum* vocabantur (Suidas, Lex. II, 2, 144. s. v. πατρίκιος).

7) *Satellites* sive *milites praetoriani* (qui aetate David הַכֹּרְתִי וְהַפְּלֵתִי II Sm 8, 18; 15, 18; 20, 7. 23. I Rg 1, 38. 44. I Chr 18, 17. aetate reginae Athalja הַכֹּרִי וְהָרָצִים II Rg 11, 4. 19 et II Sm 20, 23 K^{e}thîb [de custodia regis David] vocabantur), quorum praeter officium custodiae regis (cf. Jos. AJ 7, 5. 4) erat cum supplicia sumere de condemnatis (cf. I Rg 2, 25. 31. 34. 46., ubi Benajahu ben Jehojada', eorum praefectus [II Sm 20, 23. I Chr 18, 17], hoc officio fungitur) tum mandata regia quam citissime ad eos deferre, qui muneribus regiis praefecti erant (II Chr 30, 6—10). Sine dubio etiam vigilias aulae agebant (I Rg 14, 27). Ipsi quoque filii regis suos habebant satellites (II Sm 15, 1. I Rg 1, 5) [1]. Ceterum Kerêti et Pelêti etiam גִּבּוֹרִים *fortes, robusti* appellantur, ut ex locis collatis I Rg 1, 8. 10. 38 apparet. Quamquam multi interpretes propter locum II Sm 14, 18 Gibborim (nam הגברים ibi pro הַגָּתִּים legendum est) a Kerêti et Pelêti distinxerunt; tamen id non recte se habet, nam verba illa כָּל־הַגִּבֹּרִים שֵׁשׁ־מֵאוֹת אִישׁ loco allato ut falso interposita delenda sunt. Reges Hasmonaei atque Herodes Magnus eiusque filii milites praetorianos alebant peregrinos, qui in novo testamento σπεκουλάτωρες appellantur (Mc 6, 27) [2].

[1] Vocabula פלתי et כרתי alii aliter interpretati sunt. Atque cum Ez 25, 16 et Zeph 2, 5 nomina כרתי et פלשתים ita coniungantur, ut aliis locis כרתי et פלתי, probabile esse videtur פלתי nihil aliud esse nisi alterum nomen Philistaeorum aut nomen alicuius tribus eius gentis. Loco II Sm 20, 23 cum פלתי secundum Qᵉrê quidem כרתי, secundum Kᵉthîb autem כרי coniunguntur atque etiam loco II Rg 11, 4. 19 in aula reginae Athalja כרי et רצים (= cursores) commemorantur. Fortasse dicere possumus loco posteriore eos, qui nomine originis פלתי vocabantur, ab aliquo officio, quod iis exsequendum erat, cursores appellari (equites praetorianos intellegi?). Ex locis allatis etiam apparet כרתי et כרי eosdem esse. Caveas tamen, ne nominum similitudine adductus כרי et כרתי Cretenses aut Cares fuisse affirmes. Id autem constat כרתי et פלתי non fuisse Hebraeos atque unam cohortem constituisse, non duas, cum semper unus eorum dux commemoretur.

[2] Vocabulum σπεκουλάτωρ, quod a *speculari* ducendum est, primo ac proprie significat singulos milites, qui a duce exploratum emittebantur, deinde delectam manum praetorianorum, cuius erat ipsos imperatores Romanos custodire eorumque mandatis praesto esse (Sueton. Claud. c. 35. Tacit. Hist. 1, 24; 2, 11. 33; 3, 43). Forma *spiculator* (Vulg. Mc 6, 27) a speculatore corrupta est. Neque enim vocabulum a *spiculo* duci potest, quoniam ita *spiculatus* exspectes, si *pilatum, loricatum, hastatum* compares.

In Aegypto et Babylonia milites praetoriani טַבָּחִים *mactatores* (cf. Assyr. *ṭâbiḫu*) vocabantur et parebant praefecto, qui Gn 37, 36: 39, 1; 40, 3 s; 41, 10. 12 שַׂר־הַטַּבָּחִים et II Rg 25, 8. 10—12. 15. 18. 20. Jer 39, 9—11. 13; 40, 1 s. 5; 41, 10; 43, 6; 52, 12. 14—16. 19. 24. 26. 30 רַב־טַבָּחִים vocatur (LXX male ἀρχιμάγειρος, quod vocabulum ἔφορον τῆς βασιλικῆς τραπέζης, *inspectorem mensae regiae* significat). Apud Aegyptios in eius domo erat carcer publicus (Gn 40, 3) et apud Babylonios parti exercitus praeerat (Jer 39, 13; 52, 15).

Adnotatio. — In aula regum Aegyptiorum memorantur שַׂר הַמַּשְׁקִים LXX ἀρχιοινοχόος, Vulg. *magister* sive *praepositus pincernarum* (Gn 40, 2. 9. 20. 23; 41, 9) et שַׂר הָאוֹפִים LXX ἀρχισιτοποιός, Vulg. *princeps pistorum* (ib. 40, 2. 20). Vocabulum משקה, in textu Coptico *refuoth,* plerumque ita explicari solet, ut sit titulus in antiquis textibus Aegyptiis usitatus *ân uṭhu,* quo non pincerna proprie dictus, sed administrator triclinii significatur (cf. H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I, 170—173). Monumenta aetatis posterioris etiam pincernam proprie dictum in regia Aegyptia commemorant (cf. H. Brugsch, Die Aegyptologie 223). De pincernis Salomonis I Rg 10, 5 agitur. In aula Artaxerxis I, regis Persarum, Nehemia (1, 11) erat pincerna (משקה, οἰνοχόος). De pincerna Antipatris Idumaei apud Jos. AJ 14, 11. 4 sermo est.

רַב־שָׁקֵה (II Rg 18, 17) est nomen officii regiae Assyriorum, quod ex lingua Hebraica *princeps pincernarum,* sed ab assyriologis *dux primus* (inferior tamen quam תַּרְתָּן l. c. Assyr. *turtânu, tartânu,* quod nomen imperatorem totius exercitus significat Jes 20, 1) explicatur. H. Zimmern (ZDMG LIII, 1899, 116—118) existimat רב־שקה titulo Assyrio *rab-šâḳû* respondere et principem pincernarum significare, qui simul muneribus maioris momenti functus sit. Etiam רַב־סָרִים (II Rg 18, 17) est nomen

officii regiae Assyriorum et caput eunuchorum significat (= Assyr. *rab-ša-rêši* cf. H. Zimmern l. c. 116 [2]).

Jer 51, 59 verbis שַׂר־מְנוּחָה munus quoddam aulae Babyloniorum significatur, *princeps hospitii* regis, cuius officium in eo constitisse videtur, ut regibus iter facientibus necessaria provideret. Graeci Alexandrini vertunt ἄρχων δώρων, quibuscum consentit interpres Chaldaicus, qui vertit רַב תּוּקְרְבָתָא *princeps muneris* sive *munerum* i. e. qui muneribus regi offerendis praeerat, per quem, qui munera regi offerre vellent, accessum ad eum haberent.

In regia Persarum memoratur גִּזְבָּר *thesaurarius* (cf. Bab. *ganzabaru*), qui pecuniae regiae praefectus erat (Esr 1, 8; 7, 21).

Comitatui regio gynaeconitis quoque adnumeranda est; nam magnam partem ad pompam solam spectat. Unam uxorem (I Sm 14, 50) et unam concubinam (II Sm 3, 7. cf. 12, 8) habuisse videtur Saul; plures de utrisque habuit David (ib. 2, 2; 3, 2—5; 5, 13; 15, 16); supra quam credibile est earum numerum auxit Salomo, qui septingentas uxores principes et trecentas concubinas habuisse dicitur (I Rg 11, 3)[1]; alii quoque reges in hac re modum non adhibuerunt, ut Rehabeam (II Chr 11, 21. 23) et Abia (ib. 13, 21), postea Herodes Magnus (Jos. AJ 17, 1. 3). Omnes uxores regis *reginae* nominabantur, velut I Rg 11, 3., ubi uxores Salomonis נָשִׁים שָׂרוֹת *mulieres principes* vocantur (cf. Ct 6, 7 s.)[2]; uxor autem praeter ceteras a rege dilecta et imprimis mater regis aliqua auctoritate utebatur (cf. I Rg 2, 19; 15, 13. II Rg 24, 15. II Chr 21, 6; 22, 3. Jer 29, 2); hinc in libris Rg et Chr mater regis semper fere nominatim memoratur (ut I Rg 15, 10. II Rg 24, 8. 15. II Chr 13, 2; 24, 1; 27, 1; 29, 1). Primae uxori regis et matri regis titulus גְּבִירָה *domina* (cf. Arab. *Sultâna wâlida*) tribuebatur (I Rg 11, 19; 15, 13. II Rg 10, 13. II Chr 15, 16. Jer 13, 18; 29, 2). Etiam nunc non ultima pars splendoris regum Asiae in numeroso gynaeceo conspicitur, in quod quanto nobiliore stirpe exortae virgines deducuntur, tanto illustrior rex habetur. Ps 45, 10 quoque poeta regem celebrat propter praestantiam et splendorem uxorum, quarum plerasque e stirpe regia fuisse verbis significat: „Filiae regum inter pretiosas tuas“ i. e. inter puellas tibi caras.

Successor regis erat etiam heres gynaeconitidis (II Sm 12, 8). Qui in gynaeceum regium invaserat aut ostenderat se feminam quandam ex eo vel uxorem ducere vel concubinam habere cupere, in suspicionem criminis maiestatis veniebat et tamquam seditiosus supplicio afficiebatur (cf. II Sm 3, 7 s; 16, 22. I Rg 2, 21 s.).

[1] Textus loci I Rg 11, 3 corruptus est. Pro שבע מאות nonnulli simpliciter שבע *septem*, alii שבעים *septuaginta* legendum esse existimant.

Pro שלש מאות verisimile est שלשים *triginta,* ex aliorum opinione תשעים *nonaginta* legendum esse. Quod Tatianus (Adv. Graec. § 37. MSG 6, 880) ex historia Phoenicum tradit Hiram regem Salomoni filiam in matrimonium dedisse, id sacris litteris non confirmatur; nam I Rg 11, 1 inter mulieres alienigenas Salomonis Sidoniae quidem, non autem Tyriae numerantur. Ex I Rg 3, 1; 9, 16. II Chr 8, 11 apparet Salomo etiam filiam Pharaonis uxorem duxisse (I Rg 11, 1 verba ואת־בת־פרעה interpretatio aliena esse videntur). Sunt qui dixerint locis I Rg 3, 1 et 9, 16 (ut saepius in vetere testamento) nomen Miṣraim (Aegyptus) nomine Muṣri, quo parva regio Arabica significatur, mutandum esse (H. Winckler KAT[3] 236). At quod Salomo eam filiam principis honorificentissime tractat, inde colligendum est eam esse filiam potentis regis, non parvi principis Arabum. Quis is Pharao fuerit, cuius filia uxor Salomonis facta est, in vetere testamento non dicitur. Verisimile autem est eum vicesimae primae domus regiae fuisse; fortasse ultimus eius rex fuit, nomine Pisebcha'nnu II (*A. Wiedemann, E. Meyer,* alii recentiores). Nonnulli existimant Šišak I (Aeg. *Šošenḳ*), auctorem vicesimae secundae domus regiae, socerum Salomonis fuisse. Cf. A. Alt, Israel und Aegypten 33 ss.

[2] Ceterum nomen reginae proprium erat שְׁגַל, quod praeter Ps 45, 10 semel tantum invenitur, Neh 2, 6., ubi de regina ad latus regis Arthasasta sedente, et in locis Aramaicis Dn 5, 2 s. 23., ubi de uxoribus regis Belsazar, quae ab eius concubinis (לְחֵנָה) diserte distinguuntur, usurpatur.

X. Reges Hebraeorum, cum multa negotia ipsi procurarent, non procul coetu hominum vivere solebant, ut alii reges orientis (cf. Esth 1, 14. Herod. Hist. 1, 99; 3. 140. Diod. Sic. Bibl. hist. 2, 21; 3, 47), sed liber ad eos aditus unicuique patebat, idque saltem primis temporibus (II Sm 19, 8. I Rg 3, 16; 22, 10. II Rg 6, 26. Jer 38, 7., de aetate posteriore cf. M. Sanhedrin 2, 2 ss.), cum apud Persas ii, qui vocati non erant, ad regem accedere sub mortis poena vetiti essent (Esth 4, 11). Atque regis faciem intueri ad eumque libere accedere pro eximio favore habebatur (Jes 33, 17. Prov 29, 26). Irati regis adspectus instar nuntii mortiferi esse, serenus eius vultus vitam afferre existimabatur (Prov 16, 14 s; 19, 12).

Mos erat antiquitus receptus, ut qui reges ac principes adibant, non sine donis compareant (cf. p. 591) iisque sempiternam vitam ac felix imperium precarentur. Quod ex Dn 2, 4 constat, ubi Chaldaei ad Nebucadnezar regem adducti eum his verbis allocuti sunt: מַלְכָּא לְעָלְמִין חֱיִי *O rex, in saecula vive!* i. e. precamur tibi longam vitam cum perpetua felicitate. Cf. ib. 3, 9 et 5, 10., ubi eandem formulam salutationis legimus. Eodem voto principes quoque et satrapae regem prosecuti sunt (ib. 6, 6) ipseque Daniel (ib. v. 21). Iisdem verbis Nehemia Artaxerxen (Neh 2, 3), Bathseba regem David (I Rg 1, 31) salutavit. Apud Curt. De reb. gest. Alex. 6, 5 Artabazus Alexandro Magno acclamat: „Tu rex, perpetua felicitate floreas!“ Et apud Aelian. Var. hist. 1, 32 Persa quidam Ar-

taxerxen muneris loco aquam manu haustam ei offerens sic salutat: Δι' αἰῶνος βασιλεύοις!

Reges et principes in publicum prodeuntes asinis et mulis (II Sm 13, 29. I Rg 1, 33. 38) aut curribus vehebantur, ante quos milites praetoriani praecurrebant (I Rg 1, 5. II Rg 9, 21; 10, 15 s.). Reges ambulantes haud raro manui ministrorum incumbebant (II Rg 5, 18; 7, 2. 17).

Etiam regina Esther suis cubiculariis feminis nixa (Gr. Esth 5, 5) et sponsa dilecto suo iuncta ab eoque e deserto domum deducta (Ct 8, 5) describitur.

XI. Maxima erat dignitas regis subiectorumque erga eum reverentia (cf. I Sm 24, 9; 25, 23. II Sm 9, 6; 19, 18. I Rg 1, 16. II Rg 9, 13. Prov 24, 21). Atque sacrae litterae dignitatem regiam nonnumquam pontificali anteponunt, numquam postponunt. Reges Judaeorum a Romanis instituti dignitate senatoria erant (cf. Jos. AJ 14, 10. 6). Laesae maiestatis rei graviter puniebantur (II Sm 14, 24. 28), etiam morte (ib. 19, 21. I Rg 21, 10). Nihilo minus non defuerunt, qui reges interimerent, imprimis in regno Israelitico, in quo mores magis corrupti erant.

Conferas legem de honorando magistratu Ex 22, 27. De poena autem eorum, qui hanc legem violaverint, lex nihil statuit. Neque vero dubium est, quin delictum in magistratum maiorem commissum severius punitum sit quam in minorem. Quam legem alii absurde ita intellexerunt, quasi diis falsis gentilium maledici vetaretur, imprimis Philo De vita Mosis 1. 3. opp. II, 166 et Josephus AJ 4, 8. 10. CAp 2, 33. Quae Philo et Josephus haud dubie gentilium causâ protulerunt, inter quos vivebant, ut ii intellegerent Judaeos non ita esse petulantes in deos alienos, ut vulgo habebantur.

Sollemnis regis titulus erat מֶלֶךְ (velut I Sm 10, 24. I Rg 21, 10. 13. Jes 32 1; 33, 17. Ps 20, 10; 21, 2; 45, 2. 6. 12. 16; 61, 7. Prov 24, 21) et מְשִׁיחַ יְהוָה LXX ὁ χριστὸς κυρίου (I Sm 2, 10. 35; 12, 3. 5; 16, 6; 24, 7. 11; 26, 9. 11. 23. II Sm 1, 14. 16; 19, 22; 23, 1. Ps 2, 2; 18, 51; 20, 7; 28, 8). In poesi rex interdum *filius dei* vocatur (Ps 2, 7; 82, 6. cf. II Sm 7, 14), non modo quod deo ipso magistro usus sapientiam et prudentiam, animum in periculis intrepidum, in consiliis promptum, aequitatis et iustitiae amantem a deo accipere credebatur (cf. I Rg 3, 5—12; 5, 9—14. I Sm 16, 13), sed maxime ideo quod regiam potestatem ipsam a Jahve, summo Hebraeorum rege (Ex 19, 4—6. Dt 33, 5. Jdc 8, 23. I Sm 8, 7; 12, 22), acceperat, cuius vicarius tantum erat. Etiam reges Aegyptii et Assyrii se *dei filios* esse putaverunt, qua re significabatur regiam dignitatem

ac potentiam a deo manare. Praeterea complures populi orientis antiqui regem titulo *dei* alloquebantur. In vetere autem testamento nusquam rex aliquis deus appellatur.

Reges Aegyptii in monumentis saepius tamquam dii apparent; nam ornatu et vestimentis deorum induti repraesentantur. Tituli, qui iis induntur, sunt: filius Râ, filius deorum, bonus deus, alii eius modi. Velut Ramses II in quadam columna, quae tertio eius regni anno erecta est, appellatur Horus, aureus Horus, filius Râ, qui semper et perpetuo vitam largitur, fulgens in solio inter vivos, sicut pater eius Râ, bonus deus, deus Set; quo die natus est, dii dixerunt: „Nos genuimus eum", deae dixerunt: „Ex nobis prodiit" etc. In quodam carmine aetatis domus regiae undecimae dicitur: „Dii, qui ante fuerunt, in pyramidibus requiescunt". Pari modo regina vocatur uxor dei, mater numinis; filius regis appellatur semen divinum; nutrix regia deum enutrire dicitur (A. Erman, Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum 91 s. 95. 103. 113. 117). Quare ea, quae Ez 29, 3 Pharao dicit: „Meus est fluvius meus (Nilus i. e. nemo eum mihi adimere et sibi vindicare poterit) et ego feci mihi (fluvium illum, ut regionem meam irrigaret)", a regia iactantia haud aliena sunt. — Babylonios quoque et Assyrios regem in terra locum dei obtinere atque filium dei esse putasse ex multis inscriptionibus cuneiformibus apparet. Velut rex Ḫammurapi dicit Bêl incolas terrae suae sibi regendos tradidisse, Bêl regnum sibi commisisse (KB III, 1, 120 s.). Apud Assyrios dea Ištar mater hominum, imprimis regum, appellatur. — Apud Homerum quoque multis locis reges διοτρεφέες, διογενέες appellantur.

A plerisque gentibus reges communi quodam nomine titulove compellabantur. Velut imperatores Romanorum *Caesares* vocabantur. Quod cognomen Julii Caesaris ex quo ab Octaviano Augusto adscitum est, apud eum eiusque successores nomen appellativum evasit, qua vi usurpatur Mt 22, 21. Mc 12, 17. Lc 20, 25., praeterea de Augusto Lc 2, 1. de Tiberio Lc 3, 1. Jo 19, 12. 15. de Claudio Act 17, 7. de Nerone Act 25, 8. 10—12. 21. Phil 4, 22. Appellabantur etiam *Augusti* (Σεβαστός, proprie *venerandus* Act 25, 21. 25). Quod cognomen primus Caesar Octavianus anno 727 a. u. c. assumpsit (Sueton. Octav. c. 27). Inde a Caligula mos erat imperatorem vocare *dominum* (κύριον Act 25, 26), quam „appellationem ut maledictum et opprobrium" Octavianus Augustus „semper exhorruit" (Sueton. Octav. c. 53). Neque mirum eum, cum tyranni suspicionem effugere vellet, id nomen semper abhorruisse; nam nomen *domini* Romanis, dum libera respublica erat, eandem habebat vim quam tyranni. Idem narratur de Tiberio (Sueton. Tib. c. 27. Tacit. Annal. 2, 87) et de Alexandro Severo (Ael. Lampr. Alex. Sev. c. 4). Eum titulum „libenter audiit" Domitianus, qui „cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistulam, sic coepit: *Dominus et deus noster sic fieri iubet.* Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter" (Sueton. Domit. c. 13). — Aegyptii reges usque ad tempora Ezechiel (32, 2) *Pharaones* appellabant, postea *Ptolemaeos.* Atque nomen פַּרְעֹה ex vocabulo Aegyptio *per-âa* (= magna domus) ortum est *(E. de Rougé).* Unde congruit cum significatione gubernationis imperii Turcici huius aetatis: *Babi-ʿali* (= sublimis porta), idque praecipue eo confirmatur,

quod, ut Horapollo (Hieroglyph. 1, 6) memoriae prodit, rex Aegyptius οἶκος μέγας appellabatur. Ceterum Aegyptii usque ad domum regiam vicesimam secundam nomen Pharao in textibus popularibus sine addito nomine proprio scribere solebant, inde ab anno a. Ch. n. millesimo additis nominibus propriis. In sacris litteris quoque nomen Pharao plerumque, in Pentateucho semper sine addito nomine proprio legitur; quo antiquitas Pentateuchi confirmatur. Cf. H. J. Heyes, Bibel und Aegypten I, 21—24. — Communis titulus regum Philistaeorum erat *Abimelech* (אֲבִימֶלֶךְ = *pater regis* vel *pater rex* Gn 20, 2 ss; 21, 22 ss; 26, 1 ss. Ps 34, 1). A Syris Damascenis reges vocabantur *Hadad* vel *Ben Hadad* (בֶּן־הֲדַד *filius* sive *cultor Hadad,* summi dei Syrorum, I Rg 15, 18 ss. II Chr 16, 2. 4. I Rg 20, 1 ss. II Rg 6, 24; 8, 7 ss. c. 13). Nomen appellativum regum Amalekitarum erat *Agag* (אֲגַג et אָגָג Nm 24, 7. I Sm 15, 8 s. 20. 32 s.). Etiam *Adonibezek* (אֲדֹנִי־בֶזֶק = dominus Bezek, Αδωνιβεζέκ Jdc 1, 5—7) commune nomen regum urbis Canaanaeae Bezek fuisse videtur; alii id nomen pro nomine proprio accipiunt (cf. simile nomen proprium אֲדֹנִי־צֶדֶק Jos 10, 1. 3., ubi LXX legunt Ἀδωνιβεζέκ). Ab Aethiopibus reginae, quas habebant (Euseb. Hist. eccl. 2, 1. MSG 20, 137), appellabantur Κανδάκη (Act 8, 27).

Cum adoratio divini numinis plerumque certis quibusdam gestibus, ut totius corporis usque ad terram incurvatione, genuflexione aliisque similibus caerimoniis perageretur (unde verbum προσκυνεῖν, *adorare* in novo testamento explicatur formulis loquendi γονυπετεῖν, πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον cf. Mt 8, 2 cum Mc 1, 40 et Lc 5, 12., προσπίπτειν πρὸς τοὺς πόδας cf. Mt 15, 25 cum Mc 7, 25), hominibus potentioribus et praecipue regibus eaedem reverentiae obedientiae testandae causâ praestabantur. Unde factum est, ut reges quoque et nobiles *adorari* dicerentur (I Rg 1, 23. 31. cf. Gn 19, 1; 23, 7; 33, 3; 42, 6; 43, 26) atque adoratio aut hominibus aut diis attributa distingueretur. Utramque uno verbo chronista complexus est: „*Et adoraverunt* (וַיִּשְׁתַּחֲווּ) *deum* (adoratione religiosa) *et regem* (adoratione civili)“, pari gestu, sed animo distincto (I Chr 29, 20).

Reges, ut vivi maxime honorabantur, ita etiam mortui, praecipue boni piique, maxima documenta amoris venerationisque a subiectis accipiebant. Nam regis obitum universus populus summo luctu prosequebatur (I Rg 14, 18. II Chr 35, 24) eiusque corpus in sepulcro regum condebat (I Rg 2, 10; 11, 43; 14, 31; 15, 8. II Rg 9, 28. II Chr 16, 14; 32, 33). Cum vero eius imperium improsperum fuerat, sepulturâ regiâ privabatur (II Chr 21, 20; 24, 25; 28, 27).

XII. Quae regi ad dignitatem suam tuendam aulamque sustinendam praestanda essent, Hebraei singularibus pactionibus definiverunt (I Sm 10, 25. II Sm 5, 3. II Rg 11, 17. I Chr 11, 3. cf. I Rg 12, 4 ss.), quae nobis quidem ignotae sunt, quae tamen I Sm 8, 11—17

enumerantur, ea certe omnia non complectebantur. Quare nisi ex iis, quae apud alias gentes orientis usitata erant, et ex quibusdam indiciis sacrarum litterarum colligi non potest, quosdam reditus reges Hebraeorum acceperint. Erant autem

1) Dona cuiuscumque generis non coacta (I Sm 10, 27; 16, 20. I Rg 10, 25. II Chr 9, 24; 17, 5; 32, 23).

2) Greges, quibus vel aliquis minister regius vel filius regis praepositus erat (I Sm 21, 7. I Chr 27, 29—31. II Chr 26, 10; 32, 28 s.).

3) Praedia privata regis, ut agri, vineae, horti olivarum (I Sm 8, 14. I Chr 27, 26—28. II Chr 26, 10), quae vel ex regionibus incultis parabantur vel publicata bona perduellium erant atque a mancipiis, quae fortasse etiam ex gentibus subiectis erant, colebantur (I Sm 8, 12. 16). Eorum partem reges interdum ministris, quibus maxime favebant, dono dabant (I Sm 22, 7).

4) Tributa subiectorum (I Sm 17, 25. II Sm 20, 24. I Rg 4, 6), quae tamen nisi consensu comitiorum decreta non esse videntur (I Rg 12, 1—15 = II Chr 10, 1—15). Eodem etiam pertinet prima tonsio ovium (Am 7, 1). Fortasse decumae quoque regi pendendae erant (cf. I Sm 8, 15. 17).

Apud alias quoque gentes decumae regi tributae sunt. Velut Persarum reges de frugibus decumas exigebant (Aristot. Oecon. 2, 1, 4). Hodie quoque Turcae in Palaestina decumas omnium fructuum exigunt.

Extraordinaria tributa, quae civibus indicta sunt, duobus locis commemorantur: Phul (Pûlu = Tiglat-Pileser III), rex Assyriorum, Menahem, regi Israelitarum, tributum mille talentûm argenti imposuit. Ad quam pecuniam solvendam Menahem civibus potentibus et divitibus quinquagenos siclos argenti indixit (II Rg 15, 19 s.). Necho, rex Aegypti, Jojakim, regi Juda, multam centum talentûm argenti et unius talenti (decem talentûm cf. LXX Luc.) auri imposuit. Quam pecuniam Jojakim ita collegit, ut cives pro sua quisque re familiari stipem conferre deberent (II Rg 23, 33—35).

5) Vectigalia mercatorum, qui per regionem Hebraeorum transibant (I Rg 10, 15 = II Chr 9, 14).

Reges Babyloniorum de omnibus, quae importabantur, decumas exigebant (Aristot. Oecon. 2, 2, 34).

6) Spolia gentium devictarum (et quidem pretiosissima praedae pars) earumque tributa, quae partim ex nummis numeratis partim ex proventu agrorum et animalium domesticorum constabant (II Sm 8, 2—14; 12, 30. I Rg 5, 1. II Rg 3, 4. II Chr 17, 11; 27, 5. Esr 4, 20). E quibus David ingentes illas opes, quae ad templum aedificandum necessariae erant, conquisivit (I Chr 26, 26 s.).

7) Commercia cum aliis gentibus, e quibus imprimis Salomo immensas divitias collegit (I Rg 9, 26—28; 10, 28 s. = II Chr 1, 16 s.).

De regno apud Hebraeos conferas G. Schickard, Ius regium Hebraeorum. Cum animadversionibus et notis *J. B. Carpzov.* Lipsiae 1674; J. Schlier, Die Könige in Israel. Stuttgart 1859; J. König, Das alttestamentliche Königtum. Freiburg 1863; J. Boehmer, Gottes Gedanken in Israels Königtum. Gütersloh 1902; K. Budde, Die Schätzung des Königtums im alten Testament. Marburg 1903.

Caput tertium

De imperii in exsilio et post exsilium forma.

I. Durante captivitate Babylonia res Judaeorum valde tristes erant. Ex compluribus locis veteris testamenti colligi potest eos multis malis obnoxios fuisse multisque rebus aegre caruisse (II Rg 25, 27. Jes 41, 14; 42, 22; 43, 28; 47, 6; 52, 5). Tamen nonnulli ex iis domos aedificaverunt et agros coluerunt (Jer 29, 5), servos habuerunt (Esr 2, 65) et ad honores pervenerunt (Dn 1, 3—19; 2, 48). Verisimile est eos in parvas civitates divisos fuisse, ut conventus agere possent (Ez 8, 1; 14, 1; 20, 1). Praeerant iis זְקֵנִים *seniores* (Jer 29, 1. et ll. cc.), sed etiam רָאשֵׁי הָאָבוֹת *capita* sive *principes familiarum* quadam erant auctoritate (Esr 1, 5. cf. 4, 2 s; 8, 1 ss.). Praefectus (רֹאשׁ) unius civitatis Esr 8, 17 memoratur. Sed cunctis exsulantibus unum praefectum praepositum esse demonstrari non potest. Quamquam verisimile est deportatum Jojachin, regem Juda, quem Evilmerodach liberavit atque ad honores civiles provexit (II Rg 25, 27—30. Jer 52, 31—34. Jos. AJ 10, 11. 2), haud parva apud exsulantes floruisse auctoritate. Atque eos etiam tum proprium iudicium propriosque iudices cum potestate causas cognoscendi et sontes morte multandi habuisse ex historia Susannae apparet, ubi „duo senes iudices de populo“ memorantur (Vulg. Dn 13, 5. cf. v. 41).

Ez 1, 1 et 10, 20 legimus Judaeos exsules ad flumen *Kebar* fuisse. Quod flumen est fossa *Kabaru* apud urbem Nippur (hodie Niffer) ducta. Ex Ez 3, 15 apparet in loco quoque *Tell Abib* ad fossam Kebar sito exsules habitavisse atque ex Esr 2, 59 exsules in locis *Tell Melach, Tell Harscha, Kerub, Addan, Immer* fuisse. Esr 8, 15 memoriae proditur Esra eos exsules, qui cum eo in patriam redituri erant, ad id flumen convenire iussisse, quod *Ahawa* versus fluit (sed Esr 8, 21. 31 de flumine Ahawa agitur). De nomine Ahawa nihil certi dici potest. Ex Esr 8, 7 efficitur in loco *Kasiphja* Levitas habitasse. Qui locus ubi situs sit, item ignoratur.

De Judaeis in Babylonia exsulantibus recentiore aetate nonnulla effossionibus in urbe *Nippur* factis accepimus. Ibi 730 litterae Artaxerxe I (464—424) et Dario II (423—405) regnantibus negotiorum causâ scriptae inventae sunt. Locus, ubi eae tabellae erant, quondam tabularium domus rerum promercalium „Murašu eiusque filiorum" Bêl-ḫatin et Bêl-nadin-šumu fuit (cf. H. V. Hilprecht, The Babylonian Expedition of the University of Pennsylvania. Series A. Cuneiform texts. Vol. IX and X. Philadelphia 1898 and 1904). Ex iis litteris apparet multos Judaeos exsulantes in urbe Nippur et in locis, quae circa erant, habitavisse. Inter nomina propria, quae H. V. Hilprecht interpretatus est, et talia, quae in vetere quoque testamento exstant, sunt et talia, quae, etsi in vetere testamento non leguntur, tamen, cum composita sint cum dei nomine Jahve, Hebraica esse manifestum est, velut *Aḥijâma* (in VT *Aḥijja*), *Banajâma* (in VT *Benaja*), *Barikjâma* (in VT *Berekja*), *Gadaljâma* (in VT *Gedalja*), *Ḥananjâma* (in VT *Ḥananja*). Praeterea apparet Judaeos exsulantes aut eorum posteros in negotiis Babyloniorum summo studio versatos esse. Neque vero ex illis litteris, cum post exsilium ortae sint, colligendum est iam Judaeos ex Palaestina in Babyloniam deportatos agricultură omissâ in mercatura et in variis opificiis versari coepisse. Inde autem, quod cum Serubbabel et postea cum Esra tantummodo pars exsulantium in patriam rediit, efficitur multos Judaeos in Babylonia sedem stabilem et domicilium collocasse et divites factos esse.

Ceterum videas E. Klamroth, Die jüdischen Exulanten in Babylonien. Leipzig 1912; P. Riessler, Der Untergang des Reiches Juda und das Exil im Rahmen der Weltgeschichte (BZF V, 1) Münster 1912; A. Eberharter, Die Deportationen aus dem Reiche Juda und die Lage der jüdischen Exulanten in Babylonien (Theol.-prakt. Monatsschrift XXIII, 1913, 661—674).

De rebus civilibus Israelitarum ab Assyriis in exsilium deportatorum nihil certi accepimus. Verisimile est eos initio proprios magistratus habuisse. Cum autem progrediente tempore plerique exsulantes cum gentibus exteris, inter quas commorabantur, se permiscuissent, prima eorum constitutio interisse videtur; nec tamen ante reditum Judaeorum in Babylonia exsulantium, quibus se multi Israelitae iunxerunt, antiqua tribuum distinctio penitus exolevit, cum multo post inter Judaeos quidam ex tribu Ascher oriundus memoretur (Lc 2, 36).

Sargon II, rex Assyriorum, Israelitis anno 722 in exsilium deportatis „in Chalach et iuxta Chabor, fluvium Gozan, et in urbibus Medorum" locum ac sedes paravit (II Rg 17, 6). *Chalach* (חלח) regio illa Mesopotamiae intellegenda est, quae in inscriptionibus cuneiformibus *Ḫalaḫḫa* appellatur. *Chabor* (חבור, Assyr. *Ḫabûru,* hodie *Ḫâbûr*) per regionem Assyriam Guzanu, quae apud Ptolemaeum Γαυζανῖτις vocatur, fluit et ad Circesium in Euphraten effunditur. Quod memoriae proditur Israelitas deportatos in Medorum quoque urbes missos esse, id nonnullis locis libri Tobiae completur, ubi praeter Ninive (1, 3) urbes Medorum Rages (1, 14) et Ekbatana (3, 7) domicilia Israelitarum exsulantium appellantur. Israelitae

anno 734 a Tiglat-Pileser III in Assyriam deportati (II Rg 15, 29), quo missi sint ignotum est, cum de ea re neque in vetere testamento neque in inscriptionibus cuneiformibus quidquam memoriae tradatur.

Recentissima aetate inscriptionibus Assyriis de fortuna Israelitarum in regnum Assyrium abstractorum certiores fieri videmur. S. Schiffer in libro, qui inscriptus est: „Keilinschriftliche Spuren der in der zweiten Hälfte des 8. Jahrhunderts von den Assyriern nach Mesopotamien deportierten Samarier“ (Berlin 1907) decem et septem inscriptiones cuneatas edidit, quae ad tempus inter annos 650 et 608 a. Ch. pertinent. Iis de Israelitis exsulibus agi opinatur. In urbe *Kannu* in Mesopotamia superiore sita, ubi ii habitabant, templum dei *Au* erat. Praeterea urbs nomine *Kar-au* commemoratur et multa nomina propria exstant cum Au composita, velut *Au-aḫ-iddin*, *Au-e-ballitani*, *Au-daninani*, *Au-sâlim*, *Au-šezibbi*, *Au-ḫutim*. S. Schiffer deum Au Jahven Israelitarum intellegendum esse existimat; nomen enim Au nomini Jahvae aequandum esse ex transcriptione Assyria nominum propriorum compositorum effici. Quare in urbe Kannu proximis decenniis, quae interitum Ninive (606 a. Ch.) antecesserunt, magnam multitudinem Israelitarum habitasse ibique templum Jahvae fuisse. — Contra ea, quae S. Schiffer ad sententiam suam demonstrandam attulit, nihil grave dici potest, nisi quod id unum parum intellegendum est, cur nomen dei Jahve in illis inscriptionibus non ut alibi vocabulo *Jau*, sed vocabulo *Au* redditum sit.

II. Post templi et Hierosolymorum instaurationem reipublicae *praefecti* (פחות LXX ἡγεμόνες) praeerant, qui a regibus Persarum, quibus varia tributa conferenda erant [1], ampla potestate instructi populum gubernabant. Atque primus praefectus Judaeae a Cyro constitutus fuit *Šešbaṣṣar* (Esr 5, 14), princeps Judaicus (ib. 1, 8), qui etiam anno 538 primos Judaeos exsulantes in patriam reduxit (ib. 1, 11). Altera manus exsulantium aut paulo post aut secundo demum anno regni Darii Hystaspis (521—486) in Judaeam profecta est. Cui praeter *Serubbabel* decem viri insignes praeerant (Esr 2, 2). Tertium exsulantes septimo anno regni Artaxerxis I Longimani (465—424) redierunt, quibus *Esra* sacerdos praeerat (Esr 7, 1—7). Anno vicesimo regni Artaxerxis Longimani *Nehemia*, pincerna eiusdem regis, facultatem in patriam redeundi obtinuit et provinciae Judaeae praefectus est (Neh 2, 1 ss.). Duodecim annos Hierosolymis moratus in Persidem rediit, sed post aliquod tempus iterum Hierosolyma venit et Judaeae praefectus est (ib. 13, 6 ss.) [2]. Nehemia mortuo cura negotiorum publicorum pontificibus et senioribus populi demandata est, quorum tamen nemo principis aut regis nomen assumpsit [3].

[1] Tributa, quae Judaeis a regibus Persarum imposita sunt, Esr 4, 13. 20; 7, 24 commemorantur: מִדָּה, הֶלֶךְ, בְּלוֹ (LXX et Jos. AJ 11, 2. 1 simpliciter φόροι). Quorum vocabulorum vis parum constat. Originationem si sequaris, בלו tributum in res consumendas impositum, הלך vectigal

viarium, מדה partem demensam pecuniae a quovis cive solvendam, probabiliter vectigal agrorum possessoribus impositum significat. Praeterea Judaei a praefectis varie premebantur (Neh 5, 15) et onus vectigalium aegerrime ferebant (ib. 9, 37). Sacerdotes tamen et Levitae immunes tributorum erant (Esr 7, 24).

[2] Usque ad nostra tempora ab omnibus fere probatum erat anno septimo regni Artaxerxis I Longimani Esra, vicesimo Nehemia Hierosolyma venisse, qui unâ cum Esra religionem atque cultum instauraverit. Hodie autem tempus Esra et Nehemia in controversia versatur et a viris doctis varie determinatur. Atque nonnulli (imprimis *A. van Hoonacker*), quamquam Nehemia regnante Artaxerxe Longimano Hierosolyma venisse sibi persuaserunt, tamen negant Esra eo venisse nisi anno septimo regni Artaxerxis II Mnemonis (405—358). Alii (velut *F. Kaulen*) et Esra et Nehemia ad tempus Artaxerxis Mnemonis reiciunt. Quae contra ea dici possunt, *Ch. Huyghe* (Revue des questions historiques. Juillet 1893, 5—48) et *J. Knabenbauer* (Lex. Bibl. II, 216—218) exponunt. Memoratu digna vix est opinio Artaxerxen III Ochum intellegendum esse; nam Neh 13, 6 annus tricesimus secundus Artaxerxis commemoratur, Ochus autem solum viginti unum annos (358—337) regnavit.

P. Riessler (BZ I, 1903, 232—245) probare conatur Nehemia cum Serubbabel et Šešbaṣṣar aequandum esse atque Judaeis exsulantibus praefectum anno 538 ex Babylonia Hierosolyma revertisse.

[3] Familia David, etsi non amplius imperium obtinebat, principatum tamen et dignitatem quandam diu retinuit; postea autem ad inopiam redacta est.

Cf. W. H. Kosters, Het Herstel van Israël in het perzische tijdvak. Leiden 1894. Ed. Germ. Die Wiederherstellung Israels in der persischen Periode. Heidelberg 1895; E. Sellin, Serubbabel. Ein Beitrag zur Geschichte der messianischen Erwartung und der Entstehung des Judentums. Leipzig 1898. Die Restauration der jüdischen Gemeinde in den Jahren 538—516. Das Schicksal Serubbabels (Studien zur Entstehungsgeschichte der jüdischen Gemeinde nach dem babylonischen Exil. II). ib. 1901; S. Jampel, Die Wiederherstellung Israels unter den Achämeniden. Kritisch-historische Untersuchung mit inschriftlicher Beleuchtung. Breslau 1904; J. Nikel, Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem babylonischen Exil (BSt V, 2—3) Freiburg 1900.

Inde ab exsilio multi Judaei extra Palaestinam colonias collocaverunt, quae iam II Mcc 1, 27 διασπορά i. e. *dispersio* appellantur, quod nomen ex LXX Dt 30, 4. Jes 49, 6 sumptum est. Praeter colonias, quas Judaei ad Euphraten et Tigridem exsulantes condiderunt (= *diaspora Aramaica*), de quibus modo diximus, hîc etiam de coloniis, quae in terris mari mediterraneo adiacentibus conditae sunt (= *diaspora Palaestinensis*), breviter agendum est.

Atque primum Aegyptus a Judaeis frequentata fuisse videtur. Iam ante Hierosolyma a Babyloniis destructa coniunctionem inter Aegyptios et Judaeos fuisse ex Jes 30, 2. Jer 2, 18 apparet. Neque

dubium est, quin in exercitibus Aegyptiorum mercennarii Judaici stipendia meruerint et saepius Judaei bello capti in Aegyptum venerint. Gedalja occiso (anno 586) multi Judaei cum Jeremia in Aegyptum fugerunt (II Rg 25, 26. Jer 43, 4—7) ibique „in Migdol, Tachpanhes (= Daphne, hodie Tell-ed-Defenne), Noph (= Memphis, Mennôfer) et in terra Patros (i. e. in Aegypto superiore)“ habitabant (Jer 44, 1. 15). Ab Alexandro Magno Judaei in urbe Alexandria recens fundata sedes atque iura et munera civitatis indigenis aequalia obtinuerunt, quae iis a Julio Caesare confirmata sunt (Jos. CAp 2, 4. AJ 19, 5. 2). Quae colonia valde aucta est Judaeis captivis, quos Ptolemaeus I Lagi (qui mortuo Alexandro eiusque regno diviso in Aegypto domum regiam Ptolemaeorum sive Lagidarum condidit) in Aegyptum duxit, aliisque sua sponte mercaturae quaestusque causâ eo emigrantibus. Procedente tempore numerus Judaeorum in Aegypto adeo accrevit, ut iis lex Mosaica in Graecum converteretur (regnante Ptolemaeo II Philadelpho) et ab Onia IV Leontopoli in nomo Heliopolitano templum Jahvae aedificaretur (regnante Ptolemaeo VI Philometore). Diu ethnarchae Judaico subiecti erant, qui Alexandriae sedem habebat et summa cum auctoritate iudicatum exercebat. Strabo quidem apud Jos. AJ 14, 7. 2 ethnarcham Alexandrinum res gentis Judaicae administrasse, iudicia exercuisse, contractus confirmasse dicit, quasi esset princeps reipublicae suis legibus utentis [1]. Inde ab Augusto τῇ γερουσίᾳ sive synedrio Alexandrino parebant, cui complures ἄρχοντες praeerant, qui a Josepho BJ 7, 10. 1 πρωτεύοντες τῆς γερουσίας appellantur [2].

[1] Falso a multis ἀλαβάρχης Aegyptius cum ἐθνάρχῃ Judaico aequatur. Munus ἀλαβάρχου civile erat (cf. E. Schürer in ZwTh 1875, 13—40), quo saepius etiam Judaei divites fungebantur (Jos. AJ 18, 6. 3; 18, 8. 1; 19, 5. 1; 20, 5. 2; 20, 7. 3).

[2] De rebus Judaeorum, qui anno a. Ch. n. 586 a Judaea in Aegyptum fugerunt, eorumque posterorum usque ad recentissimam aetatem nihil constabat. Quibus papyri Aramaicae demum annis 1904 et 1907 in Assuân (Syene) et in Elephantine insula Nili inventae, quae quinti a. Ch. n. saeculi sunt, aliquod lumen attulerunt.

Ex Aegypto Judaei in alias terras se propagarunt. In urbe Cyrene (Libyae), in quam a Ptolemaeo I Lagi translati sunt (I Mcc 15, 23. Jos. CAp 2, 4), quarta incolarum pars erant (Jos. AJ 14, 7. 2); Hierosolymis propriam synagogam habebant (Act 6, 9. cf. 2, 10). Item in Syria, praecipue Antiochiae, magna incolarum pars Judaei erant (Jos. BJ 7, 3. 3). Praeterea coloniae Judaicae Seleuciae, Ctesiphonte, Abilene, Damasci, in aliis urbibus inveniuntur. In Asiam minorem Antiochus III Magnus duo milia familiarum Judaicarum e Mesopotamia

transtulit iisque domos et agros in Lydia et Phrygia sitos assignavit (Jos. AJ 12, 3. 4). Mercaturae causâ imprimis in urbibus portubus ornatis sedem ac domicilium constituerunt, velut Ephesi et in urbibus Joniae. Judaeorum diffusio per Macedoniam et Graeciam ex litteris ab Agrippa ad imperatorem Caligulam missis, quas Philo (Legat. ad Caium, opp. II, 587) memoriae prodidit, cognoscitur. Qui Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthum, denique τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα Πελοποννήσου eas terras esse scribit, ubi habitarent. Ex inscriptionibus, quae Delphis inventae sunt, duae, quae secundi a. Ch. n. saeculi sunt, ad servos Judaicos manu missos pertinent. Philippis, Thessalonicae, Beroeae, Athenis, Corinthi, in aliis urbibus synagogas Judaeorum fuisse etiam in historia Pauli apostoli memoriae traditur (Act 13, 14; 14, 1; 16, 2s; 17, 1. 10. 17; 18, 4. 7. 19. 26; 19, 8). Etiam insulas maris mediterranei multi Judaei incolebant, velut Euboeam, Cyprum, Cretam, Delum, Samum, Rhodum (I Mcc 15, 23. Philo, l. c. Jos. AJ 17, 12. 1. BJ 2, 7. 1). In Italia quoque, imprimis Romae, multa milia Judaeorum sedem ac domicilium constituerant. In Hispaniam et Galliam iam ante Augustum Judaeos (captivos) venisse verisimile est.

Judaei in omnibus fere terris exteris, ubi commorabantur, praefectos quosdam de popularibus habuisse videntur, qui tamen et ipsi alienae potestati subiecti erant. Judaei quidem urbis Cyrenaicae Berenike, id quod ex inscriptione Judaica ibi inventa apparet, proprium πολίτευμα erant, cui novem ἄρχοντες praeerant. Seleucus I Nicator Judaeis in omnibus urbibus a se in Asia minore et Syria conditis civitatem dedit (Jos. AJ 12, 3. 1) atque ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων Antiochiae commorantium Josephus commemorat (BJ 7, 3. 3). Inscriptio quaedam in urbe Lyciae Tlos inventa testatur in Asia quoque minore civitatibus Judaicis ἄρχοντα praefuisse, cuius munus ibi ἀρχοντεία appellatur. Ex inscriptionibus Romanis apparet Judaeos Romae complures civitates sui iuris (συναγωγάς) constituisse, suâ quamque synagogâ, suâ γερουσίᾳ, suis magistratibus utentem. Praeterea in imperio Romano, cum Claudius Judaeis concessisset, ut suis legibus uterentur, etiam ius praecipuum habebant lites civiles ad arbitros proprios deferendi, quorum sententiam praetor exsequi debebat, atque rabbini severe vigilabant, ne lites ad iudices ethnicos deferrentur.

Ceterum videas E. Schürer, GJV III⁴, 2—70.

III. Cum regnum Persarum ab Alexandro Magno destructum inter duces eius divideretur, Palaestina inter regnum Aegyptium Ptolemaeorum et Syrium Seleucidarum posita ab utrisque expugnabatur. Quod autem peius fuit, ex continuo cum duobus illis regnis commercio inter Judaeos ipsos quaedam factio exorta est, quae Graecorum cultum atque humanitatem imitabatur ac patriam religionem institutionibus

gentilium accommodare conabatur. Alii vero iique multo plures ritibus moribusque patriis fideliter inhaerentes a Graecorum consortio abhorrebant. Ac Ptolemaei quidem, qui priores Palaestinam occupabant (320—202), religionem Judaeorum persecuti non sunt [1]. Successit imperium Seleucidarum (202—142). *Antiochus III Magnus* (222—187), qui primus Ptolemaeos ex Asia eiecit (202), Judaeis eorumque templo magna privilegia concessit (Jos. AJ 12, 3. 3). Eius successor *Seleucus IV Philopator* (187—175) tanto favore Judaeos prosequebatur, ut ex reditu suo omnes sumptus ad ministerium sacrum pertinentes solveret templumque maximis muneribus locupletaret (II Mcc 3, 3); sed ultimo vitae anno misso Heliodoro templum spoliare conatus est, eventu utique infelicissimo (ib. v. 4—40). Gravissimam autem persecutionem excitavit *Antiochus IV Epiphanes* (175—164), frater Seleuci IV Philopatoris. Contra eius tyrannidem primus surrexit *Mattathias,* sacerdos ex familia Jojarib (I Mcc 2, 1), qui collecto exercitu totam regionem peragravit, altaria destruxit, idololatras interfecit, veri dei cultum ab Antiocho abolitum restituit et moriturus Judaeos hortatus est, ut legem Jahvae vi armisque defenderent (ib. v. 2—69). Mortuus est anno 166 a. Ch. sive anno 146 aer. Sel. (ib. v. 70). Ei successit dux militum *Judas* filius (165—161 a. Ch. sive 147—151 aer. Sel.), qui non minus feliciter quam gloriose contra Antiochum IV Epiphanem, Antiochum V Eupatorem (164—162), Demetrium I Soterem (162—150) pugnavit, donec in proelio apud Laisa commisso a Bacchide duce devictus et occisus est (I Mcc 3, 1—5, 68; 7, 1—9, 22. II Mcc 8, 1—36; 10, 1—11, 38; 12, 1—15, 38). Loco Judae *Jonathan,* frater eius, se ducem populi professus est (161—143 a. Ch. sive 151—169 aer. Sel.) Is etiam publice ab Alexandro Bala (150—145) agnitus est, qui eum summum sacerdotem Judaeorum declaravit ac paulo post procuratorem rei militaris et civilis in Judaea constituit (I Mcc 9, 23—13, 30). Ei interfecto successit *Simon* frater (142—135 a. Ch. sive 170—177 aer. Sel.), qui ab universo populo et sacerdotibus pontifex et princeps Judaeorum statutus est (I Mcc 4, 41) [2]. Eius dignitas summi sacerdotii ac principis Judaeorum in familia Hasmonaeorum iure hereditario permansit (usque ad annum 63 a. Ch.).

[1] Ptolemaeis regnantibus vectigalia iis, qui plurimo licebantur, locabantur. Josephus AJ 12, 4. 4 narrat publicanos octo milia talentûm pollicitos esse, ut vectigalia in Coelesyria, Phoenica, Judaea, Samaria exigi liceret, Joseph autem, filium Tobiae, duplicem summam se persoluturum promisisse.

[2] Cum Judaei Antiocho Magno se subicerent, incolae Hierosolymorum in tres annos omnibus vectigalibus liberati sunt et in posterum tempus

iis tertia pars vectigalium remissa est, dum urbs ex gravibus casibus se emersisset; omnes synedri, sacerdotes, ministri templi a tributis capitis ceterisque vectigalibus immunes facti sunt; neque portoria ligni ad templum aedificandum necessarii exigebantur (Jos. AJ 12, 3. 3). Demetrius I quoque Judaeis varia beneficia attribuit (I Mcc 10, 29—33): absolvit eos a tributis in singula capita impositis (= φόροις, cf. Jos. l. c.: ἃ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τελοῦσιν), vectigali annonae salariae (= τιμῇ ἁλός), auro coronario sive pecunia regi solvenda pro corona, quam antea Judaei quotannis ei mittere debebant (= στεφάνοις, Jos. l. c.: στεφανιτικῷ φόρῳ); remisit tertiam partem messis agrorum (= τρίτον τῆς σπορᾶς) et dimidiam partem fructuum arborum (= ἥμισυ τοῦ καρποῦ τοῦ ξυλίνου); etiam decumas atque ea, quae variis occasionibus templo solvi debebant (τὰς δεκάτας καὶ τὰ τέλη), a tributis vindicavit; postremo iumenta ab omnibus angariis liberavit (καὶ πάντες ἀφιέτωσαν τοὺς φόρους καὶ τῶν κτηνῶν αὐτῶν, quae verba alii ad portitores referunt, ne Judaeis portorium imponant). Conferas etiam I Mcc 11, 34—36, ubi Demetrium II Judaeis similia beneficia concessisse narratur. Ceterum ex I Mcc 1, 29 cognoscimus Seleucidas vectigalia non elocasse, sed per ministros ad id constitutos (ἄρχοντες φορολογίας) exegisse.

Simoni successerunt *Joannes Hyrcanus I* (135—104 a. Ch. sive 177—208 aer. Sel.), deinde eius filii *Aristobolus I* (104—103 a. Ch. sive 209—210 aer. Sel.), qui pro se suisque posteris nomen regium assumpsit, et *Alexander Jannaeus* (103—76 a. Ch. sive 210—237 aer. Sel.), cui *Alexandra* uxor successit (76—67 a. Ch. sive 237—246 aer. Sel.). Eius autem filius *Aristobulus II* (67—63 a. Ch. sive 246—250 aer. Sel.) a Pompeio, qui anno 63 a. Ch. Hierosolyma expugnavit, captus et Romam abductus est. Tum Judaea Romanis stipendiaria facta est et, etsi nondum in provinciae formam redacta est, tamen fatente Josepho AJ 14, 4. 5 libertatem amisit [1]. Aristobulo eius frater *Hyrcanus II* a Pompeio suffectus est, ut sub principatu Romano summum sacerdotem et principem Judaeorum ageret, regio tamen titulo privatus (63—40 a. Ch. sive 250—273 aer. Sel.). Eo tempore iam Antipater (gente Idumaeus, sed Judaeorum sacris initiatus) eiusque filii Phasael et Herodes auctoritate et potentia multum valuerunt. Cum autem anno 40 a. Ch. Parthi totam Asiam occidentalem inundarent, *Antigonus,* Aristobuli II filius, ope Parthorum regnum arripuit atque titulum regis et summi sacerdotis assumpsit (40—37 a. Ch. sive 273—276 aer. Sel.). Sed iam primo eius anno Herodes, qui vulgo nomine Magni honoratur, postquam Antipater et Phasael mortui sunt, a Romanis „rex socius“ declaratus est [2] et Hierosolymis anno 37 a. Ch. expugnatis totam Palaestinam occupavit regnumque Hasmonaeorum delevit.

[1] Etsi Pompeius Judaeos Romanis stipendiarios fecit, tamen tum omnia vectigalia nondum Romam misisse videntur. Vectigalia usitata principes indigenae exigebant, qui num quotannis tributum Romam miserint, incertum est. Julius Caesar vectigalia proprio decreto constituit (Jos. AJ 14, 10. 5 s. cf. 22). Ea haud exigua fuisse ex Jos. AJ 19, 8. 2 apparet. Nonnumquam Judaeis etiam extraordinaria tributa imposita sunt (Jos. AJ 14, 11. 2). Cum Judaea provincia Romana facta esset, Judaei etiam vectigalia possessoribus agrorum imposita et tributum capitis pendere debebant (Mt 22, 17), quae ut exigi possent, iam imperator Augustus censum habuerat et tabulas publicas de agris instituerat (Act 5, 37. cf. Jos. AJ 18, 1. 1). Portoria illa aetate certo pretio soluto ab equitibus Romanis (etiam a Judaeis, qui praerogativâ equitum Romanorum utebantur) conduci solebant, qui inde „publicani" appellabantur. In provinciis conductis multos alebant portitores (τελώνας, Vulg. minus recte „publicanos"), qui in portubus et in viis publicis, ubi telonium erat, commorabantur. Genere plerumque viles et ignobiles erant. Cum vectigalia saepe vi extorquerent ac plus iusto postularent (Lc 3, 13), factum est, ut in maximum odium gentis Judaicae libertatis amore incensae incurrerent atque gentilibus ipsis displicerent. Quare in novo testamento haud raro unâ cum ἁμαρτολοῖς (Mt 9, 10 s; 11, 19. Mc 2, 15 s. Lc 5, 30; 7, 34; 15, 1), πορναῖς (Mt 21, 31), ἐθνικοῖς (Mt 18, 17) commemorantur atque apud exteros scriptores cum καπήλοις, λῃσταῖς, ζυγοκρούσταις coniunguntur (Philostr. Apoll. 8, 7. 11. Lucian. Necyomant. § 11). A societatibus portitorum praesides constituebantur, ut curam omnium rerum et rationum ad societatem pertinentium haberent. Talis ἀρχιτελώνης fuit Zacchaeus (Lc 19, 2).

[2] Titulus „regis socii" solis iis principibus tribui solebat, qui terram latius patentem gubernabant. Nonnullis titulus insignis „socii et amici populi Romani" (φίλου καὶ συμμάχου Ῥωμαίων) concessus est. Qui „rex socius" appellatus erat, is primum neque foedera cum aliis civitatibus inire neque ad arbitrium suum bella gerere debebat; deinde plerumque solos nummos aeneos cudere ei licebat; interdum autem permittebatur, ut nummos argenteos cuderet, aureos vero nummos cudere semper vetitus esse videtur; denique, si quod bellum exortum erat, auxilia mitteret, nonnumquam etiam pecuniam conferret, necesse erat. Sed ut tributum penderet, postulatum esse non videtur. Contra „rex socius" potestatem habebat cum regni sui administrandi tum vitae necisque eorum, qui ei parebant; idem, ut libebat, vectigalia exigere et tributa imponere poterat; denique dux exercitus sui erat.

IV. Mortuo Herode filii eius rerum potiti sunt: *Archelaus* nomine ἐθνάρχου Judaeam, Samariam, Idumaeam (urbibus Gaza, Gadara, Hippo exceptis) administravit (4 a. Ch. — 6 p. Ch.), *Herodes Antipas* tamquam τετράρχης Galilaeam et Peraeam (4 a. Ch. — 39 p. Ch.), *Philippus* eodem titulo ornatus Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem, Paniadem, Ituraeam (4 a. Ch. — 34 p. Ch.). Archelaus autem, postquam per decem annos imperium obtinuit, ab Augusto Viennam in Gallia sitam relegatus eiusque ethnarchia (Judaea et Sa-

maria), in formam provinciae redacta Syriaeque attributa, a *procuratoribus* Romanis administrabatur (6—41 p. Ch.). Post obitum Philippi et relegationem Herodis Antipas *Herodes Agrippa (I),* nepos Herodis Magni, favore Caligulae et Claudii non tantum eorum regiones, sed etiam Judaeam et Samariam obtinuit, quas omnes dignitate regia usus gubernavit (41—44 p. Ch.). Quo mortuo Palaestina iterum tamquam provincia Romana a *procuratoribus,* qui praesidi Syriae subiecti erant, administrabatur, donec Hierosolyma anno 70 p. Ch. a Romanis duce *Tito* funditus deleta sunt. Cum imperator *Hadrianus* anno 131 in ruinis Hierosolymorum Aeliam Capitolinam urbem gentilium cum templo Jovis in colle Moria aedificaturus esset, Judaei per totam Palaestinam denuo rebellarunt. Iis *Simon (Bar Kochba),* homo totus ex fraude factus, quem Rabbi Akiba messiam esse dictitabat, praeerat. Post bellum sex annorum Judaei rebelles devicti ac paulatim per omnes terras dispersi sunt. Nova urbs perfecta est, Judaei autem poenâ mortis propositâ eam intrare vetiti sunt.

Procuratores in novo testamento appellantur ἡγεμόνες (Mt 27, 2. 11. 14; 28, 14. Lc. 20, 20. Act 23, 24. 26. 33; 24, 1. 10; 26, 30), quo vocabulo aliis locis (Mt 10, 18. Mc 13, 9. Lc 21, 12. I Ptr 2, 14) proconsules et propraetores vel legati Caesaris significantur, qui ab aetate Augusti (27 a. Ch.) provincias imperatorias administrabant. Apud Josephum procuratores Romani plerumque ἡγεμόνες (AJ 18, 3. 1), ἐπίτροποι AJ 20, 6. 2. BJ 2, 8. 1; 2, 9. 2; 2, 11. 6; 2, 12. 8), ἔπαρχοι (AJ 18, 2. 2; 19, 9. 2; 20, 9. 1. BJ 6, 5. 3) nominantur. Erant vel dignitatis equestris, ut Coponius, primus Judaeae et Samariae procurator (Jos. AJ 18, 1. 1), vel condicionis libertinae, ut Claudius Antonius Felix (Act 23, 24. 26; 24, 3. 22. 24 s. 27; 25, 14) eiusque successor Porcius Festus (Act 24, 27; 25, 1. 4. 9 ss; 26, 24 s. 32). Hi praefecti a Caesare in provincias imperatorias mittebantur, ut operâ magistratuum urbium tributum (κῆνσον Mt 22, 17. Mc 12, 14) exigerent. In provinciis autem minoribus non solum reditus Caesaris procurabant, sed etiam in rebus capitalibus ius dicebant. Atque Coponium hac potestate instructum in Judaeam missum esse ex Jos. l. c. constat, neque dubium est, quin quae potestas Coponio concessa erat, etiam successoribus eius integra manserit. Praesidibus Syriae procuratores Judaeae ita subiecti fuisse videntur, ut ii ius haberent, si quid gravius accidisset, maiorem suam potestatem adhibendi. Nam scriptores, quamquam interdum ita dicunt, quasi Judaea provinciae Syriae adiuncta fuerit, tamen in ea re sibi non constant. Josephus quidem (AJ 17, 13. 5) dicit: τῆς δ' Ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ Σύρων; cum autem Judaeam statim rursus προσθήκην τῆς Συρίας appellet (18, 1. 1), eam non veram partem, sed tantum additamentum provinciae Syriae significare velle videtur. Ex loco BJ 2, 8. 1 terra Archelai provincia sui iuris facta est: τῆς δ' Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης. Tacitus anno 17 p. Ch. Syriam et Judaeam ut duas provincias unâ commemorat (Annal. 2, 42: „provinciae Syria atque

Judaea") et Hist 5, 9 tradit: „Claudius . . . Judaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit". Quare si alio loco (Annal. 12, 23) memoriae prodit: „Ituraei et Judaei defunctis regibus, Sohaemo atque Agrippa, provinciae Syriae additi", vocabulum „additi" eodem modo intellegendum est quo προσθήκη Josephi. Suetonius quoque (Claud. c. 28) Judaeam simpliciter provinciam appellat: „Felicem, quem cohortibus et alis provinciaeque Judaeae praeposuit".

Procuratores Caesareae Palaestinae residebant; cf. Jos. AJ 18, 3. 1. BJ 2, 9. 2 (Pontius Pilatus); AJ 20, 5. 4. BJ 2, 12. 2 (Ventidius Cumanus); Act 23, 23—33 (Antonius Felix); Act 25, 1—13 (Porcius Festus); BJ 2, 14. 4; 2, 15. 6; 2, 17. 1 (Gessius Florus); Tacit. Hist. 2, 79: „Caesarea . . . Judaeae caput est". Festis maioribus ob ingentem hominum confluxum Hierosolyma venire solebant, ut, si forte tumultus concitarentur, statim adessent ac providerent, quae tempus moneret (cf. Mt 27, 2. Mc 15, 1. Luc 23, 1. Jo 18, 28 s.). Ad auctoritatem suam tuendam habebant sex cohortes, quarum quinque erant Caesareae (Jos. AJ 19, 9. 2. cf. Act 10, 1; 27, 1), una Hierosolymis in arce Antonia, ex qua templum occupare poterat, excubabat. Atque Hierosolymis unam tantum cohortem in praesidio fuisse ex sacris litteris apparet; nam χιλίαρχος (τῆς σπείρης), qui in actibus apostolorum saepe commemoratur, semper summus praefectus Hierosolymorum appellatur (cf. 21, 31—37; 22, 24—29; 23, 10. 15—22; 24, 7. 22). Quacum re congruit, quod Josephus tradit in arce Antonia semper τάγμα Romanorum collocatum fuisse (BJ 5, 5. 8: καθῆστο γὰρ ἀεὶ ἐπ' αὐτῆς τάγμα Ῥωμαίων); nam τάγμα ibi non ut alibi saepe legionem, sed (ut loco AJ 20, 6. 1: τὴν τῶν Σεβαστηνῶν ἴλην καὶ πεζῶν τέσσαρα τάγματα) cohortem significat. Act 23, 23 memoriae traditur cohorti Romanae, quae Hierosolymis collocata erat, etiam praesidium equitum additum fuisse, id quod tam crebro factum est, ut *cohortes peditatae* et *equitatae* distinguerentur. Obscuri autem sunt δεξιολάβοι, qui ibidem praeter communes milites (στρατιῶται) et equites (ἱππεῖς) commemorantur. Quod vocabulum cum in litteris Graecis posterioris aetatis bis tantum legitur idque rursus sine interpretatione (apud Joannem Lydum et Theophylactum Simocatten, saeculo sexto et septimo), eius vis ignota est. Id tantum constare videtur eo vocabulo proprium genus militum levis armaturae (iaculatores aut funditores?) significari. Codex Alexandrinus legit δεξιοβόλους = iaculantes dexterâ. Vulgata vertit *lancearios*.

Eius modi procuratores, qui ab anno 6—41 p. Ch. Judaeam et Samariam administrabant, fuerunt: 1) Coponius, circa 6—9; 2) Marcus Ambibulus, circa 9—12; 3) Annius Rufus, circa 12—15; 4) Valerius Gratus, 15—26; 5) Pontius Pilatus, 26—36; 6) Marcellus, 36—37; 7) Marullus, 37—31. Totam Palaestinam ab anno 44—66 administrabant: 1) Cuspius Fadus, 44—? 2) Tiberius Alexander, ?—48; 3) Ventidius Cumanus, 48—52; 4) Antonius Felix, 52—60; 5) Porcius Festus, 60—62; 6) Albinus, 62—64; 7) Gessius Florus, 64—66.

Cf. H. Kellner, Die römischen Statthalter von Syrien und Judäa zur Zeit Christi und der Apostel (ZkTh XII, 1888, 460—486. 630—655); E. Schürer, GJV I⁴, 454—507. 564—585; A. Bertholet, Das Ende des jüdischen Staatswesens. Tübingen 1910.

Sectio secunda

De civibus reipublicae Hebraeorum eorumque rationibus et mutuis et cum aliis gentibus intercedentibus

Hîc agendum est primum de *civibus reipublicae Hebraeorum,* deinde de *mutuis civium rationibus,* denique de *rationibus inter Hebraeos et alias gentes intercedentibus.*

Caput primum

De civibus reipublicae Hebraeorum

I. Cives reipublicae Hebraeorum duplicis erant generis: 1) *indigenae regionis* (אֶזְרַח הָאָרֶץ Ex 12, 19. 48. Nm 9, 14) i. e. oriundi ex patriarchis in terra Canaan natis, aliis verbis: aut qui utroque parente *nati* erant *Hebraei* et circumcisione populi Jahvae fiebant (φύσει Ἰουδαῖοι, *naturâ*, non tantum religione *Judaei* Gal 2, 15. cf. σπέρμα Ἀβραάμ II Cor 11, 22. Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων Phil 3, 5), aut qui alterutro parente Hebraico orti religionem Mosaicam profitebantur; 2) גֵּרִים vel προσήλυτοι, quibus nominibus Judaei posterioris aetatis eos gentiles significabant, qui caerimonias legis Mosaicae (purificationes, expiationes, comestionem agni paschalis, alia eius modi) unâ cum circumcisione receperunt (Ex 12, 48).

Multum igitur uniuscuiusque intererat, ut stemma gentile servaret. Quare etiam genealogiae in monumentis publicis notandae atque in tabulariis asservandae erant, sacerdotum in templo (Jos. CAp 1, 7), aliorum in iis urbibus, e quibus genus suum ducebant. Ita Christi quoque genealogiam in tabulariis urbis Bethlehem asservatam esse ex Lc 2, 3 s. colligi potest.

Homines ex alia gente oriundi sive peregrini, qui inter Hebraeos quidem commorari volebant, sed circumcisionem recipere nolebant (גֵּרִים, תּוֹשָׁבִים, גֵּרֵי תּוֹשָׁב, πάροικοι, παρεπίδημοι, *inquilini, advenae*), civitati Hebraicae non adscribebantur. Quare ne privilegiis quidem religionis Mosaicae utebantur; velut pascha manducare vetiti erant (Ex 12, 48). Rursus a gravibus illis praeceptis ritualibus, quae lege Mosaica continentur, vacabant et nihil aliud nisi certa quaedam officia eos subire oportebat, velut diem sabbati et annum sabbaticum observare (Ex 20, 10; 23, 12. Lv 25, 6. Dt 5, 14), tempore paschali a fermentato abstinere (Ex 12, 19), die sollemnis expiationis ieiunium servare

neque ullum opus obire (Lv 16, 29), a sanguine abstinere atque sanguinem ferae vel avis venatione captae fundere terrâque operire (ib. 17, 10. 12 s.), si morticinum comedissent, se lustratione expiare (ib. v. 15). Etiam peregrinus nomen Jahvae sanctum habere debebat, cui si maledixerat, eodem modo poenas dabat quo homo Hebraeus (ib. 24, 16). Idem haud aliter atque homo Hebraeus omnia ea scelera nefanda, quibus se Cananaei commaculabant, vitare debebat (ib. 18, 26). Peregrinus quoque, si sacrum vel votum facturus erat, leges Mosaicas, quae eo pertinebant, observare debebat, quod Nm 15, 16 et aliis locis diserte enuntiatur, ut Hebraei intellegerent nec sibi nec peregrinis intra fines suos licere sacra facere alio ritu praeter eum, qui a Mose institutus est, ne peregrinorum exemplo Hebraei ipsi a ritibus Mosaicis avocarentur.

Atque tales peregrini inter Hebraeos iam tum erant, cum nondum terram Canaan possederant. Nm 11, 4 de vulgo promiscuo sermo est, quod Hebraeos in deserto commorantes secutum est. Postea vero imprimis in exercitu Hebraeorum peregrinos fuisse et ex II Sm 8, 18; 15, 18; 20, 7. 23. I Rg 1, 38. 44. I Chr 18, 17., ubi Kerêtî et Pelêtî commemorantur, et ex II Sm 23, 39 = I Chr 11, 41 (II Sm c. 11), ubi Chittaei Uria mentio fit, apparet. I Chr 22, 2 ii Cananaei, quos David operas praebere coegit, aperte גרים appellantur. Salomonis aetate inter Hebraeos centum quinquaginta milia et tria milia sescenti peregrini erant, qui operas praebere cogebantur (II Chr 2, 16 s.); qui cum „servis Salomonis“, qui Esr 2, 55 commemorantur, aequandi esse videntur.

Ceterum praeter peregrinos, qui in Palaestina sedem stabilem et domicilium habebant, tales quoque erant, qui ibi ad tempus commorabantur. Qui in vetere testamento nomine נָכְרִים (נָכְרִי) significantur. In eo numero erat, ut exemplo utar, Ithai Gathaeus, cuius in historia regis David mentio fit (II Sm 15, 19 ss.). נכרי, si sedem stabilem et domicilium in Palaestina collocaverat, גר fieri poterat. Quod saepissime matrimoniis factum esse videtur, si homo Hebraeus aut feminam peregrinam uxorem duxerat (cf. II Sm 3, 3. I Rg 11, 1; 14, 21) aut viro peregrino filiam in matrimonium dederat; velut Uria Chittaeus cum Bathseba femina Hebraea matrimonio iunctus erat (II Sm 11, 3). De נכרים lex Mosaica haec pauca praescribit: rex נכרי esse vetatur (Dt 17, 15); a נכרי Hebraeo et usuram accipere (ib. 23, 21) et etiam anno sabbatico debitum flagitare licet (ib. 15, 3); quidquid morticinum est, Hebraeus ipse edere vetatur, sed eius modi carnem peregrino vaganti (institori per fines Hebraeorum iter facienti) vendere ei licet (ib. 14, 21).

II. Procedente tempore civitatibus Judaeorum, quae extra Palaestinam erant, omnibus fere locis multi gentiles se adiunxerunt, qui unum verum deum profitebantur et synagogas frequentabant, sed non omnes leges caerimoniales observabant, ut Judaeis ipsis non adnumerarentur. Qui gentiles in actibus apostolorum et apud Josephum Flavium

φοβούμενοι τὸν θεόν (Act 10, 2. 22; 13, 16. 26), σεβόμενοι τὸν θεόν (Act 16, 14; 18, 7. Jos. AJ 14, 7. 2), simpliciter σεβόμενοι (Act 13, 50; 17, 4. 17), semel σεβόμενοι προσήλυτοι (Act 13, 43) appellantur. In quo numero Ἕλληνες quoque ἀναβαίνοντες, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ (Jo 12, 20), sunt. Si autem quaerimus, quas leges caerimoniales ii gentiles observasse existimandi sunt, ad id nobis Josephus (CAp 2, 10), Juvenalis (Sat. 14, 96—106), Tertullianus (Ad nation. 1, 13. MSL 1, 579) respondent. Qui omnes consentiunt imprimis praeceptum de quiete sabbati et Mosaica de cibis praecepta ab iis observata esse.

A quibus gentilibus deum metuentibus ii distinguendi sunt, qui a Judaeis posterioribus גרים vel προσήλυτοι appellabantur quique (ut supra diximus) circumcisionem subibant et universam legem Mosaicam observabant, ut prorsus Judaei fierent. In vetere autem testamento גרים vel προσήλυτοι nihil aliud sunt nisi qui in civitate Attica μέτοικοι sunt i. e. peregrini, qui inter Hebraeos perpetuo habitant neque cives reipublicae facti sunt *(advenae, inquilini)*. Sed quantus fuerit numerus eorum gentilium, qui circumcisione in civitatem Hebraicam recepti sunt, non accepimus, neque tamen errabimus, si eos aliquanto minores fuisse dicemus quam φοβουμένους sive σεβομένους τὸν θεόν.

Saepe dictum est illos σεβουμένους a rabbinis גרי השער *proselytos portae,* ipsos autem προσηλύτους גרי הצדק *proselytos iustitiae* appellari. At posterius tantum verum est. Loquendi usui Mischnae illa nomina omnino ignota sunt; nam ibi tantum גרים et גרי תושב i. e. gentiles Judaei facti et advenae in terra Israel habitantes distinguuntur. Maioris autem perspicuitatis causâ postea illi גרי צדק, hi גרי שער appellati sunt. Unde apparet גרי שער eosdem significare, qui in vetere testamento simpliciter גרים nominantur. Sed etiam a loquendi usu Talmudis verba גרי שער abhorrere videntur, quod semper tantummodo de גרי תושב et גרי צדק agitur. Neque prius verba גרי שער inveniuntur quam apud rabbinos mediae aetatis. Quare id unum quaeritur, num οἱ σεβόμενοι τὸν θεόν cum גרי תושב aequandi sint. Ex iis, quae modo diximus, manifestum est id negandum esse. Qui in Talmud גרי תושב vocantur, iidem sunt, qui in vetere testamento (Ex 20, 10. Dt 5, 14; 14, 21; 24, 14) hoc nomine significantur i. e. advenae in terra Israel habitantes. Quod et iis, quae de iisdem in Talmud postulantur, confirmatur. Nam Babyl. Aboda sara 64^{b} legimus eos septem praecepta, quae filiis Noah (בני נוח) i. e. toti generi humano imposita sint, observare debere. Quae praecepta sunt haec: 1) magistratum revereri, 2) contumeliosa in deum dicta vitare, 3) ab idololatria se abstinere, 4) neque incestum neque 5) homicidium committere, 6) non furari aut praedari, 7) a sanguine omnique, in quo sanguis est, se abstinere (Babyl. Sanhedrin 56^{b}). Quodsi a גרי תושב postulatur, ut ea praecepta observent, id nihil aliud sibi vult nisi peregrinorum, qui in terra Israel sedem stabilem collocare in animo habeant, esse saltem ea praecepta, quae ad universos homines pertineant, observare. Inde autem elucet τοὺς σεβομένους τὸν θεόν cum גרי תושב aequari non posse.

Si proselyti ipsi i. e. ii, qui cultu unius veri dei commoti se totos religioni Mosaicae tradebant, recipiebantur, tres res exigebantur (Babyl. Kerithoth 81a): מילה *circumcisio,* quae de feminis locum habere non potuit, טבילה *baptismus,* הרצאת דמים sive קרבן *sacrificium.* Atque ut a rabbinis memoriae proditur, proselyti publica fidei professione facta et circumcisione peracta coram tribus testibus baptizabantur (ut significaretur eos non solum a sordibus cultus deorum fictorum purgari, verum etiam in aquis quasi sepeliri et tamquam novos homines i. e. filios Abraham resurgere) et holocaustum duorum turturum vel pullorum columbae offerebant (M. Pesachim 8, 8. Edujoth 5, 2. Kerithoth 2, 1). Circumcisionem quidem ex Ex 12, 48., baptismum ex Ex 19, 10. 14., sacrificium ex Ex 24, 5 colligunt. Illo autem baptismo omnem hominis cum propinquis necessitudinem solvi docent, ita ut proselytus etiam matrem vel sororem in matrimonium ducere potuerit (cf. I Cor 5, 1). Qui baptismus utrum idem fuerit ac baptismus Joannis an baptismum Christianorum imitatus sit, cum nihil de ea re memoriae traditur, diiudicari non potest. Nihil aliud autem fuisse videtur nisi caerimonia purgatoria [1]. Ceterum proselyti, etiamsi totam religionem Mosaicam eiusque praecepta cum Hebraeis communia habebant, tamen cum gente Judaica numquam in unum corpus coaluerunt. Velut ab omnibus magistratibus et civilibus et militaribus arcebantur, nullam sortem habebant in terra Canaan, sacerdotibus conubium proselytarum interdictum erat, liberi ex utroque parente proselyto oriundi in eadem condicione semper manebant. Scriptores Judaici proselytos minime laudant, et quia haud raro voluntate minus pura religionem Mosaicam amplectebantur [2] atque facile ab ea deficiebant, et quia ad peccata contra naturam semper proni erant. Imprimis Pharisaei proselytos genus hominum, quod posteris Abraham multo inferius esset, iudicabant et in Talmud inter bona aetatis messianae numeratur, quod hac proselyti iam non recipientur (Babyl. Jebamoth 24b). Nihilo minus Pharisaei omni studio ad proselytos faciendos intenti erant, quod iis etiam Christus exprobravit (Mt 23, 15).

[1] Num baptismus proselytorum pro sacramento habendus sit, W. O. E. Oesterley and G. H. Box (The religion and worship of the Synagogue 257—263. London 1907) diligenter inquisiverunt et iure negaverunt. Ceterum cf. E. G. Bengel, Ueber das Alter der jüdischen Proselytentaufe. Tübingen 1814; M. Schneckenburger, Ueber das Alter der jüdischen Proselytentaufe und deren Zusammenhang mit dem johanneischen und christlichen Ritus. Berlin 1828; W. Brandt, Die jüdischen Baptismen oder das religiöse Waschen und Baden im Judentum mit Einschluß des Judenchristentums (XVIII. Beih. z. ZAW), Gießen 1910.

[2] Velut regnante Joanne Hyrcano Idumaei (Jos. AJ 13, 9. 1; 15, 7. 9) et regnante Aristobulo Ituraei (ib. 13, 11. 3) vi coacti circumcisionem receperunt. Nonnulli gentiles Judaei fiebant, ut militiâ vacarent (ib. 14, 10. 13); alii, ut feminam Judaeam uxorem ducere possent (ib. 20, 7. 3. cf. 16, 7. 6). Sed dubium non est, quin haud pauci nobilibus causis adducti religionem Mosaicam elegerint, id quod ex iis colligere possumus, qui, cum religio Christiana praedicaretur, statim eam suscipere non dubitaverunt (Act 6, 5; 13, 43; 16, 14 s; 17, 4).

De proselytis cf. E. Weil, Le prosélytisme chez les Juifs selon la Bible et le Talmud. Strasbourg 1880; A. Bertholet, Die Stellung der Israeliten und der Juden zu den Fremden. Freiburg 1896; E. v. Dobschütz, Proselyten (RE[3] XVI, 112—123); K. Sieffert, Die Heidenbekehrung im alten Testament und im Judentum (BZSF IV, 3), Gr. Lichterfelde-Berlin 1908; E. Schürer, GJV III[4], 150—188.

III. Ex lege Dt 23, 2—7 civitatem Hebraicam numquam consequi poterant

1) eunuchi, non ob evirationis horrorem, quem vetus testamentum ignorat, sed quia non decebat sigillum foederis cum Jahve initi membro mutilato imprimere. Quamquam autem civitati Hebraicae adscribi non poterant, tamen Jes 56, 3—5 et Sap 3, 14 magnus favor dei iis promittitur, si pietatem coluerint. Nonnulli ex locis allatis colligunt legem, qua Hebraei eunuchos in numerum civium asciscere vetiti erant, postea abolitam esse.

2) ממזרים sive homines inhonestae originis iique fornicationis detestandae causâ. Atque talmudistae eo vocabulo liberos ex incestu et ex uxore non legitima ortos (ut ex muliere peregrina, quam homo Hebraeus compresserat nec tamen duxerat), sed non liberos extra matrimonium genitos (velut ex coitu mariti cum puella innupta vel caelibis cum innupta) significari dicunt (M. Jebamoth 4, 13). Quibus etiam Judaei posterioris aetatis adstipulantur.

Aliter vocabulum ממזר F. de Hummelauer (Comm. in Dt 403 s.) explicat. Existimat enim eo incolas urbis Azot significari (cf. Sach 9, 6), qui aetate Samuelis urbibus foederatis Philistaeorum praeerant (I Sm 5, 1; 6, 17); cum Philistaeis neque Mosen neque Josua pugnasse (Ex 13, 17; 15, 14 Philistaeos obiter tantum commemorari); exeunte demum aetate iudicum, imprimis temporibus Simsonis et Samuelis, Philistaeos genti Hebraicae infensissimos factos esse. Quare legem illam Dt 23, 3 ad tempora iudicum (Samuelis) referendam esse. — Contra quod quae dici possunt, ea H. Lesêtre in F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible IV, 637 s. exponit.

3) Ammonitae et Moabitae, quod hostili animo in Hebraeos esse numquam desinebant. Dicitur eos ne decima quidem generatione,

postquam inter gentem electam commorari coeperant, i. e. numquam civitate Hebraica donandos esse.

Neque Edomitae (ob sanguinis coniunctionem) aut Aegyptii (ob diuturnam Hebraeorum inter eos commorationem) nisi post tres generationes in civitatem Hebraicam recipiebantur (Dt 23, 8 s.).

Ceteris gentibus, cum lex Mosaica de iis nihil definiat, civitas denegata fuisse non videtur (cf. tamen Neh 13, 3). Gentes autem Canaanaeas, quae ex mandato divino exstirpandae erant, civitati Hebraeorum numquam adscribi potuisse ex Dt 7, 2—9 facile perspicitur.

Adnotatio. — Apud antiquos Babylonios lege populares ab alienigenis non distinguebantur; utrique pari aequalique iure erant. De qua re conferas B. Meissner, Beiträge zum altbabylonischen Privatrecht. Leipzig 1893. Aus dem altbabylonischen Recht (AO VII, 1) ib. 1905.

Caput secundum

De mutuis civium reipublicae Hebraeorum rationibus

Mutuae civium reipublicae Hebraeorum rationes variis legibus constituebantur:

I. Lege agrariâ, ex qua terra, quae Abraham ceterisque patriarchis a Jahve saepius promissa est (Gn 12, 7; 13, 14 s; 15, 18; 26, 4; 28, 13. Dt 34, 4), inter Hebraeos, eorum heredes, distribuenda erat. Atque Moses cuivis tribui certam terrae portionem, cuivis familiae certum fundum assignavit (Nm 26, 53—56), qui hereditario iure posteris relinquendus neque umquam plane abalienandus erat, quatenus iubilaeo quoque anno agri ad pristinos possessores gratuito redibant, ita ut emptor agri solum usûs fructum per certum numerum annorum haberet (Lv 25, 13—16. 23). Huic legi, qua sapientissime cavit, ne divitiores magnam agrorum multitudinem coëmerent, coëmptos pauperibus elocarent (cf. Jes 5, 8. Mich 2, 2), addidit, ut venditor vel proximus eius consanguineus fundum venditum quovis tempore, pretio frugum usque ad annum iubilaeum soluto, redimere posset (Lv 25, 25—28).

Terra patriarchis Hebraeorum promissa Josua duce, cum fines, quos Cananaei incolebant, expugnavisset, inter duodecim tribus divisa est. Quamquam multa oppida in Cananaeorum potestate manserunt, cum singulis tribubus non contigisset, ut regione sibi attributâ prorsus potirentur. Velut multa oppida et vici Palaestinae septentrionalis ab Hebraeis capta non sunt, ut haec terrae pars *Galilaea* quoque *gentium* (גְּלִיל הַגּוֹיִם Jes 8, 23. Γαλιλαία ἀλλοφύλων I Mcc 5, 15. Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν Mt. 4, 15) appellaretur. Item neque Philistaei, qui ad litus maris habitabant, neque Phoenices ab Hebraeis subacti sunt.

Ex iis, quae in vetere testamento de ea re memoriae tradita sunt, facile perspici potest, ubi regiones singulis tribubus assignatae sitae fuerint; sed cum saepe iam demonstrari non possit, ubi loca in confinio sita fuerint, fines singularum tribuum proprii saepe haud accurate reperiri possunt. Tota terra ita divisa est, ut novem tribus et dimidia cis Jordanem, duae tribus et dimidia trans Jordanem domicilia acciperent. Tribus autem Levi, cum propriam terrae partem non accepisset, inter ceteras tribus per duodequinquaginta oppida distributa habitabat. Contra tribus Joseph in duas tribus, Ephraim et Menasse, divisa est, ut numerus duodecim regionum tribuum efficeretur.

II. Legibus, quae ad sanitatem populi pertinebant. Ad eam ut agricultura et pecuaria, ita complures quoque leges magni erant momenti, quibus vel contagio impediebatur vel noxia quaedam effluvia cavebantur vel corporum puritati prospiciebatur. Praeterea sabbata aliique dies festi, quibus Hebraei ex laboribus quiescere et animos recreare poterant, sanitati publicae conducebant. Denique leges, quae in cibis versabantur, idem spectabant.

III. Legibus, quae vitam civium tutabantur. Atque severissime prohibitum erat, ne quis de industria necaretur. Quod ex decreto divino morte multabatur (Gn 9, 6. cf. Ex 21, 12. Lv 24, 17. Nm 35, 16), a qua ne altaris quidem sanctitas quemquam tutum praestabat (Ex 21, 14. I Rg 2, 28—34). Ex Nm 35, 31 apparet ante aetatem Mosis apud Hebraeos consuetudinem viguisse argento vitam a vindice sanguinis redimendi. Quod Moses lege loco allato data abrogavit. — Praeterea complures aliae leges erant, e quibus clare apparebat vitam humanam magni aestimandam esse, ut Ex 21, 18—22. 28 s.

Si quis *occisus in agro inventus* erat neque homicida detegi poterat, seniores proximarum urbium exibant atque examinabant, quae urbs caeso propior esset („quia frequenter interfector est de civitate propinquiori", Thomas S. th. 1, 2. qu. 105. a. 2. ad 12). Huius urbis seniores vaccam [1] omnis vitii expertem neque ad ullum opus ad id tempus adhibitam ad rivum perennem i. e. per totum annum fluentem (אֶל־נַחַל אֵיתָן, sed LXX εἰς φάραγγα τραχεῖαν et Vulgata „ad vallem asperam atque saxosam" — symbolum horroris homicidii) ducebant eiusque cervices ministerio, ut videtur, sacerdotum, qui aderant [2], ita frangebant (עָרַף LXX νευροκοπεῖν), ut sanguis in aquam deflueret; deinde manus in rivo (et quidem super vaccam decollatam, ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ βοός Jos.) lavabant, qua caerimonia suam innocentiam ostendebant (cf. Ps 26, 6; 73, 13. Mt 27, 24); denique verbis: „Manus nostrae non fuderunt sanguinem istum neque oculi nostri viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Jahve, neque des sanguinem inno-

centem in medio populi tui Israel[a] (i. e. non imputa populo tuo caedem) vindictam divinam a finibus suis deprecabantur (Dt 21, 1—9. Jos. AJ 4, 8. 16. M. Sota 9, 1—9)[3]. Quorum rituum significatio haec est: Secundum legem talionis apud Hebraeos vigentem occisio hominis morte occisoris luenda erat. Qui cum nondum exploratus esset, crimen in cives urbis loco caedis proximae devolvebatur. Sed hi plane innocentes suam innocentiam caerimonia quadam symbolica profitebantur. Qua de causa iis concedebatur, ut in suum locum vaccam substituerent, quae demum verum occisorem repraesentabat poenamque meritam luebat.

[1] Animal sexus feminini etiam in aliis ritibus, qui ad purificationem spectant, usurpabatur (Lv 4, 28. 32; 5, 6; 14, 10. Nm 6, 14; 19, 2).

[2] Erat enim haec vacca instar victimae piacularis.

[3] Etiam nunc in Arabia incolae eius loci, ubi homo occisus inventus est, iurant eum non a se occisum esse. Nam culpa homicidii etiam hodie in incolas eius domus conferri solet, quae proxime ab homine interfecto sita est.

Adnotationes. — 1. Notatu dignum est Mosen nullam parricidii mentionem facere. Huius enim delicti poenam constituere supervacaneum videbatur, cum ille ipsas contumelias in parentes iteratas et verbera iis illata morte multari iussisset (Ex 21, 15. 17. Lv 20, 9). Praeterea iam ab antiquissimis temporibus apud Hebraeos magnam pietatem in parentes invenimus; quare parricidium ab Hebraeis ne cogitari quidem poterat, ut lex Mosaica eius ratio non habeat. Alii quoque veteres legislatores nullam huius facinoris poenam constituerunt, velut Solon.

2. Neque de morte voluntaria, ad quam Hebraei minime propensi fuisse videntur, in lege Mosaica quidquam diserte statuitur. Atque tantum Saul eiusque armiger (I Sm 31, 4 s.), Achitophel (II Sm 17, 23), Judas proditor (Mt 27, 5. Act 1, 18) manus sibi intulisse dicuntur. Ultimis tamen reipublicae temporibus malo exemplo Romanorum horror mortis voluntariae apud Judaeos minutus esse videtur (cf. Jos. BJ 3, 8. 4—7).

3. Denique lex nullam facit mentionem necis infantium et procurationis abortus, quia haec facinora apud Hebraeos vix locum habere potuerunt. Nam Hebraei multos liberos singulari favori dei attribuebant, cum femina sterilis contemneretur. Quare mos ille Arabum genere propinquorum, ex quo puellas, quae parentibus molestae erant, statim post partum interficiebant, apud Hebraeos usu recipi non potuit. Quod autem in vetere testamento memoriae proditur parentes haud raro liberos Moloch idolo Cananaeorum immolasse, ea sacrificia non proprie ita accipiebantur, ut liberi tum interficerentur; praeterea lege Mosaica severe cautum erat, ne talia sacrificia fierent.

Contra apud Hebraeos saepius usu venisse videtur, ut fratres necarentur. Imprimis reges nonnumquam fratres ut aemulos periculosos nece interimere studuerunt (cf. II Chr 21, 4).

4. Ceterum etiam animalibus domesticis, cum in iis haud parva pars opum Hebraeorum posita esset, compluribus legibus Mosaicis prospiciebatur, velut Ex 20, 10. Lv 25, 7. Dt 22, 10; 25, 4.

IV. Legibus, quibus possessioni bonorum prospiciebatur. Atque Hebraei vetiti erant bona aliena furari (Ex 20, 15) [1] iisque inhiare (ib. v. 17), variis ponderibus mensurisque per dolum uti (Lv 19, 35 s. Dt 25, 13—16), a popularibus usuram accipere (Ex 22, 24. Lv 25, 36 s. Dt 23, 20 s.) [2], debita anno sabbatico a pauperibus exigere, qui eo anno, quo nullas fruges ex agris percipiebant, non erant solvendo (Dt 15, 2 s.) [3], terminos agrorum dimovere (ib. 19, 14; 27, 17), ullum detrimentum fundo vel frugibus alterius inferre (Ex 22, 4 s.) [4]. Praeceptum erat, ut res depositae vel commodatae fideliter redderentur (ib. v. 6—14) et quidquid amissum inventum erat, possessori restitueretur, etiam inimico (ib. 23, 4 s. Dt 22, 1—4).

[1] De furto, quod octavo decalogi praecepto prohibetur, Moses complures leges tulit. Locis Ex 21, 16 et Dt 24, 7 de *hominum furto* agit. Atque priore loco secundum textum Hebraicum et Vulgatam de omni hominum furto sermo est, secundum textum autem Graecum de solo furto hominis Hebraei. Posteriore loco omnes tres textus de homine Hebraeo rapto agunt, ut vix erremus, si locum quoque Ex 21, 16 ita intellegimus, ut interpretes Graeci eum intellexerunt. Qui hominem Hebraeum abduxit, ex lege Mosaica morte multatur. De peregrinis abductis Moses nihil statuit; neque vero id sine poena fuisse existimari potest.

Codex quoque *Hammurapi* de hominum furto agit et eum, qui vel hominem nondum adulta aetate vel servum abduxit, morte multat (§ 14—20). De hominibus autem adulta aetate, ingenuis, libertis abductis sermo non est, propterea, ut videtur, quod ex Babyloniorum opinione per se intellegebatur tale delictum poenâ dignum esse.

Locis Ex 21, 37; 22, 3 Moses de *furto animalium* agit. Atque pecus minor (ovis), si furto ablata iam mactata vel vendita erat, quadruplo, pecus maior (bos) quincuplo resarciri debebat (21, 37); sin autem animal apud furem inventum erat, is duplum reddere cogebatur (22, 3). Etiam ceterarum rerum furta duplo resarcienda erant (ib. v. 6—8). Qua autem ratione adductus Moses animal furtivum modo duplo modo quadruplo aut quincuplo resarciri iusserit, reperiendum non est. Interpretes sacrarum litterarum de ea re partim nihil dicunt, partim talia afferunt, quae non plane probari possunt. Poena autem eius, qui pecudes abegerat, poenâ furti aliarum rerum procul dubio propterea maior erat, quod Hebraei, cum praecipue agriculturâ et pecuariâ viverent, eius modi detrimentum aegrius ferebant quam cuiuslibet alterius rei. Ceterum loci Ex 21, 37; 22, 3. 6—8., ubi modo quincuplum modo quadruplum modo duplum reddendum constituitur, nequaquam contra locos Lv 5, 16. 24., ubi praescribitur, ut cuiuslibet rei ablatae sex quintae partes restituantur, repugnant. Nam Ex ll. cc. agitur de multa, quae furi, qui scelus non sua sponte fatetur, imponenda est; Lv ll. cc. de multa, quae a fure, qui paenitens confessus est (Nm 5, 7),

persolvenda est; hunc illo mitius tractare aequum erat. Quod autem Prov 6, 31 dicitur: „(Fur) deprehensus reddet septuplum“, furi non septupli solutio imponitur. Nam septuplum hoc loco simpliciter gravissima poena, quae a domino rei ablatae furi imponi potest, intellegenda est. — Cf. J. Döller, Die vier- und fünffache Ersatzpflicht Ex 21, 37 (ThQ XCII, 1910, 163—170).

Fur solvendo impar pretium rei ablatae domino servitio persolvere debebat (Ex 22, 2). Si quis furem noctu parietes perfodientem occiderat, innocens habebatur; sin die, morte multabatur (ib. v. 1 s.). Quod autem furem nocturnum interficere licebat, ita explicandum esse videtur, ut non constaret, utrum is ad furandum an ad caedem faciendam venisset. Capitis poena tantum in eum, qui de anathemate aliquid surripuerat, statuebatur (Dt 13, 18. Jos 6, 18; 7, 11. 25. Jos. AJ 5, 1. 10. 14). Nam quod II Sm 12, 5 David de raptore ovis dicit: „Filius mortis est vir, qui fecit hoc“, nihil aliud significat nisi: reus vel poenâ dignus est; addit enim v. 6, ut is ovem raptam et mactatam quadruplo resarciat. Ex quo etiam apparet raptum et furtum iure aequatum esse. Quod autem nonnulli interpretes sacrarum litterarum recentioris aetatis propter lectionem textus Graeci (cod. B et A) pro „quadruplum“ ceterorum textuum versu allato „septuplum“ inserere volunt, id legi repugnat. Lc 19, 8 Zacchaeus plus se facturum spondet; nam pro fraude peracta et damno illato non quadruplum, sed duplum restituendum erat. Ceterum etiam ex iure Romano pro furto manifesto, i. e. si fur in ipso scelere furandi deprehendebatur, quadruplum imponi poterat. Herodes Magnus fures effractarios ad servitutem alienigenis praestandam damnavit (Jos. AJ 16, 1. 1).

Secundum codicem *Ḫammurapi* rapina semper (§ 21), furtum crebro morte multabatur (velut § 6. 8. 9. 10. 11. 25), tum certe, si quis compensationem, quam lex postulabat, reddere non poterat (§ 8). Homini mercennario, si frumentum vel pabulum furatus erat, utraque manus decidebantur (§ 253). Sed in quibusdam causis fures mitius tractabantur. Velut qui rotam aquariam de agro furatus erat, quinque siclos solvere debebat (§ 259). Pastor, si quid de grege furatus erat, decies tantum compensare debebat (§ 265).

Leges Mosaicas de furto si cum legibus Ḫammurapi comparamus, nonnullas similitudines, sed etiam magnas dissimilitudines reperimus. Moses quidem furtum multo levius punit quam Ḫammurapi. Neque fur solvendo impar ex lege Mosaica umquam interficitur, sed tantum servitio domino rei ablatae damnum restituere debet. Denique in lege Mosaica furtum peccatum est in deum commissum, cuius peccati fur et ipse sibi conscius est, cuius rei in codice Ḫammurapi nullum est vestigium. Quae cum ita sint, leges Mosaicae de furto a Babyloniis receptae esse dici non possunt. Neque vero ideo negandum est legem Mosaicam ullo vinculo cum codice Ḫammurapi contineri; sed utrumque legum corpus in iure antiquorum Semitarum positum est, quod ut Babylonii, ita Hebraei sua sponte magis magisque excoluerant.

Cf. A. Eberharter, Der Diebstahl im Gesetze Mosis und im Kodex Hammurapis (Thpr QS LXIII, 1910, 507—512).

[2] In sacris litteris duo genera usurae exigendae distinguuntur: נֶשֶׁךְ, quae est usura pro pecunia commodata solvenda, et מַרְבִּית, si pro

cibo, frumento, aliis eius modi rebus maior quaedam vis reddenda est (Lv 25, 37). Atque Moses Ex 22, 24 et Lv 25, 36 s. a solis pauperibus usuram exigere vetat, non vetat a divitibus. Cum vero lites ortae essent, quisnam pauper habendus esset, Hebraeos Dt 23, 20 s. a populari sive paupere sive divite usuram exigere vetuit. Quare ad pecuniam mutuam popularibus dandam tamquam ad singulare caritatis opus hortatur (Dt 15, 7—11) ac compluribus locis magnis laudibus celebratur, qui pecuniam mutuam dat nec recipit usuram (Ez 18, 8. 17. Ps 15, 5; 37, 21. 26; 112, 5. Prov 19, 17). Post exsilium debitor pecuniam mutuam sibi datam esse plerumque scripto testatus est (Tob 1, 17. Jos. AJ 16, 10, 8. BJ 2, 17. 6. cf. Lc 16, 6 ss.). — Ceterum in Vulgata etiam Ps 54 (55), 12; 71 (72), 14 de usura agitur. Atque legitur in textu Graeco iis locis τόκος. Sed τόκος ibi ex quadam aequalitate soni pro Hebraico נֶשֶׁךְ, quo vocabulo non usura, sed *vexatio, oppressio* significatur, usurpatur.

J. Hejcl (Das alttestamentliche Zinsverbot im Lichte der ethnologischen Jurisprudenz sowie des altorientalischen Zinswesens, BSt XII, 4. Freiburg 1907) putat eam formam legum de usuris et faenore, quae nunc in vetere testamento (Ex 22, 24. Lv 25, 36 s. Dt 23, 20 s.) legitur, post Mosen demum ortam esse. Lege Ex 22, 24 generalia tantum constitui et de pecuniis creditis tantum agi. Aetate autem Mosis cum usus pecuniae apud pauperes haud late patuisse possit neque dubium sit, quin pauperes raro pecuniam mutuam vel sumpserint vel dederint, iudicandum esse eam legem multo post datam esse, probabiliter regum aetate. Lex autem Dt 23, 20 s., quoniam diligentius concepta sit quam lex Ex 22, 24., etiam posteriore tempore conscripta sit necesse esse, cum lex Lv 25, 36 s., qua variae formae faenoris impugnentur, probabiliter post exsilium (aetate Esra et Nehemia), fortasse ante exsilium (brevi ante interitum regni) orta sit.

Ex nostrarum civitatum statu lex de usuris non capiendis iniqua esse videtur, non videtur in tali republica, qualis Hebraeorum erat. Nam suus cuique Hebraeo erat ager idque ita, ut nemini liceret eum in perpetuum vendere aut emere. Hinc divites, etsi pecuniâ abundabant, tamen agros emere, e quibus annuos reditus perciperent, non poterant, cumque lex Mosaica ne mercaturae quidem faveret, etiam magni auri argentique possessio plerumque inutilis erat. Nihil igitur iacturae capiebat is, qui argentum sine faenore popularibus credebat. Rursus raro accidere poterat, ut debitor in damnum incurreret. Nam cum suus cuique debitori esset ager, creditor eius messe comprehensâ detrimentum resarcire poterat.

Etiam Aegyptii pecuniam sine usura credebant. Neque eo efficitur praeceptum illud Mosaicum, ne quis pecuniam ad usuram det, ab Aegyptiis sumptum esse, quia ea opinio nullâ aliâ causâ confirmari potest nisi eo, quod Hebraei diu in Aegypto commorabantur. Apud Babylonios quoque (et Assyrios), saltem per aliquod tempus, usitatum fuisse videtur pecuniam sine faenore mutuam dare; velut nonnulli viri docti § 48 codicis Ḫammurapi cum lege Mosaica Ex 22, 24 comparant. Neque eo effici potest veteris testamenti leges de usuris ac faenore a Babyloniis (et Assyriis) receptas esse; nam quamquam illi Hebraeis populus antiquior sunt, tamen quae de ea re Babyloniorum legibus constituuntur, noviora sunt quam quae in Mosis legibus invenimus.

Ceterum centesimae pro pecunia credita apud alias gentes, velut apud Romanos, dari solitae in libris sacris veteris testamenti nusquam commemorantur. Nonnulli putabant Neh 5, 11 verbis וּמְאַת הַכֶּסֶף וְהַתִּרְוֹשׁ וגו׳ centesimas significari; at sententia ab aliis viris doctis *(A. Geiger, P. de Lagarde, H. Guthe)* prolata, fortasse וּמַשַּׁאת הַכֶּסֶף וגו׳ = *debitum pecuniae* legendum esse, digna est, cuius ratio habeatur. Aetate posteriore argentarii pecuniam faenori dabant; pecunia igitur iis commissa faenore augebatur (cf. Mt 25, 14—30. Lc 19, 12—26). De poena eorum, qui pecuniam faenore collocaverint, neque in libris divinis neque in Talmud sermo est.

[3] Quamquam creditor debitum pignore vel etiam sponsione sibi procurare poterat, tamen primum cautum erat, ne pignus petens domum debitoris ingrederetur, ut, quidquid placebat, sumeret, sed ante ostium expectaret, donec debitor id, quo facile carere posset, pignus traderet (Dt 24, 10 s.); deinde ne mola vel lapis molaris aut superindumentum pro pignore traditum nocte retineretur (Ex 22, 25—27. Dt 24, 6. 12 s. 17), quae res pro ceteris, quibus debitor haud facile carere poterat, exempli causâ ponuntur.

A duris creditoribus haud raro domus aut ager debitoris (et his non sufficientibus debitor ipse cum uxore et liberis in servitutem II Rg 4, 1. Jes 50, 1. Neh 5, 5. Mt 18, 25) venibat; sponsor autem, cum intercesserat, eodem modo solvere cogebatur. Quare in sacris litteris saepe monetur, ne quis leviter debitori coram creditore manum porrigat i. e. pro eo spondeat (Prov 6, 1—4; 11, 15; 17, 18; 20, 16; 22, 6 s; 27, 13. Sir 8, 16; 29, 21. 24).

[4] Velut lex Ex 22, 4 praescribit, ut damnum in agro vel vinea per animal effectum restitueretur; ib. v. 5 de igni fruges incendente agitur. Quae pauca difficultatibus exortis haud dubie instar regulae haberi debebant.

V. Complures leges, quibus cautum erat, ne cives societate initâ officia caritatis neglegerent atque inique se gererent, quibusve prospiciebatur, ne quis cum periculo amittendae religionis alias quaereret terras.

1) Hebraeis saepe inculcatur amor erga proximos (Ex 20, 16 s. = Dt 5, 17 s. Lv 19, 11. 15—18. Dt 27, 17. 24), qui etiam ad peregrinos (Ex 22, 20; 23, 9. Lv 19, 9 s. 33 s; 24, 17. 22; 25, 5 s. Nm 35, 15. Dt 10, 18 s; 16, 13 s; 24, 14 s. 17. 19; 26, 11; 27, 19. cf. Jer 7, 6; 22, 3. Ez 22, 7. Sach 7, 10. Mal 3, 5. Jos. CAp 2, 28) atque inimicos extenditur (Ex 23, 4 s. cf. Prov 24, 17. 29; 25, 21., quo loco posteriore Paulus apostolus Rom 12, 20 ad dilectionem inimicorum commendandam utitur). Non obstant loci, ubi institutum iuris talionis promulgatur (Ex 21, 12. 14. 23—25. Lv 24, 19 s. Dt 19, 21); neque excisio septem populorum Canaanaeorum et Amalekitarum divinitus decreta (Ex 23, 29—33; 33, 1 s; 34, 11. Nm 33, 51—56. Dt 7, 2. 16—24; 20, 13 s. 16—18; 25, 17—19. al.), neque exsecratio, ex qua idololatrae internecioni addicebantur (Lv 27, 29); nam ea omnia in rebellantes contra deum et ad alios deterrendos statuta erant. Jahve genti

Hebraicae saepius se ipsum inimicos suos pro acceptis iniuriis ulturum promisit, velut Dt 32, 35. 41. Jes 34, 8; 47, 3. Eius modi locos respiciens Paulus in epistula ad Romanos 12, 19 scripsit: „Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae (dei); scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit dominus" (cf. Hebr 10, 30). Quod enuntiatum, cum iisdem verbis expressum in vetere testamento nusquam reperiatur, id unum spectat, ut reddat, quid illi loci veteris testamenti, qui de die ultionis Jahvae agunt, significent.

Cum apud multas gentes antiquas peregrini maxime contempti essent, ut apud Aegyptios, qui quemlibet exterum prorsus indignum ducebant, qui communi mensae adhiberetur (Gn 43, 32), inter Hebraeos peregrinos olim se bene habuisse ex locis allatis apparet. A regibus David et Salomo illi quidem operas servorum praebere coacti sunt (I Chr 22, 2. II Chr 2, 16 s.); quod illa aetate erat iuris communis. At temporibus Christi Judaei omnes alienigenas ab officiis humanitatis penitus excludebant (cf. I Thess 2, 15) atque ipsum nomen רֵעַ (proprie quilibet homo, qui sola humani generis societate nobiscum coniunctus est, LXX ὁ πλήσιος) ad solos amicos et contribules detorserant (Mt 5, 43), etsi contra eam interpretationem ex Mosaica repugnabat.

2) Cum terra Canaan divideretur, omnibus familiis, quae non tribus Levi erant, agri assignati erant. Ne postea ad egestatem redigerentur, lex Mosaica ita cavit, ut possessionem familiae non in perpetuum, sed tantum usque ad proximum annum iubilaeum venire liceret, quo ad suam quisque possessionem et ad familiam pristinam rediturus esset (Lv 25, 10). Ad hoc extra annum iubilaeum possessionem venditam semper redimi licebat (ib. v. 23 s.), in qua re propinquorum divitiorum erat pauperiores opibus suis adiuvare (ib. v. 25). Quae si observarentur, Moses iure negare potuit inter Hebraeos umquam egenos fore (Dt 15, 4). Quamquam ad egestatem redactis prospexit idque loco quodam cum diserte affirmaret pauperes inter eos numquam defuturos (ib. v. 11).

Atque legislator pauperes (עֲנִיִּים) non modo beneficentiae commendat (Dt 15, 7—11) atque eos contemni et opprimi vetat (Lv 19, 15), verum etiam ea, quae anno sabbatico (in agris, vineis — hortis?) sponte crescebant (Lv 25, 5 s.), spicas tempore messis decidentes, manipulum oblivione in agro relictum, partem messis a metente in angulis agri relinquendam (teste M. Pea 1, 2 partem sexagesimam) pauperibus concedit atque idem in vindemia et olearum (aliorum quoque fructuum arborum?) collectione commendat (Lv 19, 9 s; 23, 22. Dt 24, 19—21. cf. Rth 2, 2 ss. Jos. AJ 4, 8. 21). Quorum praeceptorum ratio Dt 24, 22 haec affertur: pauperes ab Hebraeis liberaliter habendos esse, cum ipsi quoque Aegyptios, quamdiu iis serviebant, erga se liberales et humanos esse optaverint (cf. tamen querelas prophetarum de animorum duritie in pauperes: Jes 10, 2. Jer 5, 28. Ez 22, 29. Am 2, 7. Sach 7, 10). Praeterea quisquis volebat, alterius agrum aut vineam ingredi et de fructibus usque ad satietatem comedere poterat (Dt 23, 25 s.). Denique egeni partem de quibusdam decumis accipiebant et ad laetas epulas sacra facientium invitandi erant (Dt 14, 28 s; 26, 12 s.), quod ad officia mutui amoris colenda haud parum valebat. Etiam leges de sacris faciendis datae eatenus pauperes

respiciunt, ut iis pro sacris praescriptis viliora substituere licuerit (Lv 12, 8; 14, 21 s.). Iudicibus quoque lex Mosaica praecepit, ut pauperes tuerentur et iudiciis incorruptis diligentissime studerent (Dt 1, 17; 10, 18; 16, 18—20; 27, 19. 25).

Mendicos leges Mosaicae prorsus ignorant. Primi mendici Ps 37, 25; 109, 10 commemorantur. At aetate posteriore frequentes erant; haud facile tamen iis quidquam denegabatur (Mc 10, 46. Lc 16, 3. 20. 22; 18, 35. Jo 9, 8. Act 3, 2—6); nam generositatem et liberalitatem erga miseros et alienae opis indigentes Hebraei semper magno studio exercebant eamque ut praecipuam virtutem, qua quis se rectum bonumque praestet, commendabant (cf. Job 29, 16; 30, 25; 31, 19—21. Sir 4, 1—10; 31, 11. Tob 4, 11; 12, 9. Luc 19, 8. Act 10, 2. 31. Hebr 13, 16). Quare stipem non misericordiam vel eleemosynam, sed צְדָקָה (צְדָקָה) appellare solebant.

3) Saepe in lege Mosaica inculcatur cura et protectio pupillorum et viduarum et additur fore, ut ii, qui illos contristaverint, in suis uxoribus et liberis a deo puniantur (Ex 22, 22—24. Dt 16, 11; 24, 17; 26, 12; 27, 19). Item praescribitur, ut senectus honoretur (Lv 19, 32) et ut servi, imprimis Hebraei, misericordiâ et humano animo tractentur (Lv 25, 39—43. Dt 15, 15. 18); ad hoc, ut mercennario indigenti, tam alienigenae quam Hebraeo, merces sive salarium cottidie solvatur (Lv 19, 13. Dt 24, 14 s.). Hebraei diserte monentur, ne aut surdo maledicant aut caeco quidquam, quod obstet, opponant (Lv 19, 14. Dt 27, 18); quod nonnulli loco proverbii, dici putant, ut significetur, qui sibi ab iniuria cavere non possit, ut surdus, si quis eum conviciis insequatur, aut caecus, si quid ei in via obiciatur, ei iniuriam fieri non debere.

Cf. D. Cassel, Die Armen-Verwaltung im alten Israel. Berlin 1887; A. Bertholet, Die Stellung der Israeliten und Juden zu den Fremden. Freiburg 1896; J. Nikel, Das alte Testament und die Nächstenliebe (BZF VI, 11—12) Münster 1913; E. Benamozegh, Israël et l'humanité. Paris 1914.

Caput tertium

De rationibus inter Hebraeos et alias gentes intercedentibus

Hebraeos undique gentibus idololatris circumdatos, ne ad earum mores detestandos neve ad defectionem a Jahve, rege suo, seducerentur, ab earum commercio prohiberi necessarium erat. Eo respiciunt

1) complures ritus, qui solius gentis Hebraicae proprii neque apud gentiles usitati erant, ita ut eorum observantiâ magnus Hebraeorum cum gentilibus usus difficilior redderetur: praecepta de כִּלְאַיִם *rebus diversis* i. e. de iumentis diversi generis non copulandis; de agro seminibus diversi generis non conserendo; de veste ex duabus materiis,

lanâ et lino, non contexenda; de bove et asino ad arandum non coniungendis (Lv 19, 19. Dt 22, 9—11. Jos. AJ 4, 8. 20. Tr. Kilajim M. I, 4).

De harum legum significatione variae sunt interpretum sententiae. Atque coniunctionem animalium diversi generis, verbi causâ generis equini et asinini, quidam vetitam esse contendunt partim quod ea contra naturam sit et suboles ex iis orta non propagetur, partim ut homines ipsi a nefanda illa cum brutis commixtione deterreantur. Alii autem existimant eam legem symbolicam dumtaxat fuisse, qua conubia cum fictorum deorum cultoribus vetentur.

Legem de agro seminibus diversi generis non conserendo complures eo consilio latam esse censent, ne Hebraei quosdam ritus superstitiosos a Sabiis aliisque gentibus in seminando receptos imitentur. Ex aliorum opinione Moses hac lege efficere voluit, ut semen ante sementem a lolio temulento, avenis sterilibus aliisque eiusdem generis herbis studiose purgaretur.

Vestimentorum ex duabus materiis contextorum usum quidam a Mose prohibitum esse putant cum propter magnum eorum pretium tum ut Hebraei, cum eius modi generis vestimenta ex cultu symbolico deorum Aegyptiorum variis animalium herbarumque figuris picta essent, ab illo cultu detinerentur. Josephus, etsi sacerdos erat, tamen legum Mosaicarum nonnumquam interpres pessimus, AJ 4, 8. 11 contendit unum populum Hebraicum vestimentis ex lana et lino confectis uti vetitum esse idque propterea, quod sacerdotibus solis relicta fuerint. Quod certo falsum est. Nam lex, qua usus vestis ex diversis materiis prohibetur, tam sacerdotes et Levitas quam reliquas Hebraeorum tribus respicit. Et licet sacerdotibus varia vestimenta assignentur (byssina, purpurea, coccinea, hyacinthina), tamen nulla eorum pars ex duplici materia consistit; immo cum munere divino fungebantur, vestem ex lana gerere sacerdotes vetiti erant (Ez 44, 17).

Legem de bove et asino ad arandum non coniungendis quidam ideo datam esse affirmant, ne asinus, bovi impar, ultra vires oneretur. Alii veram huius legis rationem hanc sibi reperisse videntur, ne Hebraei bovem, animal mundum, quod agricolas ob varios insignes usus in honore habere oporteat, asino aut alii animali immundo aequiperent. Alii denique eo praecepto, cum id symbolicum esse arbitrentur, Hebraeos cum cultu Jahvae cultum idolorum coniungere vetari dicunt.

2) leges de cibis vetitis. Nulla re mutuus usus gentium magis prohibetur, quam si diversos cibos comedere religione coguntur.

Quo factum est, ut Aegyptii quoque non facile mores aliarum gentium reciperent; nam cum iis cum aliis gentibus convivari non liceret (Gn 43, 32. Herod. Hist. 2, 41), cum iis familiariter vivere non poterant. Aetate autem posteriore Aegyptii commercium atque etiam conubium cum externis minime respuebant, id quod sacris litteris confirmatur (I Rg 3, 1; 9, 16; 10, 28; 11, 19. al.). Etiam militibus mercennariis ex diversis gentibus oriundis usi sunt (cf. Jer 46, 9. 21. Ez 30, 5).

3) leges, quibus Hebraei ritus quosdam funebres apud gentes idololatras usitatos et fortasse cum aliqua superstitione coniunctos sequi vetabantur. Velut lugentes faciem et corpus unguibus laniare vel figuras et stigmata cuti incidere Hebraeis non licebat (Lv 19, 28; 21, 5. Dt 14, 1).

4) lex agraria, ex qua Jahve gentem electam agriculturae addixit et mercaturam cum exteris coercuit, praesertim cum terra Canaan copiâ earum rerum, quae ad victum pertinent, abundaret.

5) vetitum, quo Hebraei foedera, imprimis conubium, cum gentilibus inire prohibebantur.

Atque illud prius vetitum attingebat tantum a) *septem populos terrae Canaan* (Ex 23, 32; 34, 12. 15. Dt 7, 2), cum non modo deorum cultui maxime detestando, verum etiam aliis horrendis flagitiis dediti essent, ut deus eos vel excidi vel e terra expelli iussisset; b) *Amalekitas* sive Cananaeos, qui Arabiam habitabant, aeque internecione delendos, quia Hebraeos, cum ex Aegypto egressi infirmi et itinere defessi per Arabiam iter facerent, armis adorti erant (Ex 17, 8—14. Dt 25, 17—19); c) *Ammonitas* et *Moabitas,* quia Hebraeis, etsi iis transitum per terram suam permiserant, tamen annonam, etiam soluto pretio, denegaverant ac Bileam hariolum vocaverant, ut iis malediceret (Nm 22, 1—24, 25. Dt 23, 4—7). Ex aetate autem regum foedera quoque Hebraeorum cum iis populis pacta, quos modo nominavimus, in libris divinis commemorantur. Velut David et Salomo cum Hiram, rege Tyriorum, amicitiam atque foedus inierant (II Sm 5, 11 = I Chr 14, 1. I Rg 5, 15—25; 9, 27; 10, 11), quamquam Phoenices inter Cananaeos numerandi sunt. David etiam cum Nahasch, rege Ammonitarum, amicitiam coniunxerat, quam Hanun eius filius iam non renovavit (II Sm 10, 2—4). Cum aliis tamen gentibus de variis negotiis pacisci et foedera inire licebat eaque religiose servanda erant. Prophetae quidem saepius in foedera cum gentilibus invehuntur (cf. Jes 7, 17—25; 8, 6—8; 30, 1—7; 31, 1—3. Jer 2, 18. 36. Ez 16, 28; 17, 11—21. Hos 5, 13; 7, 11; 12, 2 s.), sed non quod legi Mosaicae contraria essent, sed quod eius modi foederibus auxilio divino diffideretur. Et demonstratur historiâ semper defectionem ab uno vero deo illa foedera consecutam esse; nam cum potentia et gloria gentilium cum eorum cultu deorum arte conexa esse censeretur, opem gentium exterarum invocare idem fere erat quod se in fidem et tutelam deorum alienorum conferre.

In foederibus pangendis varii ritus usitati erant. Modo paciscentes datâ dexterâ fidem faciebant (Ez 17, 18), modo iusiurandum interponebant (Gn 21, 31; 26, 28. Jos 9, 15. II Rg 11, 4), dona dabant (Gn 21, 27—30), statuas sive lapidum tumulos quasi monumentum diuturnum foederis erigebant (ib. 31, 45 s. 51 s.) aut locis, ubi foedus initum erat, nomina ipsi rei convenientia imponebant (ib. 21, 31; 26, 33). Haud raro pactum communibus epulis sacrificalibus confirmatum est (ib. 26, 30 s; 31, 46. 54. cf. II Sm 3, 20. coll. v. 12). Nonnumquam paciscentes per dissectas victimas certo ordine dispositas transibant, quo ritu poena significabatur,

quae violatorem pacti maneret (Gn 15, 9 s. 17. Jer 34, 18 s.). Cum iis sacris ille loquendi modus cohaeret: כָּרַת בְּרִית = *ferire, percutere, icere, scindere foedus* (Gn 26, 28; 31, 44. Ex 34, 10. Esr 10, 3. al.). Etiam Graeci antiquissimi dicebant ὅρκια τέμνειν, *iuramenta secare* pro *pactum victimis mactatis sancire;* hinc etiam repetenda videntur verba illa: דַּם־הַבְּרִית, αἷμα τῆς διαθήκης, *sanguis foederis* (Ex 24, 8. Sach 9, 11. Hebr 9, 20). Si autem sacrum fieri non poterat, id ipsum satis esse videtur de eodem pane edere, sicut Beduini etiam nunc eum, qui cum iis edit, pro amico habent atque tuentur. Hebraei quidem, cum de pane Gibeonitarum ederunt, quod petiverant, fecerunt (Jos 9, 14 s.). Plerumque in eius modi conviviis sal (signum incorruptionis et diuturnitatis) non defuit; quare saepius de בְּרִית מֶלַח *foedere salis* sermo est (Lv 2, 13. Nm 18, 19. II Chr 13, 5). Loco II Rg 14, 14 obsides quoque in pace facienda commemorantur (cf. Ez 17, 13 s.).

Adnotatio. — De vetito conubio cum gentilibus iam supra p. 553 s. diximus.

Sectio tertia

De rebus forensibus

In describendis rebus forensibus agendum est primum de *fontibus iuris,* deinde de *iudiciis,* denique de *poenis.*

Praesidia doctrinae. — J. Selden, De synedriis et praefecturis iuridicis veterum Ebraeorum. Amsterdam 1679. — Bl. Ugolini Thes. XXV, 1103—1150. 1151—1194. 1195—1234. — J. D. Michaelis, Mosaisches Recht[2]. Reutlingen 1793. — Z. Frankel, Der gerichtliche Beweis nach mosaisch-talmudischem Rechte. Berlin 1846. Grundlinien des mosaisch-talmudischen Rechtes. Leipzig 1860. — J. Schnell, Das israelitische Recht in seinen Grundzügen dargestellt. Basel 1853. — M. Duschak, Das mosaisch-talmudische Strafrecht. Wien 1869. — F. X. Schulte, Das mosaische Privatrecht. Paderborn 1872. — J. M. Rabbinowicz, Législation criminelle du Thalmud (Sanhedrin et Makkoth). Paris 1876. — J. Klein, Das Gesetz über das gerichtliche Beweisverfahren nach mosaisch-talmudischem Recht. Halle 1885. — H. Oort, Oud-Israels Rechtswezen. Leiden 1892. — G. Förster, Das mosaische Strafrecht in seiner geschichtlichen Entwicklung. Leipzig 1900. — J. Benzinger, Gericht und Recht bei den Hebräern (RE[3] VI, 572—585).

Caput primum

De fontibus iuris

Manifestum est antiquissimis temporibus scriptam normam iuris non fuisse. Neque vero ideo ad arbitrium iudicabatur, sed mos erat

fons, unde iura ducebantur. Quidquid per morem licebat, ius erat; quidquid contra morem fiebat, iniuria erat.

Prima perscriptio iuris Hebraici liber foederis (Ex 20, 22—23, 33) existimandus est, qui in duas partes dividitur: מִשְׁפָּטִים (= *ius*) normas iuris privati et publici (21, 1—22, 16) et דְּבָרִים (= *fas*) praecepta, quae ad religionem et mores spectant (cf. *alterum librum foederis*, quem vocant, Ex 34, 10—26). Haec praecepta plerumque imperative, illae normae semper condicionaliter scripta sunt (si quis hoc aut illud fecerit, hanc aut illam poenam subibit). Excipiuntur tantum versus 21, 12. 13. 15—17. Sed respiciendum est versu 16 versus 15 et 17 inter se sententiâ cohaerentes dirimi; versum 12 eandem habere sententiam quam versum 14; versibus 15—17 versus 14 et 18 ss. rursus sententiâ inter se cohaerentes turbari; initio igitur in textu tantum versus 14 et 18 ss. fuisse. Neque versus, qui eos sequuntur, recto ordine leguntur: versus 21 et 22 post versum 27 inserendi sunt; versus 23 non versui 22 congruit, sed ad versus 18 et 19 pertinet; contra versus 20 versum 27 bene excipit. Ceterum animadvertas librum foederis non corpus legum eo consilio factum, ut eae leges ad singulas causas transferrentur, sed tantum collectionem singularum sententiarum esse.

Eo libro foederis Deuteronomium innititur, quod ut liber foederis משפטים et דברים, ita משפטים et חֻקִּים continet. Deuteronomio autem leges libri foederis non simpliciter repetuntur, sed multis rebus augentur et commutantur. Praecepta, quae ad cultum divinum pertinent, plurima emendantur; praecepta, quae ad ius et mores spectant, ad novum aliquid referuntur i. e. ad singularem rationem, quae deo cum gente sua intercedit. Quare in Deuteronomio multa praecepta invenimus, quae in legibus iuris locum non habent, sed ad leges veri rectique pertinent: praecepta de pauperibus et servis, de viduis et orbis, de Levitis et peregrinis. Totum corpus legum humanitatis et clementiae plenum est.

Codex sacerdotalis, qui vocatur, paene nihil continet nisi leges, quae ad cultum divinum spectant: raro iuris profani ratio habetur, ut pro fonte iuris habendus vix sit. Proprium corpus legum, quod in eo est, thora sanctitatis (Lv c. 17—26) appellatur, quae propinquitate quadam Deuteronomium attingit, et quod in ea ut in Deuteronomio multa, quae ad mores et iuris disciplinam pertinent, praecipiuntur, eaque, quae in prioribus legibus prorsus fere neglecta erant, et quod praecepta prorsus eadem sunt humanitate ac Deuteronomium.

Cum lex Mosaica parvam tantum partem vitae communis ad normam dirigeret, iuri consuetudinis latus campus relictus erat. Vehementer autem dolendum est, quod id ius antiquioribus temporibus non

litteris mandatum, sed per longum tempus voce sola traditum est; etiam multi legis doctores posterioris aetatis ab eo iure perscribendo abhorrebant.

Leges magis excolere iuris peritorum erat, qui lege Mosaica innisi novas leges constituerunt easque in *Mischna* collegerunt. Quae antiquius opus sequitur, quod a R. Akiba ben Joseph (qui ineunte secundo p. Ch. n. saeculo apud Judaeos multum auctoritate valuit) profectum est, quo curante interpretatio legis Mosaicae voce propagata primum litteris mandata est.

Omnium antiquissimum corpus legum est codex Ḫammurapi, sexti regis primae domus regiae Babyloniorum, qui in vetere testamento sub nomine אַמְרָפֶל aequalis Abraham invenitur (Gn 14, 1. 9). Regnasse videtur ab anno a. Ch. n. 2123—2081 *(F. X. Kugler).*

Si quis librum foederis, primam perscriptionem iuris Mosaici, cum codice Ḫammurapi comparat, magnam similitudinem inter ea corpora legum intercedere cognoscit. Ut liber foederis, ita codex Ḫammurapi non est corpus legum, quas iudex ad singulas causas adhibeat, sed tantum collectio sententiarum, quibus iudex ut norma utatur. Forma condicionalis praeceptorum iuris, quae in libro foederis legimus (Ex 21, 1—22, 16), legibus codicis Ḫammurapi plane respondet; soli ii loci libri foederis, qui eius modi res praecipiunt, quae in codice Ḫammurapi non exstant, illâ formâ condicionali non sunt, quamvis iis apta fuisset (Ex 21, 12. 16. 17; 22, 17. 18. 19. 25). Item series et damnorum Ex 21, 28—32 enumeratorum et praeceptorum Ex 21, 15—17. 18—21 datorum paragraphis 250—252 et 167. 168—169 codicis Ḫammurapi respondet. Quibus similitudinibus eorum corporum legum complures aliae adiungi possunt. Solae Mosis de cultu leges cum codice Ḫammurapi comparari non possunt idque propterea, quod in eo de iis rebus, quae ad cultum spectant, nullus est sermo. Nam quamquam ibi interdum res ad cultum templaque pertinentes attinguntur, velut si virgines sacrae, quibus nubere non licebat, commemorantur, tamen id propterea tantum fit, ut earum condicio in societate vitae ad certam normam dirigatur. Ceterum leges regis Ḫammurapi prorsus in iis versantur, quae a rebus divinis aliena sunt.

Cum Moses quingentis fere annis post Ḫammurapi esset, etiam servato temporum ordine fieri potuit, ut nonnullae ex eius legibus ex codice Ḫammurapi depromerentur. Praeterea constat Babyloniorum antiquorum iuris normam in oriente late diffusam fuisse; nam postquam Sargon I, rex urbis Agade (Akkad), Phoenicibus bella intulit eosque subegit, etiam mare transvectus in occidente statuas suas posuit (KB III, 1, 103), Babyloniorum cultus atque humanitas ad incolas earum terrarum pertinebat. Atque ubi Naram-Sin, filius regis Sargon I, Midian et totam Arabiam cepit, ibi quoque Babyloniorum cultus atque humanitas recipi coepta erat. Neque vero, cum ignoremus, quam late eorum auctoritas patuerit, certo dicere possumus codicem Ḫammurapi in omnibus illis terris pro lege valuisse. Quod tamen verisimillimum existimandum esse libri sacri ipsi testari videntur, quod historiâ patriarcharum ponitur Babyloniorum anti-

quorum ius vulgo pro iuris norma receptum fuisse. Cuius rei nonnulla exempla afferimus: Codex Ḫammurapi sola matrimonia cum proximis cognatis lineae adscendentis prohibet; quare Abraham sororem germanam (Sara), Nahor filiam fratris (Milcha), Isaac filiam patruelis (Rebecca), Jacob filias fratris matris suae (Rahel et Lea) in matrimonium ducit. — Secundum ius Babyloniorum Sara, cum sterilis sit, viro Abraham ancillam dat (Gn 16, 3); item Rahel ancillam Bilha, Lea ancillam Zilpa viro Jacob dant (ib. 30, 3. 9). — Agar, cum dominam, postquam concepit, contemnat, punitur (ib. 16, 5 s. CH § 145. 146). Sara postulat, ne Ismael cum Isaac heres sit; cui Abraham resistit (Gn 21, 10 s. CH § 170), quod Ismael filium agnovit, ut etiam deus iuris eius rationem habeat (Gn 21, 13). — Lot paratus est filias libidini Sodomitarum dedere; quae etsi iam desponsae sunt, tamen, cum nondum virum cognoverint et domi patris habitent, ex iure Babyloniorum non sunt poenâ dignae (Gn 19, 8. CH § 130), cum ex lege Mosaica delictum, quod commissurae sunt, morte multetur (Dt 22, 23 s.). Quod filiae Lot faciunt (Gn 19, 30—36), ex illa Babyloniorum opinione explicatur mulierem tum demum aliquid pretii habere, si liberos pepererit; quare incestum ne cum patre quidem factum verentur, dummodo liberos pariant; neque enim ex iure Babylonio filia incesta ullam poenam subit (§ 154), cum ex lege Mosaica ipse incestus cum nuru factus morte multetur (Lv 20, 12). — Laban a Jacob postulat, praeter filias suas ne alias uxores ducat (Gn 31, 50), quod iuri antiquorum Babyloniorum plane respondet (§ 144). Itaque Abraham quoque mortuâ demum Sarâ aliam ducit uxorem (Gn 25, 1). — Uxores patriarchae Jacob, Rahel et Lea, ipso iure divitias patris sui suas suorumque liberorum esse affirmant (Gn 31, 14—16). Iuri quidem Mosaico et hereditas filiae et uxoris potestas res privatas suis liberis hereditate relinquendi alienae sunt, Babyloniorum autem iure hereditario eae res ad normam diriguntur (§ 162. 167. 171). — Ruben concumbit cum Bilha, uxore patris sui (Gn 35, 22). Ex lege Mosaica utrique moriendum erat (Lv 20, 11), ex iure Babyloniorum tum demum, si ipsa mater agitur (§ 157). Si filius incestum cum patris uxore principe fecit, is domo extruditur (§ 158). Gn 35, 22 filius uxoris principis et patris uxor minore dignitate (Nebenfrau) aguntur, de qua causa in iure Babylonio nihil statuitur. Inde explicatur Ruben non domo extrudi, sed tantum ius filii maximi amittere (Gn 49, 4. 1 Chr 5, 1). — Thamar, uxor Er, primogeniti Juda, fornicata ita multatur, ut igni cremetur (Gn 38, 24); quod, cum alioquin crimen laesae pudicitiae non ita puniatur, ex codice Ḫammurapi explicatur.

Quae cum ita sint, librum foederis et codicem Ḫammurapi ratione quadam inter se contineri ita explicandum esse videtur, ut hunc per complura saecula in Asia anteriore, Canaan, paeninsula Sinaitica multum valuisse existimes, quo factum est, ut in legibus populorum earum terrarum, in quo numero Hebraei quoque erant, multa ex illo codice peterentur. Neque vero magna inter duo illa corpora legum discrimina neglegenda sunt. Codex enim Ḫammurapi in humana, lex Mosaica, cum monotheismum et divina de moribus praecepta prae se ferat, in divina auctoritate innititur. In lege Mosaica clare dicitur hominem deo rationem consiliorum factorumque reddere debere; quod in legibus Ḫammurapi prorsus deest, quamquam in exordio plures dii Babyloniorum invocantur. Quidquid

ad convictum hominum et ad iura pertinet, apud Babylonios ex codice Ḫammurapi adeo in ordinem redactum et constitutum est, ut similes res apud Hebraeos nullo tempore reperiantur; ex qua sola ratione existimandum non est legem Mosaicam totam ex codice Ḫammurapi manasse. Lex Mosaica id spectat, ut discrimen hominum liberorum et servorum tollatur, et praecepto amoris alterius diserte magnam dignitatem hominis ostendit, cum in codice Ḫammurapi nullum vestigium eius rei reperiatur. Neque usquam in codice Ḫammurapi cupiditati humanae obsistitur, cum in lege Mosaica cum alia tum haec praecepta primum obtinent locum: „Non concupisces!“ Lex Mosaica ordinem feminarum religionis causâ stupra facientium praetermittit; in codice autem Ḫammurapi de iure eius ordinis accurate agitur. Poenae lege Mosaica constitutae poenis codicis Ḫammurapi multo sunt leviores, imprimis eorum delictorum, quae ad proprietatem pertinent; codex Ḫammurapi in triginta quattuor eius modi delictis, in quibus etiam talia sunt, quae nobis res pusillas spectare videantur, reum morte multat, ita ut lege Mosaica vitam hominis multo pluris aestimari manifestum sit. Utroque legum corpore cognoscimus, quid antiqui Semitae de iure cogitaverint; quod tamen in lege Mosaica cum monotheismo, in codice Ḫammurapi cum polytheismo coniunctum est atque cohaeret. Ḫammurapi rex potentissimus fuit, qui magnum imperium condidit et ad bona eorum, qui eius imperio subiecti erant, tuenda ius et ordinem instituit. Moses quasi instrumentum dei fuit, qui gentem Hebraicam ex omnibus gentibus antiquitatis elegit electamque sensim pedetemptimque ad puriorem cognitionem dei atque sublimiorem perceptionem rationis, quae deo cum hominibus intercedit, perduxit.

Cf. H. Grimme, Das Gesetz Hammurabis und Moses. Köln 1903; C. v. Orelli, Das Gesetz Hammurabis und die Thora. Leipzig 1903; D. H. Müller, Die Gesetze Hammurabis und ihr Verhältnis zur mosaischen Gesetzgebung sowie zu den XII Tafeln. Wien 1903; J. W. Rothstein, Moses und das Gesetz I (BZSF VI, 9): Gesetzgebung in Israel und Babel (Moses und Hammurabi) Gr. Lichterfelde-Berlin 1911.

Caput secundum

De iudiciis

I. Patriarchae domos suas amplissima regebant potestate; cunctis summi magistratus et iudicis muneribus fungebantur (cf. Gn 21, 14; 38, 24), ut olim patres familias apud Romanos. Dum Hebraei in Aegypto commorabantur, populus iudicibus constitutis carebat; ipsi זְקֵנִים *seniores* populi ius reddebant, quantum poterant (cf. Ex 2, 14; 5, 6. 10. 14. 19 ss.). Moses, Jithrô soceri suasu, e singulis tribubus, familiis, domibus paternis principes elegit, qui leviores causas ad leges normasque a deo datas cognoscerent et definirent; sibi ipse graviores

reservabat (Ex 18, 13—26. Dt 1, 10—18). Legibus Dt 16, 18 s; 17, 8—13; 19, 17 statuit, ut, cum Hebraei in terram Canaan ingressi essent, ad portas singularum urbium שֹׁפְטִים *iudices* cum שֹׁטְרִים *scribis* constituerentur, qui causas intra limites territorii urbis ortas iudicarent, causae autem graviores (velut si cuius legis sensus obscurior esse aut variae leges inter se pugnare videbantur) ad sacrarium Jahvae deferrentur ibique a sacerdotibus (aetate iudicum a summo iudice, qui aut toti populo aut quibusdam tribubus aut uni tribui praeerat) dirimerentur. Sed nec numerus iudicum nec quo modo constituti sint definitur; verisimiliter capita quaedam familiarum, viri aetate et prudentia conspicui, communi consensu instituebantur (Dt 21, 19; 22, 15; 25, 7). Atque minime est dubium, quin Josua terrâ Canaan occupatâ ex legis Mosaicae praescripto ubivis locorum idoneos quosdam iudices constituerit (cf. Jos 23, 2; 24, 1). Josua mortuo magna omnium rerum perturbatio orta est, quae Jdc 17, 6; 21, 24 describitur. At illis quoque temporibus et magistratus populi et ii viri, qui proprie iudices nominabantur, iudicia exercebant (cf. Jdc 4, 4 s; 5, 9. 14; 10, 1—3; 12, 8 s. 11. 13. I Sm 7, 5 s. 15—17; 8, 1). Regno instituto rex ipse summa cum auctoritate potestatem iudiciariam exercebat. Ad eum omnes causae graviores deferebantur neque insolitum erat etiam res minoris momenti eius iudicio committere (II Sm 15, 2. 6. I Rg 3, 16—28; 7, 8. I Chr 18, 14. Jer. 21, 12. cf. I Sm 8, 5. 20. II Sm 14, 4 ss. II Rg 15, 5 = II Chr 26, 21). Atque cum regi David valde cordi esset ius secundum legem Mosis dici, iudicia municipalia, quae magna ex parte exoleverant, restituit atque ex Levitis, qui nullis aliis negotiis occupati omne studium in leges impendere poterant (sex milia virorum), elegit, ut partim iuri a magistratibus dicendo adessent, partim publicae iustitiae ministri essent omniaque curarent, quae ad ordinem in civitate observandum spectarent (I Chr 23, 4. cf. 26, 29. Jos. AJ 7, 14. 7). Hic iudiciorum ordo etiam Salomo regnante permansisse videtur. Aetate vero Rehabeam iudicia degenerare coeperunt, praesertim diviso imperio. Josaphat autem, rex optimus, iudicia in regno Judaico iterum restituit atque primo iudices urbium constituit constitutosque officii admonuit, deinde Hierosolymis summum quoddam iudicium creavit (e Levitis, sacerdotibus, capitibus familiarum compositum), cui in causis sacris pontifex, in causis civilibus aliquis minister regis praesidebat (II Chr 19, 4—11. Jos. AJ 9, 1. 1). Erant igitur duo iudicia, unum ecclesiasticum, alterum civile. In qua re Josaphat fortasse morem antiquitus traditum secutus est. Qui iudiciorum ordo usque ad tempora exsilii Babylonii permansit. In exsilio Judaeos suos iudices e civibus sumptos habuisse ex historia Susannae constat

(Vulg. Dn 13, 5. 41). Fortasse iudices illi a rege Babylonio designabantur, ut etiam Judaeis post expugnationem Hierosolymorum in Palaestina relictis Gedalja Judaeus a rege praefectus est (II Rg 25, 22. Jer 40, 5). Nam apud veteres non erat moris administrationem omnium rerum unâ eâdemque normâ continere, sed plerumque gentibus subiectis propriae leges et consuetudines relinquebantur. Quare pravissime a nonnullis in dubium vocantur, quae in historia Susannae memoriae produntur. Etiam Judaei in Aegypto commorantes Ptolemaeis regnantibus suis iudiciis utebantur (Jos. AJ 14, 7. 2), sicut aliis quoque locis extra Palaestinam sitis; nam cum legislatio Judaica cum religione arte cohaereret, Judaeis ita faveri necesse erat. Post exsilium iterum iudices inferiores et superiores designati erant (Esr 7, 25; 10. 14); causae autem graviores ad פֶּחָה *praefectum* provinciae vel ad summum sacerdotem deferebantur, dum regnante Joanne Hyrcano I synedrium magnum institutum est (circiter anno 110 a. Ch.).

Gabinius, dux Romanus (57—55 a. Ch.), totam Palaestinam in *quinque conventus* (Hierosolyma, Gazara sive Gadara, Amathus, Jericho, Sephoris) distribuit, qui σύνοδοι vel συνέδρια appeliabantur (Jos. AJ 14, 5. 4. BJ 1, 8. 5). Qui conventus quid intelligendi sint, non plane constat. De conventibus vel vectigalium vel iudiciorum causâ institutis cogitari potest. Illud verbo συντελεῖν (BJ 1, 8. 5: οἱ δ' ἵνα συντελῶσιν εἰς Ἀμαθοῦντα), hoc vocabulo σύνοδοι (ib.) commendatur. Ceterum id per decem fere annos tantum mansit; deinde a Caesare sublatum est (anno 47 a. Ch.).

II. 1) Synedrium magnum (συνέδριον = *consessus;* hinc סנהדרין M. Sota 9, 11. Kidduschin 4, 5. Sanhedrin 4, 3. ס' גדולה Sanhedrin 1, 6. Middoth 5, 3. בית דין הגדול Sota 1, 4; 9, 1. Gittin 6, 7. Horajoth 1, 5), erat summum Judaeorum post captivitatem Babyloniam iudicium, cuius erant et res religiosae et civiles [1]. Haud pauci quidem viri eruditi potissimum auctoritate rabbinorum nixi magnum illud iudicum collegium iam inde a Mose repetendum esse contendunt, qui septuaginta senes spiritu dei impletos ad populum coercendum constituerat (Nm 11, 16 s.). Quod tamen falsum esse facile intellegimus, si utriusque senatus rationem atque consilium respicimus. Nam septuaginta illi senes ipso Mose testante ideo eligebantur, ut populum res novas molientem et tumultuantem auctoritate sua cohiberent atque ad officium revocarent; synedrium magnum vero ad iudicia ferenda constitutum erat. Praeterea collegium illud Mosaicum ad tempus tantummodo munere suo fungebatur et post obitum legislatoris desisse censendum est. Neque enim postea in sacris litteris eius ulla mentio fit; totiens vero commemorari oportebat quotiens senatus in historia Ro-

mana. Iis autem locis, unde colligi solet tale collegium fuisse, nequaquam id evincitur: nec Jos 7, 6; 8, 10; 24, 1—31., ubi generatim de senioribus populi sermo est; nec II Rg 24, 12. 14. Jer 26, 10; 38, 4., ubi tantum principum populi mentio fit; nec Ez 8, 11., ubi propheta „septuaginta viros e senioribus domus Israel“ tura adolentes et coram deorum imaginibus stantes vidit.

Primum synedrii magni vestigium ex complurium opinione in eo Judaeorum senatu habemus, cuius aetate Hasmonaeorum frequens fit mentio (ἡ γερουσία II Mcc 1, 10; 4, 44. ἡ γερουσία τῶν Ἰουδαίων ib. 11. 27. ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους I Mcc 12, 6. οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ ib. 7. 33; 12, 35. οἱ πρεσβύτεροι Ἰσραήλ ib. 11, 23. cf. 13, 36; 14, 20. 28. III Mcc 1, 8. Jos. AJ 12, 3. 3; 13, 5. 8). Rabbini hunc senatum כנסת הגדולה vel כנישתא רבתא *synagogam magnam* nominant, quam tamen alii a synedrio distinguunt et dicunt eam fuisse collegium centum viginti legis peritorum ad quaestiones theologicas diiudicandas, ac prophetas, qui post exsilium exstiterunt, aliosque viros illustres eius assessores putant [2].

[1] Pro vocabulo συνέδριον (Mt 5, 22; 26, 59. Mc 14, 55; 15, 1. Lc 22, 66. Jo 11, 47. Act 4, 15; 5, 21. 27. 34. 41; 6, 12. 15; 22, 30; 23, 1. 6. 15. 20. 28; 24, 20) in novo testamento vocabula quoque πρεσβυτέριον (Lc 22, 66. Act 22, 5) et γερουσία (Act 5, 21) leguntur. Posteriore loco de formula τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ mireris. Cum autem dubitandum non sit, quin vocabula συνέδριον et γερουσία idem significent, coniunctio καί explicativa intellegenda est: synedrium et quidem totum senatum (= ὅλον τὸ συνέδριον Mt 26, 59. Mc 14, 55; 15, 1. πᾶν τὸ συνέδριον Act 22, 30).

Josephus summum Judaeorum iudicium modo συνέδριον (AJ 14, 9. 3—5; 15, 6. 2; 20, 9. 1. Vit 12: τὸ συνέδριον τῶν Ἱροσολυμιτῶν) modo βουλήν (BJ 2, 15. 6: τούς τε ἀρχιερεῖς καὶ τὴν βουλήν. 2, 16. 2: Ἰουδαίων οἵ τε ἀρχιερεῖς ἅμα τοῖς δυνατοῖς καὶ ἡ βουλή . 2, 17. 1: οἵ τε ἄρχοντες καὶ οἱ βουλευταί . cf. 5, 13. 1. AJ 20, 1. 2) vocat aut magistratum et populum uno nomine τὸ κοινόν comprehendit (Vit 12 s. 38. 49. 52. 60. 65. 70).

[2] Quantum equidem iudicare possum, *synagoga magna*, quae vocatur, numquam fuit. In Mischna in uno tractatu Pirke aboth 1, 1 s. memoratur; at ut alii loci eius tractatus, ita et hic recentioris est aetatis. Neque in vetere testamento neque apud Josephum aut Philonem neque in libris apocryphis illius synagogae mentio fit. Ceterum S. Krauss (The great Synod. Jewish quarterly review X, 1898, 347—377) eam fuisse defendere studuit. Item G. Hoberg (*F. Kaulen,* Einleitung in die heilige Schrift I[5], 26 s.) putat iniuriā id negari. — Cf. M. Heidenheim, Untersuchungen über die synagoga magna (StKr XXVI, 1853, 93—100); A. Kuenen, Over de mannen der groote Synagoge. Amsterdam 1876; H. L. Strack in RE[3] XIX, 221—223.

2) Synedrium magnum constabat ex septuaginta uno (M. Sanhedrin 1, 6. Schebuoth 2, 2), non, ut nonnulli viri docti existimant, septuaginta duobus viris, i. e. ex praeside et septuaginta iudicibus. Quod nonnullis locis de septuaginta duobus viris sermo est (Sebachim 1, 3. Jadajim 3, 5; 4, 2), ibi non de synedrio magno, sed de academia virorum doctorum Judaeorum secundi p. Ch. n. saeculi agitur. Et quod Josephus AJ 14, 9. 4 memoriae tradit Herodem Magnum, cum regnare coepisset, πάντας τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ, ib. 15, 1. 2 autem, eum τεσσαράκοντα πέντε τοὺς πρώτους ἐκ τῆς αἱρέσεως Ἀντιγόνου interfecisse, inde colligi non potest synedrium quadraginta quinque virorum fuisse, cum illud πάντας haud ad litteram accipiendum esse manifestum sit.

Praeses (הַנָּשִׂיא *princeps* sive רֹאשׁ *caput*), id quod cum constitutione Mosaica bene conveniebat, semper fere erat summus sacerdos; in iis quidem consessibus, quorum in novo testamento (Mt 26, 3. 57. Act 5, 17. 21; 7, 1; 9, 1; 22, 5; 23, 2; 24, 1) et apud Josephum (AJ 14, 9. 4 s; 20, 9. 1) mentio fit, pontificem praefuisse vel partes potiores egisse constat. Iudices autem erant imprimis ἀρχιερεῖς, *principes sacerdotum* (שָׂרֵי הַכֹּהֲנִים), quo nomine et in novo testamento et apud Josephum primum summi sacerdotes ipsi appellantur (i. e. is, qui nunc ipsum hunc magistratum gerit, et ii, qui summo pontificatu quondam functi sunt sive qui eo a praesidibus Judaeae moti nihilo minus nomen in memoriam pristinae dignitatis retinent), deinde homines de iis familiis sacerdotalibus, ex quibus ab aetate Herodis Magni usque ad interitum civitatis Judaicae summi sacerdotes sumebantur (γένος ἀρχιερατικόν Act 4, 6. γένη, ἐξ ὧν κατὰ διαδοχὰς οἱ ἀρχιερεῖς ἀπεδείκνυντο Jos. BJ 4, 3. 6) [1]. Quod autem saepius dictum est, eo nomine praefectos quoque viginti quattuor ordinum, in quos sacerdotes dividebantur, significari, id falsum est. Praeter ἀρχιερέας certe etiam γραμματεῖς, *scribae* sive legis periti (סוֹפְרִים), qui tunc praeter sacerdotes in lege Mosaica explicanda et ad varios vitae casus applicanda peculiare studium ponebant, in synedrio multum valebant [2]. Reliqui synedri, qui neque ἀρχιερέων neque γραμματέων erant, simpliciter πρεσβύτεροι, *seniores* (זְקֵנִים) appellabantur, quod nomen late patens et sacerdotes et non sacerdotes complecti potest. Rex ipse in synedrio non habebat locum (Sanhedrin 2, 2). Judaei enim putabant oportere regis maiestatem vereri et potius penitus excludere quam regi contradicere aut fortasse praeter aequitatem assentire.

[1]) Omnibus fere locis, ubi in novo testamento synedri enumerantur, ἀρχιερεῖς primi appellantur. Pro vocabulo ἀρχιερεῖς saepius vocabulum ἄρχοντες legitur. Duobus tantum locis (Lc 23, 13 et 24, 20) ἀρχιερεῖς et ἄρχοντες unâ memorantur. Apud Josephum quoque vocabula ἀρχιερεῖς et ἄρχοντες unum idemque significant; numquam autem ab eo ἀρχιερεῖς

et ἄρχοντες iuxta ponuntur. — Ceterum conferas E. Schürer, Die ἀρχιερεῖς im neuen Testament (StKr XLV, 1872, 593—657).

[2] Ἀρχιερεῖς maiorem partem Sadducaeorum, γραμματεῖς maiorem partem Pharisaeorum erant, ut et Sadducaei et Pharisaei in synedrio fuerint. Quod testimoniis quoque novi testamenti et Josephi diserte confirmatur: de Sadducaeis videas Act 4, 1 ss; 5, 17; 23, 6. Jos. AJ 20, 9. 1., de Pharisaeis Act 5, 34; 23, 6. cf. Jos. BJ 2, 17. 3. Vit. 38 s.

Synedri in dimidia circuli formula consedisse dicuntur: *praeses* (נָשִׂיא) cum duobus iudicibus dignitate proximis (quorum unus, qui praesidis absentis vicem gerebat, אַב בֵּית דִּין *pater domus iudicii,* alter ex nonnullorum opinione חָכָם *sapiens* vocabatur) medium occupabat locum; ceteri sedebant ordine promotionis et dignitatis suae. Atque in pavimento tapete strato vel in subiectis culcitis cruribus plexis consedisse ex more incolarum orientis communi intellegitur. Praeterea plures notarii et apparitores (ὑπηρέται Mc 14, 65. Jo 18, 22. cf. Act 23, 2) sessionibus intererant.

At respiciendum est titulos illos *Nasi* et *Ab-beth-din,* quibus praeses synedrii eiusque vicarius appellantur, a Mischna abhorrere. Nam quamquam utrumque vocabulum ibi invenitur (velut Taanith 2, 1. Nedarim, 5, 5. Horajoth 2, 5—7; 3, 1—3), tamen *Nasi* omnibus locis princeps vel rex populi intellegendus est, id quod loco quodam (Horajoth 3, 3) diserte dicitur, et *Ab-beth-din* ex significatione vocabuli ipsius vix quidquam aliud valet nisi praesidem synedrii. Eadem vi titulus quoque *Rosch-beth-din* legitur (Rosch haschana 2, 7; 4, 4). Exeunte demum aetate Mischnica tituli *Nasi* et *Ab-beth-din* in praesidem eiusque vicarium tralati sunt. Neque מוּפְלָא, qui vocatur (Horajoth 1, 4), cuius viri docti Judaeorum et Christianorum saepe mentionem faciunt ut magistratus synedrii, magistratus est, sed nihil aliud nisi is vir synedrii, qui peritiâ legum ceteros superat.

3) Ordinarii consessus synedrii (cottidie a sacrificio iugi matutino usque ad vespertinum, exceptis sabbatis et diebus festis) in לִשְׁכַּת הַגָּזִית *conclavi Gasith* habebantur. Atque cum גזית a Graecis Alexandrinis I Chr 22, 2 vocabulo ξυστός et Am 5, 11 vocabulo ξεστός vertatur, id conclave non aula quaedam ex lapidibus caesis constructa, ut nonnulli volunt, intellegenda est, sed גזית idem nomen quod Xystus esse videtur. Josephus quoque in descriptione Hierosolymorum aedificium aliquod prope Xystum consessibus synedrii destinatum fuisse commemorat idque τὴν βουλήν (BJ 5, 4. 2) vel τὸ βουλευτήριον (ib. 6, 6. 3) vocat; idem synedrium passim βουλήν appellat (ib. 2, 15. 6; 2, 16. 2; 5, 13. 1). Quod Babyl. Schabbath 15[a], Rosch haschana 31[a], Sanhedrin 41[a], Aboda sara 8[b] memoriae traditur synedrium quadraginta annis ante Hierosolyma deleta ex לִשְׁכַּת הַגָּזִית emigrasse vel expulsum esse et in חֲנוּיוֹת *tabernis* vel in חָנוּת *taberna* aliqua sedisse, id historicorum fide contestatum non est. Cum autem

quadraginta illi ante templum deletum anni etiam id spatium temporis fuisse dicantur, quo synedrio potestas vitae necisque dempta erat (Hieros. Sanhedrin 1, 1. fol. 18[a]; 7, 2. fol. 24[b]), illa mentio talmudistarum nihil aliud significare videtur nisi synedrio per illud tempus iam non licuisse in loco consueto sedere, sed id tum in loco aliquo ignobili ut in tabernis vel taberna aliqua sedisse. Quod Mt 26, 3. 58. Mc 14, 54. 66 synedrium in ipsam pontificis domum convenisse dicitur, id extra ordinem factum est. Hierosolymis a Tito excisis synedrium magnum plane interiit. Nam post urbem eversam quae alibi in Palaestina excitata sunt synedria, imitationes potius iudiciorum fuerunt quam vera iudicia.

Cf. E. Schürer, Der Versammlungsort des großen Synedriums (StKr LI, 1878, 608—626).

4) Magna synedrii erat *potestas* ac velut par regiae, nam de omnibus causis, etiam maximi momenti, sententiam ferre poterat. Atque quaedam causae ipsi soli diiudicandae reservabantur, velut idololatria totius tribus, totius oppidi aut partis eius; causa falsum prophetam aut summum sacerdotem spectans; vitia corporis, quae a sacerdotio arcebant; tributorum et vectigalium impositio; legum divinarum in causis dubiis interpretatio: ut paucis dicam, omnes causae graviores, cum religiosae tum publicae et privatae (Sanhedrin c. 1).

Quanta autem potestas synedrii temporibus Christi fuerit, viri eruditi dissentiunt. Certe synedrii erat causas capitales cognoscere, saltem praeiudicio, quotiens de crimine religioso agebatur, quod ad normam legis Mosaicae diiudicandum erat; ex nonnullorum opinione etiam capitis aliquem condemnare poterat, nisi quod procuratoris Romani erat reum iterum audire et sententiam a synedrio latam confirmare vel rescindere. Fatentibus Judaeorum magistris „quadraginta annis ante vastatum templum דיני נפשות *iudicia capitalia* ab Israel ablata sunt“ (Babyl. Sanhedrin 24[b]) et Jo 18, 31 Judaei aperte profitentur: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Id unum synedrio permissum erat, si quis alienigena, etiam homo Romanus, in templo ultra columnas illas litteris Graecis et Latinis inscriptas progressus erat, ut eum occideret (Jos. BJ 6, 2. 4). Falso igitur aliqui censent Judaeos etiam sub procuratoribus Romanis, imprimis aetate Christi et apostolorum, potestatem vitae et necis habuisse eorumque verba in evangelio Joannis allata ita intellegenda esse: „Nobis *iam* non licet occidere quemquam“ i. e. propter festos paschatis dies. Quod autem Stephanus synedrii iussu ut impius et in deum contumeliosus lapidibus obrutus est, id magis in tumultu quam ex iusta et legitima causae cognitione factum est (Act c. 7), et quae Ananus pontifex absente procuratore Romano (Albino) adversus Jacobum, fratrem Domini, facere ausus est (Jos. AJ 20, 9. 1. Hegesipp. apud *Euseb.* Hist. eccl. 2, 23. MSG 20, 200—202), male ei cessit; nam accusatus et pontificatu privatus est.

Ceterum synedrii magni potestas etiam extra Judaeam agnoscebatur, quod ex Act 9, 2; 22, 5; 26, 12 apparet, ubi Saulus ab eo epistulas accepit, quibus Judaei Damasci commorantes Christianos vinctos ei tradere iussi sunt.

5) Magno illi synedrio synedria minora (סנהדרין קטנה) subiecta erant, quae tantum in scriptis rabbinorum commemorantur; ac verisimile est ea iudicia synagogarum fuisse, quae *ex viginti tribus iudicibus* constabant (בתי דינים של עשרים ושלשה), in quibus eligendis summa adhibebatur cura. Cuius modi synedria duo erant Hierosolymis (unum ad montem, alterum ad atrium templi, Sanhedrin 11, 2), unum in ceteris Palaestinae urbibus, ubi minimum centum et viginti patres familias habitarent (Sanhedrin 1, 6), cum in minoribus oppidis *iudicia trium virorum* constituerentur (בתי דינים של שלשה), ad quae causae minoris momenti atque ea delicta, quae flagro tantum aut poena pecuniaria luenda erant, deferebantur (Sanhedrin 1, 1 s.). Tale iudicium nonnulli Mt 5, 21 vocabulo κρίσις significari existimant. Ceterum alia quoque iudicia trium virorum in usu erant idque ex partium arbitrio, ubi tantum actus iurisdictionis voluntariae exercendi erant. Tales arbitri sive peculiares in aliqua re iudices (פְּלִילִים) iam aetate Mosaica commemorantur (Ex 21, 22). Ante exsilium Babylonium num singuli quoque iudices, quorum Lc 12, 58 mentio fieri videtur, ad lites componendas instituti fuerint, disceptari non potest.

Apud Josephum nulla eorum iudiciorum fit mentio. AJ 4, 8. 14 autem memoriae prodit in unaquaque urbe fuisse *iudicium septem virorum* et in virtute et in studio aequitatis exercitatorum cum duobus ministris e tribu Levitica atque id a Mose ita institutum esse dicit (cf. etiam BJ 2, 20, 5). At quod sua aetate usitatum vidit, incaute in antiquiorem aetatem transtulit. Praeterea in Talmud בית דין של כהנים *domus iudicii sacerdotum* (M. Ketuboth 1, 5), et בית דין של כהן גדול *domus iudicii summi sacerdotis* (Hieros. Ketuboth 28^{c}) commemorantur, quae neque ex quot assessoribus constiterint neque quo consilio institutae sint apparet.

Cf. tract. *Sanhedrin* (M. IV, 4); Maimonides, De synedriis et poenis. Edidit *H. Hounting*. Amstelodami 1695; J. Clericus, Dissertatio de synedrio LXXII virorum (eius commentario in libros VT historicos adnexa); M. Krüger, De synedrio magno Israelis (Prooemium ad indicem lectionum lycei regii Hosiani Brunsbergensis 1860. 1861. 1864); D. Hoffmann, Der oberste Gerichtshof in der Stadt des Heiligtums (Progr. d. Rabb.-Sem. zu Berlin 1877—78); F. Blum, Le Synhedrin ou grand conseil de Jérusalem, son origine et son histoire. Strasbourg 1889; A. Kuenen, Ueber die Zusammensetzung des Sanhedrin (Gesammelte Abhandlungen zur biblischen Wissenschaft. Uebersetzt von *K. Budde*, 49 — 81. Freiburg-

Leipzig 1894); A. Büchler, Das Synedrion in Jerusalem und das große Bethdin in der Quaderkammer des jerusalemischen Tempels. Wien 1902; E. Schürer, GJV II⁴, 237—267.

III. 1) Iudices ab Hebraeis loco dei sedere et ius dicere existimabantur. Quare eorum iudicium מִשְׁפַּט לֵאלֹהִים *iudicium dei* vocatur (Dt 1, 17. cf. II Chr 19, 6) atque irrevocabile erat et deus id ratum habere credebatur. Quam ob rem et iudices ipsi nomine אֱלֹהִים significabantur (Ex 22, 8. Ps 82, 1. 6. cf. Jo 10, 34). Varia consilia iudicibus facta Ex 23, 3. 6—8. Lv 19, 15. Dt 1, 16 s; 16, 18—20; 27, 19. 25. Jes 32, 7 s. Ps 82. II Chr 19, 6 s. inveniuntur. Partium studio iudicis corrupti in lege Mosaica nulla poena diserte constituitur. Josepho auctore (CAp 2, 27) talis iudex morte multatur (?).

Apud Arabes iudicum collegium etiam nunc „iudicium dei" appellari solet.

2) Causae tempore matutino et antemeridiano in foro agebantur (II Sm 15, 2. Jer 21, 12. Ps 101, 8), quod certe iudiciis habendis aptissimum erat, cum Moses totum diem rebus arduis diiudicandis consumeret (Ex 18, 13 s.). Secundum talmudistarum doctrinam crimina minora uno eodemque die diiudicanda statimque punienda erant; cum vero de iudicio capitali agebatur, non licebat eodem die causam discutere, sententiam ferre, eam exsequi; prohibitum quoque erat eius modi iudicia noctu instituere (Sanhedrin 4, 1).

Iudices plerumque feria secunda et quinta hebdomadis congregari solebant (Kethuboth 1, 1). Quem morem num etiam synedrium magnum observaverit, haud constat. Sabbatis et diebus festis ius dicere compluribus Talmudis locis prohibetur, ut Beza sive Jom tob 5, 2. Id quod litibus de emptione et venditione certe convenit, minime vero consilio iudiciorum de facinoribus capitalibus, quod Dt 17, 13 exprimitur verbis: „ut cunctus populus audiat et timeat", nec verendum erat, ne iudiciis, quae in civitate theocratica erant dei, festum profanaretur. Quare etiam Mt 26, 5 Judaei diem festum declinare student non ob eius profanationem, sed ob tumultum fortasse exorientem; sed proditore occurrente hanc quoque sollicitudinem dimiserunt. Itaque quod in Talmud de ea re praescribitur, cum grano salis, ut aiunt, pensandum erit.

3) Locus iudiciorum iam ab antiquissimis temporibus usque ad exsilium Babylonium et aliquanto post erat *ad portas urbium* (Dt 16, 18; 17, 5; 21, 19; 22, 15. Jdc 5, 11. Am 5, 10. 15. Sach 8, 16. Prov 22, 22. Job 29, 7. Rth 4, 1 ss.). Dicunt quidam necesse non esse locos allatos de portis civitatis intellegi; nam Dt 17, 5 generaliter de portis iudiciariis sermonem esse, ad quas ii ducendi sint, qui aliquod scelus commiserint, et reliquis locis etsi porta commemoretur,

tamen non portam civitatis significari. At locis allatis vix aliae portae intellegendae esse videntur quam portae civitatum, quae in regionibus orientis non solum eum habebant usum, ut exitum introitumque praeberent, sed etiam ut prope eas variae res publicae tractarentur, quippe cum ab ultro citroque commeantibus frequentata essent loca. Iudicia autem eo consilio ad portas urbium exercebantur, ut cuilibet aditus ad iudices, qui in conspectu omnium ius dicebant, pateret et publico loco aequitati iudiciorum consuleretur. Et quia semper moris iudicum erat, ut *sedentes* iudicarent, idque ad auctoritatem tuendam, cum alii stantes sententiam exspectarent (quod ex Ex 18, 13 apparet), ad portas urbium iudicibus sedilia et regibus solia posita erant. Ahab et Josaphat quidem ad portam „super solium suum“ sedisse dicuntur (I Rg 22, 10); Prov 20, 8 rex „super solium iudicii sedere“ dicitur; ib. 31, 23 nobilis maritus „sedere“ dicitur „cum senioribus terrae“, quod idem est quod iudicis partes sustinere (cf. Thrn 5, 14); Rth 4, 2 seniores Bethlehemitae ad iudicium in causa Boas in porta consederunt. Quare etiam verbum יָשַׁב *sedere* nonnumquam pro *iudicare* usurpatur (Ex 18, 13 s. Ps 50, 20; 122, 5).

Ad portas urbium iudicia facere etiam apud quasdam gentes exteras, velut apud Chivvaeos, usitatum fuisse nonnulli ex Gn 34, 20 colligendum esse censent. Sunt quoque qui locum Dn 2, 49 eodem referre velint, ubi Daniel בְּתָרַע מַלְכָּא *in porta regis* mansisse dicitur, quasi in porta regiae consessus quidam iudicialis constitutus esset. Alii autem hanc interpretationem refutant, quia in portis iudicia facere non Chaldaeorum, sed Hebraeorum erat et quia apud hos quoque iudices non in porta regiae, sed in portis civitatum sedebant.

Temporibus posterioribus iudiciis in urbibus propria aedificia destinata erant. Atque reges plerumque in regia (II Sm 15, 2. 6. cf. 14, 4 ss. I Rg 7, 7), procuratores Romani in praetoriis, quae Hierosolymis (Mt 27, 27. Mc 15, 16. Jo 18, 28. 33; 19, 9) et Caesareae (Act 23, 35; 25, 23) sita erant, ius dicebant. Cum praesides Romani in provinciis occupatis, quae regibus paruerant, regiam sibi vindicare solerent, Hierosolymis quoque praetorium procuratorum Romanorum erat regia ab Herode Magno in superiore urbis parte exstructa. Ante illam regiam quaerendum est tribunal Pilati, quod Syro-chaldaice גַּבְּתָא, Graece λιθόστρωτον appellabatur (Jo 19, 13). Tribunalia enim ex usu Romano ante praetoria in locis editioribus constituebantur; hinc nomen גבתא i. e. *locus excelsus*. Praeterea tribunalia illa variis lapidibus parvis sternebantur; hinc nomen λιθόστρωτον.

Conferas R. Eckhardt, Das Prätorium des Pilatus (ZDPV XXXIV, 1911, 39—48). — Πραιτώριον Romae situm, ubi Paulus in custodia ser-

vatus esse dicitur (Phil 1, 13), neque carcer publicus, quale aedificium tum Romae non fuit, neque aula Caesaris (ἡ Καίσαρος οἰκία ib. 4, 22) est, cui numquam nomen praetorii fuit, sed castra praetorianorum ad portam Nomentanam sita, quae Tiberius constituerat (Sueton. Tiber. c. 37).

4) Quod attinet ad formam, ex more orientalium iudicia per colloquia agebantur idque breviter (Dt 25, 7. I Rg 3, 16 ss.); quaedam autem, imprimis sententia, nonnumquam scriptis mandabantur (Jes 10, 1 s. Job 13, 26). Actor et reus coram iudicibus stabant, reus (interdum, saltem in causis gravioribus, veste lugubri indutus Sach 3, 3. Jos. AJ 14, 9. 4) ad sinistram actoris (Sach 3, 1. Ps 109, 6). Testes (עֵדִים) semper fere adhibebantur, minimum duo vel tres viri optimae famae (Nm 35, 30. Dt 17, 6; 19, 15. Jos. AJ 4, 8. 15. Vit 49. cf. Mt 18, 16. Jo 8, 17. II Cor 13, 1. I Tim 5, 19. Hebr 10, 28), qui iureiurando (שְׁבוּעַת הָעֵדוּת) ad verum detegendum adigebantur (Lv 5, 1). Iidem et accusatores et testes esse poterant (Vulg. Dn 13, 36—40). Josephus AJ 4, 8. 15 memoriae prodit mulieres et servos a testimonio exclusos esse, illas ob ingenii levitatem, hos ob mores degeneres. Testi mendaci (עֵד חָמָס Ex 23, 1. עֵד שֶׁקֶר Dt 19, 18. Ps 27, 12) reddebatur „quem ad modum ipse scelerate cogitaverat facere fratri suo“ (Dt 19, 16—21. Jos. l. c.). Frequentes sunt querelae de falsis testibus (Prov 6, 19; 12, 17; 19, 5. al.) [1]. Deficientibus testibus etiam actor aut reus, vel in iudiciis capitalibus, a iudice ad iusiurandum adstringebatur (Ex 22, 9 s. Mt 26, 63. cf. Hebr 6, 16) [2]. Interdum argumenta ex litteris petebantur, quo pertinent contractus emptionis et venditionis, quorum plerumque duo exemplaria, unum obsignatum, alterum apertum, scribi solebant (Jer 32, 9—14) [3]. Si causa dubia erat aut ex discrepantibus iudicum sententiis nulla praevalebat, etiam divinum oraculum consulebatur (Lv 24, 12—23. Nm 15, 34—36). Sortes quoque in iudicio adhibitas esse, quibus reus indicaretur, ex I Sm 14, 42 colligitur. Ibi enim Saul dicit: „Proicite (sc. גּוֹרָלוֹת sortes cf. I Chr 24, 31; 25, 8) inter me et inter Jonathan, filium meum“ additurque: „et deprehensus (designatus) est Jonathan“. Similis res Jos 7, 14—18 = Jos. AJ 5, 1. 14 memoriae traditur. Cf. etiam Jon 1, 7. Prov 16, 33; 18, 18. Tormentis reos verum dicere cogi oportere legibus Mosaicis prorsus ignotum est; quod tamen tamquam institutum exterum sub principibus ab Herode oriundis invenitur (Jos. BJ 1, 30. 2—4). Ne patronos quidem causarum apud Hebraeos reperimus. Sunt quidem qui existiment locis Jes 1, 17 et Job 29, 15—17 de iis agi; at uterque locus ad iudices spectat. Sententia paulo post cognitionem pronuntiabatur et sine mora, etsi de capite agebatur, efficiebatur (Nm 15, 32—36. Dt 22, 13—19; 25, 2. Jer 37, 14 s.); neque enim ex

lege Mosaica a sententia iudicis inferioris ad superiorem appellari poterat.

[1] Cf. O. Bähr, Das Gesetz über falsche Zeugen nach Bibel und Talmud. Berlin 1882.

[2] Etiam Judaeos in Aegypto commorantes in iudiciis per Jahven iurare debuisse ex papyris Aramaeis in urbe Assuân inventis apparet.

[3] A parentibus, si filium contumacem et protervum iudici tradebant, nullum argumentum postulabatur (Dt 21, 18—21), puto propterea quod nisi extrema necessitate coacti id facere potuisse non videbantur.

Caput tertium

De poenis

Poenae lege Mosaica et iure antiquorum Babyloniorum constitutae in universum graves appellandae sunt, si eas nostrâ intellegentiâ iuris metimur. Sed poena, quae ullam habeat infamiam, legi Mosaicae ignota est. Diserte poenam verberationis ullam habere infamiam negatur. Ceterum et antiqui Hebraei et orientales huius aetatis de honore longe aliter cogitant ac nos. Homicidium, rapina, furtum, adulterium et impudicitia, mendacium ac proditio non sunt eius modi res, ut honori viri multum noceant, ne tum quidem, si detecta et punita sunt. Sed minimum officium urbanitatis, quod quis sibi deberi putat, omittere pro gravi violatione honoris habetur.

In lege Mosaica variae *poenae* enumerantur et *capitales* et *non capitales* sive corporales.

I. Ad *poenas capitales* pertinet **1)** lapidatio (סְקִילָה, רְגִימָא, λιθοβολία, λιθασμός) [1], etiam Aegyptiis (Ex 8, 22), aliisque gentibus antiquis nota, qua praecipua crimina contra religionem multabantur, velut idololatria (Dt 17, 2—5. cf. Ex 22, 19) et seductio ad eam, sive seductor fuerat falsus propheta (Dt 13, 2—6) sive amicus (ib. v. 7—11); magia, divinatio, necromantia (Lv 20, 6. 27. Dt 18, 10—12. cf. Ex 22, 17. I Sm 28, 3. 9); blasphemia (Lv 24, 10—16. cf. I Rg 21, 10—13. Act 7, 56 s. coll. 6, 13); profanatio sabbati (Ex 31, 14 s. Nm 15, 32—36); praeterea stuprator virginis alteri desponsatae (Dt 22, 23 s.); puella, quae cum virgo non esset, virginitatem mentita alicui nupserat (Dt 22, 20 s.); copula cum muliere alienigena in sua superstitione perseverante (Lv 20, 2); filius in parentes protervus et contumax (Dt 21, 18—21). Atque lapidationis supplicium iis quoque locis intellegendum est, ubi capitis poena verbis מוֹת יוּמָת in universum significatur [2], eius genus autem non accuratius definitur, ut in incestum cum aliqua patris uxore (Lv 20, 11) aut nuru (ib. v. 12), in sodomiam

(ib. v. 13), in matrimonium attentatum cum matre simul ac filia (ib. v. 14), in bestialitatem (ib. v. 15 s. Ex 22, 18), in percussionem parentum (Ex 21, 15) eorumque exsecrationem (ib. v. 17. Lv 20, 9), in plagium, quo homo (אִישׁ) liber in pace in servitutem redigebatur aut venibat (Ex 21, 16)[3]. Etiam formulam a Mose saepius usurpatam, qua quis e populo exscindendus dicitur, nonnulli lapidationis poenam significare existimant, ut Lv 17, 4; 18, 29. Nm 15, 30 s. Haec formula num etiam de exsilii poena usurpetur, incertum, ex mea autem opinione parum probabile est, quippe cum poenâ exsilii facile afferretur periculum defectionis ad superstitiosum aliarum gentium cultum, a quo Hebraei omnino arcendi erant. Sed ea ad excommunicationem sive iuris civitatis Hebraicae privationem haud raro spectare videtur, ut locis Gn 17, 14. Ex 12, 15. 19; 30, 33. 38. Lv 7, 20 s. 25. 27; 17, 4. 9. 14; 19, 7 s; 20, 17—20; 22, 3; 23, 29. Nm 9, 13; 19, 13. 20. Diversa est formula, qua quis ab ipso deo exscindendus dicitur (Lv 17, 10; 20, 5 s; 23, 30), quae de providentia divina, qua Jahve eius familiam defecturam praevidet, interpretanda est[4].

[1] Quae poena in sacris litteris exprimitur verbis: סָקַל *lapidavit* Ex 17, 4; 19, 13; 21, 28. I Sm 30, 6. I Rg 21, 10 (saepe addito vocabulo בָּאֲבָנִים Dt 13, 11; 17, 5; 22, 24. Jos 7, 25. I Rg 21, 13) et רָגַם (cf. Arab. *radschama*) *cumulavit lapides,* inde *lapides iecit, lapidavit* Lv 24, 16 (plerumque addito בָּאֶבֶן Lv 20, 2. 27. Ez 16, 40. אֶבֶן Lv 24, 23. Jos 7, 25. I Rg 12, 18. II Chr 24, 21. בָּאֲבָנִים Nm 14, 10; 15, 35. Dt 21, 21).

[2] Judaei posterioris aetatis hanc formulam interpretantur de strangulatione tamquam levissimo supplicio, quod tamen ab iis ipsis nequaquam levissimum describitur (M. Sanhedrin 7, 3). Apud Hebraeos autem antiquos nullum vestigium supplicii strangulationis invenimus. Quod cum aetate Herodis demum memoretur (Jos. AJ 16, 11. 6), auctoritate Romanorum factum esse videtur, ut institueretur.

[3] Cf. Dt 24, 7., ex quo loco apparet vocabulum אִישׁ hominem *Hebraeum* intellegendum esse. Quare etiam Graeci Alexandrini Ex 21, 16 vertunt: ὃς ἐὰν κλέψῃ τίς τινα τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Ceterum plagium iam antiquissimis temporibus non insolitum fuisse ex historia Joseph, quem ipsi fratres vendiderunt (Gn 37, 28), apparet.

[4] In lapidationis supplicio infligendo testes sceleris lapidationem incipere debebant et, nisi reus primo lapidum iactu mortuus erat, alii, qui aderant, coniectis lapidibus eum quam citissime conficiebant (Dt 13, 10; 17, 7. Sanhedrin 6, 4).

2) Poena gladii (הִכָּה בְּחֶרֶב, הִכָּה לְפִי חָרֶב, simpliciter הִכָּה), quo reus quacumque ratione interimebatur. Probabilius autem carnifex secundum morem in quibusdam regionibus orientis etiam nunc usitatum gladium in ventrem rei incutiebat. Quae poena imprimis incolis urbis

ad superstitiosos aliarum gentium cultus delapsis (Dt 13, 15; 20, 13. Jos 8, 24) et homicidae, qui, cum sanguis sanguine luendus esset (Nm 35, 33. cf. Gn 9, 6), ex antiquo iure proximo hominis occisi cognato tradebatur, imponebatur. Etiam poenae mortis a rege decretae gladio perficiebantur (I Sm 22, 17 s. II Sm 1, 15; 4, 12. I Rg 2, 25—34. II Rg 10, 25. Jer 26, 23).

Nonnumquam corpus hominis supplicio affecti ad maiorem delicti horrorem incutiendum ligno *suspendebatur* (תָּלָה), sed ante solis occasum deponendum et sepeliendum erat (Nm 25, 4. Dt 21, 22 s. Jos 8, 29; 10, 26 s. II Sm 4, 12). Josephus AJ 4, 8. 24 memoriae prodit postea omnium maleficorum corpora suspensa esse. Quem usum apud Aegyptios quoque invenimus, qui sontem suspensum in patibulo relinquebant (Gn 40, 19). Utrum Hebraei eum a patriarchis an ab Aegyptiis receperint, non constat.

Interdum tale corpus *flammis tradebatur* (שָׂרַף בָּאֵשׁ), quae poena lege statuta erat in eum, qui filiam simulque eius matrem uxores duxerat (Lv 20, 14), et in filiam sacerdotis fornicariam (ib. 21, 9). Codice Ḫammurapi tria flagitia igni multantur: impudicitia virginis sacratae (§ 110), incestus cum matre commissus (§ 157), furtum in domo ardenti (§ 25). Apud Hebraeos autem capite damnati numquam vivi comburebantur. Traditur quidem Jos 7, 15 quendam igni addictum esse; verum v. 25 poenam ita exactam esse legimus, ut ille prius lapidibus necaretur necatusque flammis traderetur. Quare etiam verba Mosis Lv 20, 14 (ubi vocabulum „vivus", quod Vulgata habet, in textu Hebraico et in versionibus antiquis deest) et 21, 9 ita intellegenda sunt. Soli crudelitati Herodis Magni adscribendum est, quod nonnulli vivi combusti sunt (Jos. AJ 17, 6. 4. BJ 1, 33. 4). Ante legem Mosaicam poenam, qua quis igni cremabatur, apud Hebraeos in usu fuisse ex Gn 38, 24 cognoscimus.

Adnotatio. — Erat inhumanum quidem, sed antiquissimum et apud multas gentes antiquitatis usitatum ius, ut liberi quoque ob parentum delicta necarentur. Velut de Persis Ammianus Marcellinus Rer. gest. 23, 6, 81 tradit: „Leges apud eos impendio formidatae; inter quas diritate exsuperant latae contra ingratos et desertores et abominandae aliae, per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit". Et cum Intaphernes, unus ex septem magis, contra vetitum aulam regiam ingredi, rege cum uxore cubante, ausus esset atque ianitori et cubiculario, aditu eum prohibentibus, aures naresque amputasset, Darius rex ἔλαβε αὐτόν τε Ἰνταφέρνεα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ καὶ τοὺς οἰκηίους πάντας . ἐλπίδας πολλὰς ἔχων, μετὰ τῶν συγγενέων μιν ἐπιβουλεύειν οἱ ἐπανάστασιν . συλλαβὼν δὲ σφεας, ἔδησε τὴν ἐπὶ θανάτῳ (Herod. Hist. 3, 119). Talem fuisse morem Persarum etiam epistula Artaxerxis Esth 16, 18 testatur. De Babyloniis cf. Dn 6, 24. Atque apud Macedonas „lege cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati erant, cum ipsis necarentur (Curtius, De reb. gest. Alex. 6, 11). Lege vero Mosaica constituitur non esse filios pro patribus supplicio afficiendos, sed suum cuique delictum esse luendum (Dt 24, 16. cf. Jer 31, 30. Ez 18, 20). Quare Amazja, rex Juda, tan-

tum eos, qui patrem suum interfecerant, non eorum liberos occidi iussit, ne legem Mosaicam violaret, ut II Rg 14, 6 = II Chr 25, 4 diserte dicitur. Sed delictum Achan, cum tale esset, quod dei iudicis sententia nisi exsecratione (חֵרֶם) ipsius eiusque familiae eorumque omnium, quae possideret, expiari non posset (Jos 7, 15), etiam eius liberi, etiamsi insontes erant, patris culpam morte luere debebant (ib. v. 24 s.).

II. *Corporis poena* lege statuta erat verberatio, quae virgis facta esse videtur. Flagella globulis plumbeis cum aculeis incurvis munita (עַקְרַבִּים *scorpiones* I Rg 12, 11. 14. II Chr 10, 11. 14) [1], quae a Romanis *horribilia* dicta sunt, non erant ex lege Mosaica, sed apud immanes heros in servos usitata. Quae castigatio nullam infamiae notam inferebat; quare non solum in iudiciis, sed etiam in synagogis peragi solebat (Mt 10, 17; 23, 34. Mc. 13, 9. Act 22, 19; 26, 11). Atque a quovis tribunali, etiam, si rabbinis fides tribuenda est, a quovis insigni legis doctore imponi poterat. Reus ad summum quadraginta plagis verberabatur (Dt 25, 2 s.), ne nimis foede laceraretur. Quare Judaei, ne forte in numerando errantes numerum praescriptum excederent, utebantur flagello, quod tribus loris constabat, ut quolibet ictu triplicem plagam infligerent; hinc tredecim ictibus reum verberabant (cf. II Cor 11, 24). Quaenam autem scelera flagellatione puni solita sint, sacrae litterae non exacte dicunt. In duabus tantum causis lex Mosaica verberationem constituit: si quis cum paelice (serva) alterius coierit eamque gravidam fecerit (Lv 19, 20); si vir uxori suae falso obiecerit, se ingressum ad eam non invenisse virginem (Dt 22, 13—19). Saepe autem verberibus multatum esse ex Dt 25, 1—3 apparet [2]. In codice Ḫammurapi semel tantum sexaginta verbera, quae taureâ infligantur, praecipiuntur, si quis superiori colaphum duxerit (§ 202).

[1] Isidorus, Etymolog. 5, 27, 18. MSL 82, 212: „*Virgae* sunt summitates frondium arborumque dictae, quod virides sunt, vel quod vim habeant arguendi: quae si lenis fuerit, virga est; si certe nodosa vel aculeata, *scorpio* rectissimo nomine, quia arcuato vulnere in corpus infigitur".

[2] Quae Judaeorum flagellatio non est confundenda cum Romana (φλαγελλοῦν, μαστιγοῦν), qualis iussu Pilati Christo inflicta est (Mt 27, 26. Jo 19, 1). Haec enim multo crudelior erat, nullo ictuum numero restricta, ut ex immanitate ministrorum reus haud raro inter flagellationem ipsam interiit.

Cf. tract. *Makkoth* (M. IV, 5).

III. *Multae* sive *poenae pecuniariae* erant diversae pro diversitate delictorum, eaeque vel determinatae vel iudicio arbitrorum determinandae. Omnes multae non fisco, sed homini laeso solvebantur.

Atque qui alterum in rixa ita percusserat, ut lecto affigeretur, non modo id damnum, quod vulneratus, dum aegrotus erat, negotia sua neglegens accipiebat, i. e. lucrum cessans, compensare. sed etiam medicationis sumptus (ὅσα τοῖς ἰατροῖς ἔδωκεν, ut ait Josephus AJ 4, 8. 33), i. e. damnum emergens, solvere debebat (Ex 21, 18 s.).

Si viri rixantes mulierem praegnantem laeserant, ut citius pareret, multa ad aestimationem mariti et arbitrorum solvenda erat (Ex 21, 22). Etiam in codice Ḫammurapi, si quis mulierem praegnantem ita violavit, ut partus moreretur, pecuniâ multatur (§ 209. 210).

Ceterum ex Ex 21, 22 et Dt 25, 11 s. cum aliqua veri specie colligi potest antiquissimis temporibus apud Hebraeos moris fuisse, ut feminae, ut rixas et pugnas virorum sedarent, se inter eos inferrent eosque ita dimoverent. Qui mos etiam nunc apud nonnullas gentes orientis viget. Neque vero quisquam apud eas talem feminam laedit.

Pro servo (ancilla), qui a bove cornupeta interemptus erat, a domino, qui bovem esse ferocem sciebat, ex lege Ex 21, 32 triginta sicli pendendi erant.

Qui virginem seduxerat, eam aut uxorem emere aut patri, qui ei filiam in matrimonium dare nolebat, consuetum sponsae pretium i. e. triginta siclos solvere debebat (Ex 22, 15 s.). Postea Moses pro stupro quinquaginta siclos solvere iussit, si pater filiam ei, qui eam stupraverat, in matrimonium dare nolebat (Dt 22, 28 s.).

Si quis post primum cum uxore concubitum eam a se non virginem repertam esse falso accusaverat, praeter publicam verberationem et centum siclorum multam ius exosae mulieris aliquo praetextu dimittendae in perpetuum amittebat (Dt 22, 13—19).

De bove vel asino in cisternam, quam quis aperuerat, lapso lex Ex 21, 33 s. statuit: dominus cisternae reddat pretium iumentorum; quod autem mortuum est, eius sit. — De homine in cisternam apertam lapso lex nihil dicit, quippe cum homo sibi providere possit, ne in talem cisternam decidat, animal non item.

Damnum agris vel pascuis alterius illatum lex Ex 22, 4 s. resarciendum praescribit.

Haec pauca, quae traduntur, haud dubie variis difficultatibus exortis regulae instar haberi necesse erat.

IV. 1) Poena talionis, ex qua non modo anima (vita) pro anima, sed etiam oculus pro oculo, dens pro dente, pes pro pede, manus pro manu, adustio pro adustione, vulnus pro vulnere, livor pro livore reddebatur (Ex 21, 23—25. Lv 24, 19 s. Dt 19, 21), a Mose non tam

instituta quam ex antiqua gentis consuetudine retenta esse videtur [1], quod homines ea re maxime a laesionibus absterrerentur. Verisimile tamen est talionem leviorum laesionum multâ pecuniariâ redimi potuisse, quia ante Mosen vel homicidia pecuniâ expiari poterant. Hoc quidem Moses vetat (Nm 35, 30 s.), sed illud nusquam prohibet [2]; nam cum homini occiso pecunia nullo usui esse posset. mutilato mutilatio eius, qui ipsum mutilaverat, exiguum afferebat commodum, pecunia vero utilis erat. Neque obstat, quod Dt 19, 18 –21 a falso in iudicio teste redemptio accipi prohibetur; est enim hîc singularis casus talique testimonio non solum is, qui accusabatur. sed ipsius iudicii auctoritas iniuriâ afficiebatur [3].

Argumenta, quibus ius talionis impugnatum est, nullius sunt momenti. Nam cum non privatâ, sed iudicum auctoritate exerceretur, patet illud nequaquam iniustum fuisse neque vindictae cupiditatem in immensum auxisse: „non fomes, sed limes furoris est“, ait Augustinus (C. Faust. 19, 25. MSL 42, 364. cf. C. Adimant. 8. ib. 139). Ceterum lege divina frequenter ultio prohibetur et oblivio iniuriarum commendatur, ut Lv 19, 16—18.

[1] Iam carmen, quo Lamech laudes gladii a filio inventi canit (Gn 4, 23 s.), talionem tunc temporis in usu fuisse probat.

[2] Conferas casus, qui Ex 21, 18 s. 22 afferuntur. Josephus AJ 4, 8. 35 mitiorem usum, qui eius aetate observabatur, ita describit: Ἠρώσας πασχέτω (τὰ ὅμοια) στερούμενος οὗπερ ἄλλον ἐστέρησε, πλὴν εἰ μήτι χρήματα λαβεῖν ἐθελήσειεν ὁ πεπηρωμένος, αὐτὸν τὸν πεπονθότα κύριον τοῦ νόμου ποιοῦντος τιμήσασθαι τὸ συμβεβηκὸς αὐτῷ πάθος καὶ συγχωροῦντος, εἰ μὴ βούλεται γενέσθαι πικρότερος. Mitior hic usus quin legitime et verisimiliter ipsa Mosis aetate initium ceperit, non est dubium.

[3] Ut in Hebraeorum iure publico, ita in Babyloniorum antiquorum (CH) lex talionis valet. Si quis alii oculum excusserit, oculus eius eripitor (§ 196). Si quis alii os fregerit, os eius frangitor (§ 197). Si quis dentem alicui sibi aequali excusserit, dens ei excutitor (§ 200). Talio etiam ad duas causas, quae in vetere testamento non memorantur, refertur: Si quis mortem filii aut filiae alterius attulerit, suo filio amisso aut sua filia poenas dato (§ 116. 230. 209. 210).

Adnotatio. — Lex talionis ad animalia quoque extendebatur. Si enim bos bovem alterius ita laeserat, ut mors sequeretur, dimidium pretii, sin iterum, plenum pretium dominus bovis laedentis possessori laeso solvere debebat, si bovem esse cornupetam haud ignorabat (Ex 21, 35 s.). Si bos hominem occiderat, dominus quidem non puniebatur, bos autem occidendus erat (ib. v. 28). Quotiens vero dominus bovem cornupetam esse sciebat neque admonitus eum recluserat itaque homo liber occisus erat, ipse quoque dominus bovis a vindice sanguinis occidendus erat (ib. v. 29); sed etiam tum pretium redemptionis permissum erat (ib. v. 30 s.), id quod pro capitis poena aliter numquam licebat; quotiens autem servus illo modo

mortuus erat, triginta sicli solvendi erant (ib. v. 32). De eo casu, quo bos hominem non occidit, sed tantum graviter vulneravit, lex nihil dicit.

Quas leges rabbini non solum ad boves, sed ad omnia animalia, quae hominem occiderint, pertinere putant, cum boves exempli causâ afferantur.

2) Cum iure talionis arte cohaeret ultio sanguinis, ex qua executio supplicii in homicidam statuti (Gn 9, 6) in fratrem aut proximum cognatum occisi devolvebatur [1], qui hinc גֹּאֵל הַדָּם *repetens sanguinem* vel simpliciter גֹּאֵל LXX, ὁ ἀγχιστεύων τὸ αἷμα, Vulg. *propinquus occisi* vocatur (Nm 35, 12. 19 s. Dt 19, 6. 12. Jos 20, 3. II Sm 14, 11). Quam consuetudinem, ut alias multas, cum ob mores feros sive animos duros populi Hebraici abrogare non auderet Moses [2], saltem ita coërcere studuit, ut homicidis invitis *asyla* sive *urbes refugii* assignaret, de quibus Nm 35, 9—15. Dt 4, 41—43; 19, 1—13. Jos 20, 1—9 agitur. Atque homicida, qui urbes illas petierat, a ministris sacris iudicabatur. Si reus erat, vindici sanguinis tradebatur; sin eum innocentem esse vel invitum egisse cognitum erat, in urbe refugii, dum intra eius territorium se continebat, securus vivebat atque mortuo summo sacerdote, cuius morte delicta illa quasi expiari existimabantur [3], liber ad suam domum redibat (Nm 35, 16—34). Iniucundo hoc et incommodo quasi exsilio tam metus imprudentiae quam studium prudentiae iniciebatur ostendebaturque tantum esse vitae humanae decus et pretium, ut etiamsi quis casu quidem aut imprudentiâ alteri eam eriperet, tamen et ipse aliquid mali pateretur. Qua re ius asylorum apud Hebraeos certe sapientius erat constitutum quam apud alias gentes, quibus eum, qui in asylum confugerat, in ius trahere non licebat. Apud Hebraeos autem asylum hoc tantum praestitit homicidae, ne indictâ causâ poenam lueret [4].

[1] Quod etiam nunc moris est *Arabum* earumque gentium, quae cum religione Arabum etiam eorum consuetudines susceperunt. Nam Muhammed hunc morem lege sanxit: „Qui occisus fuerit iniuste, iam constituimus curatori eius (i. e. heredi) potestatem adversus occisorem illius. Sed ne limites excedat in occisione“ (Ḳorân, Sûra 17, 33). Ceterum cf. O. Proksch, Ueber die Blutrache bei den vorislamitischen Arabern. Leipzig 1899.

[2] Legi Mosaicae crimini datum est, quod ultionem sanguinis non prohibuerit, sed sanxerit (Frd. Delitzsch). At praetereundum non est legem ultionem sanguinis non sancire, sed tantum pati diserteque praecipere, ut solus heres occisi ultionem sanguinis exsequatur idque postquam causa in iudicium venit. Cf. F. X. Kugler, Babylon und Christentum I, 49 s. Freiburg 1903.

[3] Quaesitum est, qua re morte summi sacerdotis talis homicida libertatem nactus esset. Varias rationes afferre solent Judaeorum doctores, alias Christiani. Ex illorum opinione Moses avitum quendam morem retinuit,

qualis inter Arabes, Judaeorum consanguineos, etiam nunc observatur, apud quos morte principis complures captivi e carceribus educuntur libertatemque accipiunt. Inter Judaeos summus pontifex principis quoque personam gerebat, qui principatus continuus erat neque aliâ regiminis formâ mutari debebat. Ad huius autem principis potestatem cum pertineret talis homicida in urbe asyli delitescens, eius morte libertatem nasci poterat. Christiani vero morte summi sacerdotis, uncti Jahvae, delicta illa quasi expiata esse censent. Ergo mors pontificis typus mortis Christi, pontificis nostri, habetur.

[4] Ceterum apud omnes gentes Semiticas probatum usitatumque erat arae esse asyli ius (W. R. Smith, Die Religion der Semiten 108[155]). Cum igitur Hebraei *unum* locum sacrum haberent, ex iure consuetudinis iam antequam urbes refugii instituerentur, altare holocaustorum tabernaculi foederis (Ex 21, 14), postea templi Hierosolymitani (I Rg 1, 50 s. cf. etiam I Mcc 10, 43) beneficio asyli praeditum erat. Joab autem, qui ducem Abner summâ astutiâ pellectum occiderat (II Sm 3, 27), ad ipsam aram iussu Salomonis interfectus est (I Rg 2, 28—34), idque ex lege, quam Moses Ex 21, 14 dedit.

Cf. Bl. Ugolini Thes. XXVI, 359—388; A. Langer, Vergleichung der hebräischen, heidnischen und christlichen Asyle. Neisse 1868; Allen Page Bissel, The law of asylum in Israel. Leipsic 1884; E. Goitein, Das Vergeltungsprinzip im biblischen und talmudischen Strafrecht. Frankfurt 1893; J. Rieber, Die Blutrache und das ius talionis im mosaischen Gesetze (Kth 1902. XXVI, 312—332).

V. De exsecutione supplicii dicenda sunt haec: Homicida ex patrio iure a vindice sanguinis interficiebatur (Nm 35, 19); quodsi talis non aderat, magistratus erat homicidam ad supplicium vocare (I Rg 2, 5 s. 28—34). Lapidationem testes sceleris incohabant atque omnis populus eam prosequebatur et consummabat (Lv 24, 14. 16. Nm 15, 35 s. Dt 13, 9; 17, 7. I Rg 21, 10. 13. Act 7, 57 s.). Reges ultimum supplicium per suos ministros (milites praetorianos) atque etiam per ministros primi ordinis exsequendum curabant (cf. I Rg 2, 25. 31. 34. 46. Mc 6, 27). Ad leviores poenas imponendas iudices operâ apparitorum utebantur (Mt 5, 25. Lc 12, 58). Loca suppliciis destinata plerumque extra urbes erant, ut olim extra castra populi in deserto commorantis (Lv 24, 14. Nm 15, 35. I Rg 21, 10. 13. Act 7, 57. Hebr 13, 12. cf. Sanhedrin 6, 1 ss.).

Magistratus Romani suos quidem habebant lictores; sed exempla suppliciorum a militibus sumptorum rara non sunt. Velut Sueton. Calig. c. 32: „Saepe in conspectu prandentis vel comissantis . . . miles decollandi artifex quibuscumque e custodia capita amputabat". Supplicium crucis quoque aetate Caesarum milites exsequebantur, ad quos vestimenta cruciarii quasi praeda pertinebant. Quod satis apparet ex eo, quod Mt 27, 35. Mc 15, 24. Lc 23, 34. Jo 19, 23 id diserte dicitur et postea lege prohibitum est. Nam in lege de bonis damnatorum (Digest. 48. tit. 20)

statuitur: „Spolia (sunt ea), quibus indutus est, cum quis ad supplicium ducitur; ista neque speculatores (= carnifices, qui supplicium infligunt) ultra sibi vindicent, neque optiones (= alii servi centurionis supplicio praepositi) ea desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est".

Celerrima iudicii exsecutione carceres, qui iam apud Aegyptios in usu erant (Gn 39, 20; 40, 3 s; 41, 10; 42, 19), supervacanei facti sunt. Bis quidem custodiae fit mentio (Lv 24, 12. Nm 15, 34), sed tantum dum iudices de delicto statuant, reus carceri custodiendus traditur [1]. Posterioribus autem temporibus carceres apud Hebraeos frequentiores erant neque solum, ut malefici et debitores servarentur, sed etiam ut ita poenas darent (Jer 32, 2; 33, 1; 37, 15. Esr 7, 26. II Chr 16, 10; 18, 26. Mt 5, 25; 14, 3; 18, 30. Mc 6, 17. Lc 3, 20; 12, 58. Jo 3, 24. Act 5, 18 ss; 8, 3; 12, 4; 22, 4; 26, 10). Plerumque carceres in portis urbium (Jer 20, 2) vel in atriis regiarum (I Rg 22, 26 s. Jer 32, 2; 37, 20) siti erant, ut etiam nunc in regionibus orientis aedificia publica, ubi captivi includantur, non omnibus locis reperiuntur, sed praefectus urbis aut praetor aliquam aedium suarum partem ad captivos custodiendos instructam habet. Qui carceribus mandabantur, nonnumquam vinculis aeneis (נְחָשְׁתַּיִם Jdc 16, 21. II Sm 3, 34. II Chr 33, 11) [2] et compedibus (זִקִּים Jes 45, 14. Jer 40, 1. Nah 3, 10. Ps 149, 8. כְּבָלֵי בַרְזֶל Ps 105, 18. 149, 8) variisque aliis tormentorum generibus cruciabantur. Velut saepe nervo sive cippo (מַהֲפֶכֶת Jer 20, 2 s; 29, 26. סַד Job 13, 27; 33, 11. ξύλον Act 16, 24. apud Graecos ποδοστράβη, ποδοκάκη) premebantur i. e. ligno duplici, cui collum, manus, pedes captivorum ita inserebantur, ut curve sedere cogerentur nec collum tollere nec manus pedesque movere possent (cf. πεντεσύριγγον ξύλον); quare etiam carcer בֵּית הַמַּהֲפֶכֶת *domus nervi* i. e. in qua nervus est, appellabatur (II Chr 16, 10). Post exsilium Judaei exemplum aliarum gentium secuti [3] debitores quoque carceribus includebant et per custodes (qui Mt 18, 34 βασανισταί vocantur) verberibus castigabant. Aetate recentiore etiam varia tormenta, quibus confessio veri reis extorqueretur, a Graecis mutuata sunt (Sap 2, 19). Custodibus carcerum (δεσμοφύλαξ Act 16, 23. 27. 36) semper fere poena reo elapso imminens irrogabatur (I Rg 20, 39. Act 12, 19. cf. 16, 27).

[1] Ne in codice Ḫammurapi quidem constitutum est, ut custodiâ puniretur. Apud Romanos quoque erat sententia pervulgata: Carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.

[2] Vocabulum נחשתים est numeri dualis, quippe cum vinculis illis duae manus vel duo pedes vincirentur.

[3] Velut apud Romanos debitorem a creditore in ergastulum vel carnificinam ductum eiusque tergum vestigiis verberum foedatum esse Livius

Hist. 2, 23 narrat; debitores nervo et compedibus vinctos esse Gellius Noct. Attic. 20, 1 tradit. Eo autem consilio debitores tormentis subiciebantur, ut, si quam haberent pecuniam reconditam, eam doloribus coacti proderent et etiam ut eorum amici misericordiâ moti pecuniam pro iis solverent.

Adnotatio. — Ceterum apud Hebraeos pro diversitate criminum puniendorum diversa fuisse carcerum genera ex historia prophetae Jeremia apparet, qui, cum rem ingratam civibus praediceret i. e. imminentem Hierosolymorum eversionem et captivitatem Babyloniam, procedente tempore missus est 1) *in atrium carceris* (בַּחֲצַר הַמַּטָּרָה), ubi aliqua fruebatur libertate (Jer 32, 2—12), quem ad modum ii, qui Romae „in libera custodia" sive custodia militari i. e. in domo quadam cum custodiente milite (cf. Act 28, 16. 30 s.) tenebantur; 2) *in carcerem subterraneum et in fornices* (אֶל־בֵּית הַבּוֹר וְאֶל־הַחֲנִיּוֹת) i. e. in locum subterraneum saxo consaeptum, unde multis diebus post Zedekia rex eum eduxit, ut iterum in vestibulo carceris custodiretur (Jer 37, 16—21). Cum autem propheta calamitates, quae patriae imminebant, praedicare non desineret, principes eum proiecerunt 3) *in lacum* (אֶל־הַבּוֹר), qui erat in vestibulo carceris i. e. in cisternam aquis vacuam, sed luti et caeni plenam, in quam eum funibus dimiserunt (Jer 38, 6).

In *custodia militari* (Act 28, 16. 30 s.) more Romano unâ eâdemque catenâ miles et captivus constringebantur; quae catena bracchio dextero captivi et bracchio sinistro militis alligata erat. Velut Agrippa iussu Tiberii a Macrone, praefecto praetorii, catenâ cuidam militi praetoriano alligatus esse dicitur (Jos. AJ 18, 6. 7).

Modus, quo Herodes Act 12, 4 Petrum apostolum custodiendum curavit, moris Romani fuisse videtur. Milites enim, quibus custodia captivorum vel carcerum aliorumque locorum committebatur, quattuor simul esse solebant, qui teste Vegetio De re milit. 3, 8 excubitum noctis ita faciebant, ut, vigiliis in quattuor partes ad clepsydram distributis, singuli ternas horas vigilarent. Quia autem Herodes Petrum a quattuor militibus custodiri voluit, quorum duo intra carcerem, duo ad carceris aditum erant (ib. v. 6), facile intellegitur necesse fuisse „quattuor quaterniones militum" i. e. sedecim milites eligerentur, qui captivum custodirent.

VI. Praeter supplicia, quae supra enumeravimus, in sacris litteris alia quaedam *externae originis* commemorantur, quorum nonnulla ab Hebraeis quoque praeter legis Mosaicae praescriptum nonnumquam usurpata sunt.

Eodem pertinent: Serratio (II Sm 12, 31. I Chr 20, 3. cf. Hebr 11, 37. LXX Am 1, 3), supplicium apud Aegyptios (Herod. Hist. 2, 139), Persas (Ctes. Pers. 54), Thraces (Val. Max. Fact. et dict. mem. 9, 2. extr. 4), Romanos (Sueton. Calig. c. 27. Dio Cass. Hist. Rom. 68, 32) usitatum. — Dichotomia sive corporis in frusta concisio (שִׁסָּף I Sm 15, 33. διχοτομεῖν, μελίζειν), poena apud Babylonios (Dn 2, 5; 3, 29), Aegyptios (Herod. Hist. 2, 139; 3, 13), Persas (ib. 7, 39. Diod. Sic. Bibl. hist. 17, 83) usitata.

Cf. etiam Horat. Sat. 1, 1, 99 s. Ḳorân, Sûra 20, 74; 26, 49. Mutilatio supplicio affectorum traditur II Sm 4, 12. II Mcc 1, 16. — Deiectio de rupe (κατακρημνισμός) commemoratur II Chr 25, 12. cf. Ps 141, 6. II Mcc 6, 10. Lc 4, 29. Apud Romanos „deicere de saxo Tarpeio“ et „praecipitare ex aggere“ in usu erat (Sueton. Calig. c. 27. — Τυμπανισμός, supplicium Graecum, a Latinis *fustuarium* appellatum (Cic. Phil. 3. 14. Liv. Hist. 5, 6, 14. Serv. ad Vergil. Aeneid. 6, 825) i. e. verberatio maleﬁci in stipite suspensi, dum moreretur. Velut Hebr 11, 35 ἐτυμπανίσθησαν, II Mcc 6, 19 αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε cf. v. 30. In quarto quoque libro Maccabaeorum c. 5. 9. 10. 11 simile supplicium describitur. — Combustio in fornace, supplicium apud Babylonios usitatum (Dn 3, 6. 11. 15. 19 ss.), et assatio, quae igne supposito fiebat (Jer 29, 22. II Mcc 7, 3 ss.). Eodem spectat iniectio in cineres candentes, de qua II Mcc 13, 5 ss. mentio fit. Ab Herode Magno nonnullos vivos flammis traditos esse Josephus AJ 17, 6. 4. BJ 1, 33. 4. memoriae prodit. Rabbini fabulantur etiam Abraham, cum cultum ignis recusavisset, a Chaldaeis in ignem coniectum, sed ex eo miraculo dei liberatum esse (velut Targ. II Chr 28, 3). Quam fabulam Hieronymus quoque tradidit, cum Neh 9, 7 verba וְהוֹצֵאתוֹ מֵאוּר כַּשְׂדִּים vertit: „Et eduxisti eum de igne Chaldaeorum“. Cf. etiam eius Qu. in Gn 11, 28. MSL 23, 1005. — Detrudere condemnati in foveam leonum (גֹּב אַרְיָוָתָא) i. e. in foveam, in qua leones nutriebantur (Dn 6, 8 ss.). — Decollatio, poena apud Aegyptios (Gn 40, 19) aliasque gentes vulgaris (cf. I Sm 31, 9). Ceterum apud Aegyptios caput securi percutere usitatum fuisse ex eorum inscriptionibus effici non potest, ex signo quodam hieroglyphico potest: quo vir sine capite manibus in tergum vinctis repraesentatur; iuxta eum palus et culter conspiciuntur (cf. OrLz 1899, 364 ss.). Temporibus ante exsilium etiam apud Hebraeos aliquid decollationis simile reperimus (Jdc 9, 5. II Sm 4, 7; 20, 21 s. II Rg 10, 7); sed postremis reipublicae temporibus reges, imprimis Herodes Magnus eiusque posteri, ad decollationem haud raro damnaverunt (Mt 14, 10. Act 12, 2. cf. etiam Jos. AJ 15, 1. 2). — Graeci et Romani nonnullos, imprimis sacrilegos, lapide in collo suspenso oneratos et sacco inclusos, in mare vel flumen detrudebant (καταποντισμός cf. Mt 18, 6. Mc 9, 41. Lc 17, 2). — Suspendium erat supplicium apud Persas usitatum (Esr 6, 11. Esth 7, 9 s. cf. Targ. et LXX ad h. l.), sub regibus autem familia Herodis ortis etiam apud Judaeos (Jos. AJ 16, 11. 7). — Crucis supplicium („crudelissimum teterrimumque supplicium“, Cic. Verr. 5, 64) iam ab antiquissimis temporibus apud Hebraeos usurpatum esse nonnulli evincere volunt ex vaticiniis de morte salvatoris nostri (Ps 22, 17. Sach 12, 10), ex locis, ubi suspendii mentio fit (Nm 25, 4. Dt 21, 22 s. Jos 8, 29; 10, 26 s.), ex iis, quae Josephus (AJ 13, 14. 2. BJ 1, 4. 6) de Alexandro Jannaeo, rege Judaeorum, tradit, qui circiter octingentos captivos in crucem tolli iussit. Quibus rebus non demonstratur crucem Judaicum fuisse supplicium; verisimilius videtur per alias gentes, imprimis per Romanos, ad Judaeos pervenisse (cf. Jos. AJ 20, 6. 2. BJ 2, 12. 6; 2, 14. 9; 5, 11. 1. Vit. § 75). Quod II Sm 21, 6—9 narratur, Gibeonitarum, non Hebraeorum est. Ceterum etiam hoc loco non de crucifixione cogitandum est, sed de suspensione in palo ligneo (LXX v. 6: ἐξηλιάσωμεν αὐτούς, v. 9: ἐξηλίασαν αὐτούς).

Adnotatio. — Excaecatio (cf. עִוֵּר *excaecavit*) neque apud Hebraeos neque apud alias gentes in poenam decernebatur, sed tantum ne excaecatus quidquam moliri posset. Qua de causa imprimis reges rebelles excaecabantur (II Rg 25, 7. Jer 39, 7; 52, 11. cf. Ez 12, 6. 12 s.). Atque stilus argenteus, quo alioqui oculi stibio fucari solebant, candens oculis admovebatur, ut acies destrueretur et debile tantum lumen remaneret, quo res discerni non possent.

Decreto Artaxerxis I Longimani violationi legum Jahvae et regis exsilium tamquam poena propositum est (Esr 7, 26). Praeterea apud Hebraeos poena exsilii nusquam reperitur. Cf. p. 769.

Sectio quarta

De re militari

In describenda re militari agendum est primum de *exercitu eiusque divisione,* deinde de *armis,* tum de *castrorum dispositione,* denique de *bello eiusque exitu.*

Praesidia doctrinae. — Bl. Ugolini Thes. XXVII, 136—364. 366—396. — Dissertation sur la milice des Hébreux (*Bible de Vence* VI, 233—300). — F. Schwally, Semitische Kriegsaltertümer. I. Der heilige Krieg in Israel. Leipzig 1901. — A. Billerbeck, Der Festungsbau im alten Orient (AO I, 4) ib. 1903. — J. Benzinger, Kriegswesen bei den Hebräern (RE³ XI, 111—119). — A. Schulz, Die sittliche Wertung des Krieges im alten Testament (BZF VII, 10), Münster 1915. — K. Dunkmann, Die Bibel und der Krieg (BZSF X, 1), Berlin-Lichterfelde 1915.

Caput primum

De exercitu eiusque divisione

I. Patriarcharum aetate exercitus, qui proprie dicuntur (עַם הַמִּלְחָמָה Jos 8, 1; 11, 7), non fuerunt; capita familiarum belli ducum quoque munere fungebantur suosque armis instruebant, cum pugna imminere videbatur (Gn 14, 14 s; 32, 7 s; 33, 1). Neque postea quidem, quamvis omnes Hebraei, qui arma ferre poterant, hosti obviam venirent, milites perpetui fuerunt. Iudicum quoque aetate nulla fuit potestas, quae omnes arma ferre cogere posset, sed quotiens periculum imminebat patriae et libertatis amore adducti operam suam profitebantur. Saul autem milites perpetuos, quorum numerus trium milium virorum erat, instituit (I Sm 13, 2; 24, 3). Sub David ducenta duodenonaginta milia virorum erant, quorum viginti quattuor milia cum suo duce alternis per mensem militiam obibant (I Chr 27, 1—15). Idem cohortem quandam perpetuam et lectissimam (primo quadringentorum I Sm 22, 2.

postea sescentorum virorum ib. 23, 13; 25, 13) custodiae causâ sibi assumpsit (II Sm 16, 6; 20, 7; 23, 8 ss. I Rg 1, 8), cui suus praefectus (Benajahu ben Jehojadaʿ) praeerat (II Sm 8, 18; 20, 23. I Chr 18. 17). Cuius cohortis nomen erat הַגִּבֹּרִים *fortes, robusti* (II Sm 23, 8. I Rg 1, 8. I Chr 11, 26; 29, 24) et הַגְּבוּרָתִי וְהַפְּלָטִתִי (II Sm 8 18; 15, 18; 20, 7. 23. I Rg 1, 38. 44. I Chr 18, 17.; הַכֶּרִי וְהַפְּלֵתִי II Sm 20, 23 Kᵉthîb), de quibus iam supra p. 718 diximus. Regem David alii quoque reges imitati sunt, velut Salomo (I Rg 9, 22; 10, 16 s.), Rehabeam (ib. 14, 27 s.), Asa (II Chr 14, 8), Josaphat (ib. 17, 14—19), Athalja regina (cf. II Rg 11, 4), Amazja (II Chr 25, 5). Asarja (ib. 26, 11—14). Etiam apud principes Hasmonaeos exercitum perpetuum invenimus (I Mcc 14, 32).

Hebraei omnes a vicesimo aetatis anno militiae obligabantur (Nm 1, 3; 26, 2. II Chr 25, 5); sed quantum temporis militare debuerint, non legitur, nisi forte putaveris eandem de iis legem valuisse, quae de Levitarum ministerio data erat, i. e. usque ad annum vitae quinquagesimum (Nm 4, 3. cf. Jos. AJ 3, 12. 4). Itaque ut in plerisque civitatibus antiquis, ita etiam in Hebraeorum civitate totidem milites erant quot viri. Quare militum propria sunt nomina נְעָרִים et בָּחוּרִים; illud minorem (I Sm 21, 5. II Sm 1, 5. I Rg 20, 14 ss. cf. Aeg. coll. *naʿaruna*), hoc maiorem (Jes 9, 16; 31, 8. Jer 18, 21. Am 4, 10. Thru 1, 15. 18. al.) aetatem significat. Commune eorum nomen est עֲבָדִים *servi* (II Sm 2, 12 s. 15. 30 s; 3, 22; 8, 7).

Numerus militum saepe permagnus fuisse dicitur (Nm 1, 20—46; 26, 2—63. Jdc 20, 2. 17. I Sm 11, 8; 15, 4. II Sm 24, 9. I Chr 21, 5. II Chr 13, 3; 14, 8; 17, 14—18; 26, 13). Verum constat numeros sacrarum litterarum minime incorruptos mansisse. Velut II Sm 24, 9 octingenta milia Israelitarum et quingenta milia Judaeorum commemorantur, loco autem simili I Chr 21, 5 decies centena milia et centum milia Israelitarum et quadringenta septuaginta milia Judaeorum. De numeris militum Hebraeorum, quorum in libro Numerorum mentio fit, F. de Hummelauer (Comm. in Nm 220—230) aliquem librarium numeros, qui initio exstabant, centuplicasse putat; quare numerum virorum, qui arma ferre poterant, in indice Nm 1 ad sex milia triginta quinque, in indice Nm 26 ad sex milia septemdecim redigit et universum numerum gentis viginti quinque milia hominum fuisse indicat. Quod probatum non est. W. M. Flinders Petrie (Egypt and Israel 42—46. London 1911) de iis numeris coniectavit: Textum sacrum non esse mutandum; vocabulum אלף non *mille,* sed *familiam* vel *tentorium* significare; velut si Nm 1, 21 numerus filiorum tribus Ruben, qui arma ferre poterant, quadraginta sex milium quingentorum fuisse dicatur, quadraginta sex familias (אלף) i. e. quingentos viros significari; ut numerus virorum omnium tribuum, qui arma ferre poterant, secundum indicem Nm 1 quinque milia quingentos quinquaginta vel quingentas nonaginta octo familias, secundum indicem

Nm 26 quinque milia septingentos triginta vel quingentas nonaginta sex familias efficiat. At id quoque probari non posse ex ipsis numeris, quos vetus testamentum de tribus familiis Levitarum affert, apparet. Velut ita septem milia quingenti Gersonitae (Nm 3, 22) totidem essent quot septem familiae vel tentoria, quorum quingenti viri sunt. Quod credibile esse non videtur. Ceterum utrique opinioni ipse locus Nm 25, 9 repugnat, ubi memoriae traditur viginti quattuor milia Hebraeorum propter impudicitiam ferro et pestilentia perisse et quem Paulus quoque apostolus I Cor 10, 8 affert (quo loco numerus „viginti tria milia" mendum librariorum est). Idem quadrat in opinionem a K. Miketta (Weidenauer Studien III, 104—112) prolatam. Quae cum ita sint, numeri, qui Nm 1, 20—46 et 26, 2—63 leguntur, recte se habere existimandi sunt.

Sacerdotes et Levitae illi quidem militiâ ipsâ immunes erant (Nm 1, 47. 49; 2, 33. Jos. AJ 3, 12. 4; 4, 4. 3), nisi forte quando pro ipsis sacris dimicandum erat (cf. I Sm 4, 11); exercitum tamen comitabantur variis ministeriis et officiis perfungentes (Nm 10, 9; 31, 6. II Chr 13, 12. 14; 20, 21). De *sacerdote castrensi* (כֹּהֵן מְשׁוּחַ מִלְחָמָה cf. M. Sota 7, 2; 8, 1. Makkoth 2, 6), cum in sacris litteris nusquam commemoretur, Judaei ipsi ut auctores viderint!

II. Primis temporibus omnes milites, ut apud alias gentes antiquas, ita etiam apud Hebraeos רַגְלִים *pedites* erant (Nm 11, 21. I Sm 4, 10; 15, 4); soli duces asinis (Jdc 10, 4; 12, 14) vel mulis (II Sm 13, 29; 18, 9) vehere solebant. *Equestris militia* in Canaan, regione montuosa, vel nullam vel exiguam utilitatem afferre poterat; immo vero reges permultis equis uti vetiti erant (Dt 17, 16). Quare Josua equis ex hoste captis crurum suffragines incidit, currus igni combussit (Jos 11, 6. 9). Idem plerumque David fecisse videtur, etsi interdum nonnullos equos conservabat (II Sm 8, 4 = I Chr 18, 4), quod Absalom quoque imitatus est (II Sm 15, 1). At Salomo, ne suum regnum splendore aliis inferius censeretur, multa equorum agmina ex remotis regionibus adducenda curavit atque פָּרָשִׁים וְרֶכֶב *equitatum et currus* bellicos, quibus peculiares urbes assignavit (עָרֵי הָרֶכֶב I Rg 9, 19; 10, 26), instituit (I Rg 5, 6 [Vulg. 4, 26] = II Chr 9, 25 [quibus locis numerus „quadraginta milia" est mendum librariorum] I Rg 10, 26 = II Chr 1, 14), qui etiam ab eius successoribus retinebantur (I Rg 16, 9. II Rg 8, 21; 13, 7. Jes 2, 7; 36, 8. Hos 1, 7. Mich 5, 9). *Navalis* vero *militia* Hebraeis nulla umquam fuit, etsi usus navium iis notissimus erat, imprimis aetate posteriore.

Etiam gentes Canaanaeae, quibuscum Hebraei diu dimicabant, exercitu bene instructo utebantur. Eorum in re militari magistri Chittaei fuisse videntur, qui ex Syria multum ad meridiem versus progressi erant. Principes urbium, qui litterarum commercio cum Pharaone iuncti erant et quarum epistulae in Tell el-ʿAmârna inventae sunt, omnes aliquot milites perpetuos alebant. Cum autem suae vires non sufficiebant, alienigenas

mercede conducebant. Praeterea exercitus Cananaeorum equis instructi erant (Dt 20, 1. Jos 11, 4. Jdc 5, 22. al.).

Syros quoque (II Sm 8, 4. I Rg 20, 1. 20. II Rg 6, 14. al.), Babylonios et Assyrios (Jes 5, 28. Jer 4, 13; 6, 23; 8, 16. Ez 26, 7. Hab 1, 8), Macedonas (I Mcc 3, 39; 6, 35. al.), alias gentes, quae cum Hebraeis bella gerebant, exceptis gentibus Arabiae ad septentriones vergentis et vicinorum desertorum (cf. Nm 31, 32 ss. Jdc 6, 5. I Sm 13, 1; 27, 9. I Chr 5, 21. al.), semper praeter pedites magnum quoque equitatum ad bellum coegisse memoriae proditur. Syri (II Rg 7, 7. 10) et Persae (Jes 21, 7) etiam asinis in bello utebantur.

Elephantes primo in expeditionibus Alexandri Magni occurrunt, postea etiam in Asia minore atque in occidente. Saepius Maccabaeos contra elephantes in exercitibus Seleucidarum pugnare necesse erat (I Mcc 6, 30 ss. II Mcc 11, 4; 13, 2; 15, 20. al.). His iumentis machinae instar turrium constructae imponebantur de quibus milites pugnabant (I Mcc 6, 37., ubi errore scribae numerus militum δύο καὶ τριάκοντα in textum irrepsisse videtur). Elephantem autem pedites cingebant et tuebantur. Qui eum regebat, ut etiam nunc, Indus vocabatur (l. c.). Ipsi quoque elephantes proboscide contra hostes pugnabant; ad quod ut excitarentur, iis ante proelium vinum rubrum (myrrhatum) vel potus ex suco mori paratus praebebatur (I Mcc 6, 34. III Mcc 5, 2). Propter ingentem suam molem saepe magnam inferebant cladem, sed nonnumquam audacter et fortiter occidebantur, ut exemplum Eleazari ostendit (I Mcc 6, 43—46).

Currus bellici ab antiquissimis temporibus apud Aegyptios, Syros, Cananaeos, Philistaeos, alias gentes orientis usitati erant (Ex 14, 7. Dt 20, 1. Jos 17, 16. 18. Jdc 1, 19; 4, 3. 13. I Sm 13, 5. II Sm 10, 18. I Rg 22, 31. Jes 31, 1. I Chr 19, 7. II Chr 12, 2 s.). Quales *currus* illi *ferrei* (רֶכֶב־בַּרְזֶל, ἅρματα σιδηρᾶ) fuerint, non constat. Cum ex monumentis appareat currus bellicos Aegyptiorum, Assyriorum, Graecorum, gentium Asiam minorem incolentium falcatos non fuisse, verisimile est etiam currus gentium terram Canaan habitantium falcibus caruisse. Lysias autem, dux Syrorum, *currus falcatos* (ἅρματα δρεπανηφόρα, Germ. *Sichelwagen*), qui duabus volvebantur rotis atque non solum in temone, sed etiam in extremis axibus et sub axibus falcibus ferreis, acutissimis, longe procurrentibus muniti erant, contra Judaeos secum adduxit (II Mcc 13, 2). Cum currus bellici, qui citato cursu per medium militum agmen perrumpebant, ingentes clades ederent, multum in iis collocabatur fiduciae praesidiique (Ps 20, 8). Quare per translationem pro singulari praesidio usurpantur (II Rg 2, 12).

In monumentis Aegyptiorum in curru plerumque bini tantum milites collocantur, equorum rector et pugnator. In monumentis autem Assyriorum praeter illos tertius sive armiger sive umbellam tenens in curru apparet, ut plenus virorum in essedo stantium numerus ternarius videri possit. Etiam in essedis Chittaeorum non duo, sed tres viri esse solebant: essedarius ipse, auriga, armiger, cuius erat parvo clipeo rotundo vel quadrato essedarium tueri. In sacris litteris *essedariorum* (שָׁלִשִׁים) frequens fit mentio, in regno et Judaico et Israelitico (II Sm 23, 8. I Rg 9, 22. II Rg 7, 2; 9, 25; 15, 25), item in exercitu Pharaonis (Ex 14, 7; 15, 4) et apud Chaldaeos (Ez 23, 15. 23). Neque tamen ante tempora regis

Salomo currus bellici cum essedariorum agmine propria pars exercitus Hebraici fuisse videntur, quamquam iam in albo heroum regis David II Sm 23, 8 *princeps* quidam *essedariorum* (רֹאשׁ הַשָּׁלִשִׁי vel potius, ut I Chr 11, 11 Q^{e}rê coll. 12, 18 legitur, ר' השלשים) memoratur. Essedarii regis Salomo I Rg 9, 22 = II Chr 8, 9 commemorantur. Post eius tempora essedarii certe in regno Israelitico satellites regum erant, ut sub imperio Jehu הָרָצִים וְהַשָּׁלִשִׁים *cursores et essedarii* regis cohortem quandam praetorianam constituebant (II Rg 10, 25) imprimisque *princeps essedariorum* (שָׁלִישׁ הַמֶּלֶךְ vel שָׁלִישׁ κατ' ἐξοχήν) in nobilissimis regis comitibus erat, ut Jehoram rex secum habebat שָׁלִישׁ (II Rg 7, 2. 17. 19), Jehu vectus curru Bidkar habebat שָׁלִישׁ (ib. 9, 25), Pekah erat שָׁלִישׁ regis Pekahja (ib. 15, 25). Ceterum nonnullis viris doctis magis verisimile videtur nomine שלשים eos significari, qui in acie in tertio loco et ordine stabant (= *triarii* Romanorum), qui tamquam *robur exercitus* in locum duorum priorum ordinum, si in proelio victi erant, succedebant et rem fortiter gerebant.

Adnotatio. — Alienigenae apud Hebraeos ab exercitu non excludebantur; immo vero corporis custodes et fidissimi milites regis David ex Philistaeis et aliis peregrinis constabant, qui causas domus regiae etiam contra populum defendebant (I Rg 1, 38—49). In exercitu Judaico semel Israelitici milites auxiliarii argento conducti memorantur, sed paulo post monente propheta dimissi sunt (II Chr 25, 6—10). Post exsilium primus Joannes Hyrcanus externos milites alere coepit (Jos. AJ 13, 8. 4), qui postea sub Alexandro Jannaeo robur exercitus fuerunt (ib. 13, 13. 5). Item regina Alexandra imprimis externis mercennariis innisa est (ib. 13, 16. 2), qui etiam in exercitu Herodis Magni multum valuerunt (ib. 17, 8. 3).

Contra Judaei etiam in alienorum principum exercitibus stipendia meruerunt. In epistula Aristeae iam Pharao Psammetich, cum contra Aethiopas proficisceretur, Judaeis mercennariis in exercitu usus esse dicitur (cf. E. Kautzsch, Die Apokryphen und Pseudepigraphen des alten Testaments II, 5). Qui Pharao non Psammetich I (663—609 a. Ch.), sed Psammetich II (593—588) intellegendus est, quod historicorum fide contestatum est eum solum contra Aethiopas profectum esse (Herod. Hist. 2, 161). Etiam in exercitibus Alexandri Magni et Seleuci Nicatoris, imprimis Ptolemaei Soteris et Ptolemaei Philadelphi (Jos. AJ 11, 8. 5; 12, 2. 5; 12, 3. 1) atque Alexandri Balas (I Mcc 10, 36) Judaei stipendia meruerunt.

III. Urgente necessitate quicumque arma ferre poterant (כָּל־יֹצֵא צָבָא) ad bellum convocabantur (I Sm 4, 1; 11, 7 s; 15, 4; 28, 4. II Sm 10, 17. I Rg 12, 21. II Rg 3, 24. II Chr 11, 1), nonnumquam etiam poenâ propositâ (I Sm 11, 7); ubi autem non omni populo ad dimicandum opus erat, delectus quidam fiebat (Ex 17, 8 s. Nm 31, 3—6; 32, 16—32. Jos 7, 3. I Sm 13, 2) idque per scribas (שֹׁטְרִים), sub regibus per tribunum militarem (סָגָן) [1]. Periculo vero morae non recipiente per nuntios in singulas tribus missos (Jdc 6, 35; 7, 24; 19, 29 s. I Sm 11, 7 s. Jdth 15, 5 s.) aut clangore bucinarum (Jdc 3,

27; 6, 34. I Sm 13, 3. Jer 4, 5; 6, 1. Ez 7, 14) aut signis, quae in locis editis erigebantur (Jes 5, 26; 11, 12; 13, 2; 18, 3; 30, 17; 49, 22. Jer 4, 6; 6, 1; 51, 12. 27), omnes, qui arma ferre poterant, convocabantur. Lectis militibus a scribis annuntiari solebat, quinam militiâ vacarent: a) qui domum aedificaverant neque incoluerant; b) qui vinetum instituerant neque fructus perceperant [2]; c) qui sponsam emerant neque nuptias celebraverant [3]; d) ii omnes, qui ignaviâ aut timiditate suâ animos aliorum minuere poterant [4], ita ut ii tantum ad signa remanerent, qui alacrem et strenuum animum ad pugnandum haberent (Dt 20, 5—8. cf. Jdc 7, 3. I Mcc 3, 56. Jos. AJ 4, 8. 41).

[1] Vocabulum סֹפֵר *scribens* aut *numerans*, ubi de re militari agitur, *conscriptorem* significat, qui ordines militum conscribit et in album refert, quod apud Romanos tribunorum erat, qui ut insigne suae potestatis vitim gerere solebant (Plin. Hist. nat. 14, 3: „Centurionum in manu vitis"). Peculiaris dignitas *censoris rei militaris* II Chr 26, 11 commemorari videtur, ubi in exercitu regis Usia duo viri censores (unus nomine סֹפֵר, alter nomine שֹׁטֵר) constituuntur sub inspectore (שַׂר) regio.

[2] Fructus trium primorum annorum non attingebantur; fructus quarti anni Jahvae consecrabantur; quinto tandem anno fructus communi usui cedebant (Lv 19, 23—25). Utrum autem qui novum vinetum posuerat, per omnes quinque annos an solum quinto anno militiâ vacaverit, sacris litteris non dicitur.

[3] Secundum Dt 24, 5 novus maritus annum a militia eximebatur, ut teste Josepho AJ 4, 8. 41 integer annus ad novam domum incolendam concedebatur.

[4] Milites ignavi saepius cum mulieribus, quarum se animo imbelli similes ostendunt, comparantur. Qua comparatione utitur Jesaia 19, 16 de Aegyptiis, Jeremia 50, 37 et 51, 30 de Chaldaeis, Nahum 3, 13 de Assyriis.

Milites delecti in *chiliadas*, quarum denae peculiarem turbam aut legionem constituebant (cf. Jdc 20, 10), *centurias*, *quinquagenos* (*decurias* I Mcc 3, 55) dividebantur. Sui cuique parti exercitus praeerant duces: הַפְּקֻדִים אֲשֶׁר לְאַלְפֵי הַצָּבָא LXX οἱ καθεσταμένοι εἰς τὰς χιλιαρχίας τῆς δυνάμεως, qui pluribus chiliadibus praeerant; שָׂרֵי הָאֲלָפִים LXX χιλίαρχοι, *chiliarchi*; שׂ הַמֵּאוֹת LXX ἑκατόνταρχοι, *centuriones*; שׂ חֲמִשִּׁים LXX πεντηκόνταρχοι, *pentecontarchi* (Nm 31, 14. 48. I Sm 8, 12; 18, 13. II Rg 1, 9; 11, 4. 15. II Chr 25, 5), δέκαρχοι, *decuriones* (I Mcc 3, 55). Omnes parebant *summo duci*, primo Mosi, deinde eius successori Josua, postea iudici, denique regi (שַׂר חַיִל II Sm 24, 2. I Rg 15, 20. II Rg 9, 5. Neh 2, 9. שׂ צָבָא I Sm 14, 50. II Sm 10, 16; 19, 14. I Rg 1, 19. LXX ἀρχιστράτηγος, ἄρχων τῆς δυνάμεως). qui unâ cum centurionibus et chiliarchis (= קְצִינֵי אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה Jos 10, 24) consilium

bellicum constituebat (cf. I Chr 13, 1) et in pace conscriptionem exercitus procurabat (II Sm 24, 2—9). Praecipui duces suum habebant *armigerum* (quem morem apud Philistaeos quoque invenimus I Sm 17, 7), assiduum comitem omnium periculorum, qui ex fortissimis viris electus non modo arma domini sui portabat (hinc נֹשֵׂא כֵּלִים dictus), sed etiam mandata ad alios praefectos deferebat (Jdc 7, 10 s. I Sm 14, 1; 16, 21; 31, 4—6. II Sm 18, 15 [ubi Joab decem armigeros habuisse dicitur]; 23, 37. I Chr 10, 4). Sed postquam mos obtinuit, ut reges curru vecti in bella procederent, nulla armigerorum fit mentio. Plerumque regium currum alter isque vacuus sequebatur vel ostentationis gratiâ vel ut in omnes eventus regi praesto esset. Quo pertinet quod II Chr 35, 24 de Josia legitur.

Adnotatio. — Milites Romani, de quibus in novo testamento saepius mentio fit, dividebantur in *legiones* (λεγεῶνες Mt 26, 53), legio in decem *cohortes* (σπεῖραι Mt 27, 27. Mc 15, 16. Jo 18, 3. 12. Act 21, 31), cohors in tres *manipulos*, manipulus in duas *centurias* (cf. Mt 27, 54. Mc 15, 39. 44 s. Act 10, 1. 22; 21, 32), ita ut legio ex triginta manipulis sive ex milibus virorum, cohors ex sescentis viris constaret, quamquam numerus nequaquam semper fuit aequalis. Duae cohortes nominatim memorantur: a) *Cohors Italica*, ἡ σπεῖρα ἡ καλουμένη Ἰταλική, Caesareae stativa habens, cuius centurio Cornelius erat (Act 10, 1). Eo nomine significari videtur cohortem magnam partem ex civibus Romanis Italiae formatam esse. E. Schürer quidem (GJV I⁴, 462 s.) talem cohortem circa annum 40 p. Ch. (de quo tempore loco allato agitur) Caesareae fuisse negat, cum constet ante magnum bellum Judaicum sive ante annum 66 Caesareae nullas copias nisi auxiliares fuisse, quae maiorem partem ex provincia Syriae delectae erant (Jos. AJ 19, 9. 2; 20, 8. 7. BJ 2, 13. 7; 3, 4. 2). Ex quibus locis apparet Caesareae quinque cohortes fuisse; nihil autem impedit, quin unam earum ex civibus Romanis Italiae constitisse dicamus. Nam primum respiciendum est de copiis intra annos 6—41 p. Ch. in Judaea constitutis nihil certi traditum esse. Deinde Josephus id unum dicit maiorem partem (τὸ πλέον, τοὺς πλείστους) earum copiarum ex Syria delectam fuisse. Denique in inscriptionibus commemorantur „cohors I. Italica civium Romanorum voluntariorum“ „cohors II. Italica civium Romanorum . . . exercitus Syriaci“; „cohors II. Italica civium Romanorum“, quae numeratur inter cohortes, „quae sunt in Suria sub Attidio Corneliano legato“; „cohors miliaria Italica voluntariorum, quae est in Syria“. Atque apud Arrianum Nicomediensem ἡ σπεῖρα ἡ Ἰταλική brevius οἱ Ἰταλοί nominatur; itaque sufficere videtur, si milites eius cohortis in Italia natos fuisse dicimus (cf. M. Hagen, Lex. bibl. II, 845). b) *Cohors Augusta*, σπεῖρα Σεβαστή, cuius centurio Julius erat, de quo nihil certi accepimus (Act 27, 1). Talem titulum insignem cohortibus auxiliariis frequenter tributum esse multis testimoniis evincitur. Quare complures interpretes existimant unam ex quinque cohortibus, quae Caesareae erant, eo titulo ornatam fuisse. Ceterum aetate Josephi in Palae-

stina nonnullae cohortes erant non legionariae, sed separatae, partim mille peditum, partim sescentorum peditum ac centum viginti equitum.

Caput secundum

De armis

Arma (כְּלִים Gn 27, 3. II Rg 7, 15; 11, 8. cum מִלְחָמָה [ut Assyr. *unûtu taḫâzi*] Dt 1, 41. Jdc 18, 11. 16. נֶשֶׁק I Rg 10, 25. II Rg 10, 2) militum Hebraeorum alia erant *ad defensionem,* quibus se ipsi adversus tela hostium protegebant, alia *ad impetum,* quibus vel cominus vel eminus hostem petebant (cf. II Cor 6, 7: ὅπλα δεξιὰ καὶ ἀριστερά i. e. arma ad impetum apta, quae manu dextera geruntur ideoque *dextera* appellari possunt, et ad defensionem, quae manu sinistra tractantur ac *sinistra* vocantur).

I. Arma, quibus Hebraei *ad defensionem* utebantur, erant:

1) Clipeus, plerumque ex levi ligno confectus, cui bovis aut alicuius animalis corium superinducebatur [1], nonnumquam solius ostentationis gratiâ ex aere (I Sm 17, 6. I Rg 14, 27. I Mcc 6, 39) vel ex auro i. e. auro ornatus aut ad summum auri laminâ opertus (I Rg 10, 16 s; 14, 26. II Chr 9, 16. I Mcc 6, 2. 39; 14, 24; 15, 18). Variâ erat formâ et magnitudine; quare etiam variis nominibus insignitus: מָגֵן (Arab. *midschannun,* pl. *madschânnu*), ἀσπίς, *clipeus* (Jdc 5, 8. II Rg 19, 32) et quidem, ut ex I Rg 10, 16 s. = II Chr 9, 15 s. colligi potest, ponderis et ambitus minoris quam צִנָּה (a צנן — Arab. *ṣâna,* custodivit), θυρεός, apud Homerum σάκος, *scutum* (Germ. Tartsche, Großschild), quod milites gravis armaturae gerebant, totum fere corpus tegens et cuspide instructum, ita ut non tantum ad hostes repellendos, sed etiam, si propius accedebant, vulnerandos aptum esset. Vocabulum סֹחֵרָה (Ps 91, 4) ex nonnullorum opinione *parmam* significat i. e. scutum breve et rotundum, quo milites levis armaturae utebantur; alii *moenia* significare existimant (cf. Assyr. *siḫirtu*). שֶׁלְטִים quale genus scutorum fuerint, non liquet. Eo autem vocabulo scuta (cf. Assyr. *šalṭu),* significari est communis fere lexicographorum recentiorum sententia, quae ex collatione II Rg 11, 10 = II Chr 23, 9 cum II Sm 8, 7 = I Chr 18, 7 confirmari videtur. Locis Ez 27, 11 et Ct 4, 4 id vocabulum latius patet atque arma in universum significat, quae in muris et turribus ornatus causâ suspendebantur [2]. Scuta Assyriorum partim rotunda partim ovata erant, ex coriis vel cratibus vel metallo facta, varia magnitudine; scuta Aegyptiorum oblonga et in solam par-

tem superiorem rotunda. Aetate Romana Judaei scutis ovatis utebantur [3].

[1] Quare Homerus Iliad. 5, 452; 12, 425 clipeos ἀσπίδας βοείας vocat. Atque ne corium siccitate rigidius factum fatisceret et ictu gladii dissiliret, necesse erat, ut nonnumquam inungeretur. Quare David in lesso de Saul II Sm 1, 21 queritur contumeliose „abiectum esse clipeum fortium, clipeum Saul non inunctum oleo“ i. e. eius clipeum contumeliose esse habitum ac si non ad pugnam aptatus esset instar rei nullius pretii.

[2] Non defuerunt interpretes, qui שלטים pharetras significare putarent, imprimis nixi verbis Jer 51, 11: הָבְרוּ הַחִצִּים *purgate sagittas* i. e. detergete robiginem sagittarum et מִלְאוּ הַשְּׁלָטִים i. e. ut opinantur, *implete pharetras* (LXX πληροῦτε τὰς φαρέτρας). Scuta autem qui vocabulum שלטים significare contendunt, verba allata reddunt: *replete scuta* i. e. corpora vestra iis tegite vel replete scuta oleo, ungite ea.

[3] Milites ad pugnam proficiscentes clipeos loro, quod collum et bracchium sinistrum ambiebat, gestasse videntur (I Chr 5, 18; 12, 8. 24. II Chr 14, 7); in pugna autem eos manu sinistra tenebant (I Sm 11, 2. coll. Jos. AJ 6, 5. 1), ut manu dextera hastam et arcum tractare possent; urbes expugnaturi clipeos super caput efferebant artius iunctos (Ez 26, 8). In pace clipei involucris erant tecti (Cic. De nat. deor. 2, 14), quae detrahebantur, cum pugnandum erat (Caes. De bell. Gall. 2, 21); unde formula loquendi עָרָה מָגֵן *denudavit clipeum* (Jes 22, 6) i. e. extraxit clipeum ex tegimentis, paravit se ad bellum. Clipeum in proelio amisisse ignominiosum erat (II Sm 1, 21), praeda autem clipeorum gloriosa (I Rg 14, 26). Tropice clipeus pro praesidio et protectione usurpatur: de deo protectore Gn 15, 1. Dt 33, 29. II Sm 22, 31. 36. Ps 3, 4; 18, 3. 31; 119, 114; 144, 2. Prov 30, 5. de principibus cives vi armorum protegentibus Ps 47, 10.

2) Galea (כּוֹבַע I Sm 17, 5. Jes 59, 17. Ez 27, 10; 38, 5. קוֹבַע I Sm 17, 38. Ez 23, 24. περικεφαλαία Eph 6, 17) erat tegimen capitis, frontem, occiput, verticem contegens, plerumque ex pelle bovina, recentiore aetate etiam aere obducta.

Complures gentes antiquae galeis etiam cornua applicabant, sive ut hostibus terrorem incuterent sive ut duces facilius internoscerentur. Quod etsi de Hebraeis diserte non legitur, tamen in sacris litteris exempla non desunt, in quibus similia pro capitis tegimento ponuntur. Ut David Ps 60, 9 et 108, 9 Ephraimitas מָעוֹז רֹאשִׁי *robur capitis mei* appellat, quae similitudo ex nonnullorum opinione a cornibus galeae ducta est, i. e. Ephraimitarum viribus ac fortitudini bellicae non parum confido, Ephraimitis quasi cornu capitis mei hostes concutiam. Conferas etiam I Rg 22, 11. Quia galeâ caput militis bene muniebatur, tropice id vocabulum pro tutela et praesidio invenimus.

Quod II Chr 26, 14 traditur Asarja (Usia) regem cuncto exercitui galeas praeparasse, nonnulli concluserunt ante eum non milites gregarios, sed solum reges et duces iis usos esse. Quod certe ex eo loco colligendum

non est. Nam alias dicendum erat clipeos quoque, hastas, loricas, arcus, fundas militibus antea defuisse.

3) Lorica (סִרְיוֹן Jer 46, 4; 51, 3. שִׁרְיוֹן I Sm 17, 5. 38. II Chr 26, 14. cf. Syr. *širjân,* Assyr. *sirjâm,* Babyl. *širjâm,* LXX θώραξ) [1] plerumque ex duabus partibus constabat, quarum una pectus et ventrem, altera tergum tegebat; fibulis in utroque latere coniungebantur. Interdum lorica ex concatenatis squamis aeneis confecta erat. Velut lorica, qua Goliath usus est, I Sm 17, 5 שִׁרְיוֹן קַשְׂקַשִּׂים *lorica squamarum* (LXX ἁλυσιδωτὸς θώραξ *lorica serta,* hamis conserta) appellatur i. e. squamis aeneis vel ferreis conserta, quibus nonnumquam etiam loricae e corio factae firmabantur. Quam loricam, quia pondus quinque milium siclorum aeris habuisse dicitur, verisimile est totam ex aere confectam fuisse. Item I Mcc 6, 35 traditur singulis elephantis bellicis mille viros ἐν ἁλυσιδωτοῖς (θώραξιν) additos esse [2]. Loricae Aegyptiorum, de quibus Jer 46, 4 mentio fit, ex corio ita confectae erant, ut inter partes corii oblongas ligamina aenea insererentur. Eius modi loricae etiam Ez 23, 24; 38, 4. Neh 4, 16. II Chr 26, 14. I Mcc 3, 3. al. intellegendae sunt. Apud Aegyptios aliasque gentes antiquas etiam loricae ex lino aut lana quodam modo in duritiem texta in usu erant (cf. Homer. Iliad. 2, 529: λινοθώρηξ). Loricae ferreae Apc 9, 9 memorantur atque de vario loricarum colore ib. v. 17 agitur [3].

[1] Vocabulum שִׁרְיָה (Job 41, 18) non loricam, sed, ut Arab. *širwatun* vel *širjathun,* rotundum sagittae aculeum, deinde pilum (Wurfspieß) significat.

[2] I Rg 22, 34 et II Chr 18, 33 memoriae proditur Ahab, regem Israelitarum, inter הַדְּבָקִים et loricam sagittâ percussum esse. Dubium non est, quin vocabulum הדבקים mendum scripturae sit pro הַקּוֹבַע, ut vertendum sit: „inter galeam et loricam"; neque enim bis praepositio בֵּין posita esset, nisi duo diversa arma ibi memorarentur. Cum lectio שריון *lorica* constet, דבקים non corporis, sed tantum armorum partem significare potest; nam si id vocabulum *iuncturam, compacturam, compaginem* significaret, pro בין bis posito sine dubio בְּעַד usurpatum esset. Hieronymus quoque, cum ibi duas res eiusdem generis nominari necesse esse intellegeret, θώρακα pectus, quod alibi quoque significat, intellexit et vocabulo *stomachi* vertit (I Rg 22, 34).

[3] Ceterum lorica antiquo tempore non erat armatura omnium militum, sed tantum nobilium, regum et ducum. Velut apud Assyrios soli nobiles essedarii longis loricis sertis, quae usque ad genua vel pedes pertinebant, utebantur. Cum lorica corpus bene muniret, tropice pro tutela usurpatur (Eph 6, 14. I Thess 5, 8). Jahve ut miles egregie armatus indutus est iustitiâ ut loricâ i. e. sanctitate quasi loricâ indutus hostes suos debellat (Jes 59, 17). Glacies, qua propter frigus aquae constringuntur, lorica aquarum appellatur (Sir 43, 20).

Adnotatio. — Quidam armis ad defensionem aptis etiam ocreas (מִצְחָה I Sm 17, 6) ex aere aliove metallo confectas addunt, quae tamen apud Hebraeos non usitatae fuisse videntur. De tegimento bracchii dexteri sive armilla militari in sacris litteris nulla fit mentio. Nam olim milites nudatis bracchiis pugnare solebant, ut ad arma tractanda expeditiores essent.

II. Hebraeorum arma *ad impetum* idonea erant **a)** ad cominus pugnandum:

1) Gladius (חֶרֶב cf. Arab. *ḥaraba,* spoliavit, acuit sc. gladium, Aeg. *ḥurpu,* Gr. ἅρπη; LXX μάχαιρα, ῥομφαία, ξίφος) vel una acie (quae פִּי חָרֶב *os gladii* vocatur Jos 6, 21) vel duplici acie (ח׳ שְׁנֵי פִּיּוֹת Jdc 3, 16. ח׳ פִּיּוֹת Prov 5, 4. μάχαιρα δίστομος Hebr 4, 12. Apc 1, 16; 2, 12) instructus et in vagina (תַּעַר I Sm 17, 51. II Sm 20, 8. נְדָן I Chr 21, 27. θήκη Jo 18, 11) ex corio facta inclusus[1]. Gestabatur balteo, qui apud Hebraeos non ex umero ad pectus descendebat, quem ad modum olim apud Graecos, sed renes tantum stringebat; quare omnibus, qui moenibus Hierosolymorum aedificandis operam dabant, Nehemia edixisse dicitur, ut „renes gladio accinctos" habeant (Neh 4, 18) et milites Babylonii „cingulo lumbos suos accincti" fuisse dicuntur (Ez 23, 15). Unde formula loquendi חָגַר אֶת־חַרְבּוֹ *gladio se cinxit* (I Sm 17, 39; 25, 13 et Ps 45, 4., ubi additur עַל־יְרֵךְ *super femur*). Nonnumquam balteus pretiosus militibus pro re egregie gesta praemii loco dabatur (II Sm 18, 11)[2].

[1] Hinc loquendi formulae: הֵרִיק חֶרֶב Ex 15, 9. פָּתַח ח׳ Ez 21, 33. שָׁלַף ח׳ (cf. Assyr. *šalâpu*) Nm 22, 23 = *strinxit gladium.*

[2] Tropice gladius quamlibet poenam aut calamitatem significat; saepius tamquam fera rapax describitur, quae carnem devorat et sanguinem bibit (Dt 32, 42. II Sm 2, 26; 18, 8. Jes 1, 20. Jer 46, 14); haud raro ob splendorem politurae pro fulmine legitur (Dt 32, 41. Ez 21, 15. Ps 7, 13); poetice lingua maledica cum gladio acuto comparatur (Ps 57, 5). Gladio vibrato et fulguranti flamma adscribitur (Gn 3, 24. Nah 3, 3).

Adnotatio. — Aetate posteriore inter Judaeos gladii breviores instar acinacis Persici incurvi, quales Romani *sicas* appellabant, in usum venerunt. Unde illi *sicarii,* qui ex schola Judae Galilaei progressi ultimis reipublicae temporibus per Judaeam grassabantur et quorum apud Josephum saepius fit mentio (AJ 20, 8. 10. BJ 2, 13. 3; 2, 17. 6; 7, 10. 1. Vit. § 56).

2) Hasta sive lancea (רֹמַח, Arab. *rumḥun* Nm 25, 7. I Rg 18, 28. חֲנִית I Sm 18, 11; 19, 10. קַיִן II Sm 21, 16. λόγχη hasta militum Romanorum Jo 19, 34. cf. II Mcc 5, 2; 15, 11) erat pertica lignea (עֵץ I Sm 17, 7 Q^{e}re. II Sm 21, 19; 23, 7. I Chr 20, 5), maxime

cupressea, cuspide ferrea vel aenea (cf. חֵץ I Sm 17, 7 K^{e}thîb) munita. Eius longitudo pro diversitate temporum et populorum variabat.

Nah 2, 4 respicitur ad priscorum bellatorum morem ante congressum hastas in medio comprehensas quassandi earumque extremas partes sursum deorsum motitandi, quo animum pugnandi cupidum ostenderent. Cf. Hom. Iliad. 3, 344 s.

3) Iaculum (כִּידוֹן a כִּיד = Arab. *kâda,* 1. sgl. *kidtu,* prope abfuit I Sm 17, 6. 45. Jos 8, 18. 26. etiam שֶׁבֶט II Sm 18, 14) erat hasta minor, apud Babylonios quoque et Persas usitata (Jer 6, 23; 50, 42), quae vibrando iaculabatur (Job 39, 23; 41, 20).

Etiam vocabulum חנית nonnumquam breviorem lanceam atque ad vibrandum idoneam significare complures interpretes ex I Sm 18, 11; 19, 10; 20, 33 colligunt, ubi Saul חנית lanceam eo consilio in David vibrasse dicitur, ut eum parieti affigeret.

b) ad eminus pugnandum:

1) Arcus (קֶשֶׁת a קוּשׁ, Arab. *ḳawiša,* dorso *incurvus* fuit), plerumque ex aere confectus (II Sm 22, 35. Ps 18, 35. Job 20, 24). Nonnumquam staturam hominis longitudine aequabat. Quare ad eum tendendum praeter manum (II Rg 13, 16) pes adhibebatur. Inde loquendi formula דָּרַךְ קֶשֶׁת *calcavit arcum* i. e. pede imposito tetendit (Jer 46, 9; 50, 14. 29; 51, 3. Ps 7, 13; 11, 2; 37, 14. Thrn 2, 4; 3, 12. I Chr 5, 18; 8, 40. II Chr 14, 7). Arcus si erat laxior, haud raro iaculatorem ipsum percutiebat; quare קֶשֶׁת רְמִיָּה *arcus dolosus* appellabatur (Hos 7, 16). Alii autem iis verbis *arcum remissum* significari existimant, qui nervo rumpente fatiscit nec ferit iaculando. Ps 78, 57 *sagittarii dolosi,* qui simulatâ fugâ fallunt, קֶשֶׁת רְמִיָּה vocantur. Quod Hab 3, 9 arcus *nudatus* dicitur, ad morem veterum spectat, quo arcus, dum otiosus est, in theca recondebatur, quae a Graecis γωρυτός, a Latinis *corytus* appellata est; unde *arcum nudare* idem est ac *depromere.*

Sagittae (חִצִּים, חֵץ a חצץ; Assyr. *uṣṣu*) e levioribus lignis factae et plerumque ferrea cuspide munitae in pharetra (תֶּלֶא Gn 27, 3. אַשְׁפָּה Jes 22, 6; 49, 2. Jer 5, 16. Ps 127, 5. Job 39, 23) umero suspensa gestabantur. Job 41, 20 sagittae בְּנֵי־קֶשֶׁת *filii arcus* vocantur (alii hoc loco sagittarios intellegunt) et Thrn 3, 13 בְּנֵי־אַשְׁפָּה *filii pharetrae* (cf. Horat. Od. 1, 22, 3. qui „pharetram venenatis sagittis gravidam“ dicit). Saepius sagittae genistâ ignitae eiciebantur (זִיקוֹת Jer 50, 11. i. q. זִקִּים Prov 26, 18 [a זנק prosiliit, cf. Syr. *zîqeta,* fulgur] βέλη πεπυρωμένα Eph 6, 16. apud Romanos *malleoli, falaricae*). praecipue in obsidione urbium (cf. Amm. Marc. Rer. gest. 23, 4). Veneno quoque eas nonnumquam infectas esse ex Job 6, 4 concludi vix potest [1]. Frequentem

sagittarum usum imagines variarum rerum, quas in sacris litteris invenimus, ostendunt (velut fulmina = sagittae dei Hab 3, 11. Ps 18, 15; 77, 18; 144, 6. calumniae = sagittae Jer 9, 8. Prov 26, 18 s. Eph 6, 16)[2].

Sagittarii (מְטַחֲוֵי־קֶשֶׁת *tendentes arcum* Gn 21, 16. קֶשֶׁת ib. v. 20. מוֹרֶה I Sm 31, 3. II Sm 11, 24) inter Hebraeos multi erant, imprimis e tribubus Beniamin et Ephraim (Ps 78, 9. I Chr 8, 40; 12, 2. II Chr 14, 7; 17, 17). Etiam sagittarii Philistaeorum (I Sm 31, 3) et Elamitarum (Jes 22, 6. Jer 49, 35) laudantur. In monumentis Assyriis sagittarii gladio quoque brevi succincti sunt.

[1] Aliarum autem gentium antiquarum morem fuisse sagittas veneno illinendi, quo certius mortem afferrent, constat ex Vergil. Aen. 9, 773; 10, 140. Ovid. Ep. ex Ponto 1, 2, 17 s. aliis scriptoribus.

[2] Dt 32, 23 et Ps 38, 3 sagittae sunt clades et calamitates, quas deus vi sua tamquam de arcu excussas in homines iacit, quos affligendos iudicaverit.

2) Funda (קֶלַע a קָלַע fundâ misit [Arab. *ḳala'a; miḳlâ'un,* funda] I Sm 17, 40. 50. II Chr 26, 14. LXX σφενδόνη), qua lapides proicere solebant (ll. cc. et Sach 9, 15. Job 41, 20), quos plerumque perâ vel sacculo inclusos praesto habebant (I Sm 17, 40). Beniaminitarum in eiaculandis ad metam lapidibus tanta erat dexteritas, ut ex loquendi more et apud nos usitato vel crinem peterent (Jdc 20, 16. cf. I Chr 12, 2). Goliath a David lapide fundâ misso prostratum esse I Sm 17, 49 legimus.

Apud alias quoque gentes antiquas frequens erat fundarum usus in bello. De incolis insularum Balearium Diodorus Sic. Bibl. hist. 5, 18 tradit eos lapides grandes tam valide fundis misisse, ut a catapulta quadam missi putarentur.

3) Memoratur etiam *malleus bellicus* (מַפָּץ Jer 51, 20. מַפִּיץ Prov 25, 18). Haud pauci interpretes vocabulo סנר (סָנָר?) Ps 35, 3 quoddam genus securis, σάγαρις Scytharum (Herod. Hist. 1, 215), significari existimant (cf. Aeg. *sagarta*). Chaldaei etiam *bipennibus* (קַרְדֻמּוֹת cf. Arab. *ḳaddûmun*, securis) armati fuisse videntur (Jer 46, 22). Ceterum veteres inter arma *retibus* quoque utebantur. Quo sensu loci Jes 24, 17. Ez 12, 13 explicandi sunt.

De *equitum armis* ex vetere testamento nihil cognoscimus; eos ut apud Assyrios sagittarios fuisse verisimile est.

Adnotatio. — Arma et instrumenta bellica diversi generis in publicis armamentariis (בָּתֵּי כֵלִים) asservabantur. Armamentarium regis Salomo erat בֵּית יַעַר הַלְּבָנוֹן *domus silvae Libani,* ubi rex, in omnibus rebus splendidus, pretiosissimam armaturam, quam parari iusserat, reposuisse dicitur

(I Rg 10, 16 s. II Chr 9, 16 s.); quem usum domus illa posterioribus quoque temporibus retinuisse videtur. In historia Hierosolymorum apud Neh 3, 19 simpliciter נֶשֶׁק *armamentarium* (pro בֵּית נֶשֶׁק) appellatur patetque ex hoc loco domum illam in eo clivo montis Sion exstructam fuisse, qui Ophel vocabatur. Rehabeam quoque in singulis urbibus Judae, quas muniverat, opportuna armamentaria aedificavit (II Chr 11, 12). Etiam Usia et Hiskia arma omnis generis congregasse dicuntur (II Chr 26, 14 s; 32, 27. II Rg 20, 13). Inter Maccabaeos imprimis Jonathan et Simon diligentissime operam dederunt, ut quam maximum numerum armorum compararent (I Mcc 10, 21; 15, 26). Armamentarium (ὁπλοθήκη) regis Herodis in Masada (hodie ruinarum locus es-Sebbe) exstructum a Josepho BJ 2, 17. 8 commemoratur.

III. Armorum usum antiquissima aetate viri singillatim discebant (= לָמַד מִלְחָמָה *didicit bellum* Jes 2, 4. Mich 4, 3) hocque exercitio exculti לְמוּדֵי מִלְחָמָה *bellum edocti* appellantur (I Chr 5, 18. cf. Ps 18, 35. Ct 3, 8). Verisimile est Hierosolymis et fortasse in aliis quoque urbibus certum quendam locum fuisse, ubi iuvenes variis meditationibus militaribus ad bellum praepararentur, ut usu arcus (I Sm 20, 20) et fundae (Jdc 20, 16), sublatione lapidum (Sach 12, 3), iaculatione disci (II Mcc 4, 14). Cuius modi locus Neh 3, 16 verbis בֵּית הַגִּבֹּרִים *domus fortium* significari videtur [1].

Publicos ludos gymnasticos sive agonisticos ad Graecorum imitationem primum Jason, pontificem improbissimum, instituisse II Mcc 4, 12 ss. cf. I Mcc 1, 14 ss. memoriae proditur. Atque II Mcc 4, 14 scriptor conqueritur, quod sacerdotes ipsi iam non de ministeriis altaris solliciti essent, sed templo contempto et sacrificiis neglectis ad palaestram festinarent, ut adhortatione ad discum iaciendum (discoboliam) facta ludis non legitimis interessent. Teste Josepho Herodes Magnus in Jericho, Hierosolymis, Caesareae theatra, amphitheatra, hippodromos erexit [2] omnisque generis spectacula quarto quoque anno ingenti apparatu maximisque sumptibus instituit (AJ 15, 8. 1; 15, 9. 6; 16, 5. 1; 17, 6. 3. 5; 17, 8. 2; 17, 10. 2. BJ 1, 21. 8; 1, 33. 6. 8; 2, 3. 1) [3]. Quae spectacula, in quibus et hominum et bestiarum vita pro nihilo habebatur, apud eos Judaeos, qui leges Mosaicas religiose observabant, magnam habebant offensam, quam tantum necessitate et imperio coacti ferebant (cf. I Mcc 1, 14—16. II Mcc 4, 9—17. Jos. AJ 15, 8. 1). In novo testamento frequenter inveniuntur imagines ab his ludis desumptae eaeque ad ea describenda, quae Christianis facienda sunt, ut finem suum ultimum attingant (I Cor 9, 24 s. Phil 3, 14. I Tim 6, 12. II Tim 2, 5; 4, 7. Hebr 12, 1); in vetere autem testamento eius modi imagines leguntur nullae.

[1] Quidam existimant hanc *domum fortium* fuisse domum, ubi milites praetoriani aliique viri praeclara fortitudinis laude celebrati habitarent. Alii putant ibi iuventutem Hierosolymitanam ad exercitia militaria incubuisse, ut fortes peritique bellatores fierent; quibus veteranum aliquem magistrum praefuisse, qui tirones variis exercitiis ad arma tractanda assuefaceret.

[2]) Theatrum (θέατρον) erat aedificium formâ maioris semicirculi constructum, ut scena esset in diametro sive in ea linea, qua dimidium circuli finiebatur. Si duo theatra sibi adversa erant, amphitheatrum (ἀμφιθέατρον) dicebantur, quod formâ ovali exstructum erat, ut scena esset in meditullio. Sedes spectatorum in orbem aedificatae erant, gradatim altiores. In theatris non modo comoediae et tragoediae agebantur, verum etiam contiones populi habebantur ac legati excipiebantur (Act 19, 29. Jos. BJ 7, 3. 3. Corn. Nep. Timol. § 4. Tacit. Hist. 2, 80. Cic. Or. pro L. Flacco c. 7). Romani etiam ludos gymnasticos eosque sanguinolentos in theatris faciebant; nam damnatos et hostes captivos vel cum bestiis vel inter se usque ad mortem pugnare aut etiam proelia repraesentare cogebant. Hierosolymis quoque ab Herode Magno ludi bestiarum et gladiatorii fiebant (Jos. AJ 15, 8. 1. cf. 19, 7. 5. BJ 7, 2. 1). Verba apostoli I Cor 15, 32: Ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ alii proprie, alii improprie de certamine aliquo intellegunt, quod apostolus contra adversarios acerbissimos subiit, id quod verisimilius videtur; nam simili metaphora Paulus alibi quoque utitur (II Tim 4, 17) et Ignatius martyr in ep. ad Rom. § 5 (MSG 5, 599. 601) eandem metaphoram adhibens locum allatum metaphorice intellexisse videtur: ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ . . . δεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστι στρατιωτῶν τάγμα. De theatro quodam, quod ipse prope Hierosolyma invenit, scribit C. Schick in PEF, Quarterly Statement 1887, 161—166. Cui descriptioni magna ad se illiciendi et attrahendi vis inest. Hippodromus (ἱππόδρομος) est curriculum, ubi equi et currus certabant *(circus)*; quod apud Graecos crebro cum gymnasiis, ubi et pueri et viri corpora (currendo, luctando, similibus) exercebant, coniungebatur.

[3] Locis allatis verba κατὰ πενταετηρίδα (AJ 16, 5. 1), πενταετηρικοὶ ἀγῶνες (BJ 1, 21. 8), πανήγυρις τῆς πενταετηρίδος (AJ 15, 8. 1) non significant ludos quinto quoque anno, sed quarto quoque anno celebratos esse, si ad nostrum usum loquendi respicias. Eaedem formulae de omnibus ludis, quos nos quarto quoque anno celebratos esse diceremus, ut de Olympiis, usurpabantur.

IV. Militibus Hebraeorum peculiaria vestimenta fuisse haud constat. Procul dubio praecipue talibus usi sunt, quae minimo erant impedimento. *Sagum militare* (מְעִיל LXX μανδύας Jdc 3, 16) [1] vestimentum chlamydi simile fuisse videtur, laxum, nodo vel fibula conexum, et quod supra umeros aut in alterum latus reici posset. *Caligae militaris* (סְאוֹן, Aeth. *ša'en*, Assyr. *šênu*) minutis cuspidatisque clavis ferreis firmatae Jes 9, 4 mentio fit [2]. Qui I Sm 17, 38 memoratur vestitus bellicus, insignior armatus militaris erat. Ceterum ab antiquissimis

temporibus milites *rubris* vestimentis amictos fuisse ex Jdc 8, 26 apparet, ubi Hebraei Midianitis proelio superatis *vestimenta purpurea* detraxisse dicuntur, et Nah 2, 4., ubi exercitus Chaldaeorum contra Niniven proficiscens *vermiculatus* sive *coccinatus* describitur [3]. Sunt qui existiment eum colorem, utpote sanguineum, militum feritatem ostendere. Alii eum symbolum irae divinae putant: milites rubra veste indutos quasi ministros furoris divini esse.

[1] Hesychius, Lex. II, 536: Μανδύας εἶδος ἱματίου Περσῶν πολεμικὸν ἢ μαντείας.

[2] Josephus BJ 6, 1. 8 Juliani, centurionis Romani fortissimi, interitum describens de calceis eius ait: Τὰ ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, καὶ κατὰ λιθοστρώτου τρέχων ὑπολισθάνει. Juvenalis quoque Sat. 3, 247 s. clavos in militum calceis respicit, ubi a turba militum se pressum calcatumque queritur. Cf. etiam Sat. 16, 24 s.

[3] Idem apud Aelianum Var. hist. 6, 6 de Lacedaemoniis proditum est: Φοινικίδα δὲ ἀμπέχεσθαι κατὰ τὰς μάχας ἀνάγκη ἦν.

Caput tertium

De castrorum dispositione

I. Hebraei ex Aegypto egressi in castris (מַחֲנֶה LXX παρεμβολή) ponendis ac movendis certum quendam ordinem observabant. Tota vis armata in quattuor agmina ternarum tribuum dividebatur, quibus in castris certae sedes circa tabernaculum sacrum assignatae erant, in itinere certus attribuebatur ordo. Atque sacrarium ipsum circumdabant tentoria tribus *Levi* (Nm 1, 53. Gersonitarum ad occidentem ib. 3, 23. Kahathitarum ad meridiem ib. v. 29. Meraritarum ad septentriones ib. v. 35. Mosis et Aaron ante ostium tabernaculi ib. v. 38), quae excipiebant ex oriente tribus *Juda* cum Issaschar et Sebulon, ex meridie *Ruben* cum Simeon et Gad, ex occidente *Ephraim* cum Menasse et Beniamin, ex septentrionibus *Dan* cum Ascher et Naphtali, ita ut in itinere post castra Juda incederent Gersonitae et Meraritae tabernaculum sacrum eiusque vasa plaustris vehentes, post castra Ruben Kahathitae sacram supellectilem umeris portantes, quos castra Ephraim et Dan sequebantur. Suum quodque agmen habebat *vexillum* (דֶּגֶל Nm 1, 52; 2, 2 s. 10. 18. 25; 10, 14. 55); suum quaeque tribus sequebatur *signum* (אוֹת Nm 2, 2 ss) [1]. Ceterum castra aliquo modo clausa fuisse constat; nam Ex 32, 26 de portis castrorum mentio fit. Semper summa munditiae cura in castris praescripta erat [2].

[1] Vexilla agminum signa maiora fuisse videntur, ex Judaeorum opinione quattuor coloribus (albo, purpureo, coccineo, hyacinthino) distincta. Iidem vexillo agminis Juda imaginem leonis, vexillo agminis Ruben imaginem hominis, vexillo agminis Ephraim imaginem tauri, vexillo agminis Dan imaginem cherubim intextam fuisse dicunt. Cf. Ps. Jonath. ad Nm c. 2. Vexilla singularum tribuum erant signa minora, ut in exercitibus Romanorum signa singularum cohortium.

[2] Nm 5, 2 s. tres immundorum classes e castris excludendae enumerantur: leprosi, gonorrhoea laborantes, contactu cadaveris polluti. Atque magistri Judaeorum, quos nonnulli quoque interpretes Christianorum secuti sunt, contendunt castra in tres partes divisa fuisse: in castra dei sive atrium tabernaculi, castra Levitarum, castra populi; leprosos ab omnibus castris exclusos fuisse, gonorrhoea laborantes a primis duobus, pollutos cadaveris contactu solum a tabernaculo sacro. Cum vero in lege Mosis nullus exstet locus, unde ea probari possint, procul dubio mera rabbinorum commenta iudicanda sunt, quibus legem valde incommodam leviorem facere studuerunt.

Lex Dt 23, 11—15 de purificatione immundorum ex pollutione nocturna deque ventre extra castra purgando non de totius gentis Hebraicae in deserto castris intellegenda est, quibus amplissima terrarum spatia occupabantur, sed de castris militaribus multo minoribus.

Adnotatio. — Subicimus dispositionem castrorum:



II. Aetate posteriore castra Hebraeorum formâ rotundâ fuisse verisimile est, qualia nomades etiam nunc exstruere solent. Sed ex vocabulo מַעְגָּל (I Sm 26, 5. 7) sive מַעְגָּלָה (ib. 17, 20) id propterea colligendum non est, quod loco I Sm 26, 5. 7 neque carraginem, i. e. munimentum e plaustris aliisque impedimentis exercitus factum, neque circumvallationem castrorum valere potest, sed probabiliter magalibus Numidarum aequandum est, ut tentorium significet. Plerumque milites sub tentoriis aut tuguriis elegantissimo ordine structis commorabantur (I Sm 4, 10. II Sm 11, 11. II Rg 7, 7; 14, 12). Meditullium viri principes occupabant (I Sm 26, 5—7); ducis tentorium praeter cetera eminebat. Munimenta ad castrorum praesidium erecta in sacris litteris non memorantur; solus Josephus AJ 15, 5. 1 de castris vallo et fossa cinctis mentionem facit. Constituebantur autem in extremis castris vigiles, qui excubias agerent, ne forte improviso ab hoste opprimerentur (Jdc 7, 19. I Sm 14, 16. I Mcc 12, 27). Cum nihil timendum videbatur, haec cura etiam noctu neglegebatur (I Sm 26, 7. 15). Cum exercitus ad aciem egrediebatur, apud sarcinas praesidium relinquebatur (ib. 30, 24).

Caput quartum

De bello eiusque exitu

I. Ante bellum (מִלְחָמָה), quod plerumque vere incohabatur (II Sm 11, 1. Jos. AJ 7, 6. 3), Hebraei olim oraculum divinum consulebant (Jdc 1, 1; 20, 18. 27 s. I Sm 14, 37; 23, 2; 28, 6; 30, 8. II Sm 5, 19. 23), ut voluntatem dei-regis cognoscerent, cuius nomine omnis expeditio bellica suscipienda erat (cf. מִלְחֲמוֹת יְהוָה I Sm 18, 17); post David autem reges pro indole sua vel veros vel falsos prophetas de exitu belli in consilium vocare solebant (I Rg 22, 5—12 = II Chr 18, 4—11. II Rg 19, 2—7). Interdum etiam sacra faciebant (Jdc 20, 26. I Sm 7, 9; 13, 9) ac votis (Jdc 11, 30 s.), ieiuniis (ib. 20, 26), supplicationibus (II Chr 20, 1—13. II Mcc 10, 16; 14, 15) divinum implorabant auxilium = קִדֵּשׁ מִלְחָמָה *bellum consecravit* i. e. ritibus sacris inauguravit (Jer 6, 4. Joel 4, 9. Mich 3, 5). Plerumque bellum debitis cum sollemnitatibus indicebatur et nonnumquam etiam de compositione tractabatur (Jdc 11, 12 ss. I Sm 11, 1 ss. I Rg 20, 1 ss. II Rg 14, 8 ss. II Chr 35, 20 ss. Jos. AJ 4, 8. 41); at id haudquaquam semper observatum est.

Primis temporibus Hebraei bella ultro inferebant, postea defendendo gerebant (cf. Jdc c. 20. II Sm c. 8. 10. 20. I Rg c. 20. 22. II Rg 3,

5 ss.). Nam cum eorum condicio separationem a ceteris gentibus postularet, eorum expeditiones bellicae solum ad terram, quae iis promissa erat, acquirendam acquisitamque tuendam spectare poterant, minime ad alias terras occupandas pertinebant.

II. Ante pugnam arma parabantur (Jes 21, 5., ubi loquendi formula „ungere clipeum“ per synecdochen pro „parare arma“ sumenda est); duces et reges, nisi forte se occultare volebant, splendidissimum sibi induebant armatum; exercitus instruebatur (עָרַךְ מִלְחָמָה Jdc 20, 22. II Sm 10, 8. I Chr 19, 9. II Chr 14, 9). De ordinanda acie ex sacris litteris nihil certi cognosci potest. Saepius memoratur triplex acies (שְׁלֹשָׁה רָאשִׁים *tria capita*) [1]. fortasse media pars cum duobus cornibus (Jdc 7, 16. 20; 9, 43. I Sm 11, 11; 13, 17 s. II Sm 18, 2. I Mcc 5, 33). Duarum partium aciei I Rg 20, 27. quattuor Jdc 9, 34. II Mcc 8, 22 mentio fit. Deinde sacerdotes animos militum ad fortitudinem excitabant (Dt 20, 2—4) [2]. quo officio nonnumquam reges quoque fungebantur (II Chr 13, 4—14; 20, 20) et postea duces Maccabaeorum (I Mcc 4, 8—11). Signum pugnae dabat bucinarum sacrarum clangor (Nm 10, 9. Jos 6, 4. 20. II Chr 13, 12. I Mcc 3, 54; 4, 13; 16, 8), qui pignus auxilii a Jahve praestandi et praesentiae divinae habebatur. Quem clangorem brevi ad terrorem hostibus incutiendum excipiebat clamor bellicus (תְּרוּעָה Jer 20, 16. Ez 21, 27. Am 1, 14. Job 39, 25. plene תְּרוּעַת מִלְחָמָה Jer 4, 19; 49, 2). Eo clamore saepius eadem verba repetebantur, quae ut tessera data erant, ut Jdc 7, 18: לַיהוָה וּלְגִדְעוֹן [3], II Mcc 8, 23: Θεοῦ βοήθεια, ib. 13, 15: Θεοῦ νίκη. Nonnumquam erat clamor inconditus sine certis verbis (cf. Ex 32, 17. Jos 6, 5. 20. I Sm 17, 20. 52). Interdum milites in pugnam euntes sacra carmina cantabant (II Chr 20, 21 s).

[1] Totus exercitus *caput* appellatur, quod singuli milites ad ducem iis praepositum spectant, sicut omnia corporis membra ad caput.

[2] Sacerdotes saepe arcam foederis secum ferebant, maximum fiduciae incitamentum, quippe cum signum praesentiae dei pignusque eius protectionis esset. Quod usque ad templum exstructum viguit (Jos 6, 6. I Sm 4, 4. II Sm 11, 11. cf. 15, 24).

[3] Sunt qui haec verba reddant: *pro Jahve et Gideon* sc. pugnaturi sumus. Sed usus praepositionis ל utrique nomini praepositae hic idem est, qui in inscriptionibus plurium psalmorum in nomine לְדָוִד, ut ל nota genetivi sit. Ut igitur ad לדוד vocabulum מִזְמוֹר supplendum est, ut vertendum sit carmen David, ita ad verba ליהוה ולגדעון ex v. 20 vocabulum חֶרֶב *gladius* supplendum est: gladius Jahvae et Gideon adest aut imminet cervicibus hostium. Similem tesseram Cyrum militibus dedisse Xenophon Cyrop. 3, 3, 58 tradit: Ζεὺς σύμμαχος καὶ ἡγεμών.

III. Pugnae Hebraeorum ipsae in sacris litteris non describuntur; at certe non declinant a modo apud alias gentes antiquas usitato.

Atque impetus orientalium in hostem, ut etiam nunc, erat valde vehemens (Nm 23, 24; 24, 8 s.). Quare Jes 7, 18 s. Ps 118, 12 hostes cum apibus comparantur, quae mirum in modum eos, qui ipsas irritant, insectari solent. Saepe hostes magna vi et vehementi impetu terram aliquam invadentes cum fluminibus componuntur. Velut Jesaia 8, 7 s. irrumpentem Assyriorum exercitum imagine inundationis fluminis describit. Idem 21, 1 copias militares magna cum vi et saevitia irruentes turbinibus deserti comparat; nam flatus ventorum vehementior est in deserto quam in aliis locis, cum ibi nihil sit, quod eum remoretur. Eadem imagine hostes in Babylonem ingruentes Jer 51, 1 describuntur. Saepius hostium inopinato involantium velocitas et impetus cum aquila componitur, qui alis suis rapidissime fertur et summo cum impetu in praedam ruit (Dt 28, 49. Jer 48, 40; 49, 22. Hab 1, 8). Similes imagines etiam apud poetas exteros non sunt inusitatae. Velut apud Homer. Iliad. 5, 87—91 Diomedes torrenti redundanti omniaque secum abripienti confertur. Lucanus Pharsal. 6, 272 ss. Pompeium cum fluvio comparat.

Cum plerumque cominus pugnaretur, multum valebant corporis vires (cf. Jos 1, 14; 6, 2; 8, 3; 10, 2. al.) et pedum velocitas, quae in sacris litteris saepius magnis laudibus celebratur, velut II Sm 1, 23; 2, 18; 22, 34. Hab 3, 19. Ps 18, 34. I Chr 12, 8., ubi viri fortes ob velocitatem cum aquilis, capreis, cervis comparantur.

Haud raro Hebraei ex *insidiis* (cf. Jos 8, 2. 12. Jdc 20, 36 ss. I Sm 15, 5) aut *strategemate* (hostibus a tergo circumveniendis II Sm 5, 23—25. impetu repentino, copiis in tres partes divisis, Gideon Midianitas superavit et fugavit Jdc 7, 16—23., quo strategemate etiam Saul Ammonitas vicit I Sm 11, 11. cf. Jos. BJ 3, 7. 13 s. 20. 28) hostem opprimebant idque aliquando ipsius dei iussu (II Sm 5, 23). Nonnumquam *exploratores* (מְרַגְּלִים, κατάσκοποι) emittebantur, qui hostium terram, consilia, agmina scrutarentur (Nm 13, 3. Jos c. 2; 6, 22; 7, 2. Jdc 7, 9—11; 18, 2. I Sm 26, 4. II Sm 10, 3. I Mcc 5, 38; 12, 26). *Dolus malus* hostibus factus etsi permissus habebatur, tamen in sacris litteris non occurrit; nam factum Jaël, uxoris Heber Kenitae (Jdc 4, 17—21), non dolus malus, sed minus recta agendi ratio in collisione officiorum iudicandum est. Interdum, imprimis si quid ardui tentandum esset, insignia praemia militibus promittebantur (Jos 15, 16. I Sm 17, 25; 18, 17. 22 s. II Sm 5, 6—8. coll. I Chr 11, 6). Non desunt etiam eximiae raraeque audaciae exempla (I Sm 14, 1—16. I Mcc 6, 43—46). Notabile disciplinae militaris exemplum I Sm 14, 23—45 commemoratur.

Nonnumquam ex avito quodam more, ut sanguini parceretur, summa rei duorum pluriumve ab utraque parte electorum certamini committebatur (I Sm c. 17. II Sm 2, 14—16).

IV. Ante obsidionem urbs ad foedus vel pacem invitabatur; quodsi se dediderit, solis serviendi et tributa pendendi condicionibus in fidem recipiebatur, incolis nihil mali inferebatur (Dt 20, 10 s. cf. II Rg

18. 17—37). Sunt quidem qui inde, quod Dt 20, 16 Hebraeis praecipitur, ut incolas urbium Canaanaearum expugnatarum omnes ad unum occidant, colligendum esse existiment Cananaeis nullam spem pacis relictam esse. Verum a lege Dt 20, 10 s. omnibus urbibus, quas Hebraei bello petituri sint, pacem offerendam esse, priusquam iis bellum inferatur, Cananaei nequaquam excluduntur. Inter eos et alios populos id unum intercessit discrimen, quod in ceteris populis solum genus virile (ib. v. 12—14), in Cananaeis omnes incolae, nemine excepto, perire deberent.

Si obsessi pactionibus se dedere cogitabant, proceres ex urbe in castra hostium egrediebantur; quare *egredi* vel *exire* (יָצָא I Sm 11, 3. 10. Jes 36, 16. Jer 21, 9; 38, 2. 21. ἐξέρχομαι I Mcc 6, 49) idem est quod *pactionibus urbem dedere*. Nonnumquam imminente obsidione feminae, liberi ceterique imbelles ad defensionem non idonei in loca tutiora mittebantur (II Mcc 12, 21). Interdum tamen etiam mulieres in obsidione non levia fortitudinis specimina edebant (Jdc 9, 53. II Sm 11, 21). Durante obsidione non licebat arbores pomiferas, quae circa urbem erant, succidere (Dt 20, 19 s. Jos. AJ 4, 8. 42) [1]; nam Hebraei obsidentes plus sibi nocuissent quam hostibus obsessis, cum se fructibus arborum privassent (cf. tamen II Rg 3, 25).

Hostes urbem vel inopinato opprimebant vel ex insidiis aut proditione capiebant vel subito impetu occupabant. Haud raro qui obsidebantur fame (II Rg 6, 24 s. 28 s. Thrn 4, 10. I Mcc 6, 53) et siti (Jdth 7, 6—11) ita temptabantur, ut ad deditionem cogerentur.

Etiam circumvallatio et agger Hebraeis bene nota erant. Atque *circumvallatio* (quae in sacris litteris significatur formulis loquendi צָרָה מָצוֹר עַל־הָעִיר Dt 20, 20. Koh 9, 14. הֵקִים מְצוּרָה Jes 29, 3, דָּיֵק דַּיֵּק עַל עִיר II Rg 25, 1. Jer 52, 4. Ez 4, 2; 17, 17; 21, 7. נָתַן דֵּיק Ez 26, 8) [2] ex corona militum circa urbem orta est. Cum enim exercitus saepe diu urbem cingeret, castra fossâ contra eruptiones obsessorum muniebantur et ex terra effossa vallum exstruebatur. Ita novum contra urbem munitam munimentum exsurrexit, in quo copiae urbem obsidentes tuto degebant. *Agger* autem prima ratio fuit, qua moenia alta et valida superabantur. Erat declivis cumulus ex terra aggesta paratus, trabibus ex utraque parte, ne dirueret, munitus, versus moenia semper altior, ut tandem ea aequaret; ex eo, quasi ex monte, tormenta in urbem oppugnandam mittebantur (Vegetius, De re mil. 4, 15). Cf. loquendi formulam שָׁפַךְ סוֹלְלָה *aggessit aggerem* II Sm 20, 15. II Rg 19, 32. Jer 6, 6. Ez 4, 2; 17, 17; 21, 27; 26, 8. Dn 11, 15.

Maiora instrumenta ad urbes oppugnandas (μηχαναί I Mcc 11, 20) in sacris litteris raro memorantur. Obscurum eorum indicium Dt 20, 19.

II Sm 20, 15 deprehenditur. Omnium primus Usia rex *machinas bellicas* (חִשְּׁבֹנוֹת) excogitasse dicitur, quibus tela atque ingentia saxa mitterentur, i. e. catapultas et ballistas, unde sibi magnam comparavit gloriam (II Chr 26, 15). *Arietes* (כָּרִים)[3], quibus moenia urbium expugnandarum concutiebantur, primo ab Ezechiel 4, 2; 21, 27 Chaldaeis tribuuntur. Ab iis autem profecto excogitati non sunt, sed eorum aetas antiquior est (Diod. Sic. Bibl. hist. 12, 28. Plin. Hist. nat. 7, 57). In oppugnatione urbis Gazara (= Gezer) Simon Maccabaeus machinâ, quae ἑλέπολις appellabatur, usus est (I Mcc 13, 43)[4]. Eodem unci quoque ferrei funibus alligati referendi sunt, quos *corvos* aut *manus* vocabant; quo spectat II Sm 17, 13. In monumentis Assyriorum saepius *scalae* ad moenia appositae cernuntur, quibus milites ascendunt et propugnatores devincunt.

Hostes portas urbis obsessae saepe igni exurere nitebantur (Jdc 9, 52. Jer 51, 58). Nonnumquam etiam cuniculis moenia suffodiebant, quibus ea corruerent vel sibi ipsi viam in urbem patefacerent (LXX Jer 51, 58). Muro subverso hostes irrumpentes munimenta diruebant, quod et tum fieri solebat, cum urbs in fidem atque potestatem victoris se permiserat (II Rg 14, 13 = II Chr 25, 23). Interdum urbes expugnatae igni comburebantur (Jos 8, 19. 28; 11, 11. II Rg 8, 12. Jer 38, 18. I Mcc 5, 28. 35; 10, 84); haud raro pervastabantur earumque solum sale conspergebatur, quo perpetua desolatio significaretur (Jdc 9, 45., ubi legimus Abimelech urbem Sichem expugnavisse expugnatamque solo aequasse saleque consevisse. Cf. Jer 26, 18 = Mich 3, 12). Etiam consuetudinem dirutas urbes devovendi apud Hebraeos aliasque gentes antiquas in usu fuisse ex Jos 6, 26. coll. I Rg 16, 34. Strab. Geogr. 13, 1, 42. Appian. De bell. civ. 1, 20 apparet. Saepius urbibus expugnatis, ne rebellionem facerent, obsides imperabantur (II Rg 14, 14 = II Chr 25, 24. Jos. AJ 13, 8. 3) aut praesidia in iis ponebantur (II Sm 8, 6. 14). Ceterum ex tota historia antiqua liquet oppugnandarum urbium artes illa aetate minus excultas fuisse; quare obsessores haud raro per plures annos circa moenia unius urbis haeserunt Velut Samaria tres annos ab Assyriis obsessa est (II Rg 17, 5); Nebucadnezar per unum dimidiatumque annum Hierosolyma oppugnavit (ib. 25, 1 s.). Cf. etiam II Rg 6, 25; 18, 27. Thrn 4, 10. I Mcc 6, 53 s. Jos. AJ 13, 10. 2 s.

[1] Arbores frugiferae ab iis, qui urbem obsidebant, eo consilio succidi solebant, ut machinae muris admoveri possent (Jos. BJ 5, 3. 2).

[2] Complures viri docti vocabulo דּוּךְ *turrim oppugnatoriam* significari putant. Et profecto frequens olim erat in oppugnandis urbibus turrium usus. At cum דּוּךְ semper in singulari usurpetur et saepius cum סֹלְלָה

aggere coniungatur, illorum sententiam verisimiliorem iudico, qui eo vocabulo *circumvallationem* intellegunt. Cf. LXX IV (II) Rg 25, 1 περίτειχος.

[3] A Graecis κριός et a Romanis *aries* vocabatur trabs, laminis ferreis munita, capite ferreo (quod Graece κεφαλή aut ἐμβολή appellabatur) prominente, quae e funibus pendens et ab obsidentibus retrorsum repulsa quasi aries moenia et portas magno impetu percutiebat et diffringebat. Talem machinam Josephus BJ 3, 7. 19 describit. Etiam verba Ez 26, 9 מְחִי קָדָלוֹ plerique machinam bellicam ad muros evertendos sive arietem interpretantur.

[4] Quae machina a Demetrio Poliorcete reperta esse dicitur. Atque Diodorus Sic. Bibl. hist. 20, 48 memoriae prodit ἑλέπολιν esse machinam quattuor rotis firmissimis octonaque cubita altis incumbentem, in unoquoque latere quadragena quina cubita latam, nonaginta cubita altam, in novem contignationes distinctam; in tabulata inferiora magnos lapides esse illatos, quorum maximi trium talentûm essent; in media catapultas maximas, quae spicula iacerent; in suprema catapultas minimas lapidumque vim magnam et viros, qui iis recte uti scirent, plures ducentis. At a Simone Maccabaeo talem machinam constructam esse verisimile non est; procul dubio aliquam minorem ad oppugnationem aptam confecit. Ceterum apud Amm. Marc. Rer. gest. 23, 4, 10 aliam descriptionem ἑλεπόλεως legimus: „Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis ferreisque clavis aptata, et contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura atque limo adsperguntur eius suprema, ut flammeos detrectet et missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcae cuspides praeacutae, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores, ut quidquid petierit, aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis et funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis, et nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes".

V. Priscis temporibus bella populorum orientalium plena erant crudelitate, id quod monumenta adhuc servata ostendunt. Velut in inscriptionibus regum Assyriorum frequens fit mentio multa milia esse occisa, alios cruci affixos, captivos innumeros esse abductos, civitates esse dirutas et solo adaequatas, arbores frugiferas excisas, ingentem praedam esse captam atque in Assyriam abductam.

Exempli causâ pono: „Tria milia captivorum igni combussi" (KB I, 69. 71). „Multos viros vivos cepi; aliis manus et bracchia, aliis nares et aures desecui, multis oculos effodi" (ib. I, 71. 93. 113). „Multis linguas extraxi" (ib. II, 193. 257). „Multis labia desecui" (ib. II, 197).

Secundum sacras litteras victores interdum universum genus virile (Nm 31, 7. Dt 20, 13. I Mcc 5, 28. 51) vel etiam omnes utriusque sexus (Dt 20, 16. Jos 8, 24. Jdc 9, 45. I Mcc 10, 85) interfecerunt. Reges et proceres vinciebantur (Ps 149, 8), mutilabantur vel excaecabantur, ut ad bellum inutiles fierent (Jdc 1, 6 s. I Sm 11, 2. II Rg

25, 7. Jer 52, 11), occidebantur (Jdc 7, 25); nonnumquam vel pedibus calcabantur, ut eorum servitus omnino significaretur (Jos 10, 24). Etiam mulieres, senes, liberi morte multabantur (II Mcc 5, 13); virgines et uxores violabantur (Jes 13, 16); quin etiam uterus gravidarum dissecabatur (II Rg 8, 12; 15, 16. Jes 13, 18. Hos 14, 1. Am 1, 13) et liberi ad rupes angulosque moenium allidebantur (II Rg 8, 12. Jes 13, 16. Hos 14, 1. Nah 3, 10. Ps 137, 9). Nonnumquam victores occisis hostibus capita amputabant amputataque vel in publico exponebant vel ad triumphum servabant (Jdc 7, 25. I Sm 17, 54; 31, 9. II Mcc 15, 30. Jos. BJ 1, 17. 2). Praeterea moris erat captivos super spinas prostratos serrâ dissecare vel carpentis ferratis, qualibus veteres ad frumentum excutiendum utebantur, conterere (Jdc 8, 7. 16. II Sm 12, 31 = I Chr 20, 3. II Rg 13, 7). Quam crudelitatem nonnulli interpretes horrore eius perculsi mitigare conati sunt; equidem ex iure belli illorum temporum explicandam esse censeo. Victi haud raro omnibus rebus spoliabantur (I Sm 31, 8. II Mcc 8, 27) eorumque corpora a compluribus gentibus avibus et feris discerpenda relinquebantur (I Sm 17, 44) [1], quod prophetae tamquam convivium a deo, omnium gentium iudice [2], feris bestiis avibusque rapacibus instructum describere solent (Jer 25, 33. Ez 29, 5; 33, 27; 39, 4. 17. Zeph 1, 7). Hebraei autem ob leges de immunditia corpora sepelire et milites, cum tactu corporum mortuorum immundi facti erant, aqua lustrali se purgare debebant (Nm 31, 19—24. cf. I Rg 11, 15. II Mcc 12, 39) [3]. Hominum insigniorum corpora haud raro consanguineis reddebantur (II Sm 2, 32; 21, 14); interdum autem contumeliis afficiebantur (Jdc 7, 25. I Sm 31, 8 s. II Mcc 15, 30). Hostium prostratorum arma et spolia minoris pretii, tumultu bellico corrupta, ac vestimenta foede commaculata nonnumquam in acervum congesta igni concremabantur, ad quem morem Jes 9, 4. Ez 39, 9. Ps 46, 10 respicitur. Pecora, segetes, fructus ipsosque agros, hortos et domus victores sibi sumebant; atque etiam idola devictarum gentium tamquam tropaea in terram suam transportabant (II Sm 5, 21. Jes 46, 1 s. Jer 46, 25 s; 48, 7; 49, 3. Am 1, 15. II Chr 25, 14). Hinc tantus planctus eorum, qui victi erant (Jes 22, 5). Quicumque autem poterant, quotiens bellum exortum erat, in montanos specus et ad inaccessas rupes se recipere solebant, ubi ab insidiis hostium tuti essent (Jos 10, 16. Jdc 6, 2; 20, 47. I Sm 13, 6. Jes 2, 10. 19. 21. Ez 33, 27. I Mcc 1, 56) [4]. At victores non semper summo iure utebantur; haud raro populis devictis reges proprios permittebant et solum tributa imponebant (II Rg 23, 34 s. = II Chr 36, 3 s. II Rg 24, 1) neque ad extrema illa descendebant nisi defectionibus et rebellionibus iteratis provocati [5].

[1] Homerus quoque in prooemio Iliadis v. 4 s. canit Graecos occisos canes et volucres pastos esse: αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Vergilius Aeneid. 9, 485 s. matrem casum Euryali filii ab hostibus interempti hoc modo deplorantem inducit: „Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis alitibusque iaces!“

[2] Bellum ab orientalibus ut divinum iudicium consideratur, in quo deus ipse gentibus ius dicit et victricem absolvit, victam autem condemnat (Jes 66, 15 s. II Chr 20, 12). Quam ob rem in lingua Hebraica, Aramaica, Arabica vocabula, quae puritatem, innocentiam, iustitiam significant, ad victoriam, vocabula, quae improbitatem et iniustitiam significant, ad cladem transferuntur (Ps 7, 9; 9, 9; 26, 1; 35, 24; 43, 1; 75, 3). Eadem translatio observatur in vocabulis auxilium significantibus, quia deus gentem victricem adiuvat (I Sm 14, 45. II Rg 5, 1. Ps 20, 6; 44, 5).

[3] Eius modi post reditum ex bello ablutiones et purificationes apud alias quoque gentes invenimus. Cf. Hom. Iliad. 6, 266—268. Vergil. Aeneid. 2, 217—220.

[4] Calamitates descriptas prophetae nonnumquam tamquam gravem ebrietatem repraesentant, et quem ad modum sors hominis saepius nomine *calicis* significatur (Ps 11, 6; 16, 5; 23, 5. cf. Mt 20, 22; 26, 39), ita etiam sors illa tristissima כּוֹס הַתַּרְעֵלָה *calix titubationis* i. e. calix potu inebriante repletus appellatur, quem Jahve tamquam convivii praeses alicui populo impio ad bibendum porrigit. Velut Jer 51, 7 regnum Babylonium cum *calice* comparatur, quia vas fuit atque instrumentum, quo Jahve ad alios populos inebriandos usus est; vocatur autem calix *aureus* idque ob splendorem, opulentiam, potentiam, unde etiam caput statuae, quam Nebucadnezar in somnio vidit, qua regnum Babylonium repraesentabatur, erat aureum (Dn 2, 38). Cf. etiam Jes 51, 17. 22. Jer 25, 15 ss; 49, 12. Ez 23, 31—33. Hab 2, 16. Ps 75, 9. Thrn 4, 21.

[5] Hebraei plerumque ceteris gentibus mitiores erant (I Rg 20, 30—43. II Rg 6, 21—23. II Chr 28, 8), saepe solo iuramento fidei et annuo tributo contenti (Dt 20, 11. Jos 16, 10. Jdc 1, 28. II Sm 8, 6. I Rg 9, 20 s. II Chr 27, 5. Esr 4, 20), cum iam id olim genti devictae magnae esset ignominiae, quae in deos eius tamquam imbecillos redundabat (II Rg 19, 12). Si vero in sacra historia quaedam immanis crudelitatis in hostes exempla deprehenduntur (ut Jdc 1, 6; 8, 7. 16; c. 20. II Sm 8, 2; 12, 31. I Chr 20, 3. II Chr 25, 12), notare iuvat ea non esse excusanda, nec legi Mosaicae, sed superbiae victorum, qui modum a lege praescriptum excedebant, tribuenda. Praeterea respiciendum est durum ius belli illorum temporum et de eiectione exstirpationeque Cananaeorum etiam mandatum divinum. Nam Hebraei diserte iussi sunt Cananaeos e sedibus expellere et usque ad internecionem percutere (Ex 23, 29—33; 33, 2; 34, 11. Lv 18, 24; 20, 23. Nm 33, 51—56. Dt 4, 38; 7, 1 s. 16. 24 s; 8, 20; 9, 3—5; 11, 23; 12, 29; 20, 17; 31, 3 s.). Severissimae huius legis causae, quae in sacris litteris commemorantur, erant praeter Cananaeorum idololatriam omnino vitandam (Ex 23, 23 s; 34, 15. Dt 7, 4. 16; 20, 18) et periculum seductionis ad cultum deorum commenticiorum praecavendum (Ex 23, 33. Nm 33, 55) imprimis eorum iniquitates et morum corruptio (Gn 15, 16. Lv 18, 24—30;

20, 23. Dt 9, 4. cf. Sap 12, 3—27). Animadvertendum autem est divinum illud iussum, quo Hebraeis imperatum est, ut Cananaeos exstinguerent, non ita intellegendum esse, ut Cananaei universi interficerentur. Sed vis illius iussi ex loco Dt 7, 5 s. repetenda est, unde elucet Hebraeos primo tantum omnia vestigia idololatriae Cananaeorum delere iussos esse, in qua re si Cananaei iis resisterent, tum demum vi agere hostesque interficere. Atque lex Mosaica ipsa ponit iuxta Hebraeos multos peregrinos in terra Canaan futuros, qui quin Cananaei, quibus Hebraei pepercerint, intellegendi sint, dubium non est. Praeterea in Pentateucho diserte dicitur Jahven Cananaeos quoque in terra relicturum, primo ne ferae ibi abundent (Ex 23, 29. Dt 7, 22), tum ut Hebraeorum animos experiatur, si Jahvae fidem praestent (Jdc 2, 20—23), tertio ut Hebraei a Cananaeis bellum gerere discant (Jdc 3, 1 s.). Et placide considere potuerunt iuxta Cananaeos Hebraei in plurimis regionibus terrae Canaan, velut in Sichem, neque erat ulla causa eorum exstinguendorum. Ceterum nonnullae regiones et oppida etiam diutius incursioni Hebraeorum restiterunt (cf. Jdc 1, 27—35).

Ceterum de Hebraeorum iure belli in Cananaeos conferas L. Reinke, Ueber das Recht der Israeliten an Chanaan und über die Ursache seiner Eroberung und die Vertilgung seiner Einwohner durch die Israeliten (Beiträge I, 269—418).

VI. Victores gaudio et laetitiae maximae indulgebant. Quibus revertentibus omnes ipsaeque mulieres laeto carminum et instrumentorum musicorum concentu gratulabantur (Jdc 11, 34. I Sm 18, 6 s; 21, 11). Carmina triumphalia (ἐπινίκια) condebantur (ut carmen, quod Debora et Barac de victoria de Cananaeis reportata fecerunt, Jdc 5, 2—31) [1], quae interdum brevissima erant atque paucis verbis comprehendebantur. Quale erat illud carmen amoebaeum I Sm 18, 7: „Percussit Saul mille et David decem milia". Atque probabile est (ex Ex 15, 21. cf. v. 1) haec verba a mulieribus David obviam procedentibus post singulas epinicii cuiusdam strophas repetita esse vel, ut Josephus AJ 6, 10. 1 tradit, verba „Percussit Saul mille" a nuptis, verba „Percussit David decem milia" ab innuptis decantata esse. Virorum fortium quoque, qui in bello ceciderant, laus canebatur (II Sm 1, 17—27. II Chr 35, 25. cf. II Sm 3, 31., ubi de exsequiis ducis Abner honoris causâ celebratis agitur). Qui fortitudine praeter alios eminuerant, vel ad maiores dignitatis gradus promovebantur (I Chr 11, 6) vel argento balteoque pretioso donabantur (II Sm 18, 11. cf. Jos. AJ 14, 15. 4); nonnumquam ex promissione antea facta non solum pro se suisque immunitatem a tributis accipiebant, sed etiam splendidissimo matrimonio honorabantur (Jos 15, 16 s. I Sm 17, 25; 18, 17. 27). Sub David etiam ordo virorum fortium honorificentissimus institutus est (II Sm 23, 8—39. I Chr 11, 11—47). Num apud Hebraeos quo-

que usitatum fuerit memoriam victoriae monumentis consecrare, ex sacris litteris non apparet [2].

[1] Nonnulli interpretes Ps 21 carmen triumphale in victoriam, quam David de Ammonitis reportavit, esse putant. Ps 68, 12. 26 poeta choros spectare ac feminas victoriis ex Sihon et ʾOg regibus relatis (Nm 21, 21—35) ovantes easque carminibus celebrantes auribus percipere sibi videtur.

[2] Arcus triumphales exstructos esse ex I Sm 15, 12 et II Sm 8, 13 clare effici non potest, cum interpretatio posterioris loci in controversia versetur, priore autem loco monumentum a Saul exstructum non tropaeum appelletur.

VII. Antiquitus milites suo sumptu pugnabant (Jos 1, 11. Jdc 7, 8. I Sm 17, 17 s.). Aliquando quae ad victum necessaria erant, ab incolis regionis exterae exigebantur (Jdc 8, 5. 15) vel populares ea sua sponte offerebant (Jdc 20, 10. I Chr 12, 39 s.). Ex II Sm 17, 27—29 effici non potest loca proxima militibus, qui in castris erant, victum praebuisse; nam quae ibi narrantur, ea regis fugacis eiusque sociorum fidelium causâ facta sunt. Aetate posteriore publico sumptu עָרֵי הַמַּמְסְנוֹת *oppida promptuariorum* aedificabantur (I Rg 9, 19. II Chr 8, 4. 6; 17, 12. cf. II Chr 32, 28. I Mcc 14, 10).

Bello confecto milites parte praedae (שָׁלָל Jos 7, 21. II Sm 3, 22. בַּז Nm 14, 3) contenti ad consueta officia perfungenda domum redibant. Itaque praeda plerumque sola militum merces erat atque constat omnes gentes antiquas non solum ex victoria insigni de hostibus reportata, sed etiam ex divisione praedae magnam laetitiam voluptatemque percepisse. Quare utrumque hoc gaudium haud raro ad descriptionem summae laetitiae adhibetur (cf. Jdc 5, 30. Jes 9, 3. Ez 29, 18 s. Ps 119, 162).

Praeda ex hominibus et pecudibus hosti detracta in duas partes aequales dividebatur: una pars erat militum in bello quacumque ratione occupatorum, demptâ parte quingentesimâ sacerdotibus pendendâ; altera pars erat populi, demptâ parte quinquagesimâ Levitis pendendâ (Nm 31, 26—30). Quam legem non mutavit David, cum iis, qui ad sarcinas remanserant, aequam praedae partem tribuit atque iis, qui dimicaverant (I Sm 30, 24), utrique enim milites erant, qui ad expeditionem exierant; David autem exsulantis non erat partem praedae populo et ministris sacris tribuere. Praeda ex rebus vitâ carentibus capta eorum erat, qui bellum bene confecerant. Res maioris pretii interdum dux belli sibi vindicabat (Jdc 8, 24—26), qua ratione etiam David ingentes illos thesauros pro aedificando templo collegit (II Sm 8, 7—12. I Chr 26, 26 s.). Aetate Maccabaeorum etiam pauperibus, orbis, viduis pars quaedam praedae tribuebatur (II Mcc 8, 28. 30). Tropaea pretiosa in sacrario suspendebantur (I Sm 21, 10. II Rg 11, 10), quod aliarum quoque gentium moris erat

(velut Philistaeorum I Sm 5, 2; 31, 10. I Chr 10, 10). De urbibus devotis praedam capere plerumque vetitum erat (cf. Lv 27, 28. Nm 21, 3. Dt 2, 34 ss; 3, 6 ss; 7, 25 s; 13, 17. Jos 6, 17 ss; 7, 11 ss.; 8, 26 ss; 10, 28 ss.).

Stipendia antiquis temporibus militibus non persolvebantur; recentiore autem aetate exercitus mercede conducebantur. Atque primi milites mercede conducti corporis custodes fuisse videntur. Etiam duces perpetuos, inde ab aetate regis Saul constitutos (I Sm 17, 55; 18, 13. II Sm 8, 16; 20, 23. I Chr 12, 21), peculiare quoddam stipendium accepisse verisimile est. Hasmonaeorum aetate Simon de suis facultatibus cum arma tum stipendia militibus dabat (I Mcc 14, 32). Josephus AJ 14, 8. 4 memoriae prodit Joannem Hyrcanum auctorem fuisse stipendium militibus persolvendi.

Cum frumentum, carnes, fructus haud raro militibus stipendii loco darentur, stipendium militare vocabulo ὀψώνιον (ὀψωνέω = ὄψον ὠνέομαι, *obsono,* quae cum pane comeduntur emo) significatur. In novo testamento stipendii saepius fit mentio (Lc 3, 14. I Cor 9, 7) atque etiam metaphorice (ut Rom 6, 23).

Addenda et emendanda

Pag. 3. lin. 4: N. Baggio, Archaeologiae biblicae elementa ad scholarum usum accommodata. Vicenza 1913.

3, 6: E. Huber, Biblischer Bilderatlas. München-Trier 1913.

4, 26: P. Volz, Die biblischen Altertümer. Calw-Stuttgart 1914. G. Keizer, Bijbelsche archaeologie. Utrecht 1914.

8, 41: Recentissime omnia Philonis opera ediderunt *L. Cohn, P. Wendland, S. Reiter*, 6 vol. Berolini 1896—1915.

12, 39: Novam editionem Talmudis Babylonii unâ cum textu Mischnae procurat L. Goldschmidt, Berolini 1897 ss.

20, 8: D. Mackenzie, Excavations at Ain Shems (Beth Shemesh). London 1914.

29, 14: Conferas etiam B. Meissner, Die Keilschrift (Sammlung Göschen). Berlin-Leipzig 1914.

32, 19: In sessione societatis Germanicae, quae ab oriente nominatur („Deutsche Orient-Gesellschaft"), die 24. Novembris 1915 Berolini habita *F. Hrozny*, professor Vindobonensis, rettulit sibi contigisse, ut etiam linguae Chittaeorum, qui praeter litteras quasdam imaginibus expressas scripturâ quoque cuneiformi a Babyloniis receptâ utebantur, adhuc ignotae lumen afferret itaque intellectum multarum inscriptionum eorum in tabulis fictilibus, lapidibus, parietibus saxorum insculptarum aperiret.

45, 40 post verba: „Id vetus testamentum diserte dicit" inserenda sunt haec: Quod autem nostra aetate saepe affirmatur haud pauca instituta ad cultum Mosaicum pertinentia Cananaeis intercedentibus a Babyloniis recepta esse, id solidis argumentis confirmari non potest. Nam quamquam non negamus Hebraeos in Canaan immigrantes Babyloniorum cultum humanum civilemque, qui ibi plus minus florebat, prorsus evitare non potuisse, tamen Babyloniorum auctoritas haud magnopere ad eos pertinuisse existimanda est, quia ne illud quidem demonstratum est Cananaeos ipsos in cultu atque humanitate Babylonios solos secutos esse.

88, 29: Id unum fortasse dici potest, quos numeros (mensuras) in tabernaculo foederis descriptos invenimus, eos symbolica esse significatione. Neque vero typicam significationem ad eos pertinere inde intellegimus, quod cubi forma

sanctissimi tabernaculi Mosaici et templi etiam in Hierosolymis caelestibus descriptis repetitur (Apc 21, 16).

120, 17: W. S. Caldecott, Herod's temple. Its new testament associations and its actual structure. London 1913.

152 post l. 35 inserenda sunt haec: Quod critici recentioris aetatis sacerdotes primum Ez 44, 9—16 a Levitis clare discerni dicunt, respiciendum est prophetam iam 40, 45 s; 42, 13; 43, 19 ita loqui, ut discrimen illud tamquam rem omnibus notam exhibeat; ibi enim simpliciter dicit, quid sacerdotibus conveniat, quid iis prae Levitis debeatur; qui autem ita loquitur, ordines illos non creat, non primum instituit, sed eos iam in usum introductos ponit. Locus autem 44, 9—16 vulgo ita explicatur, ut ibi postuletur Levitas ex suo gradu deici. Ac nonnulli quidem putant postulari, ut Levitae, qui contra legem in locis excelsis sacra ministeria fecerunt, inde officiis suis priventur, i. e. Levitae, cum ad id tempus ministri sacerdotum fuerint, inde ministri populi sint et victimas mactent, quod ex lege eius erat, qui sacra offerebat. Alii alias interpretationes proferunt. Neque Ezechiel loco allato poscit, ut filii Sadok soli sacerdotio fungantur. Illud quidem constat, si propheta id re vera poposcit, ei obtemperatum non esse. Nam quod Esr 2, 36—42 memoriae traditur cum Serubbabel et Josua 4289 sacerdotes et tantum 341 (Neh 7, 43—46: 360) Levitas ex exsilio Babylonio redisse, existimare non possumus eos tot sacerdotes omnes familiâ Sadok ortos fuisse, sed necesse est et alias familias Leviticas dignitatem sacerdotalem obtinuisse. Ceterum non est necessarium locum 44, 9—16 ita, ut est in litteris, intellegi, quoniam tota „thora Ezechielis" (c. 40—48) symbolice accipienda i. e. prophetica descriptio regni messiani interpretanda est.

198, 3 pro Gîze legendum est Kairo, ubi nunc museum antiquitatum Aegyptiarum a Dourgnon architecto Francogallico ab anno 1897 usque ad annum 1902 aedificatum invenitur.

378, 20: J. Pedersen, Der Eid bei den Semiten in seinem Verhältnis zu verwandten Erscheinungen sowie die Stellung des Eides im Islam. Straßburg 1914.

446, 29: A. Rosenzweig, Das Wohnhaus in der Mischnah. Berlin 1907.

497, 19: H. Vogelstein, Die Landwirtschaft in Palästina zur Zeit der Mischnah. I. Der Getreidebau. Berlin 1894.

597, 7: P. Schröder, Vier Siegelsteine mit semitischen Legenden (ZDPV XXXVII, 1914, 172—179).

620, 3: In Tell Dschezer duae tabulae effossae sunt, quae plus duobus milibus annorum a. Ch. n. factae esse videntur, ubi imagines solis, lunae, orbis signiferi insculptae conspiciuntur.

661, 6: F. K. Ginzel, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie II, 1—119. Leipzig 1911.

680, 9: Dysenteria (δυσεντερία Act 28, 8), nonnumquam cum eiectione viscerum coniuncta (II Chr 21, 18 s.)

680, 19: De morbis partium genitalium videas p. 362.

Index rerum in litteras digestus

Numeri indicantur paginarum

A

Aaron eiusque filii ad sacerdotium electi 145 s. primus pontifex 147. virga Aaron germinans 74. eius significatio 87.

Ab, mensis 671.

Abarbanel 14.

Ab-beth-din, vicarius praesidis synedrii magni 762.

Abenesra 13.

Abib, mensis 670.

Ablactatio infantis 579.

Ablutio a sacerdotibus munia sacra obituris facienda eiusque significatio 60. 85 s. manuum ante mensam et post 495 s. pedum 495. 593. mortuorum 685.

Abraham, eius sacrificium 308 s.

Acacia, arbor 52.

Academiae post exsilium saepius memoratae 580.

Acerrae turis in mensa sacra 63.

Acetum eiusque usus 489.

Acies eiusque instructio 797.

Actor in iudiciis 767.

Acus discriminales 471.

Adar, mensis 671.

Adipes victimarum 318. 326. 328 s. lex adipem non comedendi 369 s.

Adonis sive Tammuz 428.

Adoptio 684.

Adorationis ritus 589. 724.

Adrammelech 427.

Adulterium 565 s.

Aegrotorum visitatio 591.

Aegyptii a civitate Hebraica ad tempus exclusi 742. eorum cura in condiendis mortuis 685 s.

Aegyptus, monumenta ibi effossa 20—24.

Aerae Hebraeorum 674 s.

Aes eiusque usus 540 s.

Aetas ministrorum sacrorum 184. victimarum 307.

Agger sive vallum 799.

Agitatio carnis victimarum 314. fertorum 314. Levitarum 161.

Agnus paschalis 259. 264—266.

Agrariae leges 498 s. 742. 752.

Agri Jahvae consecrati 385. agrorum termini non dimovendi 745.

Agricultura 497—506.

Ahas, eius horologium 666 s.

Akiba ben Joseph 755.

Alexander Jannaeus 733. nummi ab eo cusi 657.

Alienigenae in civitatem Hebraicam admissi 737. cf. 741 s. Hebraeorum matrimonia cum alienigenis 553 s.

Alimenta Hebraeorum 481—497.
Altare holocaustorum in tabernaculo foederis 58—60. in templo Hierosolymitano 107 s. 119. 125 s. eius significatio 85. — thymiamatis in tabernaculo foederis 68—71. in templo Hierosolymitano 111. 119. 128. eius significatio 86. — *altaria* antiquissimorum temporum 47. patriarcharum 48. Cananaeorum 48.
Ammonitae a civitate Hebraica exclusi 741 s.
Amoraei, viri docti Judaici 10.
Amphitheatrum 793.
Amphora, mensura 650.
Amuleta 476.
Amygdalus 512.
Anammelech 427.
Anathema, votum 386—388.
Anathemata in pronao templi servata 110. 128.
Ancillae 582. 584—586. ostiariae 449. 586. molam circumagentes 481 s. 586. maritis ab uxoribus in conubium datae 572.
Angelus mortis 682.
Angina, morbus 679.
Animalia ad sacrificia adhibita 305. immunda 364—367. deo devota 385. diversi generis non copulanda 750 s.
Animi morbi 680.
Annus Aegyptiorum et Babyloniorum 661 s. Graecorum 662 s. Hebraeorum 671—674. Romanorum 663. sabbaticus 244—247. iubilaeus 247—253. dimissionis servorum 245 s. 584 s. anni incipientis festum 243 s.
Antigonus rex 733.
Antistites, seniores synagogae 216.
Antonia, arx 119. 736.
Anuli 475. anulus signatorius 476 s.
Apes 528.
Apoplexia sanguinea 679.
Aqua viva 360. aquae libatio 272 s. *aquae* amarae 567 s. medicatae et calidae 616. salientes 449.
Aquaeductus 625 s.
Arabia, monumenta ibi effossa 31—33.
Aratrum eiusque partes 502.
Arbitri 764.
Arbores in hortis plantatae 510—513.
Arca foederis 71—77. eius historia 83 s. arcae in cultibus gentilium usitatae 77—80.
Arces sive castella 459.
Archaeologiae biblicae notio 1. studia 1—5. momentum 5. fontes 5—33.
Archelaus ethnarcha 657. 734.
Architectura Hebraeorum 622—627.
Architriclinus 492. 495.
Arcus 790.
Arcus triumphales 805.
Area agricolarum 504.
Argenteus sc. nummus 660.
Aries, machina bellica 800 s.
Aristobolus I. 733. nummi ab eo cusi 657.
Aristobolus philosophus 610 s.
Arma Hebraeorum 786—794.
Armamentaria 791 s.
Armigeri ducum belli 785.
Armillae 476.
Aromata, e quibus suffimentum sacrum parabatur 69 s. aromatum crematio in funere 691.
Artaba, mensura 650.
Artes liberales ab Hebraeis excultae 621—641.
As, nummus 660.
Asasel 277—279.
Aschera eiusque cultus 426.
Asima 427.
Asini et *asinae* 523 s. „sepultura asini“ 690. asinorum usus in bello 782.
Askarah sive sacrificium memoriale 338 s.
Assatio, supplicii genus 778.
Assyria, monumenta ibi effossa 25 s.
Astronomia, astrologia 617—620.
Asyli urbes 215 s. 774. altare holocaucaustorum beneficio asyli praeditum 59. 775.
Atramentum 605.
Atrium tabernaculi foederis 51 s. eius significatio 85 s. — *atria* templi Hierosolymitani 106—109. 119. 122—127.
Augurium 429.
Auris perforandae ritus 584 s.
Aurugo, morbus 677.

Autographum pentalogi Mosis 76.
Avena 500.
Aves ad sacrificia adhibitae 305. leprosi sanati 359. immundae 365—367. pro cibo sumptae 486. avium mactatio 312.
Azereth, clausula festi 262. 268. 272.
Azymorum festum 261. panes azymi 261. 263. 266. 483.

B

Baal eiusque cultus 425.
Babylonia, monumenta ibi effossa 26.
Baculus a proceribus ad pompam gestatus 477. pastorum 477. 518. itinerantium 477.
Baetyli 49.
Ballista 800.
Balneae 479. 616.
Balsamum, arbor et frutex 513.
Balteus militum 789.
Baptismus proselytorum 740.
Barajtha 11.
Barba 470 s.
Baris, arx 119. cf. 449.
Bat, mensura 648.
Belli ratio apud Hebraeos usitata 796—806.
Benedictio nuptialis 560. patriarcharum 143. patrum et regum 581. sacerdotum 174.
Berosus 14.
Bethel, sedes cultus vituli 420.
Bethesda (Bethsaida), piscina 624.
Bibliothecae 608.
Bipennis Chaldaeorum 791.
Bituminis usus in domibus aedificandis 447.
Blenorrhoea 362.
Boanthropia, morbus 680.
Boʿaz, columna 110.
Boethosaei 440.
Boghaz-köi 33.
Boves 521. mare aeneum portantes 108. bovilia 519.
Bubastis, dea Aegyptiorum 133.
Bucina, instrumentum musicum 639 s.
Bul, mensis 670.
Butyrum 522.
Byssus 52. 185. 190. 463.

C

Cadaveris humani immunditia 358. cura 685 s.
Caecitas 676.
Caementarii 544.
Calamus mensorius 644. scriptoris 605.
Calcei cavi 473. 479.
Calceoli repandi 473.
Calcis usus in domibus aedificandis 447.
Caliga militaris 793.
Caligo oculorum 676.
Calix benedictionis 263. consolationis 693. titubationis 803.
Calvitium contemptum afferebat 470.
Cameli 525—527.
Cananaei ab Hebraeis exstirpandi 803 s.
Candelabrum aureum 65—68. 119. 128. eius significatio 86. decem candelabra aurea in templo primo 111 s.
Canes venatici 529.
Cantica graduum 126 s.
Cantillatio monotona in synagogis usitata 635.
Cantus Hebraeorum, cantores et cantrices 635. 693.
Capillorum cura 469—471.
Capitis amputatio 778. tegimenta 471 s.
Caprae 520 s.
Captivi dimissio festo paschatis 259.
Caravana 534.
Carceres varii generis 776 s.
Caries ossium, morbus 677.
Carmina lugubria 693 s. triumphalia 804.
Carnes pro cibo sumptae 486. earum praeparatio 487.
Caseus 522. caseorii 545.
Castella 459.
Castitas (virginitas) maximo in honore habita 552 s.
Castratio lege Mosaica prohibita 521. 717.
Castrorum dispositio 794—796.
Catalepsis 679.
Catapulta 800.
Catarrhus suffocans, morbus 677.

Cellae vinariae 509.
Cena 491 s.
Cenaculum 491 s.
Certamen singulare 798.
Chamos, idolum 427.
Champollion J. F. 22 s.
Chamsîn, ventus 503.
Charoseth, genus pulmenti 263.
Charta papyracea et pergamena 605.
Cherubim intimo operimento tabernaculi foederis et velo sanctissimi intexti 54 s. 112. in arca foederis 72—74. in sanctissimo templi primi 112.
Chirurgia 616 s.
Chittaeorum terra, monumenta ibi effossa 33.
Chnum, deus Aegyptiorum 134.
Choinix, mensura 650.
Chomer, mensura 647 s.
Choreae sacrae 254. 273. 640 s.
Cibi 481—488. immundi 364—369. deo consecrati 369 s.
Cingulum sacerdotum 186. virorum et mulierum 465 s.
Cinis vaccae subrubrae 340. cinerum locus prope altare holocaustorum 59. 126.
Circumcisio 394—401. in synagogis peracta 289. proselytorum 740.
Circumvallatio urbium 799.
Cisternae 457. 624.
Cithara, instrumentum musicum 637.
Cives reipublicae Hebraeorum 737—742. mutuae eorum rationes 742—750.
Clamor bellicus 797.
Clangoris dies 243.
Claustrarii 540.
Clepsydrae 666.
Clipeus 786 s.
Codex sacerdotalis 754.
Cohors Italica, Augusta 785.
Collectionis sollemnitas 271.
Coloniae Judaeorum 729—731.
Colores liturgici 89. 188. vestimentorum 463 s.
Columbae 527 s.
Combustio sacrificiorum eiusque significatio 314 s. 338. corporum mortuorum 690 s. 770. hominis vivi 778.
Comissationes 494.
Comitia 699 s.
Concinnatrices capillorum 471.
Concubinae 561.
Condiendorum corporum mos 685 s.
Confarreatio 560.
Confessio peccatorum 311. 325. die expiationis 275.
Coniugum officia 565.
Consecratio, votum 386.
Consitura agrorum 503.
Contubernium 583.
Convivae 495 s.
Convivia 493—497. convivium funebre 693 s. nuptiale 560. paschale 259. 262—264. 266 s. sacrificale 315. 327. 330.
Coqui et *coquae* 484.
Coquinaria ars 487.
Coriarii 545.
Cornu, instrumentum musicum 639 s. cornu olei unctionis 70. 412. *cornua* altaris holocaustorum eorumque usus 58 s. 126. 313.
Corona regis 710.
Corporis cultus 479 s.
Creditores apud Hebraeos 748.
Cremandorum mortuorum mos 690 s.
Creta, monumenta ibi effossa 33.
Crucifixio 778.
Crudelitates in bellis patratae 801 s.
Crumena 654.
Cubitum, mensura 643—646.
Cucumeres 484.
Culinae 450.
Cultus divinus aetate patriarcharum 289 s. lege Mosaica praescriptus 291—413. eius historia breviter descripta 413—415. eius significatio symbolica et typica 37—40. rationes formis cultus Mosaici cum religionibus gentilium intercedentes 40—47. in locis excelsis exercitatus 415—418. imaginum 419—424. fictorum deorum 424—431.
Currus 535. 722. bellici 781 s.
Cylindri signatorii 477.
Cymbala, instrumentum musicum 638.
Cyrus, rex Persarum 117. 412. 728.

D

Daemoniaci morbi 680 s.
Daricus, nummus 655.
Dealbatio aedium 447. sepulcrorum 689.
Debita, debitores 250. 745. 748.
Debitum coniugale 549. 565. 586.
Decem otiosi synagogae 217.
Decollatio 778.
Decumae 405—408.
Dedicatio tabernaculi foederis 81 s. templi Hierosolymitani 114. 285 s.
Deiectio de rupe, supplicii genus 778.
Denarius numerus eiusque significatio 89 s. nummus 660.
Depsendae farinae modus 483.
Deuteronomium 754.
Deversoria 579.
Diadema regum 710.
Dichotomia, supplicii genus 777 s.
Didrachma, nummus 659.
Dies eiusque divisio 663—665. clangoris 243. expiationis 274—282. ieiunii 392 s.
Digitabulum 469.
Digitus, mensura 643.
Dissectio victimarum 314.
Divinationes cum deorum cultu coniunctae 429—431.
Domus Hebraeorum 446—454. Jahvae consecratae 385. domuum lepra 361.
Dona honoraria 591. regibus data 721. 725. a sponso parentibus et fratribus sponsae ferenda 557. quae iudices et testes corrumpunt 592.
Donum meretricis 383.
Dos sive munus nuptiale 558.
Drachma, nummus 659.
Dramaticum poema in sacris litteris nullum 630.
Dupondius, nummus 660.
Dysenteria, morbus 808.

E

Ebrietas 490.
Edomitae a civitate Hebraica ad tempus exclusi 742.
Educatio liberorum 569—581.
Effusio seminis 362. sanguinis victimarum eiusque significatio 312 s.
Eleemosyna 750. eleemosynarum collectores 217.
Elephantiasis 677.
Elephantine-Syene. Papyri Aramaicae ibi inventae 24. templum ibi exstructum 134 s.
Elephantorum usus in bello 782.
Elul, mensis 671.
Encaenia, festum 285 s.
Epha, mensura 647.
Ephemeriae Levitarum 168. sacerdotum 176 s.
Ephod linteum 185. pontificis 196.
Epicum poema in sacris litteris nullum 630.
Epilepsia 679.
Epinicia 804.
Epistulae 606 s.
Equi eorumque usus 524 s. copiae equestres 781 s.
Ešmunazar regis inscriptio 597.
Esra 599. 728.
Essedarii 782 s.
Ethanim, mensis 670.
Eunuchi 449. 717. 741.
Excaecatio, poena 779.
Excelsa sc. loca, cultus ibi exercitatus 415—418.
Excommunicatio synagogalis 388.
Excoriatio victimarum 314.
Exercitus eiusque divisio 779—786.
Exercitus caeli 618. eius cultus 427 s.
Expiationis dies 274—282.
Exploratores in bello usitati 798.
Exsecratio, votum 386. excommunicationis species 388. patris 581.
Exsilium Assyrium 727 s. Babylonium 726 s. poena 779. cf. 769.

F

Fabae 484. 514.
Fabri auri et argenti, aerarii et ferrarii 540. lignarii 543.
Faces, earum usus 454.
Faenus 746—748.
Far sive *spelta* 500 s.
Farina 481 s.
Farrago salsa 519.

Febrium valetudines 677.
Femoralia sacerdotum 186. 465.
Fenestrae 450.
Ferae ab altari exclusae 305.
Fermentum 483. ab altari exclusum 333.
Ferrum eiusque usus 541 s.
Fertilitas terrae Canaan 499.
Festa Hebraeorum 217—289.
Ficus 512. earum usus 484. 616.
Figuli et res figlinae in Palaestina effossae 542 s.
Filiarum educatio 580. hereditas 556. 683 s.
Filius primogenitus 573. filiorum educatio 579 s. hereditas 683.
Fimbriae pallii 466.
Fistula pastoricia 639.
Flagellum ad iumenta incitanda 503.
Fluxus seminis et sanguinis 362.
Focale sacerdotum Aegyptiorum 193.
Fodinae 542. cf. 540 s.
Foedus Jahvae cum gente Israelitica initum 339. salis 315. 753. foedera cum quibus gentibus vetita 752. ritus in foederibus pangendis usitati 752 s.
Fontes iuris Hebraeorum 753—757.
Foricae 451.
Fornicatio 548. 566.
Forum urbium 456 s. pistorium 484. 545.
Fossa cum antemurali, urbium munimentum 458.
Fovea leonum 778.
Frumenti praecipuae species 500 s.
Fucus 480.
Fullones 544.
Funda militum 791. pastorum 518.
Funis mensorius 644.
Furtum 745 s.

G

Gabbatha, nomen loci 766.
Galea 787 s.
Galli et *gallinae* 528.
Gangraena, morbus 680.
Gasith, conclave 762.
Gazophylacium in templo 124 s.
Gemara 10 s.
Gemmae 196 s. 474 s. earum scalptura 629.
Genealogicae tabulae 180. 737.
Geographiae scientia apud Hebraeos 614 s.
Geometria Hebraeorum 615.
Geonim, viri docti Judaici 12.
Gera 652.
Gersonitae 144. eorum officia 166.
Gibborim 718. 780.
Gideon, eius ephod 423.
Gladius 789. poena gladii 769 s.
Gnomones 666.
Goël sive vindex sanguinis 774.
Gonorrhoea 362.
Granaria subterranea 506.
Greges eorumque possessores 518.
Grotefend G. F. 28.
Gynaeconitis 449. regum 720.

H

Ḫabiri 30.
Haedus in lacte matris non coquendus 368 s.
Haggada 11.
Halacha 11.
Hallel magnum 263.
Ḫammurapi, eius leges 30 s. 547. 745 s. 755—757.
Haphtarae, sectiones prophetica 288.
Harioli 429.
Hasmonaei 732 s.
Hasta sive lancea 789 s.
Hebdomas Babyloniorum et Graecorum 662. Hebraeorum 667 s. Romanorum 663.
Helepolis, machina bellica 800 s.
Hellenistae 289.
Herbae amarae 259 s. 266. hortenses 514 s.
Hereditas testamentaria et legitima 683 s.
Herodes Agrippa (I) 735. Antipas 657 s. 734. Magnus 121. 627. 657. 733.
Herodiani 442.
Hillel, eius doctrina de repudio 570. cf. 437.
Hin, mensura 648.
Hippodromus 793.
Hircus emissarius 275. 277.
Historiae studium apud Hebraeos 612-614.

Holocausta 317—321. cottidiana 221 s.
Homicidium 743 s.
Homines diis oblati 308 s. cultui Jahvae perpetuo devoti 384 s.
Honorum nomina 590.
Horae 665.
Hordeum 500. variae eius species 501.
Horologia solaria 666 s.
Horrea 506.
Hortorum cultura 510—515.
Hosanna magnum 273.
Hospitalitas 592 s.
Hyades, stellae 619.
Hydrops, morbus 680.
Hyssopus, quaenam stirps 360.

I et J

Jacob ben Ascher 13.
Iaculum 790.
Jâkîn, columna 110.
Ianitores et *ianitrices* 449. 586.
Jehuda ha-Nasi sive *ha-kadosch* 10.
Ieiunia 392—394. ieiunium die expiationis 274 s.
Jephta, eius sacrificium 309.
Jerobeam I cultum vitulorum instituit 419 s.
Ignis sacer Hebraeorum 59. 127. gentilium 67.
Jjjar, mensis 671.
Jithrô, nomen 154 s.
Imaginum cultus ab Hebraeis exercitatus 419—424.
Imago zeli zelum provocantis 426.
Immunditae cadaveris, leprae, functionum partium genitalium 355—363.
Impedimenta matrimonii 553—557.
Imperium patriarchale 696—700. theocraticum 700—726. in exsilio et post exsilium 726—736.
Impietas in parentes 582.
Impluvium domorum 449.
Impositio manuum in consecratione Levitarum 161. in sacris faciendis 310 s.
Inauguratio regum 709 s. cf. 409—412.
Inaures 475.
Infantium caedes 744.
Insidiae militares 798.
Insignia regis 210—212.
Instrumenta musicae 636—640.
Joannes Hyrcanus I. 733. nummi ab eo cusi 657. eius nominis *II.* 733.
Jochanan bar Nappacha 10.
Jose ben Chalephta 12.
Joseph ben Ephraim Karo 13.
Josephus Flavius eiusque opera 8 s.
Josua, dux Israelitarum 701. Samaritanorum liber huius nominis 440.
Ischiadicus nervus 370.
Issaron, mensura 647.
Iter diei 646. sabbati 227.
Iudices, duces Hebraeorum 701 s. tribunalium 750. 765.
Iudicia Hebraeorum 757—768.
Iugum, mensura 646.
Ius civitatis Hebraicae 737—742. dominorum in servos 583—586. fratrum in sorores 553. leviratus 563—565. maritorum in uxores 561 s. 568. Mosaicum 753—757. parentum in liberos 581. primorum natalium 573 s. regium 703. 712—715. synedrii magni 763 s. talionis 772—774.
Iusculum 487.
Iusiurandum 378—382. purgatorium uxoris suspectae 566 s. in foederibus pangendis usitatum 752. ad verum detegendum adhibitum 767.
Iuvenca subrubra 340—343.

K

Kab, mensura 648.
Kabbala 13.
Kahathitae 144. eorum officia 165 s.
Kapporeth 72—74. eius significatio 87.
Karaei sive Karaitae 440.
Kerêti et *Pelêti* 718 s.
Kesitah, frustum argenti 536.
Kimchi David 13 s.
Kislev, mensis 671.
Kor, mensura 647 s.
Kriath Schma (Krischma) 287.
Kyphi, incensum Aegyptiorum 70.

L

Labrum aeneum in atrio tabernaculi foederis 60—62. in templo Hierosolymitano 108. 119. 126. eius significatio 85 s. — decem labra minora in templo primo 108 s.
Lac caprarum 520. vaccarum 522. camelarum 526.
Lamech Kainita, auctor polygamiae 549.
Lamentatio funebris 693.
Lamentatrices feminae 693.
Lana ovium 519. eius primitiae 402. cf. 211. 519. materia vestimentorum 462.
Lana arboraria 462. 502.
Lancea 789 s.
Lapicidae et lapicidinae Palaestinae 543 s.
Lapidationis poena 768 s.
Lapides numini divino consecrati 48 s. sacri 49. ad domos aedificandas adhibiti 447. crumenae 535.
Lapis positionis in sanctissimo templi 119.
Lateres ad domos aedificandas adhibiti 447.
Lavacra in synagogis 138.
Lavationes corporis 479.
lawî' et *lawî'at* 154.
Lecti 453 s. eorum usus in conviviis 491 s.
Legio Romana 785.
Legis tabulae 74 s. 112. legis lectio in sollemnitate tabernaculorum 245. 271. legis et prophetarum lectio in synagogis 288.
Legumina pro cibo sumpta 484. 514.
Lentes 484. 514.
Leontopolis 133.
Leopardi pellis sacerdotum Aegyptiorum 193.
Lepra corporis 359—361. 677 s. aedium et vestimentorum 361.
Lepton, nummus 660.
Letek, mensura 647.
Levi, tribus ad sacrum ministerium electa 144 s. 697.
Leviratus ius 563 s.
Levitae, eorum ordo a Mose institutus 151—153. sacerdotio fungi non poterant 156—160. eorum consecratio 160—162. officia 165—169. privilegia 212 s. reditus 210. urbes 213 s. vestimenta 185.
Libamina sacra 332 s. 338.
Libellus repudii 568—571.
Liber foederis 754. cf. 339.
Liberalitas erga pauperes 749.
Liberorum procreatio et educatio 572—582.
Libri Hebraeorum 607 s.
Ligna ad domos aedificandas adhibita 448.
Lignariorum vallis 545.
Ligniferii festum 286.
Linum 501 s. materia vestimentorum 186 ss. 462.
Lippitudo 676.
Lithostrotus sc. locus 766.
Litterarum monumenta Hebraeorum 608.
Loca sacra ante Mosen 47—50. Hebraeorum 51—139.
Locustae 367. cibus pauperum 486.
Log, mensura 648.
Lorica militum 788. tectorum 450.
Lotio, actus consecrationis Levitarum 160 s. et sacerdotum 162. manuum ante cenam et post 496 s.
Lucernarum usus in synagogis 138. festo encaeniorum 285. in domibus 454.
Luctus 691—695.
Ludi gymnastici 792.
Lulab 273.
Lumbare 462.
Lunulae, ornamenta 478.
Luti usus in domibus exstruendis 446.
Lycanthropia, morbus 680.
Lyra, instrumentum musicum 637 s.

M

Machinae bellicae 799—801.
Mactatio victimarum eiusque significatio 312 s.
Magi 429.
Magicae artes cum deorum cultu coniunctae 429—431.
Magistratus regii 715 s.
Magistri educationi filiorum praefecti 579.

Maimonides eiusque opera 13.
Malleus bellicus 791.
Malum citreum 273.
Malus 513. Punica 511 s.
Mamserim a civitate Hebraica exclusi 741.
Mancipia argento parata 582.
Manetho 14.
Manipulus paschalis 261.
Manna in arca foederis 74. eius significatio 87.
Manumissio servorum et ancillarum 245 s. 250. 584—586.
Manuum impositio in consecratione Levitarum 161. in sacris faciendis 310 s. elevatio in iureiurando 379. ablutio ante cenam et post 495 s.
Marcheschwan, mensis 671.
Mare aeneum in templo primo 108.
Mariscae haemorrhoidales 679.
Marmoris variae species 448.
Marsupia 479.
Mathematica Hebraeorum 615.
Matrimonium 546—572. matrimonia pontificis et sacerdotum 182 s.
Mechilta 13.
Medicina (medici) Hebraeorum 616 s.
Megillath Taanith 12 s.
Megilloth 288.
Meïl, vestimentum pontificis 195 s. laicorum 465.
Mel 484 s. 616. ab altari exclusum 333 s. agreste 485. primitiae mellis 402.
Memoriale (sacrificium) 338.
Mendici apud Hebraeos 750.
Mensa panum propositionis 62—65. 119. 128. eius significatio 86 s. decem mensae aureae in templo primo 111. — *mensae* Hebraeorum 452. 491.
Menses Aegyptiorum et Babyloniorum 661 s. Graecorum 662. Hebraeorum 668—671. Romanorum 663.
Menstruatio 362 s.
Mensurae Hebraeorum 643—650. templi Salomonis 113. templi Herodis 130 s.
Meraritae 144. eorum officia 166.
Mercatores 534.
Mercatura 530—538.
Mercennarii 587. 750.
Merces ab Hebraeis exportatae et importatae 532 s.
Mesa regis inscriptio 595 s.
Messis 504. sollemnitas 268.
Messores 504.
Mesusa, membrana posti ianuae affixa 451.
Metrarchia 562 s.
Metretes, mensura 650.
Micha, eius simulacrum dei 423. eius ephod 424.
Militia, pedestris, equestris, navalis 781.
Milium numerus apud Hebraeos 780 s. milites Romani in Palaestina 736. 785.
Milium 500.
Milliare Romanum 646.
Mina ponderis et pecuniae 651 s. 654. 660.
Ministri aulici 716—720. sacri 139—216. synagogarum 216 s.
Mischna 10—12.
Mitra sacerdotum 186 s. pontificis 204. variae mitrae virorum et mulierum 471 s.
Moabitae a civitate Hebraica exclusi 741 s.
Modius, mensura 650.
Moenia urbium 458.
Mohar, pretium sponsae 557 s.
Molae trusatiles 481. asinariae 482.
Moloch, idolum 426 s.
Monilia 475 s.
Monogamia 547. 551.
Monumenta orientis antiqui 15—33. sepulcralia 689.
Morbi in sacris litteris memorati 675—681. cf. 362.
Moria, collis 106.
Mors 681—683. voluntaria 744.
Mortarium 481.
Morticinum 358. 367.
Mortuorum evocatio 430 s.
Môše, nomen 154.
Muli 524.
Mulier de adulterio suspecta 566 s. mulieres ministerio sacro addictae 170 s.
Multae sive poenae pecuniariae 771 s.
Munimenta urbium 458 s.
Musak 107.

Musica vocalis et instrumentalis 635—640.
Mustum 509.
Mutilatio supplicio affectorum 778.
Myrtus 513.

N

Nabataei 391.
Nablium, instrumentum musicum 637 s.
Nasi, praeses synedrii magni 762.
Natalis dies 575.
Nautae 537 s.
Naves earumque partes 536 s. navalis militia 781.
Navigatio 536.
Navigia ex papyro facta 537.
Naziraeatus 389—392.
Necromantia 430 s.
Nehemia 728 s.
Nemora, in quibus ferae nutriuntur 510.
Neomeniae 242—244.
Nergal 427.
Nervus ischiadicus 319. 370.
Nethinim, servi sacrarii 170.
Nibchaz 427.
Nicanoris porta 123 s.
Nisan, mensis 670 s.
Noahica praecepta 739.
Nominis impositio 575. nomina propria Hebraeorum 575—579.
Nox eiusque divisio 665 s.
Nubes, praesentiae divinae symbolum 76 s. cf. 50. 114.
Numeri sacri eorumque significatio 88 s.
Nummi 653—660.
Nummularii in templo 123.
Nuptiae 560 s. secundae 182. 553.
Nutrices 579.
Nux, arbor 511.

O

Oblationes sanctae et sanctissimae 211 s.
Obsides 753. 800.
Obsidio urbium 798—801.
Obstetrices 574.
Occa 502.
Occisus in agro inventus 743 s.
Ocreae militum 789.
Oculorum morbi 676.
Odores eorumque usus 480.
Olea 510 s.
Oleaster 511.
Oleum 511. ad cibos parandos adhibitum 487. unctorium 408 s.
Olfactoriola 478.
Olla carbonum, eius usus 454.
Omer, mensura 647.
Onias aedificat templum 133.
Operimenta tabernaculi foederis 53—55.
'Ophîr 534.
Opificia et opifices 538—546.
Oppida minora 459. promptuariorum 805.
Oraculum sacrum Hebraeorum 198—204. oracula a Teraphim petita 430.
Orbis signiferi signa duodecim 619 s.
Orion, sidus 619.
Ornamenta utriusque sexus 474—479. ornamentum pectorale pontificis 197 s.
Ornatus regius 710.
Oryza 501.
Osculum salutationi additum 588.
Ostiarii, ostiariae 449. 586.
Ova pro cibo sumpta 486.
Oves 519 s.
Ovilia 519.

P

Pabulum 519.
Pacifica sacrificia 329—331.
Paedagogi, magistri filiorum 579. 586.
Paelices 561.
Paenula Romanorum 466 s.
Palaestina, monumenta ibi effossa 16—20.
Palla mulierum 466.
Pallium 462. 466 s.
Palma 512 s.
Palmus maior et minor, mensura 643.
Paludamentum Romanorum 466.
Panes varii generis 483. propositionis 63 s. panis lugentium 693.
Papyrus 606.
Paralysis sive nervorum resolutio 679.
Parasanga, mensura 646.
Parasceve 226. 668.

Paraschae, sectiones Pentateuchi 288.
Parentum officia et iura 579—581.
Parma 786.
Parricidium 744.
Paschatis sollemnitas 256—267.
Pascua ad pecus alendum destinata 213 s. 457. 518 s. 521.
Pastores 518. synagogarum ministri 216.
Patriarchae officio sacerdotali fungebantur 143. imperium patriarchale 696—700. cf. 757.
Patris potestas in liberos 581.
Pauperes apud Hebraeos 749 s.
Pectines 471.
Pectorale ornamentum pontificis 197 s.
Pecuaria 516—528.
Pecus bubulum 521 s. minus 519 s.
Pedum tegimenta 473.
Pentecoste 267—270.
Peplum mulierum 472.
Peregrini inter Hebraeos commorantes 737 s. 748.
Perforatio auris servorum 584.
Periscelides 478.
Periurium 380.
Pestilentia 678 s.
Pharisaei 433—436.
Philippus tetrarcha 734. eius nummi 658.
Philo eiusque opera 8. 611.
Philo Byblius 14.
Philosophia Hebraeorum 609—612.
Phylacteria 377 s.
Physiologia Hebraeorum 620 s.
Piacularia sacrificia 316. 321—328.
Pictura Hebraeorum 627.
Pietas in parentes 582.
Pigmentarii 545.
Piscatus 530.
Pisces 365. 486. 530.
Piscinae sive stagna 624 s. Salomonis 510. 625.
Pistacia 511.
Pistores et *pistrices* 484. 545.
Pithom, urbs 539.
Placentae varii generis 483 s.
Plagium 745. 769.
Plateae urbium 457.
Pleiades, stellae 619.
Plostellum Punicum 505.
Pluvia autumnalis et vernalis 499 s.
Pocula variae formae 490 s.
Podagra, morbus 680.
Poenarum varia genera 768—779.
Poetica Hebraeorum 629—635.
Pollutio 362.
Polygamia 549—552.
Polymitarii 544.
Pondera Hebraeorum 650—653.
Pontifex, eius nomina 146. consecratio 162—165. officia 178—180. vestimenta 195—209. series pontificum 147—149. unus, non plures eodem tempore pontificatum tenuerunt 146. 149 s. cf. 147.
Portae templi Hierosolymitani 107. 122 ss. urbium 456 (locus iudiciorum 765 s.), moenium 458.
Porticus templi Hierosolymitani 106. 122. domorum 449.
Portorium 734.
Posca militum Romanorum 489.
Potus 488—491. immundi 368.
Praeda eiusque distributio 805.
Praefectus templi 168. triclinii 495. praefecti urbium 459.
Praeficae 693.
Praesaepe 518.
Praetorium procuratorum Romanorum 766.
Prandium 491.
Preces 373—378. ante mensam et post 496.
Pretium canis 383.
Primitiae frugum terrae fructuumque arborum 402 s. primitivorum dies 268.
Primogenita animalium 404.
Primogeniti 140—143. 404. 573.
Primogenitura 573 s.
Principes tribuum 698.
Procuratores Romani 735 s. eorum nummi 658.
Pronaus templi Salomonis 109 s. templi Herodis 128.
Prophetae, custodes regiminis theocratici 715. prophetarum scholae 581.
Propontifex 146 s.
Proselyti 737. 739—741.
Proseuchae 137.

Prosternere se ad pedes alicuius 589.
Prostitutio sacra 383. 548.
Psalmi graduum 126 s. singulis diebus in templo cantati 374. pro torcularibus 509.
Psalterium, instrumentum musicum 638.
Ptolemaei 732. eorum nummi 656.
Pubertatis tempus 553.
Publicani 734.
Puerpera 363. 574.
Pugnae Hebraeorum 798.
Pulmonum paralysis 677.
Pupillorum cura 750.
Purificationes Leviticae 355—363.
Purim, festum 283—285.
Putei 623 s. cf. 518.
Pyramides Aegyptiorum 539.

Q

Quadrans nummus 660.
Qualitas victimarum 306 s. primitiarum 402.
Quantitas farinae, olei, vini pro diversis victimis diversa 338. primitiarum 402.
Quaternarius numerus eiusque significatio 88 s. 188.

R

Rabbi 590.
Rabbinorum scripta 13 s.
Racematio 508. cf. 749.
Ramses, urbs 539.
Rechabitae 391.
Rector convivii 495.
Reditus ministrorum sacrorum 210—212. regum 724—726.
Regia Salomonis 626. 712.
Regina caeli eiusque cultus 428.
Regna Israel et Juda 707 s.
Regum Hebraeorum dignitas subiectorumque erga eos reverentia 722—724. cf. 589—591. electio et successio 706. funus 724. gynaeconitis 720 s. inauguratio 709 s. insignia 710—712. magistratus 715 s. ministri aulici 716—720. potestas 712—715. ratio agendi 721 s. reditus 724—726. series 707 s. sepulcra 688. unctio 409—412. vestimenta 710.
Remedia apud Hebraeos usitata 616 s.
Repudium 568—572.
Restitutio 327 s. 745 s.
Retia militum 791. venatorum 529.
Reus in iudiciis 767.
Rigatio agrorum 499. hortorum 510.
Ritus funebres 685—691. 752. sacrificiorum cruentorum 309—315. incruentorum 338 s. solius gentis Hebraicae proprii 750 s.
Ros 499 s.
Rosette, stela ibi inventa 22 s.
Rulla 503.

S

Sabbatum 667. nomen 224 s. opera sabbato prohibita et non prohibita 226—229. celebratio sabbati 229 s. quies sabbatica 230—232. variae opiniones de origine sabbati 232—241. sabbatum magnum 226.
Saccus, vestimentum lugentium 468. 691 s.
Sacerdotum Hebraeorum nomina 150. consecratio 162—165. officia 173—178. res ad officia sacerdotalia exercenda requisitae 180—184. privilegia 212 s. reditus 210—212. sedes 213 s. vestimenta 186—194. opiniones criticorum recentioris aetatis de sacerdotibus Mosaicis diluuntur 150—155. — *sacerdotes* temporibus ante Mosen 139—143. locorum excelsorum 417. — *sacerdos castrensis* 781.
Sacra Hebraeorum ante Mosen usitata 289—291. cottidie facienda 221 s. in synagogis peracta 287—289.
Sacramenta veteris testamenti 352—354.
Sacrificii notio 291 s. triplex character 292 s. origo 293—301. nomina 301 s. ratio inter gentilium et veteris testamenti sacrificia 302—304. sacrificia cruenta 304—331. incruenta 331—339. sacrificium foederis 339 s. iuencae subrubrae 340—343. leprosi sanati 359 s. naziraei 390. puerperae 363. zelotypiae 566 s. proselytorum 740. con-

spectus sacrificiorum diebus negotiosis et festis oblatorum 221—223. sacrificiorum efficacitas 343—351.
Sadducaei 437—440.
Sagan sive *Segan* 169. 177.
Sagittae, sagittarii 790 s.
Sagum militare 793.
Sal foederis 315. 753. ad cibos adhibitum 487. in sacrificiis usitatum 314 s. 333. urbes devastatae sale conspergebantur 800.
Salomo Jizchaki 13.
Saltatio apud Hebraeos 640 s.
Salutandi ritus 587—590.
Samaritani eorumque templum et opiniones religionis 131—133. 440—442.
Sambuca, instrumentum musicum 638.
Sanctissimum tabernaculi foederis 55. templi Hierosolymitani 111 s. 118 s. 129. eius significatio 87 s. 91. 93 s.
Sanctum tabernaculi foederis 55. templi Hierosolymitani 111 s. 119. 128. eius significatio 86. 91. 93 s.
Sanguinis sparsio eiusque momentum 313. fluxus 362 s. ultio 774 s. lex sanguinem non comedendi 370.
Sarcinatores 545.
Satellites sive milites praetoriani 718 s.
Saturni dies Romanorum 234.
Scabies, morbus 678. nitrosa 361.
Scalptura gemmaria Hebraeorum 629.
Sceptrum regis 712.
Schalisch, mensura 648.
Schammai, eius doctrina de repudio 570. cf. 437.
Schebat, mensis 671.
Schechina 76.
Scheol 682.
Schma vel *Kriath Schma* 287.
Schmone Esre 287.
Scholae publicae 580 s. prophetarum 581.
Schulchan ʿarûch 13.
Scorpiones, flagella 771.
Scriba regius 716. — *scribae*, legis periti 436 s. 761. magistratus Hebraeorum 699. militares 783 s.
Scriptura, eius origo 594 s. Canaanaea (Phoenicum) 595—597. Aramaica 598 s. hieroglyphica, hieratica, demotica 22—24. cuneiformis 27—29. ars scribendi apud Hebraeos 604 s. materia et instrumenta scripturae 605 s. opinio eorum, qui scripturam et linguam antiquissimarum partium VT Babyloniam fuisse contendunt, diluitur 599—604.
Scripturarii, secta Judaeorum 440.
Sculptura Hebraeorum 628 s.
Scutum 786.
Sea, mensura 647.
Secale 500.
Sectae Judaeorum 431—442.
Seder olam (rabba et *sutta)* 12.
Sedilia 453. 491.
Segetes 503.
Seleucidae 732. eorum aera 675. nummi 656.
Sella familiarica 451.
Sementis 503. cf. 750 s.
Semicinctium 469.
Seminis humani effusio et fluxus 362.
Semisiclus 652. semisicli a Simone cusi 656.
Senatus septuaginta virorum Mosi adiunctus 701. 759.
Seniores populi 698. cf. 757. 761. urbium 459. cf. 699.
Senum veneratio 589. 750.
Septenarius numerus eiusque significatio 89. 239.
Sepulcra Hebraeorum 622 s. 687—690.
Sepultura 685—691.
Sericum 462.
Serpens aeneus a Mose erectus 424. sidus 619.
Serratio, supplicii genus 777.
Serubbabel 117. 728.
Servorum et *ancillarum* condicio 582—587. servi ad ministerium sacrum adhibiti 169 s.
Šešbaṣṣar 117. 728.
Sextarius, mensura 650.
Sica, sicarii 789.
Sicera 489.
Siclus ponderis et pecuniae 651 s. 654. sacer et profanus 653. sicli argentei a Simone cusi 656 s.
Sideratio sive morbus solstitialis 680.
Siderum cultus 427 s.

Sigillum 476 s.
Signa militum (tribuum) 794 s.
Siliquarum arbor 513.
Siloah, fons et piscina 624 s. canalis et inscriptio 626.
Silvae Palaestinae 543.
Simon princeps 732. nummi ab eo cusi 656 s.
Sindon 465.
Siphra et *Siphre* sive *Siphri* 13.
Sistrum, instrumentum musicum 639.
Sivan, mensis 671.
Soleae ad pedes tegendos 473.
Soles parvi, ornamenta 477.
Solium regis 711.
Sollemnitas paschatis 259—267. pentecostes 267—270. tabernaculorum 270—274.
Somniorum interpretatio 429.
Sors in iudiciis adhibita 199 s. 767.
Spadones 449. 717. 741.
Specula 478. cf. 60 s.
Specus, domicilia 444 s.
Spelta 500.
Spermatorrhoea 362.
Spicilegium 504. cf. 749.
Sponsalia 557—560.
Sponsio 748.
Stabula 518.
Stadium, mensura 646.
Stater, nummus 659.
Stationis viri eorumque munus 223.
Stella hexagona (Salomonica) 113.
Stellae in sacris litteris memoratae 619 s.
Stercoratio 499 s.
Sterilitas uxorum 572.
Stilus ad scribendum 605.
Stipendium militare 806.
Strangulatio 769.
Strategemata 798.
Studia altiora Hebraeorum 609—621.
Subsellia in synagogis 138.
Sudarium 469. 685.
Sues 528.
Suffetes Carthaginiensium 703.
Sukkôth-Benôth 427.
Supellex domestica 452—454.
Superhumerale pontificis 196 s.
Superstitionum praecipua genera 429—431.
Suspendium hominis supplicio affecti 770. supplicii genus 778.
Sycomorus 512.
Synagogarum origo 135 s. structura 137—139. ministri 216 s. dies festi in synagogis acti 287—289. synagoga magna 760.
Synedrium magnum 759—764. synedria minora 764.
Syri, hortorum culturâ insignes 510.

T

Tabernacula, domicilia 445. tabernaculorum sollemnitas 270—274.
Tabernaculum foederis, templum portabile 51. eius structura 51—55. supellex 58—80. impensae in id factae 80 s. eius historia 81—84. variae significationes 84—94. non ad exemplar et imaginem templi Hierosolymitani confictum 94—97. sedes cultus divini usque ad exstructionem templi 97—102. — *tabernaculum conventus* ante Mosen usitatum 50.
Tabulae legis in arca foederis 74 s. 87. tabernaculi foederis 53.
Tachasch 54 s. 473.
Talentum ponderis et pecuniae 651 s. 654. 660.
Talionis poena 772—774.
Tallith, vestimentum 467.
Talmud eiusque partes 9—13.
Tammuz sive Adonis 428. mensis 671.
Tannaim, viri docti Judaici 11.
Tapeta in cubiculis strata 454.
Tebeth, mensis 671.
Tectores 544.
Tectum domorum 450. templi Hierosolymitani 109. 129.
Templum Salomonis 102—116. Serubbabelis 116—119. Herodis 119—131. Samaritanorum 131—133. Heliopolitanum 133 s. in insula Elephantine aedificatum 134 s. templi tributum 81. templa antiquissimorum temporum 47.
Tempora sacra 217—289. temporum descriptio 660—675.
Tentoria, domicilia 445 s.

Tentorinm sacrum ante Mosen usitatum 50. tentoriorum fabricatores 545.
Tenuphah, ritus 314.
Tephillin 377 s.
Teraphim 429 s.
Ternarius numerus eiusque significatio 88.
Terumah, ritus 314.
Testamentum 683.
Testes in iudiciis 767.
Tetanus sive rigor nervorum 679.
Textores 544 s.
Thalamus fecundus et sterilis 572.
Tharšiš 534.
Thartak 427.
Theatrum 793.
Theocratia 700.
Thora sanctitatis 754.
Thymiama sacrum 69 s. eius significatio 86.
Tiara sacerdotum 186 s. pontificis 204. variae tiarae virorum et mulierum 471 s.
Tibia, instrumentum musicum 639.
Tibicines nenias modulantes 693.
Tischri, mensis 671.
Tonsores barbae et capillorum 545.
Tonsura ovium 519.
Toparchiae 460.
Torcular uvarum 508 s. olivarum 511.
Tormenta varii generis 776. in iudiciis adhibita 767.
Tosephta 11.
Traditiones veterum 10. 434. 438.
Traha (trahea) 505.
Triangulum, instrumentum musicum 639.
Tribulum acutum 505.
Tribus duodecim Israelitarum 697—699.
Tributum sacrario datum 80 s. regibus solutum 725. cf. 717.
Triclinium 492. Romanorum 493.
Triremes 537.
Triticum 500. Minnith 501.
Triturandi varii modi 505.
Trochlea, machina ad aquam hauriendam 457.
Tropaea in sacrario suspensa 110. 805.
Tuba, instrumentum musicum 640. tubae sacrae 174 s.
Tunica sacerdotum 186. pontificis 195 s. virorum et mulierum 464 s.
Turres exstructae super muros et in mediis urbibus 458. in vineis 508. turris oppugnatoria 800.
Turtures 305. 486.
Tus panibus propositionis impositum 63. pars thymiamatis 69. cf. 86. in sacrificiis usurpatum 333. 338.
Tympanismus, supplicii genus 778.
Tympanum, instrumentum musicum 639.

U

Ultio sanguinis 774 s.
Unctio capillorum 469. corporis 479 s. pontificis et sacerdotum 162—164. prophetarum 408. regum 409—412. 709. tabernaculi foederis eiusque vasorum 81. 408. unctionis sacrae significatio 412 s.
Unguenta varii generis 480.
Urbanitas Hebraeorum 587—593.
Urbes 454—461. asyli 215 s. 774. sacerdotum et Levitarum 213—215. urbium obsidio 798—801.
Urim et *Tummim* 198—204.
Ursa maior, sidus 619.
Usura 746—748.
Uvae 508.
Uxores legitimae primi et secundi ordinis 561. earum condicio 561 s. officia 565. uxores adulterae 565 s. suspectae pudicitiae 566—568.

V

Vasa ad cibos parandos adhibita 484. potoria 490 s.
Vasculum scribae 605 s.
Veadar, mensis 672.
Vectigalia sacra 80 s. civilia 725. 732 s. 734.
Velum navis 537. templi scissum 129 s. vela tabernaculi foederis 53. 55.
Venatio 528 s.
Ventilatio frumenti 506.
Venus, stella 619.
Verberatio, poena 771.

Vergiliae, sidus 619.
Vernae 583.
Vespera duplex 664.
Vestibulum domorum 449.
Vestimenta Levitarum 185. militum 793 s. pontificis eorumque significatio 195—209. sacerdotum Hebraeorum eorumque significatio 186—189. sacerdotum Aegyptiorum 189—194. virorum et mulierum 461—469.
Vexilla militum (tribuum) 794 s.
Viae mercandi 533 s.
Vici 459.
Victimarum qualitates 306 s. victimae humanae 308 s.
Victorum receptio 804.
Viduarum condicio 684. cura 750.
Vigiles urbium 458. castrorum 796.
Vigiliae 665 s.
Vindemia 508.
Vineae 506—508.
Vinum vitis 488. vina artificiosa 489.
Virga Aaron eiusque significatio 74. 87. 145.
Virginitas maximo in honore habita 552 s.
Viri stationis 223. decem otiosi 217.
Visitandi ritus 591.
Vitia corporis, quae a ministerio sacro excludebant 181 s. quae animalia ad sacrificandum inutilia reddebant 306 s.
Vitis aurea in templo 128. vitium cultura 506—510.
Vitrum 450. 491. vitriarii 545.
Vitulorum cultus 419—422.
Vota 382—392.

X

Xylinum 501 s.
Xylophorias festum 286.
Xystus 122. 762.

Z

Zelotypiae lex 566 s.
Ziv, mensis 670.
Zizith Judaeorum 467.
Zodiaci signa duodecim 619 s.



Fig. 1. **Descriptio tabernaculi foederis.**

A = Atrium B = Sanctuarium C = Sanctissimum
a = Altare holocaustorum b = Labrum aeneum c = Altare thymiamatis
d = Candelabrum aureum e = Mensa sacra f = Arca foederis.



Fig. 2. **Altare holocaustorum**
in atrio tabernaculi foederis



Fig. 3. **Labrum aeneum**
in atrio tabernaculi foederis



Fig. 4. **Mensa panum propositionis**
in sanctuario tabernaculi foederis



Fig. 5. **Candelabrum aureum**
in sanctuario tabernaculi foederis



Fig. 6. **Altare thymiamatis**
in sanctuario tabernaculi foederis



Fig. 7. **Arca foederis**
in sanctissimo tabernaculi foederis



Fig. 8. **Descriptio templi Salomonis**

A = Atrium exterius B = Atrium interius C = Pronaus D = Sanctuarium
E = Sanctissimum F = Conclavia a = Altare holocaustorum



Fig. 9. **Altare holocaustorum**
in templo



Fig. 10. **Mare aeneum**
in templo



Fig. 11. **Labrum minus**
in templo

Fig. 12. **Duo cherubim**
in sanctissimo templi



Fig. 13.



Fig 14. **Stella hexagona**



Fig 15. **Monogramma Christi**

Fig. 16. **Descriptio templi Herodis**
Sept.



Merid.

Adnotationes ad descriptionem templi Herodis

A = Atrium gentium
B = Septum lapideum
C = Area
D = Gradus in Chêl ducentes
E = Atrium mulierum
F = Porta speciosa
G = Podia, in quibus mulieres rebus divinis intererant
H = Cubiculum 1) naziraeorum 2) leprosorum 3) quod lignis servandis serviebat 4) ubi vinum et oleum reponebantur
I = Atrium Israelitarum
K = Lorica lapidea
L = Atrium sacerdotum
M = Pronaus
N = Sanctuarium
O = Sanctissimum
P = Aedificia, quae aedem sacram circumdabant
R = Cubicula ad varios usus destinata
S = Aquaeductus, per quem aquae in labrum magnum deferebantur
a = Porta orientalis
b = Porta bipartita
c = Porta tripartita
e–f = Duae portae occidentales, quae in inferiores urbis partes ducebant
g = Altare holocaustorum
h = Labrum magnum
i = Porta pronai
k = Porta ad palatium Hasmonaeorum et Xystum ducens
l = Porta graduum in vallem Tyropoeon ducens
m = Porta in domum regiam (in superiores urbis partes) ducens



Fig. 22. **Instrumenta pulsatilia**



Tibiae Fistula Cornu Tuba

Fig. 23. **Instrumenta flatilia ex monumentis Romanis**

Corrigenda

Pag. 3. lin. 5 lege: L. Cl. Fillion — 3, 6: Ed. II. 1894. — 7, 42: tabernaculo — 45, 19: pro Aegyptiis haberi — 46, 11: qua — 51, 17: ostenderat — 59, 21: 38, 3 (pro 28, 3) — 107, 20: removendam (pro: exstruendam) — 109, 18: quadringenta (pro: quadraginta) — 110, 20: בָּעִי — 119, 38: AJ 15, 11. — 124, 7: cuius manus (pro: cuius lingua) — 150, 1: censent — 155, 31: Landersdorfer — 138, 8: Lv 15, 16—18. — 204, 12: hyacinthinis — 205, 23: Jo 5, 22 — 210, 38: Nm 18, 9 s. — 215, 2: (Esr 2, 36—39 numerantur 4289 sacerdotes) — 221, 36: exeunte saeculo primo aut ineunte saeculo secundo — 237, 7: duodetricesimus — 238, 13: unde — 245, 1; suppeditaturum — 268, 23: conviviis — 321, 11: Schürer, GJV — 332, 2: pluris — 342, 34: Hebr 13, 12. — 383, 24: Dt 23, 24. — 385, 2: obstricti — 390, 15: ferta ac libamina praescripta (pro: vinum denique ad libandum destinatum) — 408, 17 dele: Ex 29, 31. — 408, 21 lege: I Rg 19, 16. — 433, 16 dele: non — 434, 38 lege: 18, 1. 3. — 436, 5: ib. 5, 43 (pro: ib. v. 43) — 439, 21: BJ 2, 8. 14. — 507, 5: bêt — 510, 36: Jo 15, 2. — 526, 22: camelarum — 547, 10: Paris (pro: ib.) — 555, 32: Lv 18, 6—18. — 565, 18: Dt 22, 23—25. — 568, 8: Gn 2, 24. — 573, 13: אִמּוֹ — 577, 7: animalium — 577, 8: ovis mater — 581, 34: posse (Dt 21, 18—21) — 582, 4: datum — 585, 35: ut famula — 585, 43 dele: eam — 590, 29 dele: 5, 13. — 614, 30 lege: qui — 655, 34: alios — 659, 42: δραχμή — 662, 38: octaeteride — 665, 30: ternis (pro: quaternis) — 736, 41: 37—41.

1863-1939.

Archaeologia biblica

CAT
BS620.K671
ARCHAEOLO

3 0

BS 620 .K67 1917

Kortleitner, Francis Xavier,
1863-1939.

Archaeologia biblica

DEMCO

17025

Kortleitner, F.X.
Archaeologia Biblia

221.93
Kor

3 0311 00017 0378